BULLARIUM

ROMANUM

BULLARUM
DIPLOMATUM ET PRIVILEGIORUM
SANCTORUM ROMANORUM PONTIFICUM
TAURINENSIS EDITIO

LOCUPLETIOR FACTA

COLLECTIONE NOVISSIMA PLURIUM BREVIUM, EPISTOLARUM, DECRETORUM ACTORUMQUE S. SEDIS

A S. LEONE MAGNO USQUE AD PRAESENS

CURA ET STUDIO

COLLEGII ADLECTI ROMAE VIRORUM S. THEOLOGIAE ET Ss. CANONUM PERITORUM

QUAM

SS. D. N. PIUS PAPA IX

APOSTOLICA BENEDICTIONE EREXIT

AUSPICANTE

EMO AC REVMO DNO S. R. E. CARDINALI

ALOYSIO BILIO.

TOMUS XXII

BENEDICTUS XIII (ab an. MDCCXXIV ad an. MDCCXXX).

AUGUSTAE TAURINORUM

A. VECCO ET SOCIIS EDITORIBUS

SUCCESS. SEBASTIANI FRANCO ET FILIORUM

M DCCC LXXI.

LECTORI BENEVOLO

EDITORES TAURINENSES

S.

Tercentas, una minus, Benedicti PP. XIII Constitutiones, quotquot nempe huius Pontificis, partim in tomo XI editionis Mainardianae a pag. 279, partim in tomo XII per totum, recensuerat cl. Cocquelines, nos tribus vix mensibus elaboratas uno isto volumine commodius concinniusque collegimus. Posthac nonnisi ducentae et septem supra septuaginta Clementis XII Bullae nobis edendae supererunt, ut ad finem magnae Collectionis Cocquelinianae, quam nobis primum recudendam secundisque curis nostris adornandam proposueramus, feliciter perveniamus: quibus profecto imprimendis reliquum anni decurrentis quadrimestre satis superque erit, adeo ut adamussim id re ipsa adimpleamus, quod ante tres annos in praefatiuncula ad tomum XV verbo promisimus, antequam ad finem vergeret annus Reparatae Salutis MDCCCLXXI, nos totum opus Mainardianum viginti quatuor tomis editionis nostrae comprehensum daturos.

Hoc porro tum temporis tum operis nostri momento, dum priorem longissimi cursus metam iam iam feliciter arripimus, e re duximus fore, ut amicam quamdam cum subscriptoribus, iisdemque veris adiutoribus Editionis nostrae, tum eorum quae hucusque peregimus, tum eorum quae nobis adhuc peragenda restarent, rationem supputationemque ineamus.

Opus hocce, quod omni fere vi destitutum repereramus, cuius decem vix tomi decem annorum spatio interpolatim prodierant, quum illud Ecclesiae Catholicae apprime utile, Summoque Hierarchae Pio PP. IX acceptissimum esse noverimus, audacter nos quatuor ante annos[1] ulnis veluti nostris relevandum curisque nostris fovendum suscepimus, brevique duodecim tomis adauctum, eo tandem praeter omnium expectationem perduximus, ut iam sibi ipsi sufficiat; eruditis enim perspecta res est, Magnum Bullarium Romanum Mainardi-Cocquelinianum, cui intra quatuor menses certo certius coronidem imponemus, unum quoddam per se totum atque praecipuum constituere, cuius veluti additamenta habentur tum *Magni Bullarii Romani Continuatio* a Benedicto XIV et deinceps, tum ea, quam nos edere iam coepimus, nova diplomatum pontificiorum nunquam in Bullario Romano editorum *Appendix*.

Fidem itaque, quantum erat nostri, satis superque exsolvimus, illudque multum, quod ingentibus, quarum in dies necessum erat, expensis deerat, atque hucusque defuit prae inopia subscriptorum, aere nostro supplevimus. Ast nemo praesumat, nos per nos ipsos ad finem usque in opere

1 Primus e nostro Typographeo tomus, totius collectionis XI, prodiit XV kal. iulii anni MDCCCLXVII.

posse persistere. Iam saepe monuimus, catholicum opus nonnisi catholicis quodammodo iunctis viribus fore consummandum. Insuper verebamur, ne plerisque etiam illorum, qui ab initio huic editioni nomen suum dederunt, atque hucusque in fide manserunt, oneri essemus, dum coacte potius quam libenter volumina nostra forsan accipiunt, pro iisque pretia persolvunt. Hisce de causis, ante duos menses, folio per nos apposite edito atque per orbem distributo, cui titulus *Specimen Editionis Taurinensis Magni Bullarii Romani* XVI iunii MDCCCLXXI, omnibus notum fecimus, pristinam obligationem pro priori tantummodo Operis nostri parte, quae ad finem properat, valituram; quoad alteram vero tertiamque partem, novam nos subscriptionem inituros.

Rogamus itaque obtestamurque quotquot editionem hanc nostram usque ad Pium IX perduci desiderant, ut quantocitius, dum nos duo postrema prioris partis volumina paramus, ad nos, aut ad bibliopolas apud quos volumina nostra venu prostant, novas transmittant schedulas subscriptionis pro *Continuatione Magni Bullarii Romani*, vel pro *Appendice*, vel pro utraque, ut et nos, iis supputatis, si pares impensis, quae necesse sunt, eas invenerimus, accincti paràtique operi absque ulla interruptione ac mora prosequendo inveniamur.

Haec semel innuisse sufficiat: ceterum favorem tuum, Lector benevole, expectamus. Vale.

Augustae Taurinorum, kal. septembris MDCCCLXXI.

A. VECCO ET SOCII.

INDICULUS

SS. PONTIFICUM CONSTITUTIONUM

QUAE IN TOMO XXII

EXTRA ORDINEM CHRONOLOGICUM VAGANTUR.

ADVERTENTIA. Tabulam *novi ordinis* cum *ordine veteri* comparati omittimus, quia, unâ minimâ mutatione exceptâ, quam suo loco notavimus, alter alteri adamussim respondet.

INDEX

LECTIONUM VEL MENDOSARUM VEL DUBIARUM

EDITIONIS ROMANAE

QUIBUS OPPONUNTUR SINGULIS SINGULAE EMENDATIONES VEL LECTIONES

NOSTRAE EDITIONIS

(Vide Adv. tom. XI pag. XII).

Edit. Rom. Main. Tom. XI.					*Edit. Taur. Tom. XXII.*				
Pag.	279 *b*	linea	12 *ult.*	saluti	*Pag.*	1 *b*	linea	18	salutis
»	280 *a*	»	31	eo	»	2 *a*	»	4 *ult.*	ei
»	280 *b*	»	2	piissimo	»	3 *a*	»	2	piissima
»	280 *b*	»	20	pergratum	»	3 *a*	»	23	pergratam
»	280 *b*	»	19 *ult.*	alii	»	3 *b*	»	17	alius
»	280 *b*	»	18 *ult.*	miraculis per	»	3 *b*	»	18	miraculis
»	280 *b*	»	12 *ult.*	Et	»	3 *b*	»	25	Et
»	280 *b*	»	11 *ult.*	agris	»	3 *b*	»	27	aegris
»	280 *b*	»	1 *ult.*	sub diu	»	3 *b*	»	2 *ult.*	sub dio
»	281 *a*	»	5	Dei	»	4 *a*	»	6	Deo
»	281 *a*	»	5	sacram	»	4 *a*	»	6	sacrum
»	281 *a*	»	17	sacrum	»	4 *a*	»	19	sacrarum
»	281 *a*	»	33	eam	»	4 *b*	»	1	eamdem
»	281 *a*	»	34	ut	»	4 *b*	»	1	et
»	281 *b*	»	23	in eiusdem	»	5 *a*	»	10 *ult.*	eiusdem
»	281 *b*	»	6 *ult.*	munitae	»	5 *b*	»	4 *ult.*	munita
»	281 *b*	»	5 *ult.*	sicuti	»	5 *b*	»	2 *ult.*	sicubi
»	283 *a*	»	1 *ult.*	audiri	»	8 *a*	»	17 *ult.*	audire
»	284 *a*	»	23	thurificationis	»	9 *b*	»	8	thurificationes
»	284 *b*	»	30 *ult.*	collectae	»	10 *b*	»	23	collecta
»	287 *b*	»	31	sicuti	»	15 *b*	»	4	sicubi
»	289 *a*	»	2	accederent	»	17 *a*	»	17	accenderent
»	289 *a*	»	12	societati	»	17 *a*	»	11 *ult.*	sociati
»	289 *a*	»	40	MD, XV kalendas	»	17 *b*	»	19	MDX, V kalendas
»	289 *a*	»	9 *ult.*	educat	»	18 *a*	»	2	educatur
»	289 *b*	»	20	consilio	»	18 *a*	»	9 *ult.*	consilium
»	290 *a*	»	8	posponeret Urbs tota suspexit menses quatuor	»	19 *a*	»	19	postponeret. Urbs tota suspexit. Menses quatuor
»	290 *b*	»	20 *ult.*	missa	»	20 *b*	»	23	missam
»	291 *a*	»	22 *ult.*	missa	»	21 *b*	»	15	missam
»	291 *b*	»	16	munitae	»	22 *a*	»	15	munita

Edit. Rom. Main. Tom. XI.					Edit. Taur. Tom. XXII.				
Pag.	291 b	linea	17	sicuti	Pag.	22 a	»	17	sicubi
»	293 b	»	12	iterum	»	25 a	»	5	iturum
»	294 b	»	29 *ult.*	episcopo	»	27 a	»	16 *ult.*	episcopio
»	297 b	»	7	accederet	»	31 b	»	15 *ult.*	accenderet
»	298 b	»	11	et quae	»	33 b	»	18	atque
»	299 a	»	36	sicuti	»	34 b	»	4 *ult.*	sicubi
»	301 a	»	2	lethales	»	37 b	»	1	lethalis
»	301 b	»	9 *ult.*	maxime	»	39 a	»	28	maximâ
»	304 a	»	2	patefactis	»	42 a	»	16 *ult.*	patratis (?)
»	317 a	»	29 *ult.*	sit	»	50 b	»	9 *ult.*	dignata sit
»	317 b	»	7	impendere	»	51 a	»	10 *ult.*	impendimus
»	319 b	»	33 *ult.*	privilegia	»	53 a	»	18 *ult.*	privilegia huiusmodi
»	320 a	»	19	pariter	»	54 a	»	1	caelestia pariter
»	321 a	»	23 *ult.*	nostris	»	55 a	»	15	nostis
»	324 b	»	27 *ult.*	ceterique	»	61 b	»	1 *ult.*	ceterisque
»	325 a	»	8	illisque	»	62 a	»	5 *ult.*	illis, inquam,
»	325 b	»	4	ea	»	63 a	»	16 *ult.*	ut eae
»	326 a	»	24	inveniatur	»	64 b	»	3	investiatur
»	331 a	»	22	addixerit	»	73 a	»	19	addixerint
»	331 a	»	25 *ult.*	tum ex regulari coetu	»	73 a	»	14 *ult.*	tum ex clero saeculari, tum ex regulari coetu
»	331 a	»	5	sub	»	73 b	»	9	sive
»	331 b	»	37	et quae	»	74 a	»	4	atque
»	332 a	»	27	plures	»	74 b	»	22	pluries
»	334 a	»	11 *ult.*	existant	»	79 a	»	4 *ult.*	existunt
»	336 b	»	9	persolveret	»	82 a	»	1 *ult.*	persolverat
»	336 b	»	21	largiter	»	82 b	»	15	largitor
»	336 b	»	27	eodem	»	82 b	»	23	eidem
»	336 b	»	27	praedecessore	»	82 b	»	23	praedecessori
»	336 b	»	42	fuerat, uti	»	83 a	»	1	uti
»	339 a	»	11	ex	»	87 a	»	4	et
»	339 a	»	13	Motu	»	87 a	»	7	motus
»	339 a	»	15	directioni	»	87 a	»	9	. . . (?)
»	339 a	»	21 *ult.*	Clementem VIII	»	87 b	»	8	Clementem VII
»	339 a	»	20 *ult.*	substitione	»	87 b	»	10	substitutione
»	339 b	»	18	obtinebat eius in hac parte	»	88 a	»	10	obtinebat, in hac parte
»	339 b	»	38	debitis	»	88 a	»	9 *ult.*	debitae
»	340 a	»	15	et	»	89 a	»	1	et aliàs
»	340 a	»	17 *ult.*	nec	»	89 b	»	3	ne
»	340 a	»	12 *ult.*	intromittere	»	89 b	»	9	intromitterent
»	340 a	»	9 *ult.*	alias	»	89 b	»	13	alios
»	341 a	»	14 *ult.*	nostris	»	91 a	»	9 *ult.*	nostri
»	342 b	»	11	huiusmodi	»	93 a	»	5	huiusmodi dignitata
»	347 a	»	12 *ult.*	perennet	»	97 b	»	10	perennent
»	349 a	»	14 *ult.*	pervenerunt	»	98 b	»	4 *ult.*	pervenerint
»	349 a	»	6 *ult.*	asportasse	»	99 a	»	5	asportans
»	356 a	»	27 *ult.*	tradentium	»	100 b	»	15	tendentium
»	357 a	»	16 *ult.*	accepimus	»	102 b	»	1	accepimus, et
»	358 a	»	27	quos	»	104 a	»	1	quas
»	358 a	»	32	conservatorum	»	104 a	»	6	conservatorem
»	358 a	»	20 *ult.*	indulgeri, ac indultum	»	104 a	»	16 *ult.*	indulgeri, indultum
»	358 b	»	20 *ult.*	et ut	»	105 a	»	8	ut
»	359 a	»	2	praedicti	»	105 a	»	6	a praedicti
»	359 a	»	36	et	»	105 b	»	10 *ult.*	in
»	359 b	»	20	ullatenus	»	106 b	»	10	nullatenus
»	360 a	»	2	et	»	107 a	»	10	ea
»	360 b	»	30 *ult.*	quoad	»	108 b	»	1	apud
»	360 b	»	29 *ult.*	quibus	»	108 b	»	2	quibusvis

Edit. Rom. Main. Tom. XI.			*Edit. Taur. Tom.* XXII.		
Pag. 361 *b*	linea 29	probastis	Pag. 110 *a*	linea 17	probatis
» 361 *b*	» 32	fructuum	» 110 *a*	» 21	fructum
» 361 *b*	» 17 *ult.*	Concilio	» 110 *b*	» 3	consilio
» 361 *b*	» 11 *ult.*	ac veritate	» 110 *b*	» 8	vi ac veritate
» 361 *b*	» 8 *ult.*	coniunctae	» 110 *b*	» 12	convictae
» 362 *a*	» 15	Dilecti filii	» 111 *a*	» 2 *ult.*	(*nota*) Sicut angeli
» 362 *a*	» 18	decurrite	» 111 *a*	» 4	decurrere
» 362 *a*	» 35	edicere	» 111 *a*	» 23	ediscere
» 362 *a*	» 40	intellectum	» 111 *a*	» 7 *ult.*	intellectu
» 362 *b*	» 30	ad	» 112 *a*	» 15	ac
» 362 *b*	» 27 *ult.*	consuetudinem	» 112 *a*	» 8 *ult.*	consuetudines
» 363 *a*	» 22	hinc	» 113 *a*	» 1	hic
» 363 *b*	» 21	earumdem	» 113 *b*	» 6 *ult.*	eorumdem
» 364 *b*	» 16	et quod	» 115 *b*	» 22	eo quod
» 366 *a*	» 3	universalibus	» 118 *a*	» 16 *ult.*	in universalibus
» 366 *b*	» 33	ac illis	» 119 *b*	» 22	ac ab illis
» 367 *a*	» 10	archiepiscopi	» 120 *a*	» 19	archiepiscopis
» 373 *a*	» 23 *ult.*	definitorum	» 121 *b*	» 8 *ult.*	definitorium
» 374 *a*	» 26 *ult.*	monasteriis	» 123 *b*	» 7	in monasteriis
» 375 *b*	» 3 *ult.*	intercedit	» 126 *a*	» 17 *ult.*	intercidit
» 376 *b*	» 17 *ult.*	in	» 127 *b*	» 14 *ult.*	cum
» 378 *b*	» 8	adductis	» 130 *a*	» 1	adducti
» 378 *b*	» 27	praedictam	» 130 *a*	» 22	praedictarum
» 379 *a*	» 20	detegunt	» 131 *a*	» 6	degunt
» 381 *a*	» 29 *ult.*	profligatione	» 134 *b*	» 19	profligationem
» 381 *a*	» 21 *ult.*	baiulatus	» 134 *b*	» 26	baiulivatus
» 384 *a*	» 13	illique	» 135 *a*	» 3 *ult.*	illisque
» 384 *b*	» 27 *ult.*	ad	» 136 *b*	» 17	ab
» 384 *b*	» 9 *ult.*	alibi	» 136 *b*	» 6 *ult.*	nullibi
» 385 *a*	» 5	acceptas	» 137 *a*	» 11	exceptas
» 389 *b*	» 1	mirabiliter	» 138 *a*	» 4 *ult.*	miserabiliter
» 390 *a*	» 6	In supra	» 139 *b*	» 17 *ult.*	In supremo
» 390 *a*	» 6 *ult.*	in	» 140 *a*	» 17	id
» 391 *b*	» 22	seriem	» 142 *a*	» 15 *ult.*	serie
» 391 *b*	» 12 *ult.*	vitae et collegialiter	» 142 *b*	» 15 *ult.*	vitae collegialiter
» 392 *a*	» 32 *ult.*	etiam	» 143 *b*	» 2	aut etiam
» 394 *a*	» 11	complecten	» 146 *b*	» 7 *ult.*	Complutensi (?)
» 394 *a*	» 24	nobis	» 147 *a*	» 9	Cum nobis
» 394 *a*	» 25	a scholis	» 147 *a*	» 10	scholis
» 394 *a*	» 25	ex doctrinâ	» 147 *a*	» 11	a doctrinâ
» 394 *b*	» 5 *ult.*	apostolum	» 148 *a*	» 18 *ult.*	apostolorum
» 395 *b*	» 1	plurimum	» 149 *a*	» 26	plurium
» 395 *b*	» 30 *ult.*	vitam	» 149 *b*	» 16 *ult.*	viam
» 398 *a*	» 22	ut	» 153 *b*	» 8 *ult.*	aut
» 398 *b*	» 31	constet	» 154 *b*	» 4 *ult.*	constat
» 398 *b*	» 32	emanavit	» 154 *b*	» 3 *ult.*	emanaverit
» 398 *b*	» 13 *ult.*	volumus	» 155 *a*	» 14 *ult.*	nolumus
» 398 *b*	» 12 *ult.*	urgeret	» 155 *a*	» 13 *ult.*	vergeret
» 400 *b*	» 19	sit	» 158 *a*	» 8 *ult.*	fuit
» 400 *b*	» 7 *ult.*	clericali	» 159 *a*	» 1	laicali
» 401 *b*	» 24 *ult.*	studemus	» 160 *b*	» 5	studeamus
» 403 *b*	» 11 *ult.*	praefectus	» 164 *a*	» 8	praefecti
» 405 *b*	» 6	ad se	» 166 *b*	» 12 *ult.*	ab se
» 406 *b*	» 23 *ult.*	aliis	» 169 *a*	» 4	aliàs
» 409 *a*	» 27 *ult.*	absolutos	» 173 *a*	» 1 *ult.*	absolutas
» 409 *b*	» 40	forma	» 174 *a*	» 23	forma servanda foret
» 409 *b*	» 40	tenore	» 174 *a*	» 23	tenores
» 409 *b*	» 1 *ult.*	scientiam	» 174 *b*	» 13	scientiâ

	Edit. Rom. Main. Tom. XI.					*Edit. Taur. Tom.* XXII.			
Pag.	410 *a*	linea	22 *ult.*	baiulatibus	*Pag.*	175 *a*	linea	16 *ult.*	baiulivatibus
»	410 *a*	»	14	praestare	»	175 *b*	»	18 *ult.*	portare (?)
»	411 *a*	»	7	antedictos	»	176 *b*	»	10	per antedictos
»	411 *a*	»	36	Congregationi	»	176 *b*	»	1 *ult.*	Congregationis
»	411 *a*	»	38	Congregationi	»	177 *a*	»	2	Congregationis
»	411 *a*	»	10 *ult.*	redituum	»	177 *a*	»	13 *ult.*	reddituum
»	411 *a*	»	9 *ult.*	recta	»	177 *a*	»	12 *ult.*	recto
»	413 *a*	»	9	occasionum	»	180 *a*	»	19 *ult.*	occasionem
»	413 *b*	»	25	notari	»	181 *a*	»	5 *ult.*	vocari
»	414 *a*	»	22 *ult.*	ignorantiam	»	182 *b*	»	10	ignorantia
»	416 *a*	»	25 *ult.*	19	»	186 *a*	»	6	18
»	416 *a*	»	1 *ult.*	diecisette	»	186 *a*	»	11 *ult.*	dieciotto
»	416 *b*	»	11	proponére	»	186 *a*	»	2 *ult.*	proponere tre
»	417 *b*	»	21 *ult.*	sacrarum	»	188 *a*	»	15	sacrorum
»	419 *a*	»	22 *ult.*	irrogetur	»	189 *a*	»	26	irrogaretur
»	419 *a*	»	6 *ult.*	facti	»	189 *b*	»	1	fassi
»	419 *b*	»	10	tam	»	189 *b*	»	19	iam
»	419 *b*	»	32	VIII	»	190 *a*	»	4	VII
»	421 *a*	»	27	obsequentes	»	192 *b*	»	20	obsequens
»	421 *b*	»	22	possint	»	193 *b*	»	7	possit
»	422 *b*	»	31	partis	»	195 *b*	»	2	paris
»	422 *b*	»	14 *ult.*	quo	»	195 *b*	»	17 *ult.*	qua
»	423 *a*	»	14	praesentetur	»	196 *a*	»	16	praesententur
»	423 *a*	»	16	meliori	»	196 *a*	»	18	melioris
»	423 *a*	»	29 *ult.*	quantitati	»	196 *a*	»	5	quantitatis
»	423 *a*	»	28 *ult.*	valori	»	196 *b*	»	6	valoris
»	423 *a*	»	5 *ult.*	rationabilis	»	196 *b*	»	8 *ult.*	rationabili
»	423 *a*	»	4 *ult.*	talis	»	196 *b*	»	7 *ult.*	tali
»	423 *b*	»	24 *ult.*	visitationum	»	197 *b*	»	9	visitationem
»	423 *b*	»	9 *ult.*	vocati	»	197 *b*	»	16 *ult.*	vocatis
»	423 *b*	»	8 *ult.*	collegiis	»	197 *b*	»	9 *ult.*	conciliis
»	424 *b*	»	15	anno I.	»	198 *a*	»	8 *ult.*	anno II

Edit. Rom. Main. Tom. XII.

Pag.	2 *a*	linea	32	emersit	*Pag.*	199 *b*	linea	13 *ult.*	emerserit
»	2 *b*	»	13 *ult.*	indicio	»	201 *a*	»	11	indicia
»	5 *b*	»	22 *ult.*	in sacrâ Rituum Congregatione benigne . . .	»	206 *a*	»	11 *ult.*	in sacrâ Rituum Congregatione relatis, eadem S. Congregatio benigne
»	5 *b*	»	13 *ult.*	Cum	»	206 *a*	»	1 *ult.*	Cum autem
»	6 *a*	»	24 *ult.*	digna est.	»	207 *a*	»	11	dignata est
»	6 *b*	»	5	vel studiorum	»	207 *b*	»	8	vel particularium studiorum
»	7 *a*	»	3	constabilimus	»	208 *a*	»	6 *ult.*	constabiliamus
»	7 *a*	»	27 *ult.*	domos	»	208 *b*	»	1 *ult.*	domus
»	7 *b*	»	2	praedictus	»	209 *a*	»	13 *ult.*	praedictas
»	8 *b*	»	27 *ult.*	promerita	»	211 *b*	»	9	quem pro meritis
»	8 *b*	»	22 *ult.*	aedificia	»	211 *b*	»	16	aedificari
»	8 *b*	»	18 *ult.*	omnibusque et singulis praemissis nobis ut praefertur expositis	»	211 *b*	»	20	omniaque et singula praemissa, nobis ut praefertur exposita
»	8 *b*	»	9 *ult.*	ut	»	211 *b*	»	0 *ult.*	ac
»	9 *a*	»	31	concathedralis	»	212 *a*	»	8 *ult.*	concathedralem
»	9 *b*	»	8	in eorum	»	213 *a*	»	4	tam in eorum
»	10 *b*	»	30 *ult.*	quae tollendis	»	215 *a*	»	15	quae pro tollendis
»	11 *b*	»	18	seu	»	216 *b*	»	13	sed
»	11 *b*	»	24	ut	»	216 *b*	»	21	aut

Edit. Rom. Main. Tom. XII.				Edit. Taur. Tom. XXII.			
Pag.	12 b	linea 25	earumdem	Pag.	218 b	linea 3	ut earumdem
»	12 b (nota ad rub.)	24 ult.	26 iulii	»	218 b (nota)	2 ult.	21 iulii
»	13 a	8	libertatis	»	219 a	11	liberalitatis
»	13 a	10	uberiores	»	219 a	14	uberiores fructus
»	13 b	29 ult.	eosque	»	219 b	6	eisque
»	14 a	16	concessa	»	221 a	5	concessa fuissent
»	14 a	33	fratres et personae	»	221 a	11 ult.	fratresque et personas
»	14 a	37	regularium	»	221 a	7 ult.	regularem
»	14 a	12 ult.	procuratoris generalis	»	221 b	19	procuratoribus generalibus
»	14 b	20	subventione	»	222 a	13	subventiones
»	14 b	19	manutentione	»	222 a	12	manutentioni
»	14 b	32 ult.	possident	»	222 a	9 ult.	possidet
»	15 a	6 ult.	concessa fuissent	»	223 b	14	concessa fuissent) concessa esse et fore
»	16 a	24	pro illorum	»	224 b	3 ult.	ac pro illorum
»	16 a	34	possit	»	225 a	10	possint
»	17 b	38 ult.	eorumque alio	»	227 b	13 ult.	eorumque aliquo
»	17 b	9 ult.	in eisdem praesentibus	»	228 a	15 ult.	in eisdem de praesentibus
»	18 a	32	praedictorum	»	228 b	25	praedictarum
»	18 a	33	aliorumque	»	228 b	26	aliarumque
»	18 a	1 ult.	speciali	»	229 a	19 ult.	specialiter
»	18 b	7 ult.	aperitionis	»	230 a	5	aperitione
»	19 b	23	illustraverunt	»	231 a	7 ult.	illustraverint
»	19 b	22 ult.	praedicti	»	231 b	16	praepediti
»	20 a	1	religionis	»	232 a	1	pro religionis
»	20 a	27	intercedit	»	232 a	13 ult.	accedit
»	20 a	3 ult.	ecclesiae	»	232 b	7 ult.	ecclesias
»	20 b	2	nostris	»	232 b	2 ult.	nostrae
»	20 b	22	aliis	»	233 a	22	aliàs
»	20 b	14 ult.	aliàs	»	233 b	18	cum aliàs
»	20 b	13 ult.	existenti	»	233 b	20	existentis
»	20 b	12 ult.	expositum fuit	»	233 b	21	expositum fuerit
»	21 a	28 ult.	decernentes	»	234 a	5 ult.	decernens
»	21 a	1 ult.	et	»	234 b	18 ult.	ut
»	22 b	21	illisque	»	236 b	9 ult.	illique
»	23 a	19 ult.	pari	»	238 a	15	parati
»	23 b	17	abbatibus	»	238 b	12	abbatialis
»	25 a	12 ult.	erectio	»	241 b	9 ult.	electio
»	25 b	8	vobis	»	242 a	11	vos
»	26 a	23 ult.	23	»	243 a	4 ult.	13
»	26 b	23	is	»	244 a	4	iis
»	26 b	19 ult.	ex	»	244 a	5 ult.	sex
»	27 b	29	divinarum	»	245 b	2 ult.	diurnarum
»	27 b	17 ult.	intentionis nostrae	»	246 a	15 ult.	intentio nostra
»	27 b	16 ult.	quilibet	»	246 a	14 ult.	quodlibet
»	28 a	11	unquam	»	246 b	18	quemquam
»	28 a	38 ult.	statutum	»	247 a	1	statum
»	28 a	10 ult.	nostris	»	247 a	19 ult.	nostrâ
»	28 a	11 ult.	roboratis	»	247 a	10 ult.	roboratis statutis
»	28 b	5	per quascumque	»	247 b	9	aut per quascumque
»	28 b	37	iunii	»	248 a	2	septembris
»	30 a	19	parochiales	»	250 a	7 ult.	parochialis
»	30 a	28	convertendum	»	250 b	5	convertissent
»	30 a	28	dicti	»	250 b	5	rectoribus dicti
»	30 a	41	et causâ in patribus inter	»	250 b	21	et causâ inter
»	30 b	13	nullo	»	251 a	17 ult.	nullâ
»	31 a	38	deficientiam	»	252 b	7	deficientium
»	31 a	15 ult.	illasque	»	252 b	13 ult.	illiusque

Edit. Main. Taur. Tom. XII.						Edit. Taur. Tom. XXII.					
Pag.	31	a	linea	6 ult.	annis[1]	Pag.	252	b	linea	6 ult.	anni
»	31	a	»	8 ult.	paschalis	»	252	b	»	5 ult.	paschali
»	31	b	»	35 ult.	permissa	»	253	b	»	1	praemissa
»	31	b	»	4 ult.	ea	»	253	b	»	6 ult.	eis
»	32	a	»	9	clausula	»	254	a	»	9	regula
»	32	b	»	24	excogitationis	»	255	a	»	19	excogitationes
»	32	b	»	40	dispendiorum	»	255	a	»	8 ult.	stipendiorum
»	32	b	»	12 ult.	administrationi	»	255	b	»	10	administrationis
»	33	a	»	1	praesenti	»	255	b	»	22	praedicti
»	34	a	»	5	impediri	»	257	b	»	9	impedire
»	34	a	»	6	ipsi	»	257	b	»	10	ipsis
»	34	a	»	10	dispensare	»	257	b	»	16	dispensari
»	34	a	»	36 ult.	hospitalitatis... exercenda	»	258	a	»	1	hospitalitatis officiis... exercendis
»	34	a	»	7 ult.	faciendis	»	258	a	»	8 ult.	faciendas
»	34	b	»	14 ult.	moram	»	259	a	»	20	moras
»	35	a	»	33	hospitalium	»	259	b	»	15 ult.	et hospitalium
»	35	a	»	7 ult.	quo	»	260	a	»	23	quod
»	35	a	»	5 ult.	nec	»	260	a	»	25	ne
»	35	a	»	3 ult.	occurrat	»	260	a	»	27	occurrit
»	35	b	»	24 ult.	et	»	260	b	»	3 ult.	ut
»	35	b	»	15 ult.	habeant	»	261	a	»	8	habebant
»	36	a	»	12	omnipotentis	»	262	a	»	11 ult.	omnipotentis gloriam
»	36	a	»	21	necessarium	»	262	b	»	1	necessariarum
»	36	b	»	5 ult.	dictae	»	263	a	»	2	dicatae
»	38	a	»	10	se iuvare	»	265	a	»	7	se iuvare quemquam
»	40	a	»	16 ult.	arbitramur	»	269	a	»	15	arbitrabitur
»	40	b	»	27	laudabili	»	269	b	»	16 ult.	laudabilis
»	40	b	»	33	populique	»	269	b	»	11 ult.	suo populique
»	41	a	»	14	et plane	»	270	a	»	1 ult.	et eo plane
»	41	a	»	16	senatorum	»	270	b	»	3	senatorem
»	41	a	»	28	tamen	»	270	b	»	17	tantum
»	41	a	»	28	alterius	»	270	b	»	18	alternis
»	41	a	»	34	alia	»	270	b	»	25	aliae
»	41	b	»	7 ult.	ne	»	272	a	»	10	nec
»	43	a	»	17	excepto	»	274	a	»	23	exceptâ
»	43	a	»	31 ult.	praeposito	»	274	b	»	6	praeposito et
»	43	a	»	5 ult.	suffragari	»	274	b	»	5 ult.	suffragantibus
»	43	b	»	12 ult.	necessarioque	»	275	b	»	20 ult.	necessariamque
»	44	a	»	19 ult.	illorumque	»	276	b	»	11	illarumque
»	44	b	»	30 ult.	pastorum	»	277	a	»	14 ult.	pastorem
»	45	a	»	33 ult.	sufficit	»	278	a	»	20	suffecit
»	46	a	»	12	frumenti	»	279	b	»	23	frumento
»	46	a	»	17	His dubiis aequas resolutiones	»	279	b	»	13 ult.	His dubiis
»	46	a	»	17	bonorum	»	279	b	»	12 ult.	bonum
»	46	b	»	20	violari	»	280	b	»	14 ult.	viliori
»	47	a	»	17	ut omnibus	»	280	b	»	22	ut in omnibus
»	47	a	»	23 ult.	mores	»	280	a	»	14	moras
»	47	a	»	22 ult.	assequendo	»	282	a	»	16	assequendo congruunt
»	47	a	»	18 ult.	manum	»	282	a	»	21	magnum
»	47	b	»	5	huiusmodi	»	282	b	»	6	quod huiusmodi
»	47	b	»	12	et cautionem etiam suscipiendorum et exigendorum	»	282	b	»	15	et cautionum etiam suscipiendarum et exigendarum
»	47	b	»	20	de qualibet re	»	282	b	»	25	de qua libere

1 Sed etiam ed. Main. legit anni.

Edit. Rom. Main. Tom. XII.			*Edit. Taur. Tom.* XXII.		
Pag. 48 *a*	linea 27 *ult.*	pro	*Pag.* 283 *a*	linea 5	quae pro
» 48 *b*	» 5	etiamsi	» 283 *a*	» 1 *ult.*	quibus omnibus et singulis, etiamsi
» 49 *b*	» 31 *ult.*	eorumque	» 286 *b*	» 10	earumque
» 50 *a*	» 9	ut	» 287 *a*	» 10	et
» 50 *a*	» 34	atque	» 287 *a*	» 5 *ult.*	eique
» 50 *b*	» 1	revocamus	» 287 *b*	» 5 *ult.*	renovamus
» 50 *b*	» 32	alias	» 288 *a*	» 10 *ult.*	aliis
» 50 *b*	» 39	Hispaniis	» 288 *a*	» 2 *ult.*	pro Hispaniis
» 51 *a*	» 7 *ult.*	assignare, ac valeat	» 289 *b*	» 19	assignare valeat
» 51 *b*	» 6	congruerit	» 289 *b*	» 8 *ult.*	censuerit
» 51 *b*	» 9	animadvertit	» 289 *b*	» 5 *ult.*	animadverterit
» 51 *b*	» 9	aut	» 289 *b*	» 4 *ult.*	ut
» 51 *b*	» 13	poterit	» 290 *a*	» 7	possit
» 52 *a*	» 28	Clemens VIII	» 291 *a*	» 13	Clemens VII
» 52 *a*	» 31	1584	» 291 *a*	» 17	1534
» 52 *a*	» 29 *ult.*	1588	» 291 *a*	» 12 *ult.*	1688
» 52 *a*	» 8	tutos	» 291 *b*	» 3	totos (?)
» 52 *a*	» 17 *ult.*	ac	» 291 *b*	» 5	ab
» 52 *a*	» 11 *ult.*	Tertii Ordinis	» 291 *b*	» 11	Tertii Ordines (?)
» 53 *a*	» 14	non permittentes	» 292 *b*	» 10 *ult.*	non permittens
» 53 *a*	» 32 *ult.*	nostri	» 293 *a*	» 21	nostri de unâ
» 55 *b*	» 12 *ult.*	licet	» 294 *b*	» 8	licet iuxta
» 56 *b*	» 12	eorumque	» 295 *b*	» 16 *ult.*	earumque
» 57 *b*	» 8 *ult.*	antecessorum nostrorum	» 298 *a*	» 14 *ult.*	antecessorem nostrum
» 57 *b*	» 4 *ult.*	aeditum	» 298 *a*	» 10 *ult.*	aedium
» 58 *a*	» 6	iudicii	» 298 *b*	» 1	iudiciis
» 58 *a*	» 22	causâ dilationis	» 298 *b*	» 22	causâ dilatationis
» 58 *a*	» 29 *ult.*	cogatur	» 299 *a*	» 1	cogantur
» 58 *a*	» 22 *ult.*	et ad duobus	» 299 *a*	» 9	et a duobus
» 59 *b*	» 28	traduntur	» 301 *b*	» 6	tradantur
» 59 *b*	» 26 *ult.*	assignantur	» 301 *b*	» 18 *ult.*	assignentur
» 60 *a*	» 25	testamentorum	» 302 *a*	» 2 *ult.*	testatorum
» 60 *a*	» 26	et ultimis	» 302 *a*	» 1 *ult.*	ultimis
» 60 *b*	» 1	stabilita	» 303 *a*	» 2	illibata
» 61 *a*	» 35	caveatur	» 304 *a*	» 5 *ult.*	cavetur
» 61 *b*	» 34	quod fidelium	» 305 *a*	» 12 *ult.*	fidelium
» 62 *a*	» 13	earumdem	» 306 *a*	» 1	ut earumdem
» 62 *a*	» 32 *ult.*	ea qua [1]	» 306 *a*	» 14	ea quae
» 62 *b*	» 20 *ult.*	concederet	» 307 *a*	» 13 *ult.*	concedi peteret
» 62 *b*	» 2 *ult.*	alumnus	» 307 *b*	» 9	alumnis
» 64 *a*	» 31	facientes	» 309 *b*	» 18	facientibus
» 64 *a*	» 42	ipsis	» 309 *b*	» 9 *ult.*	quae adhiberetur ipsis
» 65 *a*	» 28 *ult.*	regularium	» 311 *b*	» 19	regularium praepositoru
» 65 *a*	» 21 *ult.*	Augustinum	» 311 *b*	» 24	Augustum
» 66 *a*	» 26 *ult.*	praedictis	» 313 *a*	» 1 *ult.*	pluribus
» 66 *a*	» 20 *ult.*	concessa	» 313 *b*	» 8	concessa fuerunt
» 66 *a*	» 7 *ult.*	illisque	» 313 *b*	» 24	illiusque
» 66 *a*	» 5 *ult.*	ulterius	» 313 *b*	» 26	alterius
» 68 *a*	» 28	exequatur	» 316 *b*	» 9 *ult.*	exequantur
» 68 *b*	» 16 *ult.*	religiosorum	» 318 *a*	» 6	religionem
» 69 *a*	» 3	adegerint	» 318 *a*	» 14 *ult.*	id egerint
» 69 *b*	» 23	edicta Congregatione	» 319 *a*	» 2 *ult.*	edicta pro Congregatione
» 71 *a*	» 30 *ult.*	Ordinibus	» 322 *a*	» 14 *ult.*	Ordinum
» 71 *a*	» 28 *ult.*	roboratis	» 322 *a*	» 12 *ult.*	roboratis statutis
» 71 *b*	» 3 *ult.*	maturae	» 323 *b*	» 6	mutuae

1 At lectio Main. emendatione non eget.

Edit. Rom. Main. Tom. XII.					Edit. Taur. Tom. XXII.				
Pag.	72 a	linea	24	recognitiones	Pag.	325 b	linea	17	recognitionem
»	72 b	»	7	factae	»	326 a	»	10 ult.	facta
»	73 b	»	20 ult.	consensu	»	326 b	»	1 ult.	consensus
»	74 a	»	15	ac universalibus	»	327 a	»	6 ult.	ac in universalibus
»	74 b	»	22 ult.	capitulum	»	328 b	»	14	capitulum et canonici
»	74 b	»	21 ult.	missa	»	328 b	»	17 ult.	missam
»	74 b	»	8 ult.	divini	»	329 a	»	1	divinus
»	74 b	»	7 ult.	illis	»	329 a	»	1	in illis
»	75 b	»	26 ult.	forent	»	330 a	»	5 ult.	foret
»	75 b	»	15 ult.	datae	»	330 b	»	22	datâ
»	76 b	»	4 ult.	tolleretur	»	332 b	»	13	tollerentur
»	77 a	»	17	omnimoda	»	332 b	»	8 ult.	omnimodam
»	77 a	»	30	abdicatum	»	333 a	»	8	abdicatam
»	77 b	»	23	ipsius vicarii, eiusque... successorum	»	333 b	»	8 ult.	ipsi vicario eiusque... successoribus
»	79 a	»	15 ult.	interesse eiusdem Camerae	»	337 a	»	7	interesse, Camerae Apostolicae concernentibus, in archivio eiusdem Camerae
»	79 a	»	11 ult.	aliisque quibus	»	337 a	»	12	aliisque quibusvis
»	80 a	»	2 ult.	eius	»	339 a	»	3	eorum
»	81 a	»	8	contemplandae	»	339 b	»	1 ult.	contemplanda
»	81 a	»	28 ult.	coniuncti	»	340 a	»	4 ult.	coniunctis
»	81 b	»	1	utriusque	»	340 b	»	15 ult.	utrisque
»	81 b	»	26 ult.	in quo	»	341 a	»	7 ult.	inque
»	82 a	»	28	ad terminos iuris	»	342 a	»	11	ad terminos iuris reduci, aut adversus illa quodcumque iuris
»	82 a	»	36	semper	»	342 a	»	20	sed semper
»	82 a	»	18 ult.	nonnullorum	»	342 a	»	2 ult.	semper nonnullorum
»	83 b	»	25	excipiendos	»	344 b	»	19 ult.	excipiendas
»	83 b	»	27 ult.	approbato	»	345 a	»	4	approbati
»	88 b	»	11 ult.	iniungimus	»	350 b	»	21	adiungimus
»	89 a	»	19 ult.	quodque	»	351 b	»	6	quotque
»	89 b	»	2	ut quandocumque	»	351 b	»	13 ult.	ut quandocumque eligendi erunt
»	89 b	»	20	in	»	352 a	»	10	ut
»	89 b	»	23 ult.	nostrum	»	352 a	»	1 ult.	nostrorum
»	90 a	»	16 ult.	docendi	»	353 a	»	3 ult.	docendis
»	90 b	»	2	illosque	»	353 b	»	20	illisque
»	91 a	»	12	festi	»	354 b	»	20	festis
»	92 a	»	11	Operariorum	»	356 a	»	2 ult.	Piorum Operariorum
»	92 a	»	15	contingit	»	356 b	»	5	contigit
»	93 a	»	8 ult.	et apostolicas	»	358 b	»	12	per apostolicas
»	94 a	»	5	quo ad eius	»	359 b	»	4	quo ab eis
»	94 a	»	19	aut	»	359 b	»	20	ut
»	95 a	»	10	infigendis	»	361 a	»	11	infligendis
»	95 a	»	31	eiusdem Ordinis	»	361 a	»	8 ult.	eisdem Ordini
»	95 b	»	15	Pauli	»	362 a	»	8	Paulo
»	95 b	»	30	ab	»	362 a	»	15 ult.	pro
»	96 a	»	19 ult.	Ecclesia	»	363 a	»	14	Ecclesiae
»	96 a	»	13 ult.	opportune	»	363 a	»	21	opportuni
»	96 b	»	16 ult.	sub quo	»	364 a	»	18	sub qua
»	96 b	»	9 ult.	fratrum	»	364 a	»	25	fratres
»	97 a	»	9	demandare	»	364 b	»	4	demandata
»	97 b	»	16	ullo nunquam	»	365 b	»	7	nullo unquam
»	98 a	»	16	ullum	»	366 b	»	2	unum
»	98 a	»	22	concilio	»	366 b	»	9	in concilio

Edit. Main. Rom. Tom. XII.			*Edit. Taur. Tom.* XXII.		
Pag. 100 *b*	linea 7	de ea	*Pag.* 370 *b*	linea 10 *ult.*	Deo
» 100 *b*	» 25 *ult.*	curae	» 371 *a*	» 20 *ult.*	cura
» 102 *b*	» 3	revocare possis	» 374 *a*	» 19 *ult.*	revocari possit
» 102 *b*	» 15	perspectu	» 374 *a*	» 5 *ult.*	perspectâ
» 103 *a*	» 19 *ult.*	renovato	» 375 *b*	» 15 *ult.*	revocato
» 103 *b*	» 6 *ult.*	et universalibus	» 376 *a*	» 11 *ult.*	et in universalibus
» 104 *a*	» 6	sine quibus eorum . . .	» 377 *a*	» 13	sine qua eos eorum
» 106 *a*	» 9	possint	» 380 *b*	» 14 *ult.*	possit
» 106 *a*	» 14	incompatibili	» 380 *b*	» 8 *ult.*	incompatibile
» 106 *a*	» 7 *ult.*	sicut dicti	» 381 *a*	» 18 *ult.*	sicût accepimus, dicti
» 106 *a*	» 2 *ult.*	cum nos confirmaverimus	» 382 *a*	» 13	cum nos eam confirmaverimus
» 107 *a*	» 11	ac	» 382 *a*	» 11 *ult.*	ut
» 107 *a*	» 32	indulgeri	» 382 *b*	» 14	indulgere
» 108 *b*	» 25 *ult.*	consecrati	» 385 *a*	» 21	consequi
» 109 *b*	» 27	ille	» 386 *b*	» 1 *ult.*	illae
» 110 *b*	» 29 *ult.*	existentes	» 389 *a*	» 3	existentium
» 110 *b*	» 21 *ult.*	existentes	» 389 *a*	» 13	existentibus
» 110 *b*	» 7 *ult.*	quamcumque litem... pendentem	» 389 *a*	» 10 *ult.*	quacumque lite . . . pendente
» 111 *b*	» 13	censuerint	» 390 *a*	» 1 *ult.*	censuerit
» 112 *a*	» 30 *ult.*	consultoribus	» 391 *b*	» 17	unius e consultoribus
» 113 *b*	» 26	inferi	» 394 *a*	» 10	inseri
» 113 *b*	» 8 *ult.*	redditum	» 394 *b*	» 1	reddituum
» 114 *a*	» 6	aliis	» 394 *b*	» 14	alius
» 114 *b*	» 6	paris	» 395 *a*	» 26	paria
» 114 *b*	» 27	seminarium	» 395 *a*	» 1 *ult.*	saecularium
» 115 *b*	» 24 *ult.*	ex	» 397 *a*	» 25	et
» 115 *b*	» 7 *ult.*	personaliter	» 397 *b*	» 3	personaliter peragendam
» 116 *b*	» 34 *ult.*	nuncupati	» 398 *b*	» 3 *ult.*	nuncupatae
» 117 *a*	» 3	electione	» 399 *a*	» 3 *ult.*	in electione
» 117 *a*	» 21	inserto	» 399 *b*	» 19	inserto haberi volumus
» 117 *a*	» 30	ipse	» 399 *b*	» 14 *ult.*	et ipse
» 117 *a*	» 31	observantiae	» 399 *b*	» 12 *ult.*	observantia
» 117 *b*	» 29	et quod si	» 400 *b*	» 24	et si
» 117 *b*	» 6 *ult.*	monasteriis	» 401 *a*	» 24	monasterii
» 118 *a*	» 34 *ult.*	sed quam	» 401 *b*	» 18	Sed quum
» 118 *a*	» 33 *ult.*	sanctiori	» 401 *b*	» 19	sanctior
» 120 *b*	» 6 *ult.*	decreverint	» 403 *a*	» 21	decreverimus
» 121 *a*	» 5	viventium	» 403 *a*	» 11 *ult.*	viventes
» 121 *a*	» 12 *ult.*	fuissent expressa et nobis ac illis specialiter . .	» 404 *a*	» 9	fuissent nobis et illis expresse et specialiter
» 121 *b*	» 10	cum devotione	» 404 *a*	» 4 *ult.*	cum distinctione
» 121 *b*	» 11	symbolorum	» 404 *a*	» 3 *ult.*	symbolum
» 121 *b*	» 14	recitandis	» 404 *b*	» 2	recitando
» 121 *b*	» 27	regulares, a nobis . . .	» 404 *b*	» 17	regulares, aliàs tamen approbati ab Ordinariis, a nobis
» 121 *b*	» 28	ut	» 404 *b*	» 19	aut
» 121 *b*	» 34	et ego beatorum	» 404 *b*	» 25	et ego auctoritate ipsius et beatorum [1]
» 121 *b*	» 42	et per alias	» 404 *b*	» 2 *ult.*	per alias
» 121 *b*	» 17 *ult.*	innovaverat, ut nobis et eis confitentibus uti possemus et possent extenderat et ampliaverat . .	» 405 *a*	» 13	innovaverat

1 Male in nostrâ edit. omissum fuit *beatorum*.

Edit. Rom. Main. Tom. XII.					Edit. Taur. Tom. XXII.				
Pag. 121	*b*	linea	15 *ult.*	ut sub suâ	*Pag.* 405	*a*	linea	14	et nobis ac eis ut sub suâ
» 122	*a*	»	5	tam circa	» 405	*a*	»	2 *ult.*	tam circa vestimenta quam circa
» 122	*a*	»	5	officiis	» 405	*a*	»	2 *ult.*	in officiis
» 122	*a*	»	6	servandis	» 405	*b*	»	1	servandas
» 122	*a*	»	28	Cisterciensibus et Cluniacensibus	» 405	*b*	»	15 *ult.*	Cisterciensis et Cluniacensis
» 122	*a*	»	34	habitas	» 405	*b*	»	8 *ult.*	habitos
» 122	*a*	»	16 *ult.*	Et postremo	» 406	*a*	»	16	Et postmodum
» 122	*a*	»	11 *ult.*	Congregationis	» 406	*a*	»	22	Congregationi
» 122		»	1	et vocales	» 406	*a*	»	4 *ult.*	et si vocales
» 122	*b*	»	12	ne	» 406	*b*	»	9	de
» 122	*b*	»	20	etiam	» 406	*b*	»	19	et
» 122	*b*	»	23	posset	» 406	*b*	»	23	possent
» 122	*b*	»	31	provisoque	» 406	*b*	»	8 *ult.*	provisioque
» 122	*b*	»	26 *ult.*	non divino	» 407	*a*	»	10	in divino
» 122	*b*	»	25 *ult.*	clericalibus	» 407	*a*	»	11	non clericalibus (?)
» 123	*a*	»	17	non habeant	» 407	*b*	»	21	non haberent
» 123	*a*	»	27 *ult.*	bonorum	» 408	*a*	»	13	bonorum
» 123	*a*	»	20 *ult.*	Quum autem	» 408	*a*	»	22	Quumque
» 123	*a*	»	6 *ult.*	consulere	» 408	*b*	»	1	consulere volentes
» 123	*b*	»	23 *ult.*	instantia	» 409	*a*	»	18	instantia iudicari debere
» 123	*b*	»	21 *ult.*	solemnium	» 409	*a*	»	21	solemnitatum
» 124	*a*	»	1 *ult.*	excommunicationis . . .	» 410	*a*	»	6 *ult.*	excommunicationis et privationis
» 124	*b*	»	14	novi	» 410	*b*	»	11	novis etiam
» 124	*b*	»	33 *ult.*	a derogatione	» 410	*b*	»	4 *ult.*	ac derogatione
» 124	*b*	»	29 *ult.*	de facto	» 411	*a*	»	3	defectu
» 125	*a*	»	31	ut	» 411	*b*	»	11 *ult.*	et
» 125	*a*	»	33	et inde	» 411	*b*	»	8 *ult.*	et inde secuta
» 125	*a*	»	36	et nostro et apostolicâ .	» 411	*b*	»	4 *ult.*	et nos apostolicâ
» 125	*b*	»	17	reperire	» 412	*b*	»	10	reperiri
» 125	*b*	»	21	quae	» 412	*b*	»	15	quas
» 125	*b*	»	23 *ult.*	contentis	» 413	*a*	»	2	contenti
» 126	*a*	»	5	vitae, etc., aeternae . .	» 413	*a*	»	9 *ult.*	vitae aeternae
» 126	*a*	»	13	totius	» 413	*b*	»	1	tutius
» 126	*a*	»	16	ascendant	» 413	*b*	»	5	ascendunt
» 126	*b*	»	26 *ult.*	tenorem	» 414	*b*	»	9 *ult.*	tenorum
» 126	*b*	»	25 *ult.*	fuissent expressa et eis specialiter	» 414	*b*	»	8 *ult.*	fuissent eis expresse et specialiter
» 126	*b*	»	17 *ult.*	trium	» 415	*a*	»	2	sub trium
» 127	*a*	»	6	comestionibus	» 415	*a*	»	12 *ult.*	comestionis
» 127	*a*	»	16	ac forma	» 415	*b*	»	1	hac formâ
» 127	*a*	»	18 *ult.*	aliud	» 416	*a*	»	3	ad aliud
» 127	*a*	»	12 *ult.*	servandis	» 416	*a*	»	9	servandas
» 127	*a*	»	10 *ult.*	quos.	» 416	*a*	»	12	quo
» 127	*b*	»	9	Cisterciensibus et Cluniacensibus	» 416	*a*	»	7 *ult.*	Cisterciensis et Cluniacensis
» 131	*a*	»	9	VII idus februarii	» 416	*b*	»	11 *ult.*	idibus februarii
» 131	*a*	»	10	anno III	» 416	*b*	»	10 *ult.*	anno II
» 131	*a*	»	24	Congregationis	» 417	*a*	»	6	Congregationi
» 131	*b*	»	31 *ult.*	a cum	» 418	*a*	»	12	ac cum
» 131	*b*	»	29 *ult.*	exemptas	» 418	*a*	»	15	exceptas
» 131	*b*	»	4 *ult.*	eas	» 418	*b*	»	7	eos
» 131	*a*	»	2 *ult.*	ut	» 418	*b*	»	3	aut
» 132	*a*	»	26 *ult.*	possit	» 419	*a*	»	10	possint
» 132	*b*	»	11	et	» 419	*b*	»	5	etiam

Edit. Rom. Main. Tom.				Edit. Rom. Main. Tom. XXII.			
Pag.	132 b	linea 18	et[1]	Pag.	419 b	linea 14	etiam
»	132 b	» 32 ult.	acta	»	419 b	» 4 ult.	aucta
»	133 a	» 18	similibusque	»	420 b	» 10	similibus
»	133 a	» 29 ult.	pro parte	»	420 b	» 7 ult.	et pro parte
»	133 b	» 13	inserentur	»	421 a	» 2 ult.	insererentur
»	133 b	» 16	etiam	»	421 b	» 2	esse
»	133 b	» 27 ult.	instituti	»	421 b	» 14 ult.	institutis
»	134 a	» 6	absolutos	»	422 a	» 20 ult.	absolutas
»	134 b	» 5	publici	»	423 a	» 18	publici subscriptis
»	135 b	» 29 ult.	aliis	»	424 b	» 4 ult.	aliàs
»	135 b	» 21 ult.	providere	»	425 a	» 6	promovere
»	135 b	» 21 ult.	accedant	»	425 a	» 6	audeant
»	136 a	» 25 ult.	et quibusvis	»	425 b	» 7 ult.	et a quibusvis
»	136 b	» 13	haberi	»	426 a	» 6 ult.	habere
»	136 b	» 26	alias	»	426 b	» 11	alios
»	137 b	» 7	emanata	»	428 a	» 18	enata
»	137 b	» 15	proposita	»	428 a	» 28	praeposita
»	137 b	» 39	alius regiminis	»	428 b	» 14	illius regimini
»	137 b	» 11 ult.	dicti	»	428 b	» 5 ult.	dictae
»	138 a	» 14	facta	»	429 a	» 24	factam
»	138 a	» 35	ac illis	»	429 b	» 4	ac ab illis
»	139 b	» 26	possit	»	432 a	» 15	possint
»	139 b	» 34	alia	»	432 a	» 24	aliàs
»	137 a (marg.)	14	2 septembris	»	432 b	» 1 ult.	11 septembris
»	140 b	» 22 ult.	in quae	»	434 a	» 20	inque
»	141 a	» 1	eorum	»	434 b	» 3	coram
»	141 b	» 27 ult.	honestate	»	436 a	» 1	honestatae
»	143 a	» 37	et sublata	»	438 b	» 15	sublata
»	144 b	» 32 ult.	Statui	»	441 a	» 25	Statu
»	144 b	» 31 ult.	subiectio	»	441 a	» 26	subiecto
»	144 b	» 22 ult.	nuncupatae	»	441 a	» 7 ult.	nuncupati
»	145 b	» 28 ult.	aegroti	»	443 a	» 16	aegrotos
»	146 a	» 13	incumbentes	»	443 b	» 20	decumbentes
»	146 a	» 25 ult.	inibi	»	444 a	» 16	qui inibi
»	147 a	» 15	amplum	»	445 b	» 6	amplam
»	147 a	» 31	sex	»	445 b	» 24	seu (?)
»	147 a	» 14 ult.	nuncupatum	»	446 a	» 10	nuncupatâ
»	149 a	» 29	quocumque	»	449 a	» 7 ult.	quacumque
»	150 b	» 25	pluries	»	452 a	» 18	plures
»	151 a	» 30 ult.	haberi	»	453 a	» 14 ult.	habere
»	151 b	» 4	iuvari	»	453 b	» 19 ult.	iuvare
»	152 a	» 33	nonas	»	455 a	» 9	kalendas
»	152 b	» 7	subcollectoribus	»	455 b	» 16	a subcollectoribus
»	152 b	» 9	pertinentiam	»	455 b	» 19	pertinentia
»	153 a	» 9 ult.	tam	»	457 a	» 12 ult.	etiam
»	153 b	» 25	consensu	»	457 b	» 16 ult.	consensus
»	154 a	» 8	provinciae	»	458 b	» 12	provinciâ
»	154 a	» 17 ult.	cura	»	459 a	» 1	iura
»	155 a	» 5 ult.	seminandi	»	460 b	» 13 ult.	seminanda
»	155 b	» 27 ult.	in quae	»	461 a	» 4 ult.	inque
»	155 b	» 21 ult.	notario	»	461 b	» 4	notarios
»	158 b	» 20 ult.	commemoratione	»	466 a	» 20	commemoratione celebravimus
»	163 a	» 22 ult.	absolutos	»	470 a	» 5 ult.	absolutas
»	163 b	» 19	Quo si	»	470 b	» 2 ult.	Quod si
»	163 b	» 10 ult.	21 augusti	»	471 a	» 3 ult.	11 decembris

1 At bene edit. Main. habet *ex*.

Edit. Rom. Main. Tom. XII.			Edit. Taur. Tom. XXII.		
Pag. 164 a	linea 20	emanarunt	Pag. 472 a	linea 3	examinarunt
» 165 b	» 2 ult.	novembris	» 474 b	» 4	decembris
» 166 a	» 28 ult.	sevioris	» 475 a	» 9	severioris
» 166 a	» 14 ult.	labens	» 475 a	» 25	lambens
» 166 b	» 16	eique	» 475 b	» 17	Deique
» 169 a	» 6	ipse	» 478 a	» 6	ipsâ
» 169 a	» 35	in quae	» 478 a	» 4 ult.	inque
» 169 b	» 13	trererum	» 479 a	» 6	feretrum
» 169 b	» 36	nostris	» 479 a	» 9 ult.	praedecessoribus nostris
» 169 b	» 37	discussi	» 479 a	» 7 ult.	discussis
» 169 b	» 18 ult.	Sedis	» 479 b	» 14	Sedi
» 175 b	» 15	quasi	» 482 a	» 17	suavi
» 175 b	» 32	Dei servi	» 482 a	» 6	. . . . . . (?)
» 172 a	» 18	tactus pudoris	» 484 b	» 9	tantus pudor
» 173 b	» 45	IV idus decembris	» 487 a	» 1	pridie kalendas ianuarias
» 171 b	(marg.)	27 decembris	» 487 b	» 3	31 decembris
» 178 a	» 30 ult.	1618	» 488 b	» 19 ult.	1568
» 178 b	» 15	confessorem	» 489 a	» 10 ult.	confessorum
» 178 b	» 16	Clementem	» 489 a	» 9 ult.	Clemente
» 180 b	» 31 ult.	congregati	» 491 a	» 8 ult.	congregatos
» 181 a	» 26	serventur	» 492 a	» 13	servetur
» 181 a	» 31	sicque omnibus	» 492 a	» 19	sicque ex omnibus
» 182 a	» 20	da me	» 493 b	» 10	da noi (?)
» 182 a	» 1 ult.	Ioannis	» 494 a	» 22	Ioachini
» 182 b	» 30	conventum	» 494 b	» 2	conventuum
» 183 a	» 13	propositâ	» 495 a	» 2	praepositâ
» 183 a	» 18	detrimentum	» 495 b	» 8	detrimentum exposuit
» 183 b	» 33	in eiusdem regnis	» 496 a	» 20	in eisdem regnis
» 184 a	» 6	quibus	» 496 b	» 21 ult.	quibusvis
» 184 b	» 13	sustentationis	» 497 b	» 14	sustentationi
» 187 a	» 26	iuratis	» 499 b	» 20	iteratis
» 187 b	» 19 ult.	nunquam	» 500 b	» 9 ult.	unquam
» 189 b	» 3 ult.	in qua	» 504 a	» 18	inque
» 190 a	» 14	singulas	» 504 a	» 1 ult.	singulos
» 190 a	» 32 ult.	et	» 504 b	» 14 ult.	ex
» 190 a	» 29 ult.	ullo	» 504 b	» 12 ult.	nullo
» 190 a	» 15 ult.	extiterit	» 505 a	» 7	extiterint
» 190 b	» 32	in futurum	» 505 b	» 17	vel concernent in futurum
» 194 a	» 10	sub plumbo	» 511 a	» 17 ult.	tam sub plumbo
» 195 a	» 4	fuerit	» 512 b	» 1 ult.	fuerint
» 198 a	» 24	ad tres	» 518 a	» 24	in tres
» 198 a	» 25*	ingenii	» 518 a	» 25	ingeniis
» 199 a	» 28 ult.	illae	» 519 b	» 14 ult.	illa
» 199 a	» 20 ult.	in spiritualibus	» 519 b	» 4 ult.	tum in spiritualibus
» 199 b	» 31 ult.	directa	» 520 b	» 22	dilata
» 199 b	» 27 ult.	cognoscendam	» 520 b	» 26	cognoscendum
» 199 b	» 5 ult.	requirantur	» 521 a	» 1	reperiantur
» 201 b	» 20	1574	» 523 b	» 10	1564
» 202 a	» 19 ult.	a B. M. V.	» 525 a	» 23	et B. M. V.
» 203 a	» 10 ult.	concessa	» 527 a	» 20	concessas
» 203 a	» 9 ult.	visitationibus	» 527 a	» 21	visitantibus
» 205 b	» 21	non sint	» 531 a	» 10 ult.	et si non sint
» 206 b	» 6 ult.	Innocentii VIII	» 533 b	» 22	Innocentio VIII
» 207 b	» 9 ult.	benedictione	» 535 b	» 6	benedictione decernimus
» 207 b	» 8 ult.	deturbata	» 535 b	» 8	deturbatam
» 208 b	» 11 ult.	Gregorii XIII	» 537 a	» 4 ult.	Gregorio XIII
» 209 a	» 31 ult.	idem	» 538 a	» 12	eidem

Edit. Rom. Main. Tom. XII. Pag.	linea		Edit. Taur. Tom. XXII. Pag.	linea	
209 a	8 ult.	Cum non aliàs	538 a	6 ult.	Cum nos aliàs
209 b	11	Gregorio IX	538 b	19	Gregorius IX
209 b	3 ult.	auctoritatis	539 b	1	auctoritate
210 b	29 ult.	regulas	541 a	3	regula
211 a	3	ipsas	541 a	6 ult.	ipsos
211 b	1 ult.	aut sit	543 a	22	aut sint
213 a	14	1768	545 a	23	1568
214 a	25	religiose	547 a	19 ult.	religiosae
214 a	12 ult.	simplicis	547 b	22	simplici
214 b	8 ult.	quod praedicta	548 a	21	quoad praedicta
215 a	15	eique	549 a	3	eisque
215 a	33	ipsi	549 a	23	ipsis
215 a	19 ult.	Clemens VIII	549 b	4	Clementis VIII
215 b	27	concessa	550 a	13	comprehensa (?)
216 a	18	Congregationis	550 b	3 ult.	Congregationes
216 b	3	subsistere	551 b	17	. . . . (?)
216 b	28 ult.	inviolabiliter	552 a	18	inviolabiliter observari
216 b	26 ult.	aut decedi	552 a	21	aut recedi
216 b	5 ult.	intimatis	552 b	3	intimatas (?)
218 a	7	libri	553 b	15	sibi
218 a	14 ult.	alternativa	554 a	14	alternativae
219 a	18 ult.	illos	556 b	3	illas
219 b	30	incipiendi	557 a	15	eligendus
220 a	30 ult.	petendi	558 a	21	petendis
221 a	16 ult.	custodiendâ	559 b	2 ult.	custodiâ
221 b	27 ult.	perpetrabantur	560 b	20	perpetrantur
221 b	16	ad eundem	560 b	10 ult.	adeundum
222 a	25-26	hospitali	561 a	5 ult.	hospitalis
223 a	35	et	563 a	11 ult.	per
223 a	21 ult.	custodiunt	563 b	10	custodiuntur
224 b	30 ult.	ecclesiam	566 a	19	ecclesias
224 b	25 ult.	virum	566 a	25	per virum
224 b	3 ult.	constitutionibus	566 b	7	constitutis
225 a	31 ult.	alias	567 a	10	aliâ
225 b	10 ult.	domum	568 a	25	domorum
226 b	12	ipsi	569 a	2 ult.	ipsis
227 a	17	gratias	570 b	13	gratiae
227 b	6	innodati	570 b	5 ult.	innodatae
232 a	2 ult.	VIII	576 b	1 ult.	XIII
233 b	5 ult.	munere	579 a	2 ult.	munera
234 a	21 ult.	gymnasii	579 b	15 ult.	gymnasiis
235 a	30	erigenda	581 a	5 ult.	erigendae
235 a	27 ult.	subiecto	581 b	14	subiecto gaudet
235 b	34 ult.	a remanente	582 b	1	remanente
235 b	25 ult.	sive	582 b	11	sine
236 a	18	iurisprudentiam	583 a	19	ad iurisprudentiam
236 b	1	praelectos	583 b	7 ult.	praelectores
237 a	13	conformet	585 a	10	conforment
237 b	16 ult.	scientiâ, merâ	586 a	15	scientiâ et merâ
238 b	31 ult.	inter, alios	586 b	16 ult.	inter, alia
238 a	14 ult.	secretariis	587 a	5	secretarii
238 a	11 ult.	vocatione	587 a	8	vocationis
238 a	8 ult.	confirmati	582 a	11	confirmari
238 a	3 ult.	communi	587 a	18	communiri
241 a	19	nonnullas et	591 a	18	nonnullas
241 a	34	idem	591 a	10 ult.	item
242 a	29	partem	593 a	1	partim
242 a	9 ult.	incumbant	593 a	11 ult.	incumbat

Edit. Rom. Main. Tom. XII.			Edit. Taur. Tom. XXII		
Pag. 242 b	linea 26	post provincias	Pag. 593 b	linea 18 ult.	per provincias
» 242 b	» 13 ult.	partem	» 594 a	» 20	partim
» 245 a	» 23	triennium	» 597 b	» 13	trinum
» 245 a	» 26	pro qua	» 597 b	» 16	pro quo
» 245 b	» 9	qualitate	» 598 a	» 26	qualitas
» 245 b	» 28	de	» 598 a	» 5 ult.	det
» 245 b	» 32 ult.	convocet ad	» 598 b	» 10	convocet
» 245 b	» 19 ult.	illiusque	» 598 b	» 22 ult.	illius quae
» 246 a	» 24	habenda	» 599 a	» 22	habente
» 247 a	» 28	extractoque	» 600 b	» 15	extructoque
» 247 a	» 31	redemptionis	» 600 b	» 18	redemptione
» 247 a	» 17 ult.	alia ... provincia	» 601 a	» 3	aliae ... provinciae
» 248 a	» 31 ult.	percipiantur	» 602 a	» 13 ult.	percipiant
» 248 a	» 7 ult.	concessionis	» 602 b	» 17	concessimus
» 248 b	» 21	praeposita	» 603 a	» 1	praepositae
» 248 b	» 27	debebat	» 603 a	» 10	cedebat
» 248 b	» 35	obsequi	» 603 a	» 16	obsequium
» 249 b	» 1 ult.	christiani	» 605 a	» 18	christianis
» 250 a	» 35	recolendum	» 605 b	» 16	recolendam
» 252 b	» 15	praefata	» 609 b	» 12	praefatae
» 252 b	» 24	existente	» 609 b	» 22	existens
» 252 b	» 27 ult.	gratiis	» 610 a	» 4	gratiae
» 253 a	» 5	fuissent	» 610 a	» 3 ult.	fuisset
» 253 a	» 14	residentiae	» 610 b	» 9	residentia
» 253 a	» 27	dispositiones	» 610 b	» 24	dispositione
» 253 b	» 16	nullae	» 611 a	» 13 ult.	ullae
» 253 b	» 30 ult.	ad eiusmodi	» 611 b	» 9	eiusmodi
» 253 b	» 27 ult.	piae	» 611 b	» 14	praedictae
» 253 b	» 26 ult.	Urbani	» 611 b	» 14	Urbano
» 256 a	» 9	iniustis	» 615 b	» 20	iustis
» 256 b	» 6	fratribus	» 616 a	» 6 ult.	fratribus nostris
» 256 b	» 21	pariter	» 616 b	» 12	pro tempore
» 256 b	» 39	ad	» 616 b	» 11 ult.	ob
» 257 a	» 24	recolendae	» 618 a	» 6 ult.	a recolendae
» 257 a	» 29	Clarissimi	» 618 b	» 2	carissimi (?)
» 257 a	» 24 ult.	serio	» 618 b	» 22	re serio
» 258 b	» 17	ac illis	» 620 a	» 3	ac ab illis
» 259 a	» 9	institutis	» 620 b	» 3	instituti commissario
» 259 a	» 1 ult.	territorio	» 621 a	» 16 ult.	triennio
» 259 b	» 27 ult.	quelli	» 621 b	» 11 ult.	e all'Andaluzia quelli
» 260 b	» 2	tardanda	» 622 b	» 12 ult.	turbanda
» 260 b	» 3	cessaverat	» 622 b	» 10 ult.	cessarent
» 261 a	» 4	decembris	» 623 b	» 6	octobris (?)
» 261 a	» 4	1722	» 623 b	» 7	1727
» 261 a	» 23 ult.	gravetur	» 624 a	» 9	graventur
» 261 b	» 32	qui permiserit	» 624 b	» 20	qui permiserint
» 261 b	» 2 ult.	insertis	» 625 a	» 5	insertas
» 262 a	» 15	desiderabat	» 625 a	» 23	desiderabant
» 263 a	» 14 ult.	his	» 627 a	» 22 ult.	is
» 264 b	» 10	apud	» 629 a	» 15	per
» 265 a	» 13	denominari	» 630 a	» 2	denominare
» 265 a	» 30	et transgressoribus	» 630 a	» 21	transgressoribus
» 265 a	» 28 ult.	panniculorum	» 630 a	» 7 ult.	panniculorum
» 265 a	» 9 ult.	fervente	» 630 b	» 11	quo, fervente
» 265 b	» 14	et	» 630 b	» 8 ult.	e
» 265 b	» 25	et causas	» 631 a	» 6	causas
» 265 b	» 35	singulos	» 631 a	» 18	singulas
» 265 b	» 27 ult.	pratoriis	» 631 a	» 13 ult.	oratoriis

Edit. Rom. Main. Tom. XII.			Edit. Taur. Tom. XXII.		
Pag. 265 b	linea 19 ult.	et in eadem personas... concurrentia	Pag. 631 a	linea 2 ult.	et eadem personas . . . concernentia
» 265 b	» 9 ult.	perpetuae	» 631 b	» 9	confirmamus eisque perpetuae
» 266 a	» 7	I	» 631 b	» 17 ult.	IV
» 266 a	» 19	petendas	» 631 b	» 3 ult.	petendas praebentibus incurrendâ,
» 266 a	» 14 ult.	quae	» 632 a	» 3 ult.	quam quae
» 266 b	» 22	super decreto ... edito .	» 632 b	» 5 ult.	insuper decretum... editum
» 266 b	» 23	pariter	» 632 b	» 4 ult.	et pariter
» 266 b	» 26	et singulis eorum et eorum ecclesiis	» 632 b	» 1 ult.	et singulas earum et eorum ecclesias
» 266 b	» 9 ult.	volumus	» 633 a	» 2 ult.	nolumus
» 267 a	» 1	exponere	» 633 b	» 10	exponendi
» 267 a	» 9	praescribunt	» 633 b	» 19	praescribuntur
» 267 a	» 18	alias	» 633 b	» 12 ult.	aliâ
» 267 a	» 19	ad haeredes	» 633 b	» 11 ult.	haeredes
» 267 a	» 14 ult.	eorum	» 634 a	» 11 ult.	eorumque
» 268 a	» 16 ult.	declarata concedimus . .	» 636 a	» 11	concedimus
» 268 b	» 34 ult.	pariter	» 636 b	» 18 ult.	aliter
» 268 b	» 17 ult.	aut aliquis	» 637 a	» 3	aut alicuius
» 269 a	» 15	alias	» 637 a	» 13	aliis
» 270 a	» 9	erat	» 638 b	» 1	erit
» 270 a	» 31	faciendae	» 638 b	» 18 ult.	faciendâ
» 270 b	» 12	Sedis	» 639 a	» 3 ult.	Sedi
» 271 a	» 4 ult.	habeant	» 640 a	» 20	habeat (?)
» 272 b	» 9	constituens	» 641 b	» 8 ult.	complectens
» 272 b	» 3 ult.	absolutos	» 642 b	» 1	absolutas
» 274 b	» 14 ult.	secretariae	» 645 a	» 20	secretarii
» 274 b	» 5 ult.	provisio	» 645 a	» 13 ult.	provisori
» 275 a	» 31	absolutos	» 645 b	» 15 ult.	absolutas
» 275 a	» 26 ult.	praedictum	» 646 a	» 3	praeditum
» 275 b	» 10 ult.	muneri	» 646 a	» 13 ult.	munere
» 277 b	» 31	renovaverit	» 649 a	» 4 ult.	renovaverunt
» 277 b	13 (nota ad rub.)	relationis	» 649 a	(nota ad rub.)	velationis
» 280 b	» 35	habeantur	» 652 a	» 10 ult.	habeatur
» 281 a	» 1	parochiali	» 652 b	» 23	parochialis
» 281 a	» 29	civitatem	» 653 a	» 10	in civitatem
» 281 a	» 31	praedictam	» 653 a	» 13	praedictam civitatis
» 282 a	» 30 ult.	imminutam	» 655 a	» 11	imminutum
» 282 b	» 20	Quam	» 655 b	» 20 ult.	Quum
» 284 a	» 22 ult.	et quandocumque	» 658 b	» 7 ult.	quandocumque
» 284 a	» 21 ult.	eligendo	» 658 b	» 7 ult.	eligendâ
» 287 a	» 25 ult.	remitti ad sacram . . .	» 664 a	» 3	ad sacram
» 290 a	» 6	pro expressis	» 668 a	» 8 ult.	eorum tenores pro expressis
» 290 b	» 7	Francisci in	» 669 a	» 23	Francisci spiritum in
» 290 b	» 34	constitutionis	» 669 b	» 11	constitutioni
» 292 a	» 23 ult.	providendum	» 672 a	» 2 ult.	providebant
» 292 b	» 40	ipsi	» 673 a	» 26	ipsis
» 292 b	» 21 ult.	decretis	» 673 a	» 6 ult.	decreti
» 292 b	» 17 ult.	ad quod	» 673 b	» 1	ad quos
» 293 a	» 14	procedatur	» 673 b	» 8 ult.	procedat
» 293 b	» 17 ult.	excommunicatoriam . . .	» 674 a	» 3 ult.	excommunicatorem
» 293 b	» 28	verum	» 675 a	» 5	reum (?)
» 293 b	» 8 ult.	deliquerit	» 675 b	» 1	deliquerint
» 294 b	» 35	teneatur	» 676 b	» 2 ult.	tenetur

Edit. Rom. Main. Tom. XII.			Edit. Taur. Tom. XXII.		
Pag. 296 a	lineа 9 ult.	conditione	Pag. 680 a	lineа 5	conditionem
» 296 b	» 18	et in emphyteusim . . .	» 680 a	» 27	in emphyteusim
» 296 b	» 15 ult.	sita	» 680 b	» 27	sitae
» 297 a	» 15	usibus	» 681 a	» 12	cum usibus
» 297 a	» 31 ult.	aliquod	» 681 a	» 9 ult.	aliquem
» 297 b	» 15	. . . existendo promittente . .	» 681 b	» 7 ult.	. . . . (?)
» 298 b	» 8 ult.	aliquo	» 684 a	» 24	aliquâ
» 299 a	» 5	licuisset	» 684 a	» 17 ult.	licuisse
» 299 b	» 17 ult.	costare	» 685 b	» 23	restare
» 300 b	» 28 ult.	executorum	» 687 a	» 19 ult.	executionem
» 301 b	» 29 ult.	seniorem	» 688 b	» 14 ult.	saniorem
» 302 a	» 1	ad ea	» 689 b	» 18	ad eam
» 302 a	» 1-2	spectantia et pertinentia . . . existentia	» 689 a	» 20	spectantium et pertinentium . . . existentium
» 302 a	» 27	competere	» 689 b	» 1	competentem
» 302 a	» 31	illius	» 689 b	» 4	illiusque
» 302 a	» 11 ult.	clausuris	» 689 b	» 11 ult.	clausulis
» 303 a	» 3	nostrâ	» 690 b	» 17 ult.	notâ (?)
» 303 a	» 4	apponendis	» 690 b	» 17 ult.	appenendas
» 303 a	» 33	promittendum	» 691 a	» 15	promittendorum
» 304 a	» 19	similis iuramenti	» 692 b	» 13	simili iuramento
» 304 a	» 22 ult.	decursibus	» 692 b	» 9 ult.	. . . . . . (?)
» 304 b	» 3 ult.	in primo et	» 693 b	» 1 ult.	in primo et altero
» 305 a	» 22 ult.	formulas	» 694 b	» 15	formales
» 305 b	» 24	cuiuslibet	» 695 a	» 20 ult.	cuilibet
» 306 a	» 7 ult.	priori generali . . . existenti	» 696 b	» 16	prioris generalis . . . existentis
» 307 a	» 23	exculsa	» 697 b	» 22	exclusâ
» 307 b	» 12	obligationis	» 698 a	» 4 ult.	obligationes
» 307 b	» 15	locali	» 698 a	» 1 ult.	localis
» 308 a	» 17 ult.	professionem	» 699 b	» 22 ult.	professione
» 309 a	» 7	possint	» 700 b	» 18 ult.	possit
» 310 a	» 15	si continuano	» 702 a	» 7 ult.	si continuavano
» 312 a	» 29	stimeremo	» 706 a	» 20 ult.	stimeranno
» 312 b	» 28 ult.	della	» 707 a	» 10 ult.	dalla
» 313 b	» 22	qui	» 708 b	» 11 ult.	quae
» 313 b	» 1 ult.	nisi	» 709 b	» 2	nonnisi
» 314 b	» 22	regia	» 710 a	» 3 ult.	regis
» 314 b	» 11 ult.	perducere	» 710 b	» 2 ult.	perduceret
» 316 b	» 22 ult.	respective, congrua . . .	» 714 a	» 6 ult.	et respective congrua
» 317 b	» 19	ipsi	» 715 b	» 12 ult.	ipsis
» 317 b	» 35	retulisset	» 716 a	» 8	retulissent
» 318 b	» 22 ult.	episcopalis	» 718 a	» 8	episcopali
» 319 a	» 4	decurrente	» 718 a	» 6 ult.	decurrentis
» 319 a	» 13	territorio	» 718 b	» 6	territorium
» 319 b	» 7 ult.	quia	» 720 a	» 13	quin
» 320 a	» 31 ult.	conceduntur	» 720 b	» 23	concedentur
» 320 a	» 28 ult.	ut in litteras	» 720 b	» 11 ult.	ut litteras
» 320 b	» 31 ult.	aliis	» 721 b	» 18	alii
» 320 b	» 3	sua	» 722 a	» 13	sub
» 320 b	» 5	quodcumque	» 722 a	» 16	quandocumque
» 320 b	» 5	eligendo	» 722 a	» 16	eligendâ
» 321 a	» 8	eisdem	» 722 a	» 20	eisdemque
» 321 a	» 4 ult.	seu	» 723 a	» 3	sed
» 321 b	» 16 ult.	vel	» 723 b	» 25	infringere, vel
» 322 a	» 27	causas interesse eiusdem palatii praefecto . . .	» 724 a	» 7 ult.	causas interesse eiusdem palatii concernentes ab aliis quam a praefecto

Edit. Rom. Main. Tom. XII.					*Edit. Taur. Tom.* XXII.				
Pag. 323	*b*	*lineas*	15 *ult.*	quae	*Pag.* 727	*a*	*lineas*	4 *ult.*	qui
» 323	*b*	»	1 *ult.*	admirantur	» 727	*b*	»	14	admiserant
» 323	*b*	»	1 *ult.*	ita	» 727	*b*	»	14	in
» 324	*a*	»	30 *ult.*	perpetuam	» 728	*a*	»	19	perpetratorum
» 324	*a*	»	27	facta	» 728	*b*	»	6 *ult.*	aut facta
» 328	*a*	»	1	de	» 734	*a*	»	12 *ult.*	in
» 328	*b*	»	17	exerceret	» 735	*a*	»	19 *ult.*	existeret
» 328	*b*	»	8 *ult.*	inductis	» 735	*b*	»	9 *ult.*	indultis....
» 329	*a*	»	15 (?)	alterari	» 736	*a*	»	18	alteri
» 329	*b*	»	9	per sententias	» 737	*a*	»	5	in sententias
» 329	*b*	»	18	constitutiones	» 737	*a*	»	15	seu constitutiones
» 329	*b*	»	30	continentium	» 737	*a*	»	12 *ult.*	continentiam
» 330	*a*	»	14	provide	» 738	*a*	»	6	providae
» 330	*a*	»	29 *ult.*	obtinendi	» 738	*a*	»	6 *ult.*	obtinenti
» 330	*b*	»	11	huiusmodi	» 738	*b*	»	4 *ult.*	huiusmodi erectione
» 330	*b*	»	29	tunc pro tempore	» 739	*a*	»	17	tunc et pro tempore
» 330	*b*	»	4 *ult.*	facta	» 739	*b*	»	17	factam
» 331	*a*	»	22	Ordinariorum iurisdictione	» 740	*b*	»	4	ab Ordinariorum iurisdictione exemptum
» 331	*b*	»	25	facta	» 741	*a*	»	2	facta erectione
» 335	*b*	»	22	intentionis nostrae	» 748	*a*	»	11	intentio nostra
» 336	*a*	»	7 *ult.*	iisdem his	» 749	*b*	»	15	iisdem
» 337	*b*	»	2 *ult.*	dal padre	» 752	*a*	»	6 *ult.*	si dal padre
» 342	*a*	»	20	satis, et	» 759	*b*	»	20	satis est
» 342	*a*	»	30 *ult.*	pro	» 760	*a*	»	1	pio
» 342	*a*	»	5 *ult.*	domos	» 760	*a*	»	13 *ult.*	domus
» 343	*a*	»	18	tam illis	» 761	*a*	»	24	tam illi
» 343	*a*	»	19	qui ad habitum	» 761	*a*	»	24	qui habitum
» 343	*a*	»	11	nihilominus	» 762	*a*	»	8	nihil omnino
» 344	*b*	»	21	absolutos	» 763	*b*	»	10 *ult.*	absolutas
» 345	*a*	»	25	eidem	» 764	*b*	»	19	eisdem
» 345	*b*	»	30	di	» 765	*b*	»	17	da
» 346	*a*	»	33 *ult.*	observandam et requisitam	» 766	*b*	»	19	observandarum et requisitarum
» 346	*a*	»	6 *ult.*	volumus	» 767	*a*	»	7	volumus, concessimus et indulsimus
» 348	*a*	»	24	principalibus	» 769	*b*	»	3 *ult.*	principibus
» 355	*b*	»	14 *ult.*	quae	» 780	*b*	»	16 *ult.*	quas
» 356	*a*	»	6	definitorium	» 781	*a*	»	8	definitorum
» 357	*a*	»	2	facienda	» 782	*b*	»	5	faciendae
» 357	*a*	»	19	erigentur	» 783	*a*	»	1	erigerentur
» 357	*a*	»	15 *ult.*	emisisset	» 783	*a*	»	18	erexisset
» 357	*a*	»	10 *ult.*	oriebatur	» 783	*a*	»	24	oriebantur
» 357	*b*	»	32	impendendam	» 783	*b*	»	12 *ult.*	impediendam
» 357	*b*	»	39	aliam	» 783	*b*	»	4 *ult.*	altam
» 357	*b*	»	8 *ult.*	quarumvis	» 784	*a*	»	23	quorumvis
» 357	*b*	»	5 *ult.*	locorum	» 784	*a*	»	27	a locorum
» 359	*a*	»	19	sensibus	» 786	*a*	»	17 *ult.*	senibus
» 360	*a*	»	10 *ult.*	fuerat	» 788	*b*	»	11	fuerant
» 364	*a*	»	32 *ult.*	parochi	» 795	*b*	»	13	parochiae (?)
» 365	*a*	»	12	superiorum	» 797	*a*	»	10	spuriorum
» 365	*a*	»	13	civitates	» 797	*a*	»	11	civitatis
» 366	*a*	»	8	oratorum	» 798	*b*	»	4 *ult.*	oratorem
» 366	*a*	»	16 *ult.*	1525	» 799	*b*	»	8	1725
» 376	*b*	»	35	absolutos	» 810	*a*	»	5 *ult.*	absolutas
» 383	*a*	»	4 *ult.*	mandato	» 813	*a*	»	21	mandatâ
» 383	*b*	»	2 *ult.*	factae	» 814	*a*	»	14	factas
» 384	*b*	»	12	acceptae	» 815	*a*	»	6	acceptatae

Edit. Rom. Main. Tom. XII.	Edit. Taur. Tom. XXII.
Pag. 384 b linea 23 provinciae praedictae	Pag. 815 a linea 15 ult. provincia praedicta
» 384 b » 10 ult. alumnis	» 815 b » 11 alumnos
» 385 a » 27 vicissitudinis	» 816 a » 19 vicissitudines
» 385 a » 2 ult. incurrerunt	» 816 b » 21 ult. incurrerunt, absolvendi
» 385 b » 12 dispositione	» 816 b » 4 ult. dispositioni
» 385 b » 11 ult. occasione	» 817 a » 7 occasio
» 387 b » 2 ult. in	» 821 a » 17 ult. ut
» 388 b » 4 ult. in eo de	» 822 a » 15 in eodem
» 389 a » 5 Brevi	» 823 a » 22 brevi
» 389 a » 7 expellat	» 823 a » 27 expediat
» 389 b » 34 ult. nostrorum	» 824 b » 9 nostrum
» 389 b » 16 ult. 1699	» 824 b » 15 ult. 1702
» 390 a » 26 facultate	» 825 a » 7 ult. facultates
» 390 a » 36 pendente	» 825 b » 5 pendentis
» 390 b » 17 degentibus	» 826 a » 22 ult. degentium
» 392 a » 32 la pace	» 828 b » 10 ult. perturbanti la pace
» 392 a » 35 abbiamo	» 828 b » 5 ult. abbiamo stabilito
» 393 b » 7 ult. existentium	» 832 a » 5 existentibus
» 397 b » 12 si quos	» 836 b » 6 ult. si quis eos
» 399 a » 29 existere	» 839 b » 25 sistere
» 399 a » 12 ult. visitationum	» 840 a » 14 visitatorum
» 399 a » 10 ult. secluso	» 840 a » 16 sedulo
» 400 b » 25 ult. ad	» 842 a » 17 ult. ac
» 402 b » 14 ult. prius	» 844 b » 6 ult. prout
» 403 a » 6 ult. manu	» 846 b » 21 manu subscriptis
» 404 b » 5 ult. essent	» 849 a » 16 ult. esset
» 405 b » 23 utriusque	» 850 b » 2 utrisque
» 405 b » 24 formiter	» 850 b » 3 formis
» 405 b » 27 ult. habere	» 850 b » 24 haberi
» 406 a » 31 depositionibus	» 851 b » 1 dispositionibus
» 406 a » 13 ult. aliamque	» 851 b » 13 ult. aliquam
» 406 b » 15 iisdem omnino	» 852 a » 19 iisdem omnino poenis
» 406 b » 33 ult. ut	» 852 a » 1 ult. aut
» 406 b » 20 ult. quod	» 852 b » 14 quam
» 407 a » 1 derogare	» 852 b » 7 ult. derogari
» 407 a » 27 comprobamus	» 853 a » 23 reprobamus
» 407 a » 13 ult. existentis	» 853 b » 13 existentes
» 407 b » 10 ult. illis	» 854 a » 1 ult. illi
» 408 a » 27 ult. accederet	» 855 a » 11 accedent
» 408 b » 16 ult. haecque	» 855 b » 18 ult. haeque
» 408 b » 16 ult. capto	» 855 b » 17 ult. captae
» 410 a » 30 directioni, curae et regimini pariter subiaceant	» 857 b » 6 ult. ut directioni, ... subiaceant eorumdem ministri provincialis et superiorum dicti Ordinis
» 412 a » 25 ult. ac illis	» 860 a » 15 ac ab illis
» 413 a (marg.) 17 ult. 24	» 863 b » 15 10
» 414 b » 5 Ordinum	» 863 b » 8 ult. Ordinis
» 414 b » 27 conventum	» 864 a » 17 conventuum
» 415 a » 24 hum	» 864 b » 2 ult. hunc
» 416 b » 31 ult. reliqui	» 867 a » 25 reliquae
» 417 a » 17 eiusdem	» 867 b » 11 ult. eisdem
» 418 a » 19 alumni	» 869 a » 11 ult. alumnis
» 418 a » 22 obeuntes	» 869 a » 1 ult. abeuntes
» 419 b » 26 absolutos	» 872 a » 13 ult. absolutas
» 419 b » 27 supplicationibus	» 872 a » 21 huiusmodi supplicationibus
» 419 b » 17 praedictarum	» 872 b » 19 ult. praedictorum

CONSTITUTIONES
BENEDICTI XIII.

BENEDICTUS XIII

PAPA CCXLIX

Ab anno MDCCXXIV *ad annum* MDCCXXX.

An. C. 1724 BENEDICTUS XIII Romanus, frater Vincentius Maria Ursinus antea vocatus, Ferdinandi ducis Gravinae filius, S.R.E. presbyter cardinalis tituli S. Sixti, primum episcopus Sipontinus, deinde Caesenatensis, demum Portuensis, et archiepiscopus Beneventanus, Summus Pontifex electus fuit die XXIX maii anni MDCCXXIV, coronatus vero die IV iunii, creavitque cardinales XXIX. Vixit annos LXXXI, dies XX, sed in pontificatu annos V, menses VIII, dies XXIII. Obiit die XXI februarii anni MDCCXXX, sepultusque est in ecclesiâ S. Mariae super Minervam. Vacavit Sedes menses IV, dies XXI.

I.

Promulgatur canonizatio B. Isidori agricolae a Gregorio XV in Sanctorum tabulas relati[1].

Benedictus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam. An. C. 1724

Exordium. Rationi congruit et convenit aequitati, ut, quae olim Romanus Pontifex in plenario conventu venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum, unanimi eorum consilio communicato, sanxit et definivit, licet postea, ob eius Pontificis obitum, litterae apostolicae de his conscriptae non fuerint, suum tandem consequantur effectum.

Expositio facti et vitae venerabilis Isidori beatis viris a Paulo V adnumerati. § 1. Summus rerum opifex suae virtutis potentiam ostensurus, nostraeque saluti[1] causam acturus, fideles suos, quos coronat in caelo, saepe etiam honorat in mundo, ad eorum memorias signa et prodigia faciens, per quae pravitas haeretica confundatur et fidei catholicae veritas confirmetur. Hinc piae recordationis Romani Pontifices antecessores nostri, quum olim audissent luculentis indiciis

1 Alia huic similis constitutio edita fuit a Clemente XI MDCCXII, die 22 maii, pontif. XII. Porro canonizatio B. Isidori agricolae de qua agitur, peracta fuit a Gregorio XV anno MDCXXI, die 12 martii, pontif. I (vel potius, ut infra dicam pag. 4 *b*, peracta fuit anno MDCXXII, die 12 martii, pontif. II, unâ simul cum canonizatione S. Theresiae. (R. T.).

1 Videtur legendum *salutis* (R. T.).

patefieri apud hanc sanctam Apostolicam Sedem beatum Isidorum agricolam inter mortales degentem magnis vitae meritis et virtutibus excelluisse, ac postea viventem in caelo multis miraculis coruscasse; inde, ex venerandis S. R. E. constitutionibus et regulis, certum eius sanctitatis argumentum propterea duxerunt, cum et merita vera praecessissent, et miracula clara consueta essent, unde Romana Ecclesia ad eius venerationem induceretur, quem Deus meritis praecedentibus et subsequutis miraculis venerandum ostenderat. Quare felicis memoriae antecessor noster Gregorius Papa XV ad universalis Ecclesiae regimen evectus, postquam ex frequenti relatu coram se habito eximias virtutes et signa quamplurima eiusdem B. Isidori intellexit (quem, ob longam, generalem et assiduam sanctitatis famam et cultum viro Dei per multa saecula constanter exhibitum, Gregorii nostrique antecessor Paulus Papa V, rege catholico Philippo III per oratores suos vehementissime flagitante, beatis viris adnumerandum rite sanciverat), de eodem, post maturam deliberationem per longas et complures discussiones hac de re habitam, in Sanctorum canonem more maiorum provide referendo cogitavit.

Eius ortus, cultus ei tributus, ars, pietas et signa.

§ 2. Mantuae Carpetanorum, sede regum Hispaniae, quae aliàs *Metritum* vocatur, in dioecesi Toletanâ, humilibus quidem, sed piis catholicisque parentibus natus, floruit Isidorus saeculo XII; cuius nomen, tamquam probatissimi hominis, vitaeque mirâ innocentiâ et signorum gloriâ illustris, inde usque ad saeculum XVII uno omnium Hispanorum ore celebratum est, universis honoribus ei[1] palam tributis, quae in Ecclesiâ Catholicâ unis beatis et sanctis viris tribuuntur. Christianas virtutes a tenerioribus annis ita coluit Isidorus, ut, adultior factus, ceteris artibus, quibus vitam aleret, propterea agriculturam praetulerit, quod humilior, laboriosior, animaeque saluti comparandae aptior et tutior ei videretur. Hanc toto vitae suae tempore ita exercuit, ut vel minima pietatis et religionis officia, quae semel susceperat, nullâ unquam die causâ eius praetermitteret. Ad agrum colendum nunquam accessit, quin prius, audito sacrosanctae missae sacrificio, precibusque ad Deum ac beatam Virginem ex imo pectore fusis, divinum auxilium implorasset, quod illi saepe numero praesto fuit, ubi praesertim apud herum, cuius agrum curabat, propterea accusatus est quod, pietatis operibus plus aequo occupatus, agri opus negligere videretur. Herus enim irarum plenus, ut de Isidoro poenas sumeret, in agrum, quem incultum putabat, profectus, trino illum bovum iugo arari conspexit, unum et alterum gemini iuvenes albis induti regebant, tertium vero Isidorus; duo illi, hero accedente, disparuerunt; atque ita factum, ut herus vera esse intelligeret, quae ei saepe affirmaverat Isidorus, horas nimirum, quas divino obsequio impendisset, nequaquam perire. Rursus Isidoro divinae orationi in sacrâ aede vacanti nunciatur eius iumentum a lupo, nisi citus accurreret, iam iam devorandum; ipso tamen ob id se ab oratione evelli non passo, absolutâque oratione ex aede egresso, iumentum incolume reperitur; lupus vero prope ipsum exanimis, Deo pro Isidori precibus vicariam operam ei rependente.

Eximia in pauperes charitas signumque a Deo patratum.

§ 3. Tanta fuit Isidori charitas erga proximum, ut sibi pauperi, egenis et pauperibus profuturus, necessaria subtraheret. Quum omnia in eos aliquando erogasset, alius quidem stipem deprecaturus advenit; Isidoro moerente quod

1 Edit. Main. legit eo pro ei (R. T.).

nihil pauperi dandum suppeteret, piissime[1] coniux semel atque iterum ei obsequutura ollam vacuam scrutatur, quam tandem cibo plenam reperit, quo pauper esuriens abunde reficeretur. Eadem beati Isidori coniux Maria a Capite nuncupata virtutum et morum sanctitate venerabilis viroque suo plane persimilis apud Hispanos habita est. Hinc eius antiquissimus cultus a piae memoriae decessore nostro Innocentio XII anno Christi domini MDCXCVII probari meruit, in examen adductus per venerabiles fratres S.R.E. cardinales, referente Ioanne Francisco diacono cardinali S. Adriani Albano nuncupato, mox eiusdem Innocentii in cathedrâ beati Petri successore felicis recordationis Clemente XI antecessore nostro. Magnam Isidori charitatem, non tantum erga homines, sed erga ipsa animantia caelique volatilia, Deus pergratam[2] sibi esse manifestavit. Quandoquidem asperrimâ hyeme, dum omnia nivibus et glacie concreta rigerent, Isidorus, triticum molâ frumentariâ terendum advehens, palumbas fame confectas arboribus moeste insidentes conspicatus, quod, nive omnia tegente, deesset unde alerentur, ipse terram nive detersit, tantum tritici spargens, quantum palumbis alendis satis esse arbitraretur. Factum displicuit socio Isidori, ab eo propterea correpti; Deo tamen nequaquam displicuit, qui triticum, quod supererat, ita auxit, ut postea nihil a sacco extractum videretur.

B. Isidori coniux morum sanctitate clara.

§ 4. Iniuriis quibuscumque se inconcussum semper ostendit, deque fraudatâ operâ, licet falso, accusatus, hoc aegre non tulit, quin potius pacate respondit accusatorum arbitrio se hero suo satisfacturum. Probi viri fiducia in Deum tanta fuit, ut omnia licet magna et difficilia certo speraret. Quamplurima praecellentis huius virtutis exempla occurrunt, ex quibus unum silentio non praeteribimus. In sacrâ aede orationis dulcedine captus, ad socios pium de more convivium instruentes sero descendit; neque ipse unus, sed pauperum, qui eum ut patrem sequebantur, grege stipatus descendit: nihil ex convivio praeter portionem seorsum pro eo servatam supererat: ob multitudinem esurientium tristes socios bono animo esse iussit Isidorus suam portionem viritim inter eos dividendam: mox Isidori portio tam copiosa reperitur, ut non modo praesentes affatim, sed absentes etiam pascere potuerit. Sed aliis[1] quoque multis et magnis miraculis[2] Isidori etiam num viventis merita et sanctitatem Deus patefecit. Hero enim in agro, quem Isidorus arabat, sitienti, aquam in loco sicco et undique arido, percussâ terrâ, manantem aperuit, quae hactenus manat perennis, nullis unquam solis ardoribus exsiccata. Ei[3] vis divina inesse dignoscitur, Deusque per Isidori intercessionem in aegris[4] ad eam confluentibus assidua signa operatur.

Iniuriarum tolerantia, etc.

§ 5. His aliisque quamplurimis Dei servus per omnem Hispaniam celebris et illustris, pie obiit circa annum Christi Domini MCXXX, postquam, praeeunte sacramento poenitentiae humilique confessione, suos ad veram pietatem et charitatem ferventi efficaciâ cohortatus, Corpus Domini cum summâ religione suscepisset. Servi Dei corpus sub dio[5] totos quadraginta annos in coemeterio depositum

Eius obitus anno MCXXX, et multo post tempore corpus integrum reperitur.

1 Forsan *piissima* pro *piissime* legend. (R.T).
2 Edit. Main. legit *pergratum* (R. T.).

1 Male, ut puto, edit. Main. legit *alii* pro *aliis* (R. T.).
2 Praeposit. *per* importune heic insertam abiicimus (R. T.).
3 Male edit. Main. legit *Et* pro *Ei* (R. T.).
4 Pessime edit. Main. legit *agris* pro *aegris* (R. T.).
5 Edit. Main. legit *sub diu* (R. T.).

[illegible] imbrium iniuriis, quasi in cloacam per ambages in sepulturam eius confluentium, expositum: elapso quadragesimo anno, Dei nutu, corpus e coemeterio in aedem ad honorem B. Andreae apostoli Dei[1] sacrum[2] transferendum effoditur, quod integrum atque incorruptum, velaminibus pariter integris et incorruptis contentum, suavique odore fragrans, repertum est. Tandem anno Christi Domini MDCXIII ex novo et honorifico sepulchro, ubi antea conditum fuerat, rursus extractum, eadem integritate et suavi fragrantiâ spectandum omnibus patuit. Isidori sacras exuvias innumeris miraculis Deus illustravit; caeci enim, surdi, claudi aliique non pauci variis morbis laborantes, pulvere sepulturae usi, convaluerunt; sacrarum[3] aedium Mantuae Carpetanorum aes campanum atque organum tamdiu nemine pulsante sonuerunt, quamdiu supplex et publicus translationis processus duravit. Ad unum omnia ob servi Dei invocationem in aegris sanitati restituendis acta prodigia longum esset enumerare. Omnia in actis apud Apostolicam Sedem sufficienter et legitime probata fuerunt, perpetuoque pro luculentis et apertissimis testimoniis summi Dei habebuntur, qui ad plenam fidem de Isidori sanctitate faciendam quasi testis speciatim invocatus et rogatus accessit.

Post examen triennale ad preces Philippi III et IV Hispaniarum regum, Sanctorum catalogo adscriptus fuit unà cum quatuor aliis sanctis a Gregorio XV.

§ 6. Haec triennali spatio per S. R. E. cardinales coram piae memoriae antecessoribus nostris Romanis Pontificibus Paulo V et Gregorio XV solemni examine, post illum Beatorum canoni adscriptum, discussa fuerunt, omnibus in eam sententiam abeuntibus, ut[1] eiusdem S. R. E. legitimo ritu Isidorum agricolam in sanctorum confessorum tabulas referendum esse censuerunt, iamdiu id vehementer, post Philippum III regem catholicum, etiam Philippo IV eius filio et successore, immo et totâ Hispaniâ apud Sedem Apostolicam flagitantibus. Quare Gregorius, ex veteri Ecclesiae Romanae disciplinâ, in tribus consistoriis coram se habitis totâ re denuo in consilium adductâ, ieiuniisque, eleemosynis et orationibus divino ad id auxilio implorato, decretum condidit de Isidoro inter Sanctos publice referendo. Ad haec idem Pontifex, universis, quae ex sacris constitutionibus et S. R. E. consuetudine agenda erant, rite peractis, IV idus martias anno Christi Domini MDCXXII, pontificatus II[2], in sacrosanctam basilicam Principis Apostolorum maximo apparatu et frequentiâ profectus, in plenario venerabilium fratrum S. R. E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum conventu, repetitis pro Isidoro in Sanctorum canonem referendo ferventissimis ad Deum precibus, Sanctique Spiritus gratiâ humiliter imploratâ, ad honorem sanctae et individuae Trinitatis fideique catholicae exaltationem, auctoritate omnipotentis Dei Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, totius eiusdem plenarii conventus consilio unanimique consensu, beatum Isidorum agricolam Hispanum, de cuius vitae sanctitate, fi-

1 Perperam edit. Main. legit *Dei* pro *Deo* (R. T.).

2 Male etiam eadem edit. legit *sacrum* pro *sacram* (R. T.).

3 Male, ut etiam puto, legit *sacrum* pro *sacrarum* (R. T.).

1 Videtur legendum *et* pro *ut*, et paulo ante *eamdem* pro *eam*; vel paulo post *censerent* pro *censuerunt* (R. T.).

2 Hinc et ex sequentibus constat quod Bulla canonizationis huius Sancti a Gregorio XV conscripta, quae sub anno MDCXXI, pontif. I, posita fuit (quam vide in tom. XII nostrae edit. pag. 483), extra ordinem est, et debuisset collocari eodem anno cum Bulla canonizationis S. Theresiae, quam vide ibid. pag. 673 (R. T.).

dei sinceritate et miraculorum excellentiâ plene constabat, unâ cum beatis confessoribus Ignatio Loyola, Francisco Xaverio, Philippo Nerio, sacrâ Dei virgine Theresia a Iesu, Sanctum esse pronunciavit, sanctorum confessorum catalogo in universâ Ecclesiâ adscribendum esse decrevit, ab omnibus christifidelibus tamquam vere Sanctum colendum et honorandum esse definivit, in eius honorem sacras aedes atque aras, ubi incruentum Deo sacrificium offeratur, construi et consecrari posse, et singulis annis idibus maii eiusdem festum ut sancti confessoris celebrari sancivit; quem postea piae memoriae Urbanus Papa VIII in tabulas martyrologii romani sub die VI idus maias referendum curavit. Gregorius eâdem quoque apostolicâ auctoritate omnibus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui eodem die sepulchrum, ubi Isidori corpusculum requiescit, devote invisissent, annum unum et quadragenam, iis, qui in festi octavâ, quadraginta dies, de iniunctis seu quomodolibet eis debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavit. Postremo, gratiis cum laetitiâ Deo actis quod sanctum Isidorum agricolam cum ceteris confessoribus et virgine Deo sacrâ in conspectu omnium gentium honorificasset, suamque Ecclesiam perinsigni hoc lumine illustrari voluisset, cantatâ in[1] eiusdem Isidori et ceterorum solemni oratione, in arâ maximâ supra confessionem B. Petri missam cum eiusdem commemoratione celebravit, omnibusque christifidelibus, qui tantae caeremoniae aderant, plenariam peccatorum indulgentiam et remissionem largitus est.

Causae huius constitutionis.

§ 7. Ne vero de hoc decreto apostolico, definitione, sanctione, adscriptione, relatione, statuto, concessione, ceterisque praemissis, propterea quod de illis per eumdem Gregorium XV, perque successores piae memoriae Urbanum Papam VIII, Innocentium X, Alexandrum VII, utrumque Clementem IX et X, Innocentium XI, Alexandrum VIII, Innocentium XII, Clementem XI, atque Innocentium XIII, antecessores nostros, litterae decretales de more conscriptae et promulgatae non fuerint, unquam possit in posterum quomodolibet haesitari; nos, qui iisdem Romanis Pontificibus, disponente Domino, in cathedrâ B. Petri, licet immeriti, tandem successimus, volumus, et nobis traditâ apostolicâ auctoritate statuimus, ut decretum, definitio, sanctio, adscriptio, relatio, statutum, concessio, ceteraque hactenus recensita, ab iam dictâ die IV idus martias anni MDCXXII suum undequaque consequantur effectum, ac si super illis ab eodem Gregorio revera litterae decretales eâdem die conscriptae et promulgatae fuissent, ut superius enarratur.

Clausulae.

§ 8. Volumus autem ut praesentes nostrae, ad probandum decretum, definitionem, sanctionem, adscriptionem, relationem, statutum, concessionem, ceteraque praemissa, ubique omnino sufficiant, neque alterius cuiuscumque probationis adminiculum ad id amplius requiratur.

Fides transumptorum.

§ 9. Praeterea, quia difficile foret has nostras ad singula loca, ubi opus esset, adferri, volumus, ut earumdem exempla, etiam typis impressa, manu publici notarii subscripta, sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munita[1], eamdem ubique fidem obtineant, quam hae nostrae obtinerent, sicubi[2] eas exhiberi vel ostendi contingeret.

1 Praeposit. *in* delenda videtur (R. T.).

1 Edit. Main. legit *munitae* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *sicuti* pro *sicubi* (R. T.).


Sanctio poenalis.

§ 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam decreti, definitionis, sanctionis, adscriptionis, relationis, statuti, concessionis infringere, aut ei temerario ausu contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXIV, pridie nonas iunias, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 4 iunii 1724, pontif. anno I.

✠ EGO BENEDICTUS
CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.



†
†
†
†
† Ego Franciscus episcopus Praenestinus cardinalis Barberinus.
† Ego Laurentius episcopus Tusculanus cardinalis Corsinus.
†
† Ego Ioseph tituli S. Laurentii in Lucinâ presbyter cardinalis Sacripantes.
†
†
† Ego Philippus Antonius tituli S. Caeciliae presbyter cardinalis Gualterius.
†
†
†
†
† Ego Ludovicus tituli S. Silvestri in Capite presbyter cardinalis Picus de Mirandula.
†
†
† Ego Antonius Felix tituli S. Balbinae presbyter cardinalis Zondadarius.
†
† Ego Petrus Marcellinus tituli S. Mariae Transtyberim presbyter cardinalis Corradinus.
†
†
†
† Ego Melchior tituli S. Mariae Angelorum presbyter cardinalis de Polignac.
†
†
†
†
† Ego Bernardinus tituli S. Petri in Monte Aureo presbyter cardinalis Scottus.
†
†
† Ego Nicolaus tituli Ss. Nerei et Achillei presbyter cardinalis Spinula.
†
†
†
† Ego Georgius tituli S. Agnetis presbyter cardinalis Spinula.
†
†
†
† Ego Ludovicus tituli S. Priscae presbyter cardinalis Belluga et Moncada.
† Ego Iosephus tituli S. Susannae presbyter cardinalis Pereyra de la Cerda.
† Ego Ioannes Baptista tituli S. Stephani in Monte Caelio presbyter cardinalis Salernus.
† Ego Alvarus tituli S. Bartholomaei in Insulâ presbyter cardinalis Cienfuegos.
†

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Matthaei in Merulanâ presbyter cardinalis de Alteriis.
† Ego Vincentius tituli S. Onuphrii presbyter cardinalis Petra.
† Ego Vincentius tituli S. Calixti presbyter cardinalis Marefoschi.
†
† Ego Nicolaus tituli S. Mariae in Dominicâ presbyter cardinalis Coscia.
†
†
†
†
† Ego Benedictus S. Mariae in Viâlatâ diaconus cardinalis Pamphilius.
† Ego Ioseph Renatus S. Georgii in Velabro diaconus cardinalis Imperialis.
† Ego Laurentius S. Agathae ad Montes diaconus cardinalis de Alteriis.
† Ego Carolus S. Angeli in Foro Piscium diaconus cardinalis Columna.
† Ego Curtius S. Eustachii diaconus cardinalis Origus.
† Ego Fabius Ss. Viti et Modesti diaconus cardinalis Oliverius.
† Ego Carolus S. Mariae in Aquiro diaconus cardinalis Marinus.
† Ego Iulius S. Adriani diaconus cardinalis Alberonus.
† Ego Alexander S. Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis Albanus.
†
† Ego Nicolaus tituli Ss. Martyrum diaconus cardinalis de Iudice.
†
†
†
†

P. cardinalis prodatarius.
F. cardinalis Oliverius.

Visa de Curia I. archiep. Ancyranus.
L. MARTINETTUS.

II.

Promulgatur canonizatio B. Andreae Corsini Ordinis Carmelitarum, in Sanctorum numerum ab Urbano VIII relati [1].

Benedictus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Rationi congruit et convenit aequitati, ut, quae Romanus Pontifex in plenario conventu venerabilium fratrum S. R. E. cardinalium patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum, unanimi eorum consilio communicato, sanxit et definivit, licet postea, ob eiusdem Pontificis obitum, litterae apostolicae de his conscriptae non fuerint, suum tandem consequantur effectum.

Andreas iam ab Urbano VIII inter Sanctos relatus.

§ 1. Iamdudum piae recordationis antecessor noster Urbanus PP. VIII, ob divinitus sibi traditam totius Ecclesiae administrationem de populi sibi commissi aeternâ salute et summi Dei gloriâ maxime sollicitus, utrique augendae plurimum expedire secum animo reputavit, si eorum memoriam solemni laude ubique recolendam curaret, quorum assiduis precibus grex christianus in caelis adiuvari posset. Quare de piâ conversatione et eximiis vitae meritis beati Andreae episcopi Fesulani optime edoctus, quem, ob signorum quoque praestantiam, sub piae memoriae decessoribus Romanis Pontificibus Clemente VIII et Paulo V celebrari, eiusdemque gesta ex S. R. E. disciplinâ et regulis maiorumque traditionibus saepe in examen vocari, et undequaque probari olim audierat, eum rite Sanctorum canoni adscribere statuit.

Andreas ortus, adolescentia, virtutes et signa.

§ 2. Andreas die festo recurrente beati Andreae Apostoli, unde in baptismo nomen accepit, Florentiae Tuscorum, pridie kalendas novembris, anno Christi Domini MCCCII, claro in primis

1 Similes sunt huic constitutiones praecedens et sequentes. Peracta fuit canonizatio ab Urbano VIII anno MDCXXIX, die 22 aprilis, pontif. VI.

Corsinorum genere ortus est, quum eius parentes iam steriles in sacrâ aede fratrum Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo primum fructum ex se proditurum Deo et matri eius vovissent. Adolescens de hoc monitus, deque lupo in candidum agnum convertendo quem mater sibi parere visa fuerat, eorumdem fratrum Carmelitarum Ordini nomen dedit, nullis retro mundi illecebris se revocari passus. Susceptis regulae insignibus, et professione factâ, nihil antiquius habuit, quam ut institutum, cui se dicaverat, accurate observaret. In christianis virtutibus, praesertim humilitate, se vir Dei maxime exercuit, viliora coenobii opera obeundo, inque pensis diurnis nocturnisque persolvendis summe sollicitus, vitis sarmentorum acervo pro lectulo usus, asperrimoque cilicio et catenâ, ieiuniis etiam praeter communia non paucis corpus castigans, itaut aquam ipsam et panem, quibus parce aleretur, metiri consueverit. Ad sacros ordines promotus, primumque missae sacrificium celebraturus, Deiparam Virginem sibi loquentem audire[1] meruit. Superis adeo gratus, ut per eius preces infirmi, nullâ ope humanâ sanabiles, cunctis mirantibus, pristinâ salute donarentur. Sacris litteris imbuendus triennium Lutetiae transegit, ubi a condiscipulis caecus, surdus et mutus propterea nuncupatus quod omnes sensus ab impudicitiis fraenaret. Inde redux visum caeco, aquâ lustrali consperso, Avenione restituit. In patriam reversus, hydropem sanat, digito in nomine Iesu ori eius iniecto, unde mox aquae cadus effluxit. Andreae virtutum hoc pacto et signorum famâ resonante, ecclesiam Fesulanam suo pastore viduari contingit, cui totius cleri populique suffragio ipse sufficitur: qui tamen, nuncio electionis audito, clam in carthusiae Florentinae secessum aufugit, Dei Matrem exorans ut se ab eâ dignitate liberaret. Illo diu quaesito, nec reperto, de praesulis electione mutandâ clerus et populus Fesulanus consilium ineunt. Sed puer trimus, coetum electorum ingressus, Andream episcopum probe renunciatum, nequaquam mutandum exclamat; inter Carthusianos orantem delitescere; unde ad Fesulanam ecclesiam de onere pontificali subeundo ipse quoque visu monitus perducitur. A beatae memoriae Urbano PP. V decessore nostro in pastorali munere confirmatus, oves suas omni pietatis officio pascere satagit. Suis ipse manibus stipem egenis viritim porrigere solitus, singulorum nomina in codice seorsum sibi descripsit; quumque aliquando annonae caritas ingrueret, quotidie escam pauperibus ipse erogabat: qua deficiente, numeroque pauperum aucto, panis ubertim in arcâ multiplicatur. Florentinorum Republicâ in partes scissâ, funestis perpetuisque discordiis laborante, Fesulanus episcopus sacris concionibus pacis unitatem civium animis inserere studet, daemonesque corvorum specie in aëre praeliantes ostendens, omnes ab intestinis et civilibus odiis deterret. Hinc idem, quem memoravimus, beatae memoriae Urbanus PP. V, cognito divinae gratiae dono, quo Fesulanus episcopus in componendis populorum discordiis pollebat, legatum Bononiam mittit ut dissidentia pectora mitigaret, ferocesque civium animos flecteret. Andreas, Pontificis iussis obtemprans, illuc proficiscitur, ubi tumultuantes, venerandi praesulis auctoritate et verborum dulcedine capti, mox depositis armis, in concordiam reducuntur, paucis, qui adversabantur, atroci morbo correptis: qui tandem meritis

Episcopus Fesulanus eligitur.

Pacis studiosus fuit.

1 Edit. Main. legit *audiri* (R. T.).

beati Andreae liberati, ab omni odio quieverunt. Ita vir Dei, negocio confecto, magnâ omnium laude et plausu Fesulas remeavit, ubi in memoriam Christi Domini qualibet feriâ quintâ pauperum pedes lavare solitus, cuiuspiam tibias plagis graveolentibus et putredine infectas ab se lotas, lacrymisque conspersas, osculatus, undequaque curavit. Die mortis appropinquante, eam ipsâ nocte Natalis Christi Domini summo gaudio, antequam primam missam celebraret, sibi nocte Epiphaniorum adventuram, a deiparâ Virgine accepit; qua, psalmis et catholicae fidei symbolis sibi praelectis, verbisque Simeonis prolatis *Nunc dimittis*, ad gloriam aeternam evolavit VIII idus ianuarias, anno dominicae Incarnationis MCCCLXXIII, aetatis septuagesimosecundo, ab ingressu ad religionem quinquagesimoquinto, episcopatus duodecimo. Ex eius corpusculi in paleis strati suavi odore perplures infirmi, multi etiam ex eius tactu statim convaluerunt. Deus quoque ad idem corpusculum, Florentiam translatum, atque instar viventis in cathedrâ sedens, plurima signa patefecit. Anno vero MCDXL, piae memoriae decessore nostro Eugenio PP. IV Florentiae commorante, externoque milite agrum Florentinum crudeliter depopulante atque ipsi civitati ob eventuram cladem perterrefactae incubante, Deus per beatum Andream, ad quem miraculis clarum populus in tantâ calamitate sibi impendente confluebat, adolescenti revelavit, in proximo die natali beati Petri apostolorum principis, Romanae Ecclesiae praedonem et Florentinorum hostem devictum iri. Qua quidem re civitatis decemviris iussu beati viri per adolescentem nunciatâ, praelioque inito, hostes fusi sunt, et Florentinorum respublica cum rebus Eugenii Pontificis et Ecclesiae Romanae a tyrannide liberata. Quare ad aedem Carmelitarum maxime supplicatio indicta est, ubi Papa Eugenius S. R. E. cardinalibus ibidem praesentibus, et clero, senatu, populoque Florentino flagitantibus, corpus beati Andreae inter accensa funalia et thurificationis[1] palam ostendi concessit; quo ex tempore Andreas ut relatus in Sanctorum canonem habitus est. In rei memoriam magistratus Florentinorum quotannis sacram aedem, ubi pii viri corpus requiescit, magnâ religione invisere consueverunt.

A Gregorio XIII eius officium et missa approbata pro die XIV ianuarii.

§ 3. Hinc eximiis et probatissimis viri Dei virtutibus et signis per eum patratis, cultuque publico aucto, clerus et Respublica Florentinorum a felicis memoriae Paulo PP. II antecessore nostro Andream ritu solemniori in Sanctorum canonem referendum poposcit, negociumque ab eodem Paulo II atque etiam a piae memoriae successore eius Sisto IV aliquot S. R. E. cardinalibus commissum est. Sed hominum et temporum vices rem aliò traxerunt. Interim felicis recordationis Gregorius XIII antecessor noster missam et officium eius primum, secundum missale et breviarium Ordinis fratrum Carmelitarum, pro die XIV ianuarii oraculo suo comprobavit, aliàs ab antiquo tempore Florentiae in ecclesiâ B. Mariae de Monte Carmelo inque totâ dioecesi Fesulanâ celebrari solita. Tandem sub piae memoriae antecessore nostro Clemente PP. VIII, christianissimo rege Francorum Henrico IV et Mariâ reginâ, Ferdinando quoque in Etruriâ sibi subiectâ magno duce, aliisque enixe postulantibus, de Andrea sanctorum canoni adscribendo actum est. Clemente autem viam universae carnis ingresso, sedente felicis recordationis Paulo PP. V, iteratis co-

[1] Forsan *thurificationes* (R. T.).

rumdem virorum principum aliorumque precibus, de hoc pariter actum. Sed Paulo et successore eius Gregorio XV deinde etiam sublatis, tandem recolendae memoriae Urbanus PP. VIII, qui in cathedrâ beati Petri utrique successerat, post servi Dei vitam, gesta, virtutes et miracula, ex antiquo Romanorum Pontificum instituto, sibi compluries de more enarrata, inque tribus consistoriis coram se ad apostolicarum constitutionum regulas habitis magnâ solemnitate discussa, atque omnium suffragio comprobata, eumdem B. Andream episcopum Fesulanum sanctorum canoni adscribere statuit. Itaque indictâ die x kalendas maias anno MDCXXIX, universis, quae agenda erant, ad sanctorum patrum traditiones, sacrorum canonum instituta, et S. R. E. venerandos ritus et disciplinam rite peractis, idem Urbanus PP. VIII in sacrosanctam beati Petri apostolorum principis basilicam magno apparatu et celebritate processit; ubi in plenario venerabilium fratrum S. R. E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum conventu, pro B. Andrea in sanctorum canonem referendo repetitis summâ religione ad Deum precibus, imploratâque Spiritus Sancti gratiâ, ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, exaltationem fidei catholicae et christianae religionis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei Patris, Filii et Spiritus Sancti, ac beatorum apostolorum Petri et Pauli, plenarii eiusdem conventus consilio, unanimique acclamatione et suffragio, beatae memoriae Andream Corsinum Florentinum Ordinis fratrum Beatae Mariae de Monte Carmelo, episcopum ecclesiae Fesulanae, de cuius virtutum et prodigiorum magnitudine cumulate constiterat, Sanctum esse decrevit, inque sanctorum confessorum pontificum canonem retulit, et referendum esse pronunciavit, eumdemque ab universis christifidelibus ut vere Sanctum ubique colendum honorandumque, in eius honorem sacras aedes et altaria, in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, construi ac dicari posse definivit, et quotannis VIII idus ianuarias, quo ad caelestem patriam evolavit, eius memoriam ut sancti confessoris pontificis pie coli sancivit: quem etiam, ut talem, anno insequenti, martyrologio romano VIII idus ianuarias inserendum curavit. Postremo, gratiis Deo cum exultatione actis, quod S. Andream in conspectu omnium gentium honorificasset, tamque insigni gloriâ Eclesiam suam decorari voluisset, idem Urbanus Pontifex omnibus, quae ad B. Andream in sanctorum canonem referendum pertinebant, sancte adimpletis, hymnisque cantatis, divinoque praesidio ex viri Dei meritis peculiari collectâ[1] in eius honorem implorato, sacrosanctum missae sacrificium in arâ maximâ supra confessionem Principis Apostolorum solemni ritu celebravit, atque omnibus christifidelibus, qui tantae caeremoniae intererant, plenariam peccatorum indulgentiam ad Dei laudem et B. Andreae honorem largitus, cunctis vere poenitentibus et confessis, eius anniversario die ad locum depositionis accessuris, annum unum et quadraginta dies, in octavâ autem quadraginta dies de iniunctis poenitentiis misericorditer relaxavit.

Eius canonizatio peracta ab Urbano VIII.

§ 4. Ne vero de huiusmodi Urbani VIII decreto apostolico, definitione, sanctione, adscriptione, relatione, statuto, concessione, ceterisque praemissis, propterea quod super his ab eodem Urbano aut ab eius successoribus piae memoriae Romanis Pontificibus decessoribus nostris Innocentio X, Alexan-

Causae huius constitutionis.

[1] Ed. Main. legit *collectae* pro *collectâ* (R. T.).

dro VII, utroque Clemente IX et X, Innocentio XI, Alexandro VIII, Innocentio XII, Clemente XI et Innocentio XIII litterae decretales de more conscriptae et promulgatae non fuerint, unquam possit quomodolibet haesitari, nos, qui iisdem, licet immeriti, disponente Domino, in cathedrâ B. Petri successimus, volumus, et apostolicâ auctoritate statuimus, ut decretum, sanctio, relatio, adscriptio, ceteraque hactenus recensita, a iam dictâ die IX kalendas maias anni MDCXXIX suum undequaque et plenum consequantur effectum, ac si ab eodem Urbano VIII litterae decretales revera eâdem die conscriptae et de more promulgatae fuissent, ut superius enarratur.

Clausulae. § 5. Volumus autem ut praesentes litterae, ad probandum decretum, definitionem, sanctionem, adscriptionem, relationem, statutum, concessionem, ceteraque praemissa, ubique omnino sufficiant, neque alterius cuiuscumque probationis adminiculum ad id amplius requiratur.

Fides transumptorum. § 6. Praeterea, quia difficile foret has nostras ad singula loca ubi opus esset adferri, volumus ut earumdem exempla, etiam typis impressa, manu publici notarii subscripta, sigilloque alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munita, eamdem ubique fidem obtineant, quam hae nostrae obtinerent, sicubi eas exhiberi vel ostendi contingeret.

Sanctio poenalis. § 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam decreti, definitionis, sanctionis, adscriptionis, relationis, statuti, concessionis infringere, aut ei temerario ausu contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXIV, pridie nonas iunias, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 4 iunii 1724, pontif. anno I.

✠ EGO BENEDICTUS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS[1].

†

†

† Ego Franciscus episcopus Praenestinus cardinalis Barberinus.

†

†

† Ego Laurentius episcopus Tusculanus cardinalis Corsinus.

†

† Ego Ioseph tituli S. Praxedis presbyter cardinalis Sacripantes.

†

†

† Ego Philippus Antonius tituli S. Caeciliae presbyter cardinalis Gualterius.

†

†

†

†

† Ego Ludovicus tituli S. Silvestri in Capite presbyter Picus de Mirandula.

†

†

† Ego Antonius Felix tituli S. Balbinae presbyter cardinalis Zondadarius.

†

† Ego Petrus tituli S. Ioannis ante Portam Latinam presbyter cardinalis Corradinus.

†

†

†

† Ego Melchior tituli S. Mariae Angelorum presbyter cardinalis de Polignac.

†

†

†

†

1 Hoc loco sicut et in sequentibus constit. subiicitur in edit. originali eadem forma sigilli quam nos semel dedimus in const. praecedenti pag. 6 a (R. T.).

† Ego Bernardinus tituli S. Petri in Monte Aureo presbyter cardinalis Scottus.
†
†
†
†
†
†
† Ego Georgius tituli S. Agnetis presbyter cardinalis Spinula.
†
†
†
† Ego Ludovicus tituli S. Priscae presbyter cardinalis Belluga et Moncada.
† Ego Ioseph tituli S. Susannae presbyter cardinalis Pereyra de la Cerda.
†
† Ego Ioannes Baptista tituli S. Stephani in Monte Caelio presbyter cardinalis Salernus.
†
† Ego Alvarus tituli S. Bartholomaei in Insulâ presbyter cardinalis Cienfuegos.
†
† Ego Ioannes Baptista tituli S. Matthaei in Merulanâ presbyter cardinalis de Alteriis.
† Ego Vincentius tituli S. Onuphrii presbyter cardinalis Petra.
† Ego Prosper tituli S. Chrysogoni presbyter cardinalis Marefuscus.
†
† Ego Nicolaus tituli S. Mariae in Domnicâ presbyter cardinalis Coscia.
†
†
†
†
† Ego Benedictus S. Mariae in Viâlatâ diaconus cardinalis Pamphilius.
† Ego Ioseph Renatus S. Georgii in Velabro diaconus cardinalis Imperialis.
† Ego Laurentius S. Agathae ad Montes diaconus cardinalis de Alteriis.
† Ego Carolus S. Angeli in Foro Piscium diaconus cardinalis Columna.
† Ego Curtius S. Eustachii diaconus cardinalis Origus.
† Ego Fabius Ss. Viti et Modesti diaconus cardinalis de Abbatibus Oliverius.
† Ego Carolus S. Mariae in Aquiro diaconus cardinalis de Marinis.
† Ego Iulius S. Adriani diaconus cardinalis Alberonus.
† Ego Alexander S. Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis Albanus.
† Ego Nicolaus S. Mariae de Rotundâ diaconus cardinalis Iudice.
†
†
†
†

P. cardinalis prodatarius.
F. cardinalis Oliverius.

Visa de Curia I. archiep. Ancyranus.

III.

Promulgatur canonizatio B. Philippi Benitii Ordinis Servorum B. M. V. a Clemente X Sanctorum albo adscripti [1].

Benedictus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Rationi congruit et convenit aequitati, ut, quae Romanus Pontifex in plenario conventu venerabilium fratrum S. R. E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum, unanimi eorum consilio communicato, sanxit et definivit, licet postea ob eiusdem Pontificis obitum litterae apostolicae de his conscriptae non fuerint, suum tandem consequantur effectum.

Expositio facti. § 1. Iamdudum piae memoriae antecessor noster Clemens Papa X, Dei servos, quos summarum virtutum et signorum praestantiâ in variis religiosorum Ordinum coetibus olim fulsisse cogno-

1 Similes sunt huic constitutiones praecedentes et sequentes. Peracta fuit canonizatio anno MDCLXXI, die 12 aprilis, pontif. I.

verat, omnium christifidelium imitatione exprimendos praepositurus, inter ceteros unum elegit venerabilem virum Philippum Benitium ex familiâ fratrum Servorum B. M. Virginis, quem, ob sanctitatem ex ritu S. R. E. probatam atque recognitam, ubique colendum honorandumque decerneret.

Eius ortus, vita, virtutes et signa breviter recensentur.

§ 2. Philippus Florentiae Tuscorum anno Christi Domini MCCXXXIII, dum annua festa agerentur B. M. Virginis in caelum Assumptae, a qua eum parentes precibus impetraverant, familiae fratrum Servorum eiusdem Virginis eodem die atque anno institutae magnum ipse ornamentum futurus, in lucem editus est. Lutetiae et Patavii studiis sacrarum litterarum absolutis, hoc assiduis ieiuniis et orationibus a Domino obtinuit, ut Ordo fratrum Servorum B. Mariae Virginis, cui nomen daret, sibi praemonstraretur: cuius Ordinis vestem in classe laicorum ob modestiam indutus, aliquamdiu solitariam vitam in Montis Senarii eremo supra Florentiam traduxit. Postmodum ex obedientiâ ad presbyteratum evectus, terrenisque rebus ob caelestium contemplationem despectis, verbo Dei promulgando se totum addixit, suaeque familiae generalis praefectus, in unam hanc curam ardenter incubuit, ut per se suosque variis linguis instructos Christi Domini Evangelium ubique praedicandum curaret: quod ipse, salutis animarum percupidus, nullisque periculis territus, sedulo tantâque alacritate agere consuevit, ut eius famâ permotus piae memoriae Clemens Papa IV decessor noster eum sibi apostolicum concionatorem adlegerit. Peccatores ad Deum conversurus, Galliam, Germaniam, Frisiam et Sarmaticam peragravit, eodemque pio instituto Pistoriensem civitatem, funestis gibellinorum guelforumque odiis laniatam, christianae concordiae restituit; unde factum, ut plures, Dei virum imitati, res suas pauperibus erogarent, ipsique primarii gibellinae factionis duces, ad cor redeuntes, religiosum Philippi institutum amplecterentur. Summae eius charitatis fervor eluxit, ubi eleemosynam flagitanti interiorem vestem sibi detractam Viterbii largitus est, qua pauper contectus e morbo leprâ convaluit. Magnum quoque Deo gratissimum christianae lenitatis argumentum edidit, dum Liviensis populi in Æmiliâ crimina et mores pro concione corripiens, virgis caesus saxisque impetitus, pro persecutoribus tanto spiritu Deum exoravit, ut ex his unum Peregrinum ad poenitentiam traxerit, qui, Philippi religionem ingressus, sua et civium peccata delevit, postea et ipse eximiis virtutibus et miraculis florens, propterea per nos ipsos, favente Deo, quamprimum in Sanctorum canonem referendus. Philippus veterum anachoretarum mores aemulari studens, in cryptam Montis Senarii, Deo liberius vacaturus, quadriennium secessit. Ceteris eius virtutibus par fuit cordis humilitas, qua patriae ecclesiae episcopatum respuit. Viterbium inde properans post piam dormitionem decessoris nostri Clementis PP. IV, ubi, per Ottobonum S. R. E. diaconum cardinalem S. Hadriani, suique Ordinis patronum, sibi oblatâ pontificiâ dignitate, palam se indignum professus, in solitudinem remeavit, ipsum Ottobonum ad tantum fastigium evehendum, sed brevi eo potiturum vaticinatus. Is fuit antecessor noster piae memoriae Hadrianus Papa V. Sed Philippus religiosae solitudinis amore captus, quum iterum tres menses in cryptâ Montis Senarii latitasset, ab alio inclytae recordationis decessore nostro Honorio Papa IV Perusiae pontificali benedictione munitus,

Tudertum petiit, ubi ad populum, qui magnâ frequentiâ ei obvius advenerat, concione habitâ, lethali morbo decubuit summaeque pietatis et religionis argumentis, poenitentiales Davidis psalmos non sine profusis lacrymis recitans, migravit ad Dominum anno salutis MCCLXXXV, X kalendas septembris, dum solemnia absolverentur octava B. Virginis in caelum Assumptae, quibus in lucem prodierat. Ad eius corpus sex dies palam expositum populi maximâ frequentiâ venerationis ergo confluere visi sunt, missaeque sacrificium, episcopo, clero et totâ civitate praesentibus, non pro defuncto, sed de beato Confessore nutu Dei celebratur. Mox vir iustus prodigiis claruit. Ad eius enim corpus et sepulchrum claudi gressum, caeci visum, ipsique mortui vitam receperunt.

Beatorum numero a Leone X adscribitur.

§ 3. Quibus, aliisque rite cognitis et perspectis, felicis memoriae antecessor noster Leo Papa X Philippum beatorum numero adscripsit, officium missamque in eius honorem a fratribus Ordinis Servorum, beati viri anniversario die recurrente, celebrari permisit, ad id postmodum accedente etiam auctoritate diplomatum sanctae memoriae decessorum nostrorum Clementis VIII et Pauli V. Quare, ex S. R. E. regulis et ritualibus constitutionibus per Romanos Pontifices editis, de more cognitâ et compluries in examen adductâ etiam sub felicis recordationis itidem decessore nostro Urbano VIII semperque probatâ viri Dei sanctitate, perinsignibus eius virtutibus signisque testatâ, ad pias preces per viros principes ad hanc sanctam Apostolicam Sedem vehementissime repetitas, praesertim vero ab illustris memoriae Leopoldo Romanorum imperatore electo et Cosmo III olim in Etruriâ sibi subiectâ magno duce, idem Clemens Papa X Philippum Benitium, de cuius virtutum et prodigiorum magnitudine diserte constiterat, in sanctorum confessorum canonem referendum pronunciavit. Itaque, indictâ die, nimirum dominicâ secundâ post Christi Domini Resurrectionem, pridie idus apriles anni MDCLXXI, pontificatus sui I, cum in sacrosanctam Beati Petri Apostolorum Principis basilicam tantam caeremoniam solemni ritu peracturus processisset, semel, iterum et tertio iteratis ad Deum precibus in plenario conventu venerabilium fratrum S. R. E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum pro Philippo Benitio in sanctorum confessorum canonem referendo, unanimi omnium acclamatione et suffragio, post sacros hymnos precesque ad Deum perfusas et Paraclyti Spiritus gratiam enixe invocatam, ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, exaltationem fidei catholicae, christianaeque religionis amplificationem, idem Clemens Papa X, auctoritate domini nostri Iesu Christi et beatorum apostolorum Petri et Pauli, Beatum Philippum Benitium unâ pariter cum beatis confessoribus non pontificibus Francisco Borgia, Caietano Thienaeo, Ludovico Bertrando, et virgine non martyre Rosa a S. Maria, Sanctum esse decrevit et definivit, in sanctorum confessorum canonem retulit, eumdemque imposterum ab universis christifidelibus tamquam vere Sanctum colendum, invocandum, honorandumque sancivit, ad eius honorem sacras aedes atque altaria, in quibus sacrosanctum missae sacrificium Deo offeratur, construi ac dicari, et quotannis X kalendas septembres, quo die vir sanctus obdormivit in Domino, illius memoriam prout sancti confessoris non pontificis pie coli posse pronunciavit. Mox, gratiis cum plurimo

A Clemente X in sanctorum canonem relatus.

gaudio Deo actis, praecipuâque oratione per beati Philippi merita ad Dominum recitatâ, ad aram maximam supra confessionem beati Petri cum eiusdem Philippi ceterorumque commemoratione missam celebravit, universis christifidelibus, qui aderant, plenariam peccatorum indulgentiam et remissionem largitus.

Causae huius Constitutionis.

§ 4. Ne vero de huiusmodi Clementis Papae X decreto apostolico, definitione, sanctione, adscriptione, relatione, concessione, ceterisque praemissis, propterea quod ab eodem Clemente, aut ab eius successoribus Innocentio XI, Alexandro VIII, Innocentio XI, Clemente XI et Innocentio XIII piae memoriae Romanis Pontificibus antecessoribus nostris, litterae decretales de more conscriptae non fuerint, deinceps unquam possit quomodolibet haesitari, nos, qui, meritis licet imparibus, disponente Domino, in cathedrâ B. Petri iisdem successimus, volumus, et apostolicâ auctoritate statuimus, ut decretum, sanctio, relatio, adscriptio, concessio, ceteraque hactenus memorata, a iam dictâ die pridie idus apriles anni MDCLXXI suum undequaque et plenarium consequantur effectum, ac si super illis ab eodem Clemente Papa X litterae decretales revera eâdem die conscriptae et de more promulgatae fuissent, ut superius enarratur.

Clausulae.

§ 5. Volumus autem ut praesentes litterae ad probandum decretum, definitionem, sanctionem, adscriptionem, relationem, statutum, concessionem ceteraque praemissa ubique omnino sufficiant, neque alterius cuiuscumque probationis adminiculum ad id amplius requiratur.

Fides transumptorum.

§ 6. Praeterea, quia difficile foret has nostras ad singula loca, ubi opus esset, adferri, volumus ut earumdem exempla, etiam typis impressa, manu publici notarii subscripta, sigilloque alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munita, eamdem ubique fidem obtineant, quam hae nostrae obtinerent, sicubi[1] eas exhiberi vel ostendi contingeret.

Sanctio poenalis.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, definitionis, sanctionis, adscriptionis, relationis, statuti, concessionis infringere, aut ei temerario ausu contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXIV, pridie nonas iunias, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 4 iunii 1724, pontif. anno I.

✠ EGO BENEDICTUS
CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

†
†
† Ego Franciscus episcopus Praenestinus cardinalis Barberinus.
†
† Ego Laurentius episcopus Tusculanus cardinalis Corsinus.
†
† Ego Ioseph tituli S. Praxedis presbyter cardinalis Sacripantes.
†
† Ego Thomas tituli S. Mariae Transtyberim presbyter cardinalis Rufus.
† Ego Philippus Antonius tituli S. Caeciliae presbyter cardinalis Gualterius.
†
†
†
†
† Ego Ludovicus tituli S. Silvestri in Capite presbyter cardinalis Picus de Mirandula.
†
†

1 Edit. Main legit *siculi* pro *sicubi* (R. T.).

† Ego Antonius Felix tituli S. Balbinae presbyter cardinalis Zondadarius.

†

† Ego Petrus Marcellinus tituli S. Ioannis ante Portam Latinam presbyter cardinalis Corradinus.

†

†

†

† Ego Melchior tituli S. Mariae Angelorum presbyter cardinalis de Polignac.

†

†

†

†

† Ego Bernardinus tituli S. Petri in Monte Aureo presbyter cardinalis Scottus.

†

†

†

†

†

†

† Ego Georgius tituli S. Agnetis presbyter cardinalis Spinula.

†

†

†

† Ego Ludovicus tituli S. Priscae presbyter cardinalis Belluga et Moncada.

† Ego Ioseph tituli S. Susannae presbyter cardinalis Pereyra de la Cerda.

†

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Stephani in Monte Caelio presbyter cardinalis Salernus.

†

† Ego Alvarus tituli S. Bartholomaei in Insulâ presbyter cardinalis Cienfuegos.

†

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Matthaei in Merulanâ presbyter cardinalis de Alteriis.

† Ego Vincentius tituli S. Onuphrii presbyter cardinalis Petra.

† Ego Prosper tituli S. Chrysogoni presbyter cardinalis Marefuscus.

†

† Ego Nicolaus tituli S. Mariae in Domnicâ presbyter cardinalis Coscia.

†

†

†

†

† Ego Benedictus S. Mariae in Viâlatâ diaconus cardinalis Pamphilius.

† Ego Ioseph Renatus S. Georgii in Velabro diaconus cardinalis Imperialis.

† Ego Laurentius S. Agatae ad Montes diaconus cardinalis de Alteriis.

† Ego Carolus S. Angeli in Foro Piscium diaconus cardinalis Columna.

† Ego Curtius S. Eustachii diaconus cardinalis Origus.

† Ego Fabius Ss. Viti et Modesti diaconus cardinalis de Abbatibus Oliverius.

† Ego Carolus S. Mariae in Aquiro diaconus cardinalis de Marinis.

† Ego Iulius S. Adriani diaconus cardinalis Alberonus.

† Ego Alexander S. Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis Albanus.

† Ego Nicolaus S. Mariae de Rotundâ diaconus cardinalis Iudice.

†

†

†

†

P. cardinalis prodatarius.
F. cardinalis Oliverius.

Visa de Curia I. archiep. Ancyranus.

L. Martinettus.

Registrata in Secretariâ Brevium.

IV.

Promulgatur canonizatio B. Francisci Borgia Societatis Iesu, iamdiu a Clemente X peracta[1].

Benedictus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Rationi congruit et convenit aequitati, ut, quae olim Romanus Pontifex in ple- Exordium

[1] Similes sunt huic constitutiones praecedentes et sequentes; peracta fuit canonizatio a Clemente X anno MDCLXXI, die 12 aprilis, pontif. I.

nario conventu venerabilium fratrum S. R. E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum, unanimi eorum consilio comunicato, sanxit et definivit, licet postea, ob eiusdem Pontificis obitum, litterae apostolicae de his conscriptae non fuerint, suum tandum consequantur effectum.

§ 1. Romana Ecclesia, cui, nullis exigentibus meritis nostris, ineffabile Dei consilium praeesse nos voluit, ex veteri disciplinâ et ex constitutionibus apostolicis in sanctorum canonem eos solemni ritu referre consuevit, qui suarum virtutum exemplo christifideles ad viam salutis per maiorum vestigia alacrius incurrendam accenderent[1]. Quumque multi peculiari aliquo vitae genere ut plurimum excelluerint, unus Franciscus Borgia saeculo XVI repertus est, quem in variis multisque ordinibus constituti ut certum salutis ducem sequi possent. Optimates enim et viri principes, quique rempublicam gerunt, in eo habent, quae sibi in omni vitae suae cursu imitanda proponant; magna quoque habent, qui, regum gratiâ florentes, in summarum dignitatum fastigio positi sunt; coniugio sociati[2] aeque ac eodem soluti, adolescentes pariter iuvenesque, viri Deo dicati, coetibus quoque religiosis praepositi. Hi ad unum omnes in Francisco tenent, quae ubertim et tuto moribus et actibus suis exprimere possint; etenim ille, Deo volente, singulas has personas mirâ vitae sanctimoniâ comitibus miraculis repraesentavit. Unde factum, ut, viri Dei virtutum et signorum constanti famâ quotidie auctâ, felicis recordationis Romani Pontifices antecessores nostri Paulus V atque Urbanus VIII de illo sanctorum confessorum canoni adnumerando consilium inierint, permoti etiam catholicorum regum Hispaniae ferventibus votis huic sanctae Sedi Apostolicae expositis; quod tandem piae memoriae decessor noster Clemens Papa X ad canonicos ritus veteri traditioni et pontificiâ auctoritate receptos, totâ Ecclesiâ plaudente, complevit.

Rei expositio.

§ 2. Inter praecipuos Hispaniarum dynastas, Gandiae duces, quae est gens Borgia, numerantur. Eam multiplices dignitates claram et percelebrem reddiderunt; clarior tamen evasit, ex quo magnus Dei servus Franciscus parentibus Ioanne Gandiensium duce III et Ioannâ ex Alphonso Ferdinandi regis catholici filio progenitâ in lucem prodiit anno Christi Domini MDX, V kalendas[1] novembris, quem diem beati apostoli Simon et Iudas martyrio nobilitarunt. Francisci locus natalis fuit Gandia, Borgiae domus avitum oppidum, ad oram Balearici maris in Conseranis populis Hispaniae Tarraconensis, in dioecesi et regno quae a Valentiâ principe civitate appellantur Pia mater, quod praesenti ope seraphici confessoris beati Francisci vitae discrimen in filio pariendo evasisset, Franciscum in baptismate dici voluit, quod nomen tunc primum in domo Borgia fausto omine futurae eius sanctitatis auditum est. Patris soror et mater, quae erat Ferdinandi regis catholici consobrina, inter clarissimas virgines eximiâ pietatis laude conspicuae, animo adolescentis christianae perfectionis igniculos iniecerunt, qui puerilibus annis domi traductis, et cum iisdem Dei sponsis ex praedonum manibus ereptus, apud avunculum archiepiscopum Caesaraugustanum Alphonsum Aragonium et Catherinam Ioannae reginae filiam, postea Ioan-

B. Francisci vitae compendium.

1 Edit. Main. legit *accederent* (R. T.).

2 Pessime edit. Main. legit *societati* pro *sociati* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *millesimo quingentesimo, decimoquinto kalendas* (R. T.).

ni III Lusitaniae regi nuptam, liberaliter educatur[1]. Inde in aulam Caroli V Augusti profectus, salutis animae suae memor, se undequaque immaculatum servavit, matronae officii causâ nonnisi aspero cilicio praecinctus adire solitus. Caroli coniuge Isabellâ Augustâ adnitente, Eleonorae à Castro, lectissimae virgini Lusitanae, de sanctioris vitae instituto nihil unquam remittens, matrimonio sociatur. Pulchrâ et copiosâ prole donatus, ab eâ, quam inierat, pietatis regulâ animum domi forisve nunquam avertit, caelestibus meditandis diu noctuque occupatus, sacrâ synaxi quolibet octiduo non sine lacrymis muniri solitus. Sublatae Isabellae Augustae Granatam funeris deducendi Francisco onus imponitur, cuius cadaveris, ut publicâ fide recognosceretur, nudata facies diformitate suâ tantum ei terrorem incussit, ut, divinâ luce illustratus, de terrenis rebus, si coniugi superesset, omnino deserendis apud se constituerit, postmodum dicere solitus mortem Augustae sibi vitam attulisse. Cataloniae cum imperio praefectus, eam cogitationem ardentius fovit, ibique populorum felicitati ita studuit, ut patris patriae elogio tamquam reipublicae bono natus honestari meruerit. Magnam auri vim in pauperes erogavit, piam sacrarum virginum et virorum familias eleemosynis auxit; sed et in primis, qui ex summâ fortunâ ad extremam inopiam devenissent, clam aluit. Consilio[2] pridem animo insitum saepe recogitans, atque uni Deo meditando inhaerens, diluculo quinis horis de genu quotidie orare, frequenti divinae mensae accubitu, ieiuniis vacare, recreari consuevit. Tunc ei beatum Ignatium regularium presbyterorum Societatis Iesu, cui postea nomen dedit, parentem et conditorem prima occasio de tantis rebus scripto consulendi caelitus data est. Patre optimo atque ipsâ coniuge piarum omnium exercitationum sociâ orbatus, et domum redux, suorum Gandiensium solatio et securitati prospexit, nosocomia instauravit, coenobia construxit, gymnasia pro Mauris christiane educandis erexit, sacras aedes vasis aureis argenteisque pro dignitate locupletavit. Deque veteri vitae proposito perficiendo secum animo statuens, salubria in hoc sibi consilia divinitus dari per bonorum hominum preces flagitavit. Deus tandem servi sui votis arrisit, inque Societatem Iesu se rapi sensit: quod enim recens orta religio, et ab origine ardentior, vulgo etiam adhuc ignota esset, nullusque in eâ ambitiosis hominibus dignitatum locus pateret, Francisco, summos honores fugienti, aptissima visa est. Orationi intentus, haec animo agitans, septem totos dies tiaram capiti suo imminentem aspexit, veritusque ne Ecclesiae dignitatem portenderet, Deum enixe obtestari non destitit, ne honores, quos fugeret, alibi offenderet. Post defunctos duos fratres suos S. R. E. cardinales, cum eamdem sacram dignitatem per antecessores nostros Romanos Pontifices ultro oblatam ab se repulisset, tiarâ illâ Propositi[1] munus in sacrâ suâ familiâ indicatum postea cognovit. Adhuc Gandiae dux per felicis recordationis Paulum Papam III decessorem nostrum, B. Ignatio deprecante, permissus est, ut, paucis consciis, religiosa vota nuncuparet. Quadriennium, rebus suis componendis a Pontifice praefinitum, disciplinis gravioribus sacro homine dignis singulari modestiâ publice perdiscendis impendit; quo elapso, et per felicis recordationis Iulium Papam III anno iubilaei Christianis indicto, Fran-

1 Male edit. Main. legit *educat* (R. T.).

2 Videtur legendum *Consilium* (R. T.).

1 Seu *Praepositi*, nam postea fuit Praepositus generalis Societatis Iesu (R. T.).

ciscus limina Apostolorum frequentaturus, utque Ignatii invitantis alloquiis frueretur, et Caroli V beneficam erga se voluntatem declinaret, suis valedicens, Romam eo animo cogitavit, ut natale solum deinceps nunquam repeteret qui ad aliam patriam caelestem nimirum summâ contentione properaret; idque sancte servavit etiam, sedente antecessore nostro Pio Papa V, in legatione cardinalis Alexandrini ad catholicum Hispaniarum regem Philippum II illuc digressus. In sacro itinere ad Urbem, quod assiduae preces divinique sermones minuebant, iuxta ac Romae positus, ignorari quam honorifice excipi maluisset; ingentem in eo pietatem submissumque spiritum, qui B. Ignatii complexui amplissima et magna quaeque postponeret, Urbs tota suspexit. Menses quatuor[1] lustrandis basilicis Deo sacris omnique pietatis genere cum Ignatio Romae transegerat, cum de se cardinalium senatui adscribendo apud Iulium agi subodoratus, eodem Ignatio auctore, Pontificis oculis propere se subducens, in Hispaniam reversus est. Ubi, Caroli V propositum eius laudantis auctoritate, rebus et titulis suis Gandiensibus universis, Carolo filio transcriptis, se penitus abdicavit, regularem Societatis Iesu clericum induens, et davidicum illud laetus ingeminans *Dirupisti, Domine, vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Presbyteratu initiatus, primum Deo sacrificium Loyolae in Cantabria, Ignatii patriae, et pietati hoc tribuens, privatim obtulit, mappis Ludovicae sororis acu pictis in arâ usus. Quia vero Iulius Pontifex hoc speciatim indulserat, ut, cum primum publice sacris operaretur, quotquot peccatorum confessione rite expiati ex eius manu Corpus Domini sumpsissent, plenariam veniam perciperent, Vergarae oppido id factum, quo tot homines rei famâ ducti advenerunt, ut, sacrâ aede licet magnâ nequaquam eos capiente, in arâ sub dio excitatâ celebrare debuerit, tot ad sacram mensam accedentibus ut meridiana hora longe transierit. Postea concionem habuit, et clero ac populo suppliciter procedente, sanctissimum Eucharistiae sacramentum gestavit. Ad socios inde reversus, maiori sane sanctitati excolendae operam dedit, precandi studio horas octo quotidie largitus, vilissima quaeque munia ultro subire non dedignatus, stipem vicatim et ostiatim nudo capite et pedibus palam mendicans, et pauperibus ac nosocomiis distribuens, humi quoque vel in tabulis cubans. Famâ tantae pietatis aulas regias pervagante, quamplurimi illum adire deque salutis negocio consulere visi sunt; complures pariter summates praesertim Francisci exemplum secuti religiosis familiis se devoverunt. Sed Iulius Pontifex et Carolus V tantam virtutem in Cantabris delitescere indignum rati, consilium de illo inter S. R. E. cardinales cooptando certatim, incassum tamen, quod postea saepe numero quoque factum, inierunt. Ignatius, qui sociis aditum ad honorem legibus latis obstruxerat, Iulii pedibus advolutus, ne invito atque inscio honorem deferat, neve oblatum capere cogat, nascenti sodalitati hoc saltem benignus tribuat, libello supplice et lacrimis coram exorat, et permagnâ Francisci laetitiâ impetrat, qui et grati animi testes litteras ad Pontificem dedit. Non autem illum Ignatius latere permisit; viri enim singulari prudentiâ in lucrandis Deo animabus et sanctitate perspectâ, sacras conciones habiturum varias civitates et regiones adire, et multarum provinciarum, quas, licet in-

1 Pessimâ interpunctione ed. Main. legit *postponeret. Urbs tota suspexit menses quatuor, etc.* (R. T.).

commodâ valetudine usus, pedes obivit, cum amplissimâ facultate commissarii generalis officio fungi mandavit, quae omnia magno rei christianae bono peracta sunt. Postquam vero Carolum V morbo languentem misericordiae Dei commemoratione erexisset, et defunctum funebri sermone laudasset, suae voluntatis, quam ratam haberi vellet, exequendae supremis tabulis per eum nominatus, a recolendae memoriae antecessore nostro Pio Papa IV Romam advocatur, ubi, Societatis praeposito generali Iacobo Lagnio ad Tridentinum Concilium ire iusso, vicarii generalis munus Francisco imponitur. Mox, Iacobo ad Urbem reverso, assistens pro Hispaniâ et Lusitaniâ eligitur. Postea, Lagnio e vivis sublato, iterum vicarius generalis, et demum totius Ordinis praepositus, magnâ suffragiorum consensione, invitus renunciatur. Quo in munere Societatem septennio sanctissime rexit, inque obsequiis Apostolicae Sedis vitae cursum, quod maxime optaverat, consummavit. Pius enim Papa V cardinalem Alexandrinum in Hispaniam, Lusitaniam et Galliam pro re christianâ tuendâ ad sacrum foedus in Turcas percutiendum mittens, consiliorum ei comitem et participem Franciscum adiungi voluit, et Pontifici iubenti vir pius, quamvis laboribus asperrimis, poenitentiis et morbis prope confectus, alacriter paruit. Romam redux, oculis et manibus in caelum sublatis, laetus exclamavit: *Nunc dimittis servum tuum, Domine*. Mox biduum a reditu longâ aegrotatione, multisque incommodis fractus, quae tamen illum impedire non potuerunt quin Romam ad supremum et iam imminentem mortalis vitae suae terminum festinaret, susceptis praesenti animo et summâ religione Ecclesiae sacramentis, ac pontificiâ Gregorii XIII felicis memoriae antecessoris nostri benedictione munitus, plenus virtutum et meritorum, inter sodalium amplexus, piissimam animam caelo reddidit, anno Christi Domini MDLXXII, kalendis octobribus. Dei servus a beatis et spectatissimis viris Ignatio Loyola, Pio Papa V, Carolo Borromaeo, Francisco Salesio, sacrâ virgine Theresiâ a Iesu, aliisque quamplurimi factus, magnam ubique virtutis et sanctitatis famam reliquit.

Ab Urbano VIII Beatorum ordini adscriptus fuit.

§ 3. Miracula etiam multa subsecuta sunt, quae, precibus accedentibus Philippi III Hispaniarum regis catholici et magnorum praesulum atque academiarum Hispaniae, Paulum Papam V permoverunt, ut, ob tantum Dei famulum in sanctorum canonem referendum, summarum eius virtutum et eorumdem miraculorum examen rite institui posse concederet. Quo absoluto, Urbanus VIII eum Beatorum ordini adscribendum sancivit, largitus quoque ut de illo missam[1] et officium omnes Societatis Iesu religiosi ubique recitare possent, ac mox ut in eorum ecclesiis idem omnibus presbyteris agere liceret. Interim sub aliis inclytae memoriae antecessoribus nostris Innocentio X, Alexandro VII et Clemente IX signa post Francisci beatificationem patrata in examen ex constitutionibus apostolicis adducta et undequaque probata sunt. Decretum tamen de illo in sanctorum tabulas referendo, quod Clemens IX morte praereptus vulgare non potuerat, eius successor Clemens X rite vulgavit, exorantibus illustris memoriae Leopoldo electo Romanorum imperatore cum coniuge Augustâ, Carolo II Hispaniarum rege catholico, aliisque viris principibus ecclesiasticis et saecularibus. Quare idem Clemens X, gestis omnibus B. Francisci de veteri more Apostolicae Sedis in tribus consistoriis co-

Et a Clemente X in sanctorum canonem relatus.

1 Edit. Main. legit *missa* (R. T.).

ram se rite discussis et comprobatis, eum statutâ die in sanctorum fastos referendum pronunciavit. Itaque dominicâ secundâ post Christi domini Resurrectionem, pridie idus aprilis, pontificatus sui anno I, cum in sacrosanctam basilicam B. Petri principis apostolorum solemni ritu caeremoniam peracturus processisset, semel, iterum et tertium iteratis ad Deum precibus, in plenario conventu venerabilium fratrum S. R. E. cardinalium patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum pro Francisco Borgia sanctorum confessorum canoni adscribendo unanimi omnium acclamatione et suffragio post sacros hymnos precesque ad Deum pie fusas et Paraclyti Spiritus gratiam enixe invocatam, ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, exaltationem fidei catholicae, christianaeque religionis amplificationem, auctoritate omnipotentis Dei Patris, Filii et Spiritus Sancti, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, beatum Franciscum Borgiam Societatis Iesu presbyterum Hispanum, de cuius sanctitate, fidei sinceritate, omniumque virtutum magnitudine ac miraculorum excellentiâ cumulate constiterat, unâ cum beatis confessoribus non pontificibus Philippo Benitio, Caietano Thienaeo, Ludovico Beltrando, et virgine non martyre Rosâ a S. Maria, sanctum confessorem esse decrevit, sanctorum confessorum non pontificum canoni adscripsit, atque imposterum ab universis christifidelibus tamquam vere Sanctum colendum, invocandum honorandumque, statuit et definivit, ad eius honorem sacras aedes atque altaria, ubi incruentum sacrificium Deo offeratur, construi et dicari, quotannis v nonas octobris illius memoriam, ut sancti confessoris non pontificis, pie coli, atque officio et missâ ritu S. R. E. honorari pronunciavit. Ad hoc eâdem suâ apostolicâ auctoritate universis et singulis christifidelibus, qui dictâ die eiusdem sancti confessoris sepulchrum et corpusculum devote visitassent, annos septem et totidem quadragenas, infra vero octavam quadraginta dies de iniunctis seu debitis poenitentiis misericorditer relaxavit. His peractis, Deum patrem aeternum, regemque gloriae Christum Dominum, Patris sempiternum Filium, Sanctumque Paraclytum Spiritum, unum Deum atque unum Dominum, hymnis et laudibus veneratus, peculiari oratione in honorem B. Francisci Borgiae ad Deum cantatâ, missam in arâ maximâ super confessionem Beati Petri cum eiusdem Francisci commemoratione celebravit, omnibus christifidelibus tantae caeremoniae praesentibus peccatorum indulgentiam largitus.

Causae huius constitutionis

§ 4. Ne vero de huiusmodi Clementis Papae X decreto apostolico, definitione, sanctione, relatione, concessione, ceterisque praemissis, propterea quod ab eodem Clemente et ab eius successoribus Innocentio XI, Alexandro VIII, Innocentio XII, Clemente XI et Innocentii XIII piae memoriae Romanis Pontificibus decessoribus nostris litterae decretales de more conscriptae et promulgatae non fuerint, deinceps unquam possit quomodolibet haesitari, nos, qui, meritis licet imparibus, disponente Domino, in cathedrâ B. Petri iisdem successimus, volumus, et apostolicâ auctoritate statuimus, ut decretum, sanctio, relatio, adscriptio, concessio, ceteraque hactenus memorata, a iam die pridie idus aprilis anni MDCLXXI suum undequaque et plenarium consequantur effectum, ac si super illis ab eodem Clemente Papa X litterae decretales revera eâdem die conscriptae et de more promulgatae fuissent, ut superius enarratur.

1 Male edit. Main. legit *missa* (R. T.).

Clausulae. § 5. Volumus autem ut praesentes litterae ad probandum decretum, definitionem, sanctionem, adscriptionem, relationem, statutum, concessionem ceteraque praemissa ubique omnino sufficiant, neque alterius cuiuscumque probationis adminiculum ad id amplius requiratur.

Fides transumptorum. § 6. Praeterea, quia difficile foret has nostras ad singula loca, ubi opus esset, adferri, volumus ut earumdem exempla, etiam typis impressa, manu publici notarii subscripta, sigilloque alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munita[1], eamdem ubique fidem obtineant, quam hae nostrae obtinerent, sicubi[2] eas exhiberi vel ostendi contingeret.

Sanctio poenalis. § 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam decreti, definitionis, sanctionis, adscriptionis, relaxationis, statuti, concessionis infringere, aut ei temerario ausu contraire; si quis autem hoc attentare praesumperit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXIV, pridie nonas iunias, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 4 iunii 1724, pontif. anno I.

✠ EGO BENEDICTUS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

†
†
†
† Ego Franciscus episcopus Praenestinus cardinalis Barberinus.
†
† Ego Laurentius episcopus Tusculanus cardinalis Corsinus.
†

1 Male ed. Main: legit *munitae* (R. T.).
2 Male ed. Main. legit *sicuti* pro *sicubi* (R.T.).

† Ego Ioseph tituli S. Laurentii in Lucinâ presbyter cardinalis Sacripantes.
†
†
† Ego Philippus Antonius tituli S. Caeciliae presbyter cardinalis Gualterius.
†
†
†
† Ego Ludovicus tituli S. Silvestri in Capite presbyter cardinalis Picus de Mirandulâ.
†
†
† Ego Antonius Felix tituli S. Balbinae presbyter cardinalis Zondadarius.
†
† Ego Petrus Marcellinus tituli S. Mariae Transtyberim presbyter cardinalis Corradinus.
†
†
†
† Ego Melchior tituli S. Mariae Angelorum presbyter cardinalis de Polignac.
†
†
†
†
† Ego Bernardinus tituli S. Petri in Monte Aureo presbyter cardinalis Scottus.
†
†
† Ego Nicolaus tituli Ss. Nerei et Achillei presbyter cardinalis Spinula.
†
†
†
† Ego Georgius tituli S. Agnetis presbyter cardinalis Spinula.
†
†
†
† Ego Ludovicus tituli S. Priscae presbyter cardinalis Belluga et Moncada.
† Ego Iosephus tituli S. Susannae presbyter cardinalis Pereyra de la Cerda.
†
† Ego Ioannes Baptista tituli S. Stephani in

Monte Caelio presbyter cardinalis Salernus.

†

† Ego Alvarus tituli S. Bartholomaei in Insulâ presbyter cardinalis Cienfuegos.

†

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Matthaei in Merulanâ presbyter cardinalis de Alteriis.

† Ego Vincentius tituli S. Onuphrii presbyter cardinalis Petra.

† Ego Vincentius tituli S. Callixti presbyter cardinalis Marefoschi.

† Ego Nicolaus tituli S. Mariae in Domnicâ presbyter cardinalis Coscia.

†

†

†

†

† Ego Benedictus S. Mariae in Viâlatâ diaconus cardinalis Pamphilius.

† Ego Ioseph Renatus S. Georgii in Velabro diaconus cardinalis Imperialis.

† Ego Laurentius S. Agathae ad Montes diaconus cardinalis de Alteriis.

† Ego Carolus S. Angeli in Foro Piscium diaconus cardinalis Columna.

† Ego Curtius S. Eustachii diaconus cardinalis Origus.

† Ego Fabius Ss. Viti et Modesti diaconus cardinalis Oliverius.

† Ego Carolus S. Mariae in Aquiro diaconus cardinalis Masinus.

† Ego Iulius S. Adriani diaconus cardinalis Alberonus.

† Ego Alexander S. Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis Albanus.

†

† Ego Nicolaus tituli Ss. Martyrum diaconus cardinalis de Iudice.

†

†

†

†

†

†

P. cardinalis prodatarius.

F. cardinalis Oliverius.

Visa de Curia I. archiep. Ancyranus.

L. Martinettus.

V.

Promulgatur canonizatio B. Laurentii Iustiniani Venetiarum patriarchae, iampridem ab Alexandro VIII in Sanctorum album relati[1].

Benedictus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Rationi congruit et convenit aequitati, ut, quae olim Romanus Pontifex in plenario conventu venerabilium fratrum S. R. E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum, unanimi eorum consilio communicato, sanxit et definivit, licet postea, ob eiusdem Pontificis obitum, litterae apostolicae de his conscriptae non fuerint, suum tandem consequantur effectum.

Expositio facti.

§ 1. Patris aeterni Filius, redemptor noster, conditionis humanae gloriam peccatis obrutam conspicatus, assidue providere non cessat ut propterea in exilio positos ad libertatis patriam per famulos suos signis ac virtutibus claros revocet. Hoc tribus ab hinc saeculis et eo amplius per B. Laurentium Iustinianum maxime egit, qui, pontificali apice inclytus, non solum Venetis suis atque Italis universis, sed toti, quaqua patet, S. R. E. perspicuâ vitae sanctimoniâ et miraculis se spectabilem reddidit, unde factum, ut, duce et dominio Venetorum serventissime flagitantibus, piae memoriae decessores nostri Romani Pontifices Xystus IV, Leo X, Hadrianus VI, Clemens VII, Paulus V, Gregorius XV et Urbanus VIII de Laurentio sanctorum titulis honestando consilium inierint, quod omnium tandem fidelium acclamatione et plausu felicis recordationis antecessor noster Alexander Papa VIII,

1 Similes sunt huic constitutioni praecedentes et sequentes; peracta fuit canonizatio anno MDCXC, die 16 octobris, pontif. II.

universis, quae tantae rei peragendae necessaria erant, rite dispositis, ad optatum finem perduxit.

Laurentii ortus, pia educatio et religiosum vitae institutum.

§ 2. Anno Christi Domini MCCCLXXXI, ipsis kalendis iuliis, qua die, insigni ad Clodiam partâ victoriâ, civitas Venetiarum publicis ad Deum supplicationibus omnique laetitiae genere perfusa gestiebat, Laurentius ex praenobili Iustinianâ familiâ in lucem editus est, ipse aliquando virtutibus suis patriae gaudium praesidiumque apud Deum futurus. Sublato Bernardo patre, Quirina mater eum sancte educavit, donec anno aetatis undevicesimo, sacri instituti amore captus, divinaeque sapientiae alloquio dignatus, ut nuptias sibi paratas vitaret, ad Marinum matris suae consobrinum, canonicum saecularem congregationis B. Georgii in Alga, quae est insula, aliàs coenobium instituti Augustiniani prope Venetias, alacriter convolavit, ubi, calcatis honoribus et fortunae bonis, toto vitae suae tempore uni Deo militare constituit. Primum certamen corporis illecebris strenuus Christi miles indixit, ratus nihil illis indulgendum, sed, quasi in teterrimum hostem, ieiuniis, vigiliis et asperrimâ poenitentiâ contra illas pugnandum. Sitim tam patienter tulit, ut, si quando eâ per ieiunium, manuum laborem, peregrinationem aut valetudinem se torreri sentiret, nunquam potum deposceret, sibi eum offerentibus ignorare se dicens, quo pacto purgatorii calores esset laturus, qui sitim ferre non posset. Viridarium relaxandi animi caussâ, ut fit, nunquam intravit; corpus morbo affectum nunquam liberalius fovere voluit; nocturnas vigilias ita servavit, ut primus ad divinas laudes canendas properaret, ultimus inde recederet, illuc, ceteris quiescentibus, rediturus. Quamvis, ut naturae imbecillis, frigus immodice pateretur, nunquam tamen rigente hieme ad ignem accessit. Psallens, nunquam laevâ aut dexterâ, sed sedilibus haesit; semper gradu nixus stetit, etiam aegrotus. Strumarum peracerbo morbo in gutture gravitur laesus, sectioni ustionique generose succubuit, timentem medicum hortatus ut audacter incideret, cuius novacula martyrum laminas non superaret. Coenobio praefectus, infima quaeque munia obivit, se increpari, contemni et despici cupiens.

Aliae Christianae virtutes.

§ 3. Tanta fuit viri Dei in proposito constantia, ut, postquam suis valedixisset, fraternam maternamve domum nunquam, nisi pietatis causâ, ter solum intraverit. Stipem ex Ordinis instituto foris petens, nunquam ingressus est; inque maximâ frequentiâ mendicans, saccum panibus plenum ab alio ferri minime voluit, quod mater, filii immodico pondere gravis miserta, aliquando conata est. Huius dormitioni Laurentius interfuit, sed, plorantibus aliis, ipse, dono lacrymarum aliàs maxime instructus, morientem siccis oculis vidit. Amicus illum a proposito sacroque instituto blanditiis et vi retrahere molitus, eius verbis aeternae vitae plenis in coenobium trahitur, unâ cum Laurentio et vivere et mori se velle testatus. Quantopere servum suum Deus probaret, dono prophetiae illi tradito manifestavit. Etenim Fantino Dandulo, viro in Republicâ senatori, de alio vitae statu minime cogitanti, qui ad B. Georgium officiis pietatis liberius vacaturus secesserat, in summo capite sacros cineres, periturae humanitatis nuncios, ex eius manibus suscipienti, praecipuas Ecclesiae dignitates praedixit: ad quas paulo post recolendae memoriae decessor noster Eugenius Papa IV Dandulum, apud se pro patriâ oratorem, erexit, legatione Bononiensi et episcopatu Patavino auctum.

Marcum et Leonardum fratres, ab utroque mutuâ charitate quotidie invisus, nunquam invisit, nec etiam rogatus, licet diu, nec sine vitae periculo, diverso tempore, uterque decumberet: iturum[1] se dixit, ubi tempus id postularet: ultro adiit tandem quum spiritus discessioni iam esset paratus: gaudioque significato ob Laurentii fratris inexpectatum adventum, inter eius amplexus uterque suaviter expiravit. Viri Dei humilitas eluxit, dum Eugenius Pontifex, magnis Laurentii virtutibus captus, animum induxit ut eum Venetis episcopum daret; etenim, Francisco Maripetro ex Castellano civitatis Venetiarum episcopatu ad cathedram Vicetinam translato, successorem Laurentium pronunciavit. Qui tamen fugam mente agitavit, et pastorale onus pro suâ modestiâ deprecatus, semel atque iterum Pontifici iubenti humillime restitit, litteris ingenui pudoris sinceraeque probitatis ac sanctimoniae plenis ad eumdem conscriptis. Laurentii collegae, inter se ieiuniis et precibus indictis, Eugenium, ne sibi patrem eripiat, vehementer obsecrant. Bis ad illum mittunt, bis rescribit Eugenius, dulcissimis eos verbis solatus. Quare Laurentius Pontifici ter iubenti obtemperavit. Noctem, qua episcopatum, nullâ pompâ et fratribus etiam remotis, iniit, insomnem duxit, precibus et lacrymis Dei praesidium in tanto munere implorans. Familiam curis parem delegit, sibi aliàs grandem esse, cuius studio premeretur, dicere solitus, pauperes Christi significans. Aedium ornatus argentumque omnino sprevit. In mensâ non sordidâ, sed munditie plenâ, nihil appetens aut improbans, fictilibus usus est. In cubili angusto ex paleâ et centone laneo conquievit, inde omnibus semper exclusis, quo liberius lacrymis et orationi vacaret. Suae ecclesiae pontificali pro dignitate excolendae primam operam dedit; sed et reliquis sacris aedibus in solitudinem ferme redactis probe consuluit. Mox cleri mores adortus, saluberrimis eum constitutionibus instauravit; pari studio sacrarum virginum monasteria prosequutus, nec minori vigilantiâ ceterarum ovium sedulam curam gerens. Pecuniam, ut episcopum decet, summe contempsit. Episcopium universis, omne penu egenis patere voluit; non tamen fratribus suis, a quibus contra non semel grandi pecuniâ adiutus est. Amoris fraterni hoc signum retinuit, ut tribus festis diebus, Paschatis, Nativitatis Domini, atque apostolorum Petri et Pauli, duobus panibus ex farinae flore confectis eos donaret. Demortuis duobus, uni superstiti eos semper pependit. Rationes procuratore adferente, quid deesset, quid superesset tantum adspexit; nefas ratus, si lucro animarum praefectus sederet ad calculos. In occultis pauperibus indagandis fuit summe sollicitus, iis praecipue qui ex opulentis inopes evasissent; malens aliquando decipi, quam scrupulosius examinare. Si quando in alterutrum offendendum esset, potius cui non oporteret dare cupiit, quam non dare cui oporteret. Res tamen humano usui necessarias libentius quam pecuniam erogabat: libentius quoque plures summas quam maiores, ut nimirum in tanto populo communior esset beneficentia. Saepenumero servi sui votis Dei providentia mirifice adfuit, pecuniâ multis de locis ad eum insperato veniente. Viri iustitia inde patuit, quod nihil unquam ab illo indicatum, rescissum est, eiusdemque sententiae inappellabiles habitae sunt. Quid vero aeque mirum dici potest, ac hominem, qui vix prima

1 Pessime edit. Main. legit *iterum* pro *iturum* (R. T.).

litterarum elementa a praeceptore didicisset, de omnibus in sacrà Scripturà disputatis gravissime respondere potuisse, plurimaque Deo plena litteris consignasset? Nimirum scientià potius divinitus infusà quam humanitus acquisità instructus apparuit. Calumnias et contumelias magno animo devoravit, nec auctores scire voluit. Dominus tamen, cuius negocium agebatur, ipsi adfuit, auctores ipsos impunes abire non sinens. Spirituum et cogitationum discretio nusquam maior quam in Laurentio visa est. Immo hoc etiam illi a caelo datum, ut sacrae virgini absenti ipse missarum solemnia ad populum celebrans, extra se captus, sanctissimum Eucharistiae sacramentum administraret.

A Nicolao V Pontifice maximo fit primus patriarcha Venetiarum.

§ 4. Crescente in dies tanti praesulis famà, Eugenius Pontifex eum apud se identidem habere se velle significavit, semperque Laurentius excusationes praetendit. Bononiam tamen vocatus, Alpium incommodis atque itineris longitudine, quae erant excusationum caussae, cessantibus, Pontificem adiit, a quo in S. R. E. frequenti senatu hoc perhonorifico elogio exceptus est: *Salve, decus et gloria praesulum*. Pontifice eum apud se retinere cupiente, corporis imbecillitatem caussatus, ad suam ecclesiam laetior rediit quam inde discesserat. Eum pari animi significatione amplexus est Eugenii successor proximus, piae memoriae antecessor noster Nicolaus Papa V, qui, in tanto praesule ornando cum Eugenio plane certans, Laurentium, tametsi reluctantem, patriarcham esse voluit, sicut Eugenius episcopum esse voluerat. Etenim, Dominico Michaëlio Gradensi patriarcha demortuo, Nicolaus, dignitatis amplitudini civitatisque Venetiarum splendori consulturus, ex Grado, modicà insulà iuxta veterem Aquileiam, unde sub adventum Longobardorum Gradensis patriarchatus, novae Aquileiae nuncupatus, multorum caussa dissidiorum, emerserat, hunc Venetis unà cum omni honore suo transtulit, extincto Venetae civitatis episcopatu, eidem Gradensi patriarchatui antea subiecto: qui quidem episcopatus, a loco sedis, Olivolensis primum, mox Castellanus est dictus. Hinc factum, ut nomen patriarchae Gradensis, quem exinde Venetum appellaverunt, olim invidiosum, in Laurentio gratissimum esse coeperit.

Magnae apud omnes pietatis fama et veneratio

§ 5. Novi patriarchae sanctitatis praeconio longe lateque resonante, quicumque Venetias appellebant, Laurentium videre in primis cupierunt. Non vulgus tantum ad eum, veluti ad angelum de caelo lapsum, conspiciendum per vicos et compita certatim currere; sed viri principes domi eum invisere, intimos episcopi recessus venerationis caussà lustrare, vimque auri pauperibus dispertiendam ad illum adferre. Advenae Pannones, Germani, Galli, Hispani, ad limina Apostolorum vel ad Christi Domini sepulchrum peregrinantes, se felices putabant, ubi Laurentii benedictione acceptà discederent; adeoque in maximis periculis Respublica Venetorum ad Laurentii precationes tamquam ad oraculum confugere consuevit; Deusque ipse, quam gratae sibi essent Laurentii pro eà preces, procul apud Corcyram prodigio comprobavit, ubi in mediis rupibus et speluncis, vir a triginta annis solitarius, uni Deo vacans et prophetiae spiritu insignis, an res Venetorum in bello cum duce Mediolanensi periturae essent, consultus, omnino ait perituras, nisi eorum praesulis lacrymae apud Deum intercederent. Laurentius tamen solitario illi, iuxta ac omnes fere mortales, inauditus et incognitus erat.

P[illegible]

§ 6. Iam Venetus patriarcha annum

quartum supra septuagesimum exegerat, vigiliis susceptisque ultro incommodis attritus, quum se libenter hinc abiturum, si Domino placeret, aliquando pronunciavit. Paucos post dies febri correptus decumbit; lectumque molle sibi parari commotus est, quum Christus Dominus in durissimo ligno cubitasset. Pecunias, quibus pro eius salute non parcebatur, in pauperes aptius erogari monuit. Migrationis diem advenisse intelligens, prope esse sponsum ait, eidemque obviam eundum. Quare, susceptis Ecclesiae sacramentis, deque mortis utilitate sermone habito, populoque suo, proceribus et viris sacris ad se confluentibus bene precatus, et multis, quae eventura erant, praedictis, obdormivit in Domino, VI idus ianuarias, anno Domini MCDLV, episcopatus anno XIX, patriarchatus IV, quum se nullâ pompâ supremis tabulis inter canonicos S. Georgii in Algâ sepeliendum mandasset, qui eum, optime de se meritum, deinceps quasi auctorem et parentem suum coluerunt.

Post obitum pro viro sancto ab omnibus colitur.

§ 7. Tantus omnium ordinum universae civitatis concursus ad Laurentii corpusculum factus est, ut ex episcopio[1] ad sacram aedem, ob multitudinis oculos depascendos, mox illud deferri oportuerit, ubi turbâ se se comprimente, feretrum a gradibus chori ad valvas ecclesiae raptum est. Discissae vestes, sublati calcei, omnia ad venerationem direpta. Ob eius sanctitatis ubique vulgatam opinionem urbani sodalitiorum processus magnâ celebritate ad funus accurrerunt, nullo tamen funebri signo ut in mortuorum elationibus fieri solet, sed omni honoris et laetitiae significatione ultro et publice instructi. In funere ipso suavissimi cantus et modulationes auditae, angelicae, non humanae. Sacrum pignus, inter utrosque canonicos patriarchales et B. Georgii de eo dando et retinendo contentione ortâ, quasi litis exitum expectaturum, in ecclesiae cathedralis secretario repositum est, ubi altero ac tertio die nec corruptum, nec foetens, immo nec quinto nec sexto, repertum genis rubescentibus et vivo simile visum est. Totâ civitate effusâ ad prodigium, octavâ die palam in aedem sacram adfertur. Interim sacrae exuviae, aliis instantius eas postulantibus, aliis diligentius custodientibus, iterum in secretarium allatae ubi per dies quadraginta incorruptae et integrae permanserunt, quamplurimis ad illas venerationis caussâ affluentibus, donec tandem totius populi et civitatis suffragio canonicis patriarchalibus illas adiudicante, septimo die supra sexagesimum sepulturae in basilicâ patriarchali XVI kalendas aprilis traditae sunt officiis et honoribus, non quibus ceteris solent, de quorum virtutibus et meritis ambigitur, sed quasi viri sancti reliquiae. Non solum ex Italiâ, sed ex Illyrico etiam atque Epiro multi ad prodigium profecti: quod medici omnes nullâ naturae vi, praesertim quum Laurentius putridâ febre laborasset, fieri potuisse testati sunt.

Miraculis etiam post mortem clarus evasit.

§ 8. Quae et quanta deinde miracula divinam opem ad Laurentii sepulchrum implorantibus acciderint, difficile dictu est. Haec felicis recordationis antecessorem nostrum Xystum Papam IV permoverunt, ut, ad ducis et dominii Venetorum summas preces, ob eum in sanctorum canonem referendum, acta rei tantae necessaria conscribenda curaret. Sed quum eadem acta patriarchalis aedis conflagratione periissent, alter piae memoriae decessor noster Leo Papa X ad negocii inquisitionem rursus iussit. Post Leonem hoc pariter egit

1 Edit. Main. legit *episcopo* (R. T.).

successor eius similis memoriae Hadrianus Papa VI. Quo deinde sublato, Clemens Papa VII litteris apostolicis in formâ Brevis ad Antonium Contarenum civitatis Venetiarum patriarcham, duce et dominio Venetorum pie deposcentibus, concessit, ut, pro aeterni Regis laude et gloriâ, ac ipsius beati Laurentii pontificis et confessoris reverentiâ, sanctae Ecclesiae decore et catholicae fidei splendore, populorumque dicti dominii devotione, singulis annis, in die qua beatus Laurentius migravit ad Dominum, festum et officium de eodem cum oratione unius pontificis et confessoris sub nomine beati Laurentii patriarchae in eius et aliis aedibus Deo sacris dominii Venetorum ab omnibus celebraretur. Hoc pacto Clemens Laurentium beatorum catalogo adscripsit.

A Summis Pontificibus indulgentiae aliisque gratiae ad augendum eius cultum conceduntur.

§ 9. Postmodum recolendae memoriae Xystus Papa V plenariam indulgentiam die festo beati Laurentii aedem sacram, ubi eius corpus adservabatur, devote invisentibus largitus est: quod similis recordationis Clemens Papa VIII semel atque iterum indulsit, adprobatis lectionibus propriis in eiusdem instituti congregationibus beatorum Georgii in Algâ et Ioannis evangelistae in Lusitaniâ cum eius officio recitandis. Mox piae recordationis Paulus Papa V iisdem canonicis beati Georgii in Algâ indulsit, ut, quintis cuiuscumque hebdomadae feriis non impeditis, illud idem officium recitarent. Idem postea Paulus aeque ac eius successor Gregorius Papa XV, ac subinde Urbanus Papa VIII, piae quoque memoriae antecessores nostri, de magnis virtutibus et miraculis per intercessionem beati Laurentii patratis, acta et commentarios, pro eo in sanctorum canonem solemni pompâ referendo, iterum conscribi iusserunt, de eius corporis translationibus atque aris Deo in eiusdem honorem auctoritate apostolicâ erectis mentionem facientes: quo tempore huius beati confessoris et pontificis summae sanctitatis fama etiam in regno Siciliae ita percrebuit, ut senatus Panormitanus, ob civitatem a contagionis morbo Laurentii patrocinio divinitus liberatam, eum sibi praecipuum patronum elegerit, impetratâ etiam a iam dicto Urbano Papa VIII apostolicâ facultate ut in ecclesiis Panormitanis officium et missa de eodem beato viro, tamquam de patrono, celebrarentur.

Ab Alexandro VIII Sanctorum numero adscribitur unâ cum quatuor aliis Beatis.

§ 10. Tot tantisque monumentis apud Apostolicam Sedem comprobatâ viri Dei sanctitate, quam christianae virtutes et complura miracula illustraverant, is tandem, quem supra memoravimus, Alexander Papa VIII, ad summum pontificatum evectus, de Laurentio cum aliis beatis viris ubique celeberrimis ex Romanorum Pontificum auctoritate, ritualibus constitutionibus, canonibus et decretis rite servatis, in sanctorum tabulis, duce et dominio Venetorum orantibus, describendo provide cogitavit, ideoque gesta omnia beati viri in novum examen adducta sunt: quo, ex veteri more Apostolicae Sedis, in tribus consistoriis ac plenario conventu venerabilium fratrum S. R. E. cardinalium, atque etiam patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum in Urbe praesentium coram se rite peracto, beatum Laurentium statutâ die in sanctorum canonem per se referendum pronunciavit. Quare XVII kalendas novembris anno salutis MDCXC, sui pontificatus II, in sacrosanctam beati Petri principis apostolorum basilicam, summâ celebritate totius Ecclesiae Romanae Laurentium maximâ caeremoniâ inter Sanctos numeraturus Alexander profectus est, ubi in plenario conventu eorumdem venerabilium fratrum S. R. E. cardinalium

patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum, semel, iterum et tertio iteratis pro Laurentio Iustiniano in sanctorum fastos referendo ad Deum precibus, unanimi omnium acclamatione et suffragio, idem Alexander Papa VIII post gratiam Paraclyti Spiritus summâ religione invocatam, auctoritate omnipotentis Dei et domini nostri Iesu Christi, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac suâ, ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, exaltationem fidei catholicae, et christiani nominis incrementum, beatum Laurentium Iustinianum Venetum confessorem et pontificem, de cuius virtutibus et miraculis antea constiterat, et tunc satis constabat, unâ cum aliis beatis viris Ioanne de Deo, et Paschale Baylonio confessoribus non pontificibus, sanctum confessorem pontificem esse decrevit et definivit, in sanctorum confessorum pontificum catalogum et canonem retulit, eumdemque imposterum in totâ Ecclesiâ tamquam vere sanctum colendum, invocandum, honorandumque sancivit; ad eius honorem sacras aedes atque altaria, in quibus sacrosanctum missae sacrificium Deo offeratur, construi ac dicari, VI idus ianuarias, quo die migravit ad Dominum, illius memoriam, ut sancti confessoris pontificis, ab omnibus pie coli posse pronunciavit. Insuper eâdem auctoritate omnibus vere poenitentibus et confessis, qui annis singulis in illius dormitionis die ad eiusdem sepulchrum religiose accessissent, annum et quadraginta dies; accedentibus vero infra octavam, quadraginta dies de iniunctis seu quomodolibet debitis canonicis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavit.

Ab eodem indulgentiae eius die festo conceduntur.

§ 11. Mox Deum patrem aeternum regemque gloriae, Christum dominum, eius sempiternum filium, sanctumque Paraclytum Spiritum, in trinis personis unum Deum et dominum, Alexander magnâ religione veneratus, et peculiari oratione per beati Laurentii Iustiniani confessoris et pontificis merita precatus, cum eius et ceterorum commemoratione in arâ maximâ supra confessionem beati Petri solemnem missam celebravit, universis christifidelibus, qui tantae caeremoniae aderant, plenariam peccatorum indulgentiam et remissionem largitus.

Causae huius constitutionis.

§ 12. Ne vero de huiusmodi Alexandri Papae VIII decreto apostolico, definitione, sanctione, adscriptione, relatione, concessione, ceterisque praemissis, propterea quod ab eodem, aut ab eius successoribus Innocentio VII, Clemente XI et Innocentio XIII, piae memoriae Romanis Pontificibus antecessoribus nostris, litterae decretales de more conscriptae non fuerint, deinceps unquam possit quomodolibet haesitari, nos, qui, meritis licet imparibus, disponente Domino, in cathedrâ beati Petri iisdem successimus, volumus, et apostolicâ auctoritate statuimus, ut decretum, sanctio, relatio, adscriptio, et reliqua hactenus recensita, a iam dictâ die XVII kalendas novembris anni MDCXC suum undequaque et plenarium consequantur effectum, ac si ab eodem Alexandro VIII litterae decretales revera eâdem die conscriptae et de more promulgatae fuissent, ut superius enarratur.

Clausulae.

§ 13. Volumus autem ut praesentes litterae, ad probandum decretum, definitionem, sanctionem, adscriptionem, relationem, statutum, concessionem, ceteraque praemissa, ubique omnino sufficiant, neque alterius cuiuscumque probationis adminiculum ad id amplius requiratur.

Transumptorum fides.

§ 14. Praeterea, quia difficile foret, has nostras ad singula loca, ubi opus esset, adferri, volumus ut earumdem exempla, etiam typis impressa, manu

publici notarii subscripta, sigilloque alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munita, eamdem ubique fidem obtineant, quam hae nostrae obtinerent, sicubi eas exhiberi vel ostendi contigeret.

Sanctio poenalis.

§ 15. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, definitionis, sanctionis, adscriptionis, relationis, statuti, concessionis infringere, aut ei temerario ausu contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXIV, pridie nonas iunias, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 4 iunii 1727, pontif. anno I.

✠ EGO BENEDICTUS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

†

† Ego Franciscus episcopus Praenestinus cardinalis Barberinus.

†

† Ego Petrus episcopus Sabinensis cardinalis Ottobonus, S. R. E. vicecancellarius.

† Ego Laurentius episcopus Tusculanus cardinalis Corsinus.

†

† Ego Ioseph Renatus S. Georgii in Velabro diaconus cardinalis Imperialis.

†

†

† Ego Philippus Antonius tituli S. Caeciliae presbyter cardinalis Gualterius.

†

†

†

†

† Ego Ludovicus tituli S. Silvestri in Capite presbyter cardinalis Picus de Mirandula.

† Ego Ioannes Antonius tituli S. Petri in Vinculi presbyter cardinalis de Viâ.

†

† Ego Antonius Felix tituli S. Balbinae presbyter cardinalis Zondadarius.

† Ego Petrus Marcellinus tituli S. Ioannis ante Portam Latinam presbyter cardinalis Corradinus.

†

†

† Ego Curtius S. Eustachii presbyter cardinalis Origus.

† Ego Melchior tituli S. Mariae Angelorum presbyter cardinalis de Polignac.

†

†

†

†

†

†

†

† Ego Nicolaus tituli Ss. Nerei et Achillei presbyter cardinalis Spinula.

†

†

† Ego Georgius tituli S. Agnetis presbyter cardinalis Spinula.

† Ego Cornelius tituli S. Caeciliae presbyter cardinalis Bentivolus.

†

†

† Ego Ludovicus tituli S. Priscae presbyter cardinalis Belluga.

† Ego Ioseph tituli S. Susannae presbyter cardinalis Pereyra de la Cerda.

†

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Stephani in Monte Caelio presbyter cardinalis Salernus.

†

† Ego Alvarus tituli S. Bartholomaei in Insulâ presbyter cardinalis Cienfuegos.

† Ego Bernardus Maria tituli S. Bernardi ad Thermas presbyter cardinalis de Comitibus, maior poenitentiarius.

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Matthaei in Merulanâ presbyter cardinalis de Alteriis.

† Ego Vincentius tituli S. Onuphrii presbyter cardinalis Petra.

† Ego Prosper tituli S. Calixti presbyter cardinalis Marefuscus.

† Ego frater Augustinus tituli S. Xisti presbyter cardinalis Pipia.
† Ego Nicolaus tituli S. Mariae in Dominicâ presbyter cardinalis Coscia.
†
†
† Ego Nicolaus Maria tituli Ss. Ioannis et Pauli presbyter cardinalis Lercarius.
† Ego frater Laurentius tituli S. Mariae de Arâcaeli presbyter cardinalis Cozza.
†
†
† Ego Benedictus S. Mariae in Viâlatâ diaconus cardinalis Pamphilius.
† Ego Laurentius S. Agathae ad Montes diaconus cardinalis de Alteriis.
† Ego Carolus S. Angeli in Foro Piscium diaconus cardinalis Columna.
† Ego Fabius Ss. Viti et Modesti diaconus cardinalis de abbatibus Oliverius.
† Ego Iulius S. Adriani diaconus cardinalis Alberonus.
† Ego Alexander S. Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis Albanus.
† Ego Alexander S. Mariae de Scala diaconus cardinalis Falconerius.
†
†
†
†
†
†
†
†

P. cardinalis prodatarius.
F. cardinalis Oliverius.

Visa de Curia I. archiep. Ancyranus.
L. MARTINETTUS.

Regi trata in Secretariâ Brevium.

VI.

Promulgatur canonizatio B. Ioannis a Capistrano Ordinis Minorum de Observantiâ ab Alexandro VIII iampridem peracta [1].

**Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Rationi congruit et convenit aequitati, ut, quae Romanus Pontifex in plenario conventu venerabilium fratrum S. R. E. cardinalium patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum, unanimi eorum consilio communicato, sanxit et definivit, licet postea, ob eius pontificis obitum, litterae apostolicae de his conscriptae non fuerint, suum tandem consequantur effectum.

Expositio facti

§ 1. A largitore omnium bonorum in summo Ecclesiae fastigio constitutus felicis recordationis antecessor noster Alexander Papa VIII pro suâ pastorali vigilantiâ illud unum prae omnibus sibi incumbere animadvertit, ut, pro domo Israël speculatoris officium impendens, populos sibi commissos duceret in vias Domini. Hoc autem se praestiturum putavit, si ex ritu et disciplinâ S. R. E. recognitis et comprobatis eorum virtutibus, qui vitae sanctimoniâ ceteris antea praeluxerant, pietatis ardorem eo magis in christifidelium cordibus accenderet[1], quo vitam a viris iustis pie actam, in universâ Ecclesiâ luculentius spectandam aperiret. Itaque cum aliis Dei servis, qui moribus vere christianis iamdudum venerandi habebantur, Ioannem a Capistrano Ordinis fratrum Minorum B. Francisci, qui a regulari observantiâ nuncupantur, multis magnisque virtutibus et signis ubique percelebrem, rite in sanctorum canonem sibi referendum existimavit.

B. Ioannis ortus MCCCLXXXV, et breve vitae compendium.

§ 2. Capistrani Marsorum oppido in agro Aquilano, inque episcopatu Sulmonensi, ortus est Ioannes anno Christi Domini MCCCLXXXV. In gymnasio Perusino

[1] Similes sunt huic constitutiones praecedentes et sequentes; peracta fuit canonizatio anno MDCXC, die 16 octobris, pontif. II.

[1] Edit. Main. legit *accederet* (R. T.).

christianis et liberalibus disciplinis instructus, aliquando rempublicam gessit; sed postea Dei monitu ad sanctius ministerium vocatus, in eâdem civitate Ordinem fratrum Minorum B. Francisci, qui a regulari observantiâ nuncupantur, ab se ferventissimis votis expetitum, quamvis repulsus, durisque et publicis quoque experimentis probatus, maxime alacris amplexus est anno Christi Domini MCDXIV. In divinis litteris magistro usus est beato confessore Benardino Senensi, quem pro sacratissimo nomine Iesu calumniis traductum coram piae memoriae antecessore nostro Martino Papa V in basilicâ B. Petri principis apostolorum strenue defendit: eumdemque ipse et sodalis Iacobus a Marchia per inclytae recordationis decessorem nostrum Nicolaum V in sanctorum confessorum canonem postea referendum curavit, uterque deinceps in eumdem sanctorum canonem, et Iacobus quidem a nobis quamprimum favente Domino referendus. Ioannis doctrinae, asperrimae poenitentiae et sanctitatis famâ in dies crescente, ad multas variasque provincias, Italiam, Germaniam, Sarmaticam, Pannoniam, christianos mores disciplinamque verbo et scriptis, quae plurima edidit, instauraturus, ab antecessoribus nostris Romanis Pontificibus ablegatur. Idem, quem diximus, Martinus V, ad compescendam verbo et scriptis fraticellorum sectam, illum unà cum Iacobo a Marchia inquisitorem instituit; de quibus Ioannem feliciter triumphantem contra omnes haereticos generalem inquisitorem creat. Reatinos et finitimos populos inter se odiis armisque certantes eloquii suavitate componit. In terris S. R. E. citra Pharum, Ioannâ II reginâ flagitante, iudaici foenoris pravam licentiam evellit. Decessorum nostrorum, Martini dormitionem, piaeque memoriae Eugenii IV successionem praedicit, a quo pro magnis Ecclesiae negociis ad Insubres, Siculos et alios mittitur. Recusato Aquilano episcopatu, munus praedicandi evangelium obire non cessat, inque plenario Florentinorum patrum conventu velut sol quidam fulget. Romae Iudaeorum synagogae magistrum cum quadraginta sectatoribus ad veritatis professionem reducit. Ut haereticos in sinum Ecclesiae et principum animos in concordiam redigat, Friderico III imperatore postulante, in Germaniae partes a praedicto Nicolao V mittitur.

Eiusdem monitu decreta a Callisto III expeditione in Turcas, eodemque crucis vexillum praeferente, victoria reportata est.

§ 3. In Germaniâ, Bohemiâ, Sarmaticâ et Pannoniâ sexennali peregrinatione Hussitis, Adamitis, Taboritis, Hebraeisque innumeris ad chistianam veritatem doctrinae, sanctitatis et miraculorum luce conversis, Dei gloriam mirifice auget; aegros quamplurimos sanat, mortuos suscitat, mutis loquelam restituit. Denique totam christianorum rempublicam periclitantem ab immanissimo Turcarum tyranno defensurus, se pro domo Israël murum opponit, dum piae memoriae decessor noster Calistus Papa III, Ioanne potissimum deprecante, christianorum militum signo crucis illustrium expeditionem in Turcas Europae incubantes decernit, statimque Ioanne Pannoniam, Transilvaniam, Moldaviam, Vallachiam instar fulgoris pervolante, septuaginta millia christianorum conscribuntur, crucisque vexillum ipso parmâ fidei protecto praeferente, de centum et viginti millibus hostium, toto orbe mirante, victoria reportatur: cuius nuncio Romam allato VIII idus augustas, idem Callistus eius diei memoriae solemnia Transfigurationis Christi domini perpetuo consecravit.

Eius obitus MCDLVI et post obitum miracula.

§ 4. Ioannes, his atque aliis sempiternâ memoriâ dignissimis praeclare gestis, ex corporis fatigatione lethali

morbo contracto, Villacum Pannoniae inferioris oppidum in agro Sirmiensi defertur, ubi a Ladislao rege aliisque viris principibus visitatur, sanctisque Ecclesiae sacramentis maximâ religione susceptis, et multis, quae superventura erant, praenunciatis, principes viros Ladislaum regem, Matthiam Corvinum, aliosque, ad tuendam religionem christianam hortatus, vir apostolicus, et voluntate martyr, pie in Domino obiit anno Salutis MCDXLVI, X kalendas novembres. Defuncto triduanae exequiae in Pannoniâ, Germaniâ atque Italiâ universâ persolvuntur. Post obitum aeque ac in vitâ multis magnisque miraculis claruit.

A Leone X concessum fuit, ut eius dies festus celebraretur.

§ 5. Pro eo in sanctorum canonem referendo ad Sedem Apostolicam undique scriptum est, ab Italiae civitatibus Bononiâ, Patavio, Tarvisio, Asculo; Fridericus III Augustus et Casimirus Poloniae rex a Pio II felicis memoriae antecessore nostro id postulaverunt; qui quidem Pius, adhuc Æneas Silvius, perinsignium Ioannis virtutum locuples testis, eodem Friderico III rogante, illum a Nicolao V in Germaniam mittendum impetraverat. Ad haec Ioannes et Sigismundus comites palatini ad Rhenum, Rupertus dux Bavariae, Albertus marchio Brandenburgicus, Corradus dux Silesiae, Petrus S. R. E. tituli S. Vitalis presbyter cardinalis Augustanus nuncupatus, in universâ Germaniâ Apostolicae Sedis legatus, episcopi Misnensis, Eystettenis, aliique, Matthias rex, et Elisabeth Pannoniae regina, plurimaeque illarum partium civitates, ab Apostolicâ Sede idem poposcerunt. Quare, tot tantisque viri Dei praeconiis unâ voce ad S. R. E. undique allatis et confluentibus permotus felicis memoriae antecessor noster Leo Papa X, per Bernardum S. R. E. diaconum cardinalem S. Mariae in Porticu Bibienam nuncupatum, concessit anno Salutis MDXV ut Ioannis piae dormitionis dies festus perpetuis futuris temporibus a clero saeculari et regulari apud Capistranenses quotannis celebretur.

A Gregorio XV beatorum fastis adscriptus est.

§ 6. Postmodum alius decessor noster felicis quoque memoriae Gregorius Papa XV beatorum fastis Ioannem scripsit, in quo eius die natali officium duplex et sacrosanctum missae sacrificium in eiusdem honorem toti Ordini regularis observantiae beati Francisci et saeculari etiam clero in dicti Ordinis ecclesiis celebrari permisit. Mox sub piae memoriae alio antecessore nostro Urbano Papa VIII eximiis et multis viri Dei virtutibus et miraculis ad apostolicarum constitutionum ritus et canones in examen vocatis, atque[1] omnium approbatione et praeconio receptis etiam sub felicis memoriae antecessoribus nostris Romanis Pontificibus Innocentio X, Alexandro VII et Clemente X, tandem a sanctae memoriae decessore itidem nostro Innocentio XI de beato viro in sanctorum canonem referendo sancitum est, repetitis precibus id etiam postulantibus illustris memoriae Leopoldo electo Romanorum imperatore, Carolo II Hispaniarum rege, et Cosimo III in Etruriâ sibi subiectâ magno duce.

Ab Alexandro VIII nonnullis Europae principibus postulantibus, in sanctorum fastos relatus est unâ cum quatuor aliis beatis.

§ 7. Quum autem re infectâ idem Innocentius, iubente Domino, ex hac vitâ pie migrasset, felicis memoriae Alexander Papa VIII eidem suffectus, ex Romanorum Pontificum auctoritate, ritualibus constitutionibus, canonibus et decretis rite servatis, de Ioanne sanctorum canoni adscribendo provide cogitavit. Quare XVII kalendas novembres anno Salutis MDCXC, sui pontificatus II, in sacrosanctam beati Petri principis apostolorum basilicam summâ celebritate totius Ecclesiae Romanae profectus est, ubi, semel, iterum et tertio in plenario

1 Edit. Main. legit *et quae* pro *atque* (R. T.).

conventu venerabilium fratrum S. R. E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum iteratis pro Ioanne in sanctorum canonem referendo ad Deum precibus, unanimì omnium acclamatione et suffragio, post gratiam Paraclyti Spiritus summâ religione invocatam, idem Alexander VIII, auctoritate domini nostri Iesu Christi et beatorum apostolorum Petri et Pauli, ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, exaltationem fidei catholicae, et christiani nominis amplificationem, beatum Ioannem a Capistrano Ordinis fratrum Minorum beati Francisci a regulari observantiâ nuncupatorum, de cuius virtutum et prodigiorum magnitudine cumulate constiterat, unâ cum aliis beatis viris Laurentio Iustiniano confessore et pontifice, Ioanne a S. Facundo, Ioanne de Deo et Paschale Baylonio confessoribus non pontificibus, sanctum confessorem esse decrevit et definivit, in sanctorum confessorum catalogum et canonem retulit, eumdemque imposterum in totâ Ecclesiâ tamquam vere sanctum colendum, invocandum honorandumque sancivit, ad eius honorem sacras aedes atque altaria, in quibus sacrosanctum missae sacrificium Deo offeratur, construi ac dicari, et quotannis x kalendas novembres, quo die vir sanctus obdormivit in Domino, illius memoriam ut sancti confessoris non pontificis pie recoli posse pronunciavit. Mox Deum Patrem aeternum, regemque gloriae Christum dominum eius sempiternum Filium, sanctumque Paraclytum Spiritum, in trinis personis unum Deum et dominum, Alexander magnâ religione veneratus, et peculiari oratione per Ioannis Confessoris merita precatus, cum eius et ceterorum commemoratione ad aram maximam supra confessionem beati Petri solemnem missam celebravit, universis christifidelibus, qui aderant tantae caeremoniae, plenariam peccatorum indulgentiam et remissionem largitus.

Causae huius constitutionis.

§ 8. Ne vero de huiusmodi Alexandri Papae VIII decreto apostolico, definitione, sanctione, adscriptione, relatione, concessione, ceterisque praemissis, propterea quod ab eodem, aut ab eius successoribus Innocentio XII, Clemente XI et Innocentio XIII, piae memoriae Romanis Pontificibus antecessoribus nostris, de more litterae decretales conscriptae non fuerint, deinceps unquam possit quomodolibet haesitari; nos, qui, meritis licet imparibus, disponente Domino, in cathedrâ beati Petri iisdem successimus, volumus, et apostolicâ auctoritate statuimus, ut decretum, sanctio, relatio, adscriptio, ceteraque hactenus recensita a iam dictâ die XVII kalendas novembres MDCXC suum undequaque et plenarium consequantur effectum, ac si ab eodem Alexandro VIII litterae decretales revera eâdem die conscriptae et de more promulgatae fuissent, ut superius enarratur.

Clausulae.

§ 9. Volumus autem ut praesentes litterae, ad probandum decretum, definitionem, sanctionem, adscriptionem, relationem, statutum, concessionem, ceteraque praemissa ubique omnino sufficiant, neque alterius cuiuscumque probationis adminiculum ad id amplius requiratur.

Fides transumptorum.

§ 10. Praeterea, quia difficile foret has nostras ad singula loca, ubi opus esset, adferri, volumus ut earumdem exempla, etiam typis impressa, manu publici notarii subscripta, sigilloque alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munita, eamdem ubique fidem obtineant, quam hae nostrae obtinerent, sicubi[1] eas exhiberi vel ostendi contingeret.

Sanctio poenalis.

§ 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, defi-

1 Edit. Main. legit *sicuti* (R. T.).

nitionis, sanctionis, adscriptionis, relationis, statuti, concessionis infringere, aut ei temerario ausu contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXIV, pridie nonas iunias, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 4 iunii 1724, pontif. anno I.

✠ EGO BENEDICTUS
CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

†
†
† Ego Franciscus episcopus Praenestinus cardinalis Barberinus.
†
†
† Ego Laurentius episcopus Tusculanus cardinalis Corsinus.
†
† Ego Ioseph tituli S. Praxedis presbyter cardinalis Sacripantes.
†
†
† Ego Philippus Antonius tituli S. Caeciliae presbyter cardinalis Gualterius.
†
†
†
†
† Ego Ludovicus tituli S. Silvestri in Capite presbyter cardinalis Picus de Mirandula.
†
†
† Ego Antonius Felix tituli S. Balbinae presbyter cardinalis Zondadarius.
†
† Ego Petrus Marcellinus tituli S. Ioannis ante Portam Latinam presbyter cardinalis Corradinus.
†
†
†
† Ego Melchior tituli S. Mariae Angelorum presbyter cardinalis de Polignac.
†
†
†
†
† Ego Bernardinus tituli S. Petri in Monte Aureo presbyter cardinalis Scottus.
†
†
†
†
†
†
† Ego Georgius tituli S. Agnetis presbyter cardinalis Spinula.
†
†
†
† Ego Ludovicus tituli S. Priscae presbyter cardinalis Belluga et Moncada.
† Ego Iosephus tituli S. Susannae presbyter cardinalis Pereyra de la Cerda.
†
† Ego Ioannes Baptista tituli S. Stephani in Monte Caelio presbyter cardinalis Salernus.
†
† Ego Alvarus tituli S. Bartholomaei in Insulà presbyter cardinalis Cienfuegos.
†
† Ego Ioannes Baptista tituli S. Matthaei in Merulana presbyter cardinalis de Alteriis.
† Ego Vincentius tituli S. Onuphrii presbyter cardinalis Petra.
† Ego Prosper tituli S. Chrysogoni presbyter cardinalis Marefoschi.
† Ego Nicolaus tituli S. Mariae in Domnicà presbyter cardinalis Coscia.
†
†
†
†
† Ego Benedictus S. Mariae in Vià latà diaconus cardinalis Pamphilius.
† Ego Ioseph Renatus S. Georgii in Velabro diaconus cardinalis Imperialis.
† Ego Laurentius S. Agathae ad Montes diaconus cardinalis de Alteriis.

† **Ego Carolus S. Angeli in Foro Piscium diaconus cardinalis Columna.**

† **Ego Curtius S. Eustachii diaconus cardinalis Origus.**

† **Ego Fabius Ss. Viti et Modesti diaconus cardinalis Oliverius.**

† **Ego Carolus S. Mariae in** Aquiro diaconus **cardinalis Marinus.**

† **Ego Iulius** S. Adriani diaconus cardinalis **Alberonus.**

† **Ego** Alexander S. Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis Albanus.

† Ego Nicolaus tituli Ss. Martyrum diaconus cardinalis de Iudice.

†

†

†

†

P. cardinalis prodatarius.

F. cardinalis Oliverius.

Visa de Curiâ I. archiep. Ancyranus.

I. MARTINETTUS.

VII.

Promulgatur canonizatio B. Catharinae a Bononia, Clarissae, iam antea a Clemente XI sanctarum virginum albo adscriptae.

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Rationi congruit et convenit aequitati, ut, quae Romanus Pontifex in plenario conventu venerabilium fratrum S. R. E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum, unanimi eorum consilio communicato, sanxit et definivit, licet postea, ob eiusdem Pontificis obitum, litterae apostolicae de his conscriptae non fuerint, suum tandem consequantur effectum.

1 **Similes sunt huic constitutiones** praecedentes **et sequens**; **peracta** fuit canonizatio anno MDCCXII, die 22 maii, pontif. XII.

Expositio facti et vitae B. Catharinae.

§ 1. Iampridem piae memoriae antecessor noster Clemens Papa XI, rem apostolatu suo maxime dignam reputans Dei famulis olim christianarum virtutum perfectione excellentibus summos honores in catholicâ Ecclesiâ decernere, post intellectam sacrae Deo virginis beatae Catharinae a Bononiâ, Ordinis Minorum beati Francisci, quae Clarissae appellantur, praeclaram et laudabilem vitam, insignium quoque miraculorum serie illustratam, quae in sanctis suis mirabilis Deus per eiusdem suae virginis merita operari voluerat, iustum et summe decens existimavit Dei electam ancillam ut vere sanctam in militanti Ecclesiâ secundum receptos Ecclesiae Romanae ritus auctoritate sibi divinitus traditâ honorandam sancire, eiusque virtutes, tamquam eximias et praecellentes, omnibus christianis imitandas proponere, ut, ad summi Dei cultum ipsius exemplo se componentes, in necessitatibus patronam et deprecatricem apud Dominum habere mererentur.

Eius ortus MCDXIII.

§ 2. Anno Christi domini MCDXIII, VI idus septembris, Bononiae, primariâ beati Petri atque Italiae civitate, unde huic sacrae virgini cognomen adhaesit, ex patre Ferrariensi et matre Bononiensi, non sine prodigiis, futuram eius sanctitatem praemonstrantibus, Catharina orta est. Ex Margaritae Atestinae aulâ, ubi triennium vixerat, aetatis suae anno XIV Ferrariae in monasterium Corporis Christi sub regulâ Ordinis Minorum beati Francisci, quae Clarissae appellantur, caelesti sponso ancillatura confugit, ubi, omnium rerum humanarum, ut uni Deo vacaret, cogitatione depositâ, ex humani generis hoste, orationis et divinae gratiae clypeo munita, vitrix semper evasit; immo ipsa, aliàs latine docta, artem de eo triumphandi Italiae exposuit libro *De septem spiritualibus armis* in-

scripto; quod humilitatis institutum ab se igni traditum, mox novo Dei monitu iterum litteris consignavit. Tam coram vitae innocentiâ se superis reddidit, ut Deus, qui arcana caelestia ei non semel patere voluit, eam pariter sibi uni propriâ scientiâ futurorum instruxerit, qua prae ceteris patriae suae de hoste victorias et Orientalis Imperii ob Graecorum impietatem et schisma funestam cladem praenunciavit.

Bononiae novum monasterium excitat cui et praefuit.

§ 3. Piae virginis famâ longe lateque diffusâ, patriaeque oratoribus coloniam sororum eius sibi concedi flagitantibus, novum suae regulae monasterium excitatura Bononiam natale solum ire iubetur. Ad Ferrariensium turbas discessum eiusmodi aegre ferentium vitandas, iter cum oratoribus sacrisque beati Francisci alumnis noctu dispositum est. Catharina autem, uti erat viribus fracta, alienis brachiis, instar cadaveris, extra monasterium educta, mox ita convaluit, ut currum, quo ad flumen Rhenum perducta est, sola et nullius opis indiga adscenderit. Bessarionem basilicae XII Apostolorum S. R. E. presbyterum cardinalem Bononiae pro Apostolicâ Sede legatum, et Philippum civitatis episcopum, pariterque S. R. E. tituli S. Laurentii in Lucinâ presbyterum cadinalem Calandrinum nuncupatum, nedum patrium senatum magnamque civium frequentiam, Catharina et reliquae ei comites traditae sacrae virgines obvios habuerunt. Earum collegii postmodum absoluti, Dei iussu, praefecturam suscepit, sociasque vere sanctarum virginum chorum suae pietatis exemplo constituit.

Multa adversae valetudinis incommoda diu aequo animo pertulit.

§ 4. Iam per annos duodeviginti variis et multis aegritudinibus vitaeque incommodis Bononiensem virginem, nihil omittentem quod munus suum spectare videretur, Dominus exercuerat, quum eam, quibusvis cruciatibus alacriter pro Deo tolerandis paratam, lethalis[1] morbus invasit. Tunc, pro charitatis aestu quo summe flagrabat, nihil prius habuit quam ut sororibus suis quasi ultimum vale dictura, aeternae salutis monita patefaceret; maximâque religione susceptis Ecclesiae sacramentis, se, quod tamdiu anhelaverat, in divini sponsi occursum ituram disposuit; sed, toto virginum coetu Deum exorante, ne filias moerore confectas tantae matris solatio viduaret, Catharina, mentis excessum passa, e lectulo incolumis surgit, consuetoque praefecturae muneri ut antea obeundo sollicitam operam navat; anno, quo supervixit, diu noctuque christianis virtutibus toto pectore excolendis, unisque caelestibus, ad quae non sine lacrymis adspirabat, meditandis intenta.

Supremum diem vaticinata obiit MCDLXIII virtutibus omnibus praedita.

§ 5. Maioris hebdomadae tempus advenerat, quum de more ablutis sororum pedibus, semel atque iterum vehementibus et aptissimis verbis eas ad amorem Crucis hortatur, resolutionis suae tempus instare vaticinata. Hoc tamen a sororibus non statim animadversum, Catharina hilari vultu vicinam mortem non indicante, sed vitae suae cursum se consummasse dicenti nuncius proximae discessionis erupit. Mox acerbis doloribus correpta decubuit; quibus forti animo toleratis, sumptisque miro pietatis studio Sacramentis, atque oculis in Crucifixi imaginem saepe conversis, piissimos hymnos ab se compositos recitavit. Sorori vices suas post dormitionem obiturae ceteras pias virgines intimo animi sensu commendavit, deque caelestibus et christianis rebus eas allocuta, post dulcem sanctissimi nominis Iesu iteratam invocationem, spiritum Deo reddidit III idus martias, anno Salutis MCDLXIII, aetatis suae quinquagesimo.

1 Edit. Main. legit *lethales* (R. T.).

Signa eius sanctitatis post obitum caelitus edita.

§ 6. Defuncta longe pulchrior quam viva adolescentulam plane dormientem referre visa est. Post eius animam in caelum receptam et corpusculi depositionem, multis illius patrocinio apud Deum se commendantibus, quum duo de viginti dies effluxissent, incorruptum et suavem spirans odorem, sepulchro eruitur, septemque dierum spatio omnium undique confluentium oculis exponitur, quod sedens instar viventis hactenus magno cum honore ibidem colitur.

A Clemente VII cultus publicus eidem sanctae virgini unà cum indulgentiis concessus fuit et a Clemente VIII in martyrologii tabulas relata.

§ 7. Felicis recordationis antecessor noster Clemens Papa VII, annos septem et sexaginta a Catharinae decessu, sacri corporis incorruptionem, manu tractabilem, coram miratus, monasterii sororibus facultatem indulsit quotannis Catharinae anniversarii obitus die recurrente sacras preces in eius honorem ritu ecclesiastico recitandi; tum diebus singulis inter horas canonicas eiusdem nomen commemorandi; indulgentiam quoque iis concessit, qui, Poenitentiae et Eucharistiae sacramentis pie susceptis, sacram aedem, ubi virgo Dei requiescit, annuo festo eius inviserent. Postmodum ad sacras quoque Ferrarienses virgines earumdem precum recitandarum facultas extensa est; tum missa propria ad eius honorem in ecclesiis sanctimonialium utriusque civitatis sacerdotibus, qui eis essent a sacris confessionibus, apostolicà largitate permissa. Crescente Dei ancillae virtutum et meritorum famâ, inclytae memoriae antecessor noster Clemens Papa VIII nomen eius in sacras tabulas martyrologii romani referendum curavit. Postea, sedente alio decessore nostro felicis memoriae Innocentio Papa X, ad alterius decessoris Urbani Papae VIII decretorum normam, de Catharina in sanctarum virginum canonem referendà actum, deque omnium eius virtutum perfectione in gradu summo plene constare decretum est. Hoc felicis quoque memoriae Innocentius Papa XI antecessor noster confirmavit, novaque miracula, quibus, post permissam ab Apostolicâ Sede ancillae suae venerationem, Deus sanctitatem eius patefecerat, auctoritate suà pariter comprobavit.

A Clemente XI praedicta beata Catharina sanctarum virginum albo adscripta est unà cum tribus aliis beatis.

§ 8. Hinc tandem factum ut idem piae memoriae Clemens Papa XI, universis, quae ex S. R. E. disciplinâ et ritu, decessorumque nostrorum Pontificum Romanorum constitutionibus apostolicis, sacrisque canonibus in Catharinae eximiis virtutibus et miraculis examinandis et comprobandis servanda erant, sancte servatis, magnae solemnitatis diem dominicam SS. Trinitati sacram XI kalendas iunias anni dominicae Incarnationis MDCCXII, sui pontificatus XII, futuram indixerit, qua Catharinam sanctarum virginum canoni adscriberet, quod reges, principes virique insignes ecclesiastici et saeculares plurimis et urgentissimis precibus ab Apostolicâ Sede antea flagitaverant. Clemens ergo indictà die in beatorum apostolorum Petri et Pauli basilicam magno apparatu descendit, ubi in plenario S. R. E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum conventu repetitis pro beatà Catharinà in sanctarum virginum canonem referendà humillimis ad Deum precibus, Sanctique Spiritus gratià enixe invocatà, ad honorem sanctissimae et individuae Trinitatis, fideique catholicae amplificationem, auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii, et Spiritus Sancti, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum, totius eiusdem conventus consilio unanimique consensu, beatae memoriae Catharinam a Bononià, de cuius sanctitate virtutumque ac prodigiorum magnitudine plene

constiterat, unà cum confessore et pontifice Pio Papa V, ceterisque confessoribus non pontificibus Andrea Avellino et Felice a Cantalicio, sanctam pronunciavit, inque sanctarum virginum non martyrum canonem referendam esse decrevit, eamdemque a cunctis christifidelibus tamquam vere sanctam colendam, honorandam invocandamque definivit, in eius honorem sacras aedes et altaria, in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, construi ac dicari posse, et quotannis VII idus martias, qua ad caelestem patriam evolavit, eius memoriam ut sanctae virginis pie coli sancivit. Postremo gratiis Deo cum exultatione actis, quod sanctam virginem cum ceteris confessoribus in conspectu omnium gentium honorificasset, tamque insigni glorià Ecclesiam suam decorari voluisset, in eiusdem virginis sanctorumque confessorum laudem solemni oratione cantatà, in arà maximà[1] supra confessionem beati Petri apostolorum principis cum eorumdem sanctorum commemoratione missae sacrificium celebravit, singulisque catholicis, qui aderant, plenariam omnium peccatorum indulgentiam et remissionem largitus est.

Causa huius constitutionis.

§ 9. Ne vero de huiusmodi definitione et sanctione apostolicà, ceterisque praemissis, propterea quod super illis ab eodem Clemente aut ab eius successore felicis memoriae Innocentio Papa XIII decessoribus nostris litterae decretales conscriptae non fuerint, unquam possit in posterum quomodolibet haesitari: nos, qui utrique, disponente Domino, licet immeriti, in cathedrà beati Petri successimus, volumus, et apostolicà auctoritate statuimus, ut decretum, definitio, sanctio, adscriptio, relatio, concessio, ceteraque hactenus recensita, a iam dictà die XI kalendas iunias anni MDCCXII suum consequantur effectum, ac si super illis ab eodem Clemente revera litterae decretales eàdem die conscriptae fuissent, ut superius enarratur.

Clausulae.

§ 10. Volumus autem ut praesentes litterae ad probandum decretum, sanctionem, adscriptionem, relationem, statutum, concessionem, ceteraque praemissa, undequaque sufficiant, neque alterius cuiuscumque probationis adminiculum ad id amplius requiratur.

Fides transumptorum.

§ 11. Praeterea, quia difficile foret has nostras ad singula loca, ubi opus esset, adferri, volumus ut earumdem exempla, etiam typis impressa, manu publici notarii subscripta, sigilloque alicuius personae in dignitate ecclesiasticà constitutae munita, eamdem ubique fidem obtineant, quam hae nostrae obtinerent, sicubi eas exhiberi vel ostendi contingeret.

Sanctio poenalis.

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, definitionis, sanctionis, adscriptionis, relationis, statuti, concessionis infringere, aut ei temerario ausu contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXIV, pridie nonas iunias, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 4 iunii 1724, pontif. anno I.

✠ EGO BENEDICTUS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

†

†

† Ego Franciscus episcopus Praenestinus cardinalis Barberinus.

†

† Ego Petrus episcopus Sabinensis cardinalis Ottobonus, S. R. E. vicecancellarius.

1 Edit. Main. legit *maxime* (R. T.).

† Ego Laurentius episcopus Tusculanus cardinalis Corsinus.

†

† Ego Ioseph tituli S. Praxedis presbyter cardinalis Sacripantes.

†

† Ego Thomas tituli S. Mariae Transtyberim presbyter cardinalis Rufus.

† Ego Philippus Antonius tituli S. Caeciliae presbyter cardinalis Gualterius.

†

†

†

† Ego Annibal tituli S. Clementis presbyter cardinalis S. Clementis Albanus, S.R.E. camerarius.

† Ego Ludovicus tituli S. Silvestri in Capite presbyter cardinalis Picus de Mirandula.

† Ego Ioannes Antonius tituli S. Calixti presbyter cardinalis de Viâ.

† Ego Antonius Felix tituli S. Balbinae presbyter cardinalis Zondadarius.

†

† Ego Petrus tituli S. Ioannis ante Portam Latinam presbyter cardinalis Corradinus.

†

†

†

† Ego Melchior tituli S. Mariae Angelorum presbyter cardinalis de Polignac.

†

†

†

†

† Ego Bernardinus tituli S. Petri in Monte Aureo presbyter cardinalis Scottus.

†

†

† Ego Nicolaus tituli Ss. Nerei et Achillei presbyter cardinalis Spinula.

†

†

†

† Ego Georgius tituli S. Agnetis presbyter cardinalis Spinula.

†

†

†

† Ego Ludovicus tituli S. Priscae presbyter cardinalis Belluga et Moncada.

† Ego Ioseph tituli S. Susannae presbyter cardinalis Pereyra de la Cerda.

†

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Stephani in Monte Caelio presbyter cardinalis Salernus.

†

† Ego Alvarus tituli S. Bartholomaei in Insulâ presbyter cardinalis Cienfuegos.

†

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Matthaei in Merulanâ presbyter cardinalis de Alteriis.

† Ego Vincentius tituli S. Onuphrii presbyter cardinalis Petra.

† Ego Prosper tituli S. Chrysogoni presbyter cardinalis Marefuscus.

†

† Ego Nicolaus tituli S. Mariae in Domnicâ presbyter cardinalis Coscia.

†

†

†

†

† Ego Benedictus S. Mariae in Vialatâ diaconus cardinalis Pamphilius.

† Ego Ioseph Renatus S. Georgii in Velabro diaconus cardinalis Imperialis.

† Ego Laurentius S. Agathae ad Montes diaconus cardinalis de Alteriis.

† Ego Carolus S. Angeli in Foro Piscium diaconus cardinalis Columna.

† Ego Curtius S. Eustachii diaconus cardinalis Origus.

† Ego Fabius Ss. Viti et Modesti diaconus cardinalis de Abbatibus Oliverius.

† Ego Carolus S. Mariae in Aquiro diaconus cardinalis de Marinis.

† Ego Iulius S. Adriani diaconus cardinalis Alberonus.

† Ego Alexander S. Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis Albanus.

† Ego Alexander S. Mariae de Scalâ diaconus cardinalis Falconerius.

†

†

†
†
P. cardinalis prodatarius.
F. cardinalis Oliverius.
Visa in Curiâ I. archiep. Ancyranus.
L. Martinettus.
Registrata in Secretariâ Brevium.

VIII.

Promulgatur canonizatio B. Felicis a Cantalicio Ordinis Capuccinorum, olim a Clemente XI in Sanctorum numerum adscripti[1].

Benedictus Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Rationi congruit et convenit aequitati, ut, quae Romanus Pontifex in plenario conventu venerabilium fratrum S.R.E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum, unanimi eorum consilio communicato, sanxit et definivit, licet postea, ob eiusdem Pontificis obitum, litterae apostolicae de his conscriptae non fuerint, suum tandem consequantur effectum.

Expositio facti. § 1. Recolendae memoriae antecessor noster Clemens PP. XI, ut frigescentem christianorum pietatem ad Domini cultum accenderet, servorum Dei exempla, qui virtutum magnitudine olim claruerant, in summo Romanae Ecclesiae candelabro lucentia pro suâ pastorali sollicitudine exponere statuit, beatique Felicis a Cantalicio Ordinis fratrum Minorum B. Francisci, qui Capuccini appellantur, gestis omni praeconio memorandis et signis, quae Deus ob eius merita ediderat, in examen vocatis, de illo sanctorum fastis adscribendo provide cogitavit.

Eius ortus MDXIII et vitae B. Felicis compendium. § 2. Felix, ineunte saeculo XVI circa annum Christi MDXIII in finibus Reatinorum humili loco natus, ab ipsâ adolescentiâ futurae virtutis argumenta, in dies animum eius ad summi Dei cultum excitantia, manifestavit. Litterarum plane rudis agrisque colendis deditus, ex sibi praelectis veterum Patrum gestis, austerioris vitae, qua illi excelluerant, amore captus, institutum eorumdem fratrum Minorum B. Francisci, qui Capuccini appellantur, voto suo complendo aptissimum censuit, cui plurimo gaudio in laicorum ordine nomen daturus, Romam ex patriâ suâ Cantalicio profectus est. Hic religionem ingressus anno MDXLIII toti Urbi per quadraginta et eo amplius annos summe christianâ morum innocentiâ et simplicitate, asperrimaeque poenitentiae et vitae genere se admirandum exhibuit. Rigidum sui Ordinis institutum per omnia observasse nequaquam contentus, plurima alia ultro sibi servanda pro Dei amore, quo flagrabat, diu noctuque proposuit. Conscientiae viri Dei moderatores, dominici Corporis sumptionem ter illi singulis hebdomadis peragere solito, per totos quindecim ante dormitionem annos, ob eius ardentissimum charitatis fervorem, quotidianam divinae mensae perceptionem concedere, sanctum existimarunt: ad quam sine uberrimo lacrymarum imbre nunquam accessit. Lasso corpori nullam requiem indulsit, illud ieiuniis, praeter suam regulam supraque communem usum sibi praescriptis, durisque flagellis castigans. Nudis pedibus per Urbem, eleemosynas pro fratribus reficiendis quotidie corrogaturus, incedere, ferreis quoque annulis ad lumbos praecinctus celebriores Urbis basilicas obire consuevit; palam etiam visus cum beato

[1] Constitutio praecedens est huic similis, uti et alia edit. MDCCXXVI, die 10 decembris, pontif. III. Peracta fuit canonizatio anno MDCCXII, die 22 mai, pontif. XII.

confessore Philippo Nerio sui contemptu et humilitate certare. Vitae suae termino semel atque iterum praenunciato, visâque inter caelitum choros Deiparâ Virgine, plenus dierum et meritorum in coenobio ad radices Quirinalis sancte suaviterque spiritum Deo reddidit XV kalendas iunias anni MDLXXXII, totâ Urbe ad servi Dei cadaver in sacrâ aede expositum confluente, per eius preces divinam opem imploraturâ, vel, ob iam acceptam per eius merita, Deo grates acturâ. Ipsi quoque sanctae memoriae antecessores nostri Romani Pontifices Xystus V et Gregorius XV, ut beati viri precibus se apud Deum commendarent, ad eius sepulchrum invisendum palam accedere visi sunt.

Eius nomen ab Urbano VIII in tabulas martyrologii relatum est.

§ 3. Tantae sanctitatis famâ Dei nutu in dies magis prodeunte, piae recordationis antecessor noster Urbanus Papa VIII, qui novam disciplinam ob Dei servos in beatorum et sanctorum canonem referendos veteri addiderat, beatum Felicem novae subesse noluit, eiusque virtutes ad receptam sanctionem apostolicarum normam cum miraculis ob eius invocationem patefactis[1] rite probavit: servique Dei nomen in sacras tabulas martyrologii romani pontificio diplomate relatum est, missâ pariter et officio in Felicis honorem celebrari permissis. Postmodum per alios felicis memoriae Romanos Pontifices antecessores nostros Innocentium X et Clementem XI novis miraculis, quae post Felicem beatorum numero adscriptum contigerant, comprobatis, idem Papa Clemens beatum virum in sanctorum canonem statutâ die referendum, apostolicâ auctoritate pronunciavit. Quare, universis, quae ex S. R. E. constitutionibus, ritibus, canonibus et decretis, in B. Felicis virtutum et miraculorum examine et approbatione agenda erant, sancte peractis, idem Clemens magnae solemnitatis diem dominicam SS. Trinitati sacram, XI kalendas iunias anni dominicae Incarnationis MDCCXII', sui pontificatus XII, tanto actui et caeremoniae perficiendae futuram esse voluit: quem actum, omnium maxime solemnem, regum et principum obsecrationes ab Apostolicâ Sede obsequentissime tanto antea poposcerant.

A Clemente XI sanctorum numerus eius nomine et aliorum trium beatorum auctus est.

§ 4. Itaque Clemens praestitutâ die in sanctam beatorum Petri et Pauli basilicam magno apparatu et celebritate processit: ubi in plenario S. R. E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum, et episcoporum conventu, repetitis pro B. Felice in sanctorum canonem referendo humillimis ad Deum precibus et Paraclyti Spiritus gratiâ enixe invocatâ, ad honorem sanctissimae et individuae Trinitatis, fideique et religionis catholicae amplificationem, auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii et Spiritus Sancti, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum, toto eodem conventu uno ore adprobante et consentiente, beatae memoriae Felicem a Cantalicio, de cuius sanctitate virtutumque christianarum et signorum magnitudine cumulate constiterat, unâ cum confessore et pontifice Pio Papa V, confessore non pontifice Andreâ Avellino, virgineque non martyre Catharinâ a Bononiâ, sanctorum confessorum non pontificum canoni adscribendum esse definivit, eumdemque Felicem sanctorum confessorum canoni adscriptum deinceps ab universis christifidelibus ut vere Sanctum ubique colendum, honorandum, invocandumque decrevit; in eius honorem sacras aedes et altaria, ubi incruentum sacrificium Deo offeratur, construi et dicari, et quotannis XV kalendas iunias, quo die obdormivit in Domino, solem-

1 Forsan *patratis* vel *peractis* (R. T.).

nem eius memoriam, ut sancti confessoris pie recoli posse sancivit.

Causae huius constitutionis. § 5. Denique gratiis Deo cum exultatione actis, quod sanctum confessorem Felicem cum ceteris iam memoratis in conspectu omnium gentium honorificari et militantem Ecclesiam tam insigni gloriâ decorari voluisset, in eiusdem confessoris et ceterorum laudem solemni oratione cantatâ, in arâ maximâ supra confessionem beati Petri apostolorum principis, unàcum eorumdem sanctorum commemoratione, missae sacrificium celebravit, singulisque catholicis, qui tantae caeremoniae intererant, plenariam peccatorum indulgentiam et remissionem largitus est.

Causae huius Constitutionis. § 6. Ne vero de huiusmodi solemni definitione et sanctione apostolicâ, ceterisque praemissis, propterea quod de illis per eumdem Clementem aut eius successorem felicis memoriae Innocentium XIII decessores nostros litterae decretales conscriptae non fuerint, unquam possit imposterum quomodolibet haesitari; nos, qui utrique, disponente Domino, licet immeriti, in cathedrâ B. Petri successimus, volumus, et apostolicâ auctoritate statuimus, ut decretum sanctio, definitio, adscriptio, relatio, concessio, ceteraque hactenus memorata, a iam dictâ die XI kalendas iunias anni MDCCXII suum consequantur effectum, ac si de illis ab eodem Clemente revera litterae decretales eâdem die conscriptae et promulgatae fuissent, ut superius enarratur.

Clausulae. § 7. Volumus etiam ut praesentes litterae nostrae ad probandum decretum, sanctionem, definitionem, adscriptionem, relationem, concessionem, ceteraque praemissa undequaque sufficiant neque alterius cuiuscumque probationis et solemnitatis adminiculum ad id amplius requiratur.

§ 8. Ceterum, quia difficile foret, has nostras ad singula loca, ad quae opus esset, adferri, volumus, ut earumdem exempla, etiam typis impressa, manu publici notarii subscripta, sigilloque alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munita, eamdem ubique fidem obtineant, quam hae nostrae obtinerent, sicubi eas exhiberi vel ostendi contingeret. Transumptorum fides.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, definitionis, sanctionis, adscriptionis, relationis, statuti et concessionis infringere, aut ei temerario ausu contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Sanctio poenalis.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXIV, pridie nonas iunias, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 4 iunii 1724, pontif. anno I.

✠ EGO BENEDICTUS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

†

†

† Ego Franciscus episcopus Praenestinus cardinalis Barberinus.

†

† Ego Petrus episcopus Sabinensis cardinalis Ottobonus, S. R. E. vicecancellarius.

† Ego Laurentius episcopus Tusculanus cardinalis Corsinus.

†

† Ego Ioseph tituli S. Praxedis presbyter cardinalis Sacripantes.

†

† Ego Thomas tituli S. Mariae Transtyberim presbyter cardinalis Rufus.

† Ego Philippus Antonius tituli S. Caeciliae presbyter cardinalis Gualterius.

†

†

† Ego Annibal tituli S. Clementis presbyter cardinalis S. Clementis Albanus, S.R.E. camerarius.

† Ego Ludovicus tituli S. Silvestri in Capite presbyter cardinalis Picus de Mirandulâ.

† Ego Ioannes Antonius tituli S. Calixti presbyter cardinalis de Viâ.

† Ego Antonius Felix tituli S. Balbinae presbyter cardinalis Zondadarius.

†

† Ego Petrus tituli S. Ioannis ante Portam Latinam presbyter cardinalis Corradinus.

†

†

† Ego Melchior tituli S. Mariae Angelorum presbyter cardinalis de Polignac.

†

†

†

†

† Ego Bernardinus tituli S. Petri in Monte Aureo presbyter cardinalis Scottus.

†

†

† Ego Nicolaus tituli Ss. Nerei et Achillei presbyter cardinalis Spinula.

†

†

†

† Ego Georgius tituli S. Agnetis presbyter cardinalis Spinula.

†

†

†

† Ego Ludovicus tituli S. Priscae presbyter cardinalis Belluga et Moncada.

† Ego Ioseph tituli S. Susannae presbyter cardinalis Pereyra de la Cerda.

†

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Stephani in Monte Caelio presbyter cardinalis Salernus.

†

† Ego Alvarus tituli S. Bartholomaei in Insulâ presbyter cardinalis Cienfuegos.

†

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Matthaei in Merulanâ presbyter cardinalis de Alteriis.

† Ego Vincentius tituli S. Onuphrii presbyter cardinalis Petra.

† Ego Prosper tituli S. Chrysogoni presbyter cardinalis Marefuscus.

†

† Ego Nicolaus tituli S. Mariae in Domnicâ presbyter cardinalis Coscia.

†

†

†

†

† Ego Benedictus S. Mariae in Viâlatâ diaconus cardinalis Pamphilius.

† Ego Ioseph Renatus S. Georgii in Velabro diaconus cardinalis Imperialis.

† Ego Laurentius S. Agathae ad Montes diaconus cardinalis de Alteriis.

† Ego Carolus S. Angeli in Foro Piscium diaconus cardinalis Columna.

† Ego Curtius S. Eustachii diaconus cardinalis Origus.

† Ego Fabius Ss. Viti et Modesti diaconus cardinalis Oliverius.

† Ego Carolus S. Mariae in Aquiro diaconus cardinalis Marinus.

† Ego Iulius S. Adriani diaconus cardinalis Alberonus.

† Ego Alexander S. Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis Albanus.

† Ego Alexander S. Mariae de Scalâ diaconus cardinalis Falconerius.

†

†

†

†

P. cardinalis prodatarius.

F. cardinalis Oliverius.

Visa in Curiâ I. archiep. Ancyranus.

L. Martinettus.

Registrata in Secretariâ Brevium.

IX.

Conceduntur privilegia conclavistis postremi conclavis [1].

Benedictus Papa XIII

URBIS. — **Motu proprio, etc.**

Causae indulti. Nos volentes dilectos filios conclavistas, etc. [2].

Datum Romae, apud S. Petrum, pridie nonas iunii, anno I.

Dat. die 4 iunii 1724, pontif. anno I.

Nomina autem ipsorum conclavistarum sunt haec quae sequuntur :

Reverendissimus dominus frater Augustinus Nicolaus de Abbatibus Oliverius Pisaurensis, episcopus Porphyriensis, sacrista ; R. P. D. Dominicus Rivera Urbinas, protonotarius apostolicus de numero partecipantium supranumerarius, basilicae Principis Apostolorum de Urbe canonicus, ac sacri collegii secretarius ; Ioannes Baptista Gamberucci presbyter Romanus, eiusdem basilicae perpetuus beneficiatus, Ignatius Reali presbyter Romanns, eiusdem basilicae pariter perpetuus beneficiatus, Franciscus Bolsa presbyter Novocomensis, canonicus insignis collegiatae S. Mariae ad Martyres, Venantius Philiopus Piersanti presbyter Camerinensis, praedictae insignis collegiatae canonicus, Placidus Eustachius Ghezzi presbyter Romanus, memoratae basilicae Principis Apostolorum de Urbe clericus beneficiatus, magistri caeremoniarum : Nicolaus Coscia presbyter Beneventanus, I. U. D., abbas infulatus, archipresbyter metropolitanae ecclesiae Beneventanae eiusdemque civitatis nobilis, Nicolaus Xaverius S. Maria I. U. D., presbyter mansionarius praedictae metropolitanae et nobilis eiusdem civitatis, nostri dum cardinalatus honore fungebamur : abbas Carolus Antonius de Ambrosiis clericus Anagninus, Ioseph Lamblotte laicus Namurcensis dioecesis, Franciscus Bassius Camerinensis, Sebastiani Antonii episcopi Ostiensis Tanara ; abbas Laurentius Pius Bonsius clericus Florentinus, Deodatus Fallii laicus Leodiensis, Francisci episcopi Tusculani Iudice; Livius Guarinus laicus Foroliviensis, Bartholomaeus Fantinus laicus Mutinensis, Fabritii episcopi Albanensis Paulutii ; comes Ioannes Troglioni clericus Anconitanus, Urbanus Petrecca presbyter Iserniensis dioecesis, Petrus Dalmatius laicus Vicentinus, Francisci episcopi Sabinensis Pignatelli ; Franciscus Velli presbyter Praenestinus, prefatae basilicae Principis Apostolorum de Urbe clericus beneficiatus, Petrus Cheller clericus Amburgensis, Francisci episcopi Praenestini Barberini, venerabilium fratrum nostrorum episcoporum S.R.E. cardinalium : Petrus Ubaldus Dionysius clericus Ariminensis, Ioseph Beltramius presbyter Florentinus, Marcus Mittarellius laicus civitatis Ducalis, Iacobi tituli S. Mariae in Viâ Boncompagni ; comes Philippus Rainaldus a Turre presbyter et abbas Albensis, eques commendatarius et receptor sanctae religionis Ss. Mauritii et Lazzari, Iacobus Antonius Carpanus presbyter Derthonensis, canonicus collegiatae Fini Comensis dioecesis, Alexander Ioannes Andreazzini laicus Romanus, Ioseph tituli S. Praxedis Sacripantes ; abbas Iacobus Leoni presbyter Segninae dioecesis, Ioseph Maria Cardoni laicus Lucensis, Laurentii tituli S. Petri ad Vincula Corsini ; Antonius Aga presbyter Rumanus, Andreas Capanella laicus Balneoregiensis, Franciscus Maria Serra laicus Romanus, Francisci tituli S. Caeciliae de Aquavivâ ; abbas Bartholomaeus Castelli I. U. D. clericus Interamnensis, Laurentius Foschi clericus dioecesis Albanensis, Ioannes Maria de Speranzinis clericus Æsinus, Thomae S. Mariae Transtyberim Ruffi ; Petrus Antonius Ventura presbyter Camerinensis, canonicus insignis collegiatae S. Mariae in Vialatâ, Nicolaus Carignani clericus Lucensis, Horatii Philippi tituli S. Honuphrii Spadae; Maturinus Jacquin laicus Parisiensis, Antonius Lori laicus de Prato dioecesis

1 Eadem privilegia concessa fuerunt ab Innocentio XIII const. edit. MDCCXXI, die 18 maii, pontif. I ; et a Clemente XII const. edit. MDCCXXX, die 16 iulii, pontif. I.

2 Reliqua ut in const. Clementis X die 28 maii MDCLXX, quam vide in tom. XVIII pag. 22 (R. T.).

Asculanae, Philippi Antonii tituli S. Chrisogoni Gualterii; Paris Ignatius Fuiten presbyter Tridentinus, Carolus de Rubeis clericus Romanus, Bartholomaeus Isola laicus Ianuensis, Iosephi tituli S. Mariae Angelorum Vallemani; Michaëlangelus Magnoni presbyter ex dioecesi S. Miniati, Petrus Canevari laicus Romanus, Caroli Augustini Fabroni; comes Livius Adrianus presbyter I.U.D. collegiatus Patavinus, Petrus Cleton clericus Romanus, Petri tituli S. Marci Prioli; abbas Ioannes Baptista Rondoni presbyter Bononiensis, abbas S. Ioannis de Liverniano, sacrae theologiae doctor et perinsignis collegiatae basilicae S. Petronii Bononiae canonicus, Iacobus Philippus Lazzari laicus Bononiensis, Ulyssis Iosephi tituli S. Crucis in Hierusalem Gozzadini; Michaëlangelus Paoli laicus Pisauriensis, medicus, Franciscus Blancus laicus Vitellaniensis, Annibalis tituli S. Clementis Albani cardinalis S. Clementis nuncupati; Ioseph Castelluccius presbyter civitatis Potentiae, Ioseph Cardini laicus Aretinus, Ioannes Baptista Innocenti laicus Sabinensis dioecesis, Ludovici tituli S. Silvestri in Capite Pici; Antonius Leprotti, physicae et medicinae doctor, laicus Bononiensis, Ioannes Andreas Stacchini laicus de Bonifacio Ianuensis, Caesar Laurentius Monte Maggi presbyter Ariminensis, Ioannis Antonii tituli S. Calixti de Viâ; abbas Ioseph Mombelli presbyter Papiensis, Hieronymus Descalzi laicus Romanus, Petrus Mangiagallo laicus Mediolanensis, Augustini tituli S. Mariae de Populo Cusani; abbas Ioannes Baptista Malpeli clericus Faventinae dioecesis, Franciscus Antonius Perfelder laicus Viennensis in Austriâ, Iulii tituli S. Laurentii in Pane et Perna Piazza; abbas Ludovicus Anguisciola clericus Placentinus, Ludovicus de Grandis laicus Venetus, Antonii Felicis tituli S. Balbinae Zondadarii; Ioannes Petrus Querenghi clericus Anconitanus I. U. D., Thomas Puccettus presbyter Romanus, Ioannis Baptistae tituli S. Mariae in Arâcaeli Bussi; Thomas Ceccotti clericus Reatinus, Franciscus Maria Lucca laicus Romanus, Petri tituli S. Ioannis ante Portam Latinam Corradini; Ioannes Vivant presbyter Parisinus, doctor Sorbonicus, decanus regalis et collegiatae ecclesiae S. Germani Parisiis, ac metropolitanae ecclesiae canonicus onorarius, Basilius Laurentius le Barbier clericus Parisiensis, prior commendatarius S. Roberti d'Andri dioecesis Antissiodorensis, Francus Sordini laicus Florentinus, Armandi tituli SS. Trinitatis in Monte Pincio de Rhoan; Dominicus Nicolai presbyter terris Arcidoxi Clusinae dioecesis, Philippus de Romanis laicus Romanus, Ioannis Baptistae tituli S. Stephani in Monte Caelio Ptolomaei; Ferdinandus Antonius Campeggi presbyter Bononiensis, Caietanus Bononi laicus Novocomensis, Benedicti tituli Ss. Nerei et Achillei Odescalchi; Ludovicus Guido Guerapin de Vauréal presbyter Senonensis, doctor Sorbonicus, Fridericus Hieronymus de Roye de la Rochefoucauld diaconus Parisiensis, sacrae facultatis Parisiensis licentiatus theologus, abbas B. Mariae de Belloportu et S. Romani de Blavia, Petrus Julien laicus dioecesis Agathensis, Henrici tituli Ss. Quirici et Iulitae de Bissii; Felix Rosapepe presbyter Avellinae dioecesis, canonicus Aversanus, Iacobus Philippus Verde presbyter Albinganensis dioecesis, Bernardinus de Benedictis clericus coniugatus Spoletanus, Innici tituli S. Thomae in Parione Caraccioli; Carolus Thomasius clericus coniugatus patritius Anconitanus, Nicolaus Corbellus laicus Romanus, Bernardini tituli S. Petri in Monte Aureo Scotti; abbas Hieronymus Cardoni presbyter Lucensis, basilicae Principis Apostolorum perpetuus beneficiatus, Ioseph Trifelli laicus Romanus, Ioannis tituli Ss. Quatuor Coronatorum Patritii; comes Ioannes Fabius Braschi clericus Caesenatensis I.U.D., Ludovicus Mosconus de Marsciano clericus Perusinae dioecesis, Nicolai tituli S. Sixti Spinulae; abbas Hieronymus Franciscus Crivelli presbyter et nobilis civis Mediolanensis, Angelus Dominicus Federici presbyter Novariensis, Giberti tituli S. Alexii Borromaei; abbas Ubaldus Petruccius clericus Romanus, Franciscus Xaverius Reffi laicus Mediolanensis, Georgii tituli S. Agnetis Spinulae cardinalis S. Agnetis nuncupati; abbas Didacus Mauri clericus Neapolitanus, Lau-

rentius Ratta clericus Ferrariensis, Cornelii tituli S. Hieronymi Illyricorum Bentivoli; abbas Marcus Antonius Campana presbyter Brixiensis I. U. D., Ioannes Dianeli clericus coniugatus Caenetensis, Ioannis Francisci tituli Ss. Petri et Marcellini Barbadici; abbas Ioseph de Saporitis et Serrano presbyter Hispanus Gadicensis, sacrae theologiae et I. U. D. ex marchionibus de Castro Zolaschi, Ioseph Rosati laicus Interamnensis, Ludovici tituli S. Mariae Transpontinae Bellugae; Ioannes Alvares a Costa Ulyssiponensis, eques militaris Ordinis Iesu Christi, in utroque iure graduatus; comes Antonius Sartonius clericus Ariminensis, Emanuel Rubelo laicus Lusitanus dioecesis Colimbriensis, Iosephi tituli S. Susannae Pereyra; Philippus Hortensis Fabri clericus coniugatus Romanus, Antonius Fridt laicus Boëmus, Ioannis Baptistae tituli S. Priscae Salerni; Ioseph de Ochoa Hispanus laicus dioecesis Pampilonensis, Anielus Nipho laicus Neapolitanus, Ioannes Ioseph Saforcada Hispanus laicus Caesaraugustanae dioecesis, Caroli tituli sanctae Pudentianae Borgia; Iosephus Emigdius Grassi Asculanus eques Hierosolymitanus, Franciscus Galante presbyter Toletanus, Ioannes Fernandez laicus Ovetensis, Alvari tituli S. Bartholomaei ad Insulam Cienfuegos; abbas Aloysius Pagni clericus Senensis, Franciscus Maria de Fabiis laicus Romanus, Bernardinus Tarozzi laicus Romanus, D. Bernardi Mariae tituli S. Bernardi de Comitibus presbyterorum S. R. E. cardinalium: Carolus Casanova presbyter Vintimiliensis, Augustinus Lupacchioli clericus coniugatus Civitatis Castellanae dioecesis, Franciscus Titii laicus Segninae dioecesis, Benedicti S. Mariae in Vialatâ Pamphilii; Ioannes Antonius Coltrolini clericus coniugatus Romanus I. U. D., regii et militaris Ordinis S. Mariae de Monte Carmelo ac S. Lazari Hierosolymitani eques, Alexander Perazzoli laicus Neapolitanus, Petri S. Laurentii in Damaso Ottoboni; abbas Lucas Nicolaus Recchi clericus Ripanus, Ioannes Argenti laicus Romanus, Iosephi Renati S. Georgii Imperialis; Andreas Iannensi laicus Praenestinus, Petrus Buccardus laicus Romanus, Laurentii S. Agathae Gothorum de Alteriis; abbas Christophorus Venturelli clericus Amerinus, Ioannes Labusiera laicus Romanus, Caroli S. Angeli in Foro Piscium Columnae; Ubaldus Monacelli presbyter Eugubinae dioecesis, Carolus Gessi laicus Urbinas, Curtii S. Eustachii Orighi; Carolus d'Orléans Rothelin presbyter Parisinus, sacrae facultatis Parisiensis doctor theologus, Claudius Ludovicus de la Chastre presbyter Parisinus, sacrae facultatis Parisiensis licentiatus theologus, abbas sancti Michaëlis de Ulteriori Portu dioecesis Rothomagensis, Dionysius le Blond clericus dioecesis Venetiarum, prior commendatarius Montis Desiderii Ordinis S. Benedicti dioecesis Ambianensis, Melchioris cardinalis de Polignac; comes Bonaventura Antonelli laicus Eugubinae dioecesis, Ioannes Antonini laicus Romanus, Fabii Ss. Viti et Modesti Oliverii; Leo Dulcis clericus Montis Falisci, sacrae theologiae ac I. U. D., abbas Ioseph Ferdinandus Bilancinus clericus Montis Falisci I. U. D., Caroli S. Mariae in Aquiro de Marinis; comes Philippus Anguisciola clericus Placentinus, Carolus Angelettus laicus Romanus, Iulii cardinalis Alberoni; Antonius Baldanus clericus Romanus, Franciscus Baccius laicus Balneoregiensis, Alexandri S. Mariae in Cosmedin Albani, diaconorum S. R. E. cardinalium: frater Antoninus Seraphinus Camarda Messanensis Ordinis Praedicatorum, confessarius; frater magister Fridericus Amadeus Urbevetanus Ordinis eremitarum S. Augustini, subsacrista; abbas Nicolaus Xaverius Albinus Beneventanus, basilicae Principis Apostolorum de Urbe canonicus, custos fontium et aquarum conclavis; abbas Ioannes Franciscus de Valentinis presbyter Verulanae dioecesis, cum praedicto reverendissimo episcopo Porphyriensi sacrista; abbas Ioseph Levizzani clericus Mutinensis, cum praefato reverendo patre domino Rivera sacri collegii secretario; Iacobus Curtius laicus Urbinas, cum dicto fratre magistro Amadeo subsacrista; Ioannes Thomasi Messanensis, Ioannes Baptista Nucarini Fulginas, medici physici; Victorius Maffinus Florentinus, Iacobus Mansuetus Romanus, aromatarius: Iacobus Antonius Bo-

sim Mantuanus, Patritius de Henricis Arpinas, eius auxiliatores; Ioseph de Ambrosiis Romanus, Philippus Roberti Romanus, barbitonsores; Ioannes Marcellus Golt Germanus Coloniensis dioecesis, Petrus Collarelli Romanus, eorum auxiliatores; Ioseph Tondi, faber lignarius; Franciscus Alfieri, faber caementarius; Franciscus Mossius a Morbegno Novocomensis dioecesis, famulus magistrorum caeremoniarum; Petrus Tomasi, Ioannes Antonius Stendardi, Petrus de Franceschi, Remigius Valena, Andreas Iuliani, Ioannes Togniacci, Ioseph Borsotti, Constantinus Cichelli, Basilius Grimaldi, Franciscus Barberi, Ioseph Pichignò, Antonius Massi, Paulus de la Bitta, Caietanus Corallo, Ioannes Baptista Guldoni, Philippus Mezzarota, Ioannes Petrus Giorgi, Gregorius Crivelli, Augustinus Bianchetti, Carolus Galli, Petrus Valeno, Dionysius Sabbatini, Paschalis Idetti, Ioseph Canillis, Antonius Agniolucci, Nicolaus Solari, Ioannes de Sanctis, Paschalis Guardi, Bernardinus Scaletta, Remigius de Bernardis, Ioseph Albonetti, Ioannes Baptista Ricci, Angelus Pozzi, Franciscus Zavaglia, Ioseph Bartolini, scopatores conclavis.

X.

Conceduntur privilegia dapiferis postremi conclavis [1].

Benedictus Papa XIII.

URBIS. — Motu proprio, etc.

Causa indulti. Nos volentes dilectos filios nostros, etc. [2].

1 Eadem privilegia concessa fuere ab Innocentio XIII constit. edit. MDCCXXI, die 18 maii, pontif. I; et a Clemente XII const. edit. MDCCXXX, die 26 iunii, pontif. I.

2 Reliqua omittimus, quia ipsissima sunt ac illa quae leguntur in constit. VII Clementis X die 14 iunii MDCLXX, quam vide in tom. XVIII, pag. 42 (R. T.).

Nomina eminentissimorum dominorum cardinalium et dapiferorum, sunt haec quae sequuntur:

Frater Vincentius Maria Ursinus Ordinis Praedicatorum, nunc BENEDICTUS XIII Romanus; comes ... Vitellus Beneventanus.

EPISCOPI V.

Sebastianus Antonius, episcopus Ostiensis et Veliternensis, sacri collegii decanus cardinalis Tanara, sacrae Congregationis immunitatis praefectus, Bononiensis; Franciscus Gothifredus Romanus.

Franciscus episcopus Tusculanus S. R. E. cardinalis Iudice, archiepiscopus Montis Regalis, Neapolitanus; marchio Nicolaus della Penna sacerdos Perusinus.

Fabritius episcopus Albanensis S. R. E. cardinalis Paulutius, sanctissimi domini nostri Papae vicarius, ac sacrarum Congregationum episcoporum et regularium et rituum praefectus, Foroliviensis; abbas Cornelius Herculanus clericus Foroliviensis.

Franciscus episcopus Sabinensis S. R. E. cardinalis Pignatellus, archiepiscopus Neapolitanus; abbas Baptista Zola clericus ...

Franciscus episcopus Praenestinus S.R.E. cardinalis Barberinus, sacrae Congregationis aquarum praefectus, Romanus; Ioseph Sebastianus Fontana ex comitibus Scagnelli clericus Parmensis.

PRESBYTERI XXXVII.

Iacobus tituli S. Mariae in Viâ S. R. E. cardinalis Boncompagni, archiepiscopus Bononiensis; Iulius Gabriellius Romanus.

Ioseph tituli S. Praxedis S.R.E. cardinalis Sacripantes, sacrae Congregationis Propagandae Fidei praefectus, Narniensis; Ioannes Franciscus Sacripantes, Romanus.

Laurentius tituli S. Petri ad Vincula S.R.E. cardinalis Corsinus Florentinus; abbas Marcellus Passarus I. U. D., sacerdos Ariauensis.

Franciscus tituli S. Caeciliae S. R. E. cardinalis Acquaviva Neapolitanus; Thomas de Vibina sacerdos.

Thomas tituli S. Mariae Transtyberim S. R. E. cardinalis Ruffus, episcopus Ferrariensis, Neapolitanus; frater Bartholomaeus

Catenaccius eques Hierosolymitanus Amerinus.

Horatius Philippus tituli S. Honufrii cardinalis Spada, episcopus Auximanus, Lucensis; abbas Fulvius Camillus Sinibaldus clericus Auximanus.

Philippus Antonius tituli S. Chrysogoni S. R. E. cardinalis Gualterius Urbevetanus; comes Hieronymus Dandinus Caesenas.

Ioseph tituli S. Mariae Angelorum S. R. E. cardinalis Vallemanus Fabrianensis; advocatus Franciscus Memmius clericus Florentinus.

Carolus Augustinus tituli S. Augustini S. R. E. cardinalis Fabronus, sacrae Congregationis Indicis praefectus, Pistoriensis; abbas Faustus Cosattus clericus Senensis.

Petrus tituli S. Marci S. R. E. cardinalis Priolus, episcopus Bergomensis Venetus; frater ... Columna eques Hierosolymitanus Romanus.

Ulysses Ioseph tituli S. Crucis S. R. E. cardinalis Gozzadinus, episcopus Imolensis, Bononiensis; Alphonsus Servantius ...

Annibal tituli S. Clementis S. R. E. cardinalis Albanus, S. R. E. camerarius, archipresbyter basilicae Vaticanae et sacrae Congregationis reverendae fabricae S. Petri praefectus, Urbinas; eques Ioannes Franciscus Sempronius clericus Urbinas.

Ludovicus tituli S. Silvestri in Capite S. R. E. cardinalis Picus, episcopus Senogalliae et sacrae Congregationis indulgentiarum praefectus, de Mirandula; abbas Thomas de Vulpe clericus Imolensis.

Ioannes Antonius tituli S. Calisti S. R. E. cardinalis de Vià, episcopus Ariminensis, Bononiensis; abbas ... Scortia.

Augustinus tituli S. Mariae de Populo S. R. E. cardinalis Cusanus, episcopus Papiensis, Mediolanensis; comes Ignatius Michaël Crivellus clericus Mediolanensis.

Iulius tituli S. Laurentii in Pane et Perna S. R. E. cardinalis Piazza, episcopus Faventinus, Foroliviensis; comes Fabritius Ilorinus clericus Foroliviensis.

Antonius Felix tituli S. Balbinae S. R. E. cardinalis Zondadarius Senensis; advocatus Marius Soccinus clericus Senensis.

Ioannes Baptista tituli S. Mariae in Aràcaeli S. R. E. cardinalis Bussius, episcopus Anconitanus, Viterbiensis; Ioannes Antonius Kresyterale Corvinis sacerdos Sardus.

Petrus Marcellinus tituli S. Ioannis ante Portam Latinam S. R. E. cardinalis Corradinus Setinus; comes Virgilius Montecatinus sacerdos Ferrariensis.

Armandus Gasto tituli SS. Trinitatis in Monte Pincio S. R. E. cardinalis de Rhoan de Soubize, episcopus Argentinensis, Gallus; abbas Folignan clericus.

Ioannes Baptista e Societate Iesu tituli S. Stephani in Monte Caelio S. R. E. cardinalis Ptolomeus, Pistoriensis; advocatus Ioannes Franciscus Ingenuus clericus Neapolitanus.

Benedictus tituli Ss. Nerei et Achillei S. R. E. cardinalis Odescalcus, archiepiscopus Mediolanensis; comes Gabriel Ferrettus sacerdos Anconitanus.

Henricus tituli Ss. Quirici et Iulittae S. R. E. cardinalis de Thyard de Byssi, episcopus Meldensis, Gallus; comes Franciscus Baschius Urbevetanus.

Innicus tituli S. Thomae in Parione S. R. E. cardinalis Caracciolus, episcopus Aversanus, Neapolitanus; Dominicus Martursus sacerdos Neapolitanus.

Bernardinus tituli S. Petri in Monte Aureo S. R. E. cardinalis Scottus, signaturae iustitiae praefectus, Mediolanensis; comes Ioseph Atto de Aptis Romanus.

Ioannes tituli Ss. Quatuor Coronatorum S. R. E. cardinalis Patritius Romanus; marchio Tibertus Astallius clericus Romanus.

Nicolaus tituli S. Sixti S. R. E. cardinalis Borromaeus, episcopus Novariensis, Mediolanensis; ... Cerronus.

Georgius tituli S. Agnetis extra moenia S. R. E. cardinalis Spinula Ianuensis; abbas Victorianus Monresa clericus.

Cornelius tituli S. Hieronymi Illyricorum S. R. E. cardinalis Bentivolius Ferrariensis; eques Petrus Franciscus Pandolphinus Pisanus.

Ioannes Franciscus tituli Ss. Petri et Marcellini S. R. E. cardinalis Barbadicus, episcopus Brixiensis, Venetus; Ludovicus Tabarella eques S. Stephani Patavinus.

Ludovicus tituli S. Mariae Transpontinae S. R. E. cardinalis Belluga et Moncada, episcopus Cartaginensis, Hispanus; Andreas Rets clericus.

Ioseph tituli S. Susannae S. R. E. cardinalis Pereyra de la Cerda, episcopus Pharaonensis, Lusitanus; frater Theresius Cassuolus eques Hierosolymitanus Regiensis.

Ioannes Baptista e Societate Iesu S. R. E. cardinalis Salernus Cosentinus; abbas Franciscus Micellus sacerdos Rheginensis.

Carolus tituli S. Pudentianae S.R.E. cardinalis Borgia, patriarcha Indiarum, Hispanus; abbas Ioseph Beatia clericus.

Alvarus e Societate Iesu tituli S. Bartholomaei in Insulâ S. R. E. cardinalis Cienfuegos, episcopus Casanensis, Hispanus; Ioannes Augustinus Geminianus.

D. Bernardus Maria Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis tituli S. Bernardi S.R.E. cardinalis de Comitibus, maior poenitentiarius, Romanus; abbas Dionysius della Penna clericus Perusinus.

DIACONI XI.

Benedictus S. Mariae in Viâlatâ primus diaconus S. R. E. cardinalis Pamphilius, signaturae gratiae praefectus, Romanus; abbas Felix Pollastra clericus Camerinensis.

Petrus tituli S.Laurentii in Damaso S.R.E. cardinalis Ottobonus S. R. E. vicecancellarius, archipresbyter basilicae Liberianae, Venetus; marchio Franciscus Andreas de Monte S. Mariae Anconitanus.

Ioseph Renatus tituli S. Gregorii S. R. E. cardinalis Imperialis, Congregationis boni regiminis et disciplinae regularis praefectus, Ianuensis; abbas Thomas Cansaccus clericus Amerinus.

Laurentius tituli S. Agathae Gotorum S. R. E. cardinalis de Alteriis Romanus; abbas Hieronymus Petronius canonicus basilicae Vaticanae Romanus.

Carolus tituli S. Angeli in Foro Piscium S. R. E. cardinalis Columna Romanus; Franciscus Lagarola Viterbiensis.

Curtius tituli S. Eustachii S. R. E. cardinalis Origus, sacrae Congregationis Concilii Tridentini praefectus, Romanus; abbas Martius Cincius clericus Romanus.

Melchior tituli ... S. R. E. cardinalis de Polignac Gallus; abbas ... de S. Germano clericus.

Fabritius tituli Ss. Viti et Modesti S.R.E. cardinalis de Abbatibus Oliverius Pisaurensis; abbas Ioannes Franciscus de Abbatibus Oliverius eques S. Ioannis Hierosolymitani clericus Pisaurensis.

Carolus tituli S. Mariae in Aquiro S.R.E. cardinalis de Marinis Ianuensis; abbas Franciscus Visettus patritius Alvetius dioecesis Comensis.

Iulius tituli S. Adriani S. R. E. cardinalis Alberonus Placentinus; abbas Alexander Caroldus clericus Placentinus.

Alexander tituli S. Mariae in Cosmedin S. R. E. cardinalis Albanus Urbinas; abbas Ioseph Nagat et Saelinos clericus Barchinonensis.

XI.

Indicitur iubileum universale initio pontificatus Sanctitatis Suae [1].

Benedictus Papa XIII,
Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium a necessitate implorandi divinum auxilium pro salutari universalis Ecclesiae regimine.

Cum inscrutabilis divini consilii altitudo humilitatem nostram ad universae Ecclesiae regimen evocare, nobisque vicariam sui in terris potestatem committere dignata [2] sit: nos, tametsi nihil magis desideraremus, quam ut immensam illam curarum pontificiarum molem, cui ferendae infirmitatem nostram longe imparem agnoscimus, defugere possemus, delatamque propterea dignitatem, quantum licuit, toto animo ac sincero corde detrectaverimus, assidue Deum obsecrantes ut calicem illum a nobis trans-

1 Huic simile iubileum indictum fuit ab Innocentio XIII, const. edit. MDCCXXI, die 27 maii, pontif. I; et a Clemente XII const. edit. MDCCXXX, die 9 septembris, pontif. I.

2 Vocem *dignata* nos addimus (R. T.).

ferret, nihilominus, ne supernae voluntati, cui non est qui resistat, nimium obluctari videremur, imposito nobis iugo collum ex charitatis necessitate humiliter submisimus, firmâ spe ac fiduciâ in Domino freti, ut, qui nobis apostolici ministerii auctor fuit, mitteret auxilium de sancto et de Sion tueretur nos. Verum, dum assumpti oneris angelicis etiam humeris formidandi gravitatem serio perpendimus, miseramque temporum conditionem ac luctuosum christianae reipublicae statum contemplamur, anticipaverunt vigilias oculi nostri, atque inter moerores et suspiria timemus, ne cum regio Prophetâ exclamare cogamur: *Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me.* Dolemus siquidem et graviter angimur, nos in ea tempora incidisse, quibus refrigescere charitatem multorum videmus. Neque sanctae Dei Ecclesiae faciem, quâ multiplicatis in regione dissidiis laceram, quâ filiorum suorum excessibus deformatam, sine intimâ animae nostrae amaritudine intueri possumus. Non tamen deficimus animo, sed omnem spem nostram in eum convertimus, qui sperantes in se confundi non patitur, et gratiae suae sustinet ac confovet praesidio. Quod ut cum omnium ecclesiarum, quarum nobis credita est sollicitudo, utilitate demereri ac consequi valeamus, ad vestrum omnium, quibus curam pastoralem impendere[1], preces ex pio ac laudabili Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum more confugiendum duximus, merito confidentes clementissimum Dominum nostrum ad providum Ecclesiae militantis gubernium necessario nobis caelestia dona largiturum, si vos nobiscum unanimes scindatis corda vestra, et deposito peccatorum pondere revertamini ad Eum qui multus est ad ignoscendum, et orationes vestras, ieiunii atque eleemosynae viribus roboratas, ad altare Patris misericordiarum iugiter offeratis. Accedamus ergo ad Deum in sanctitate animae, castas et impollutas manus ad illum elevantes. Adeamus cum fiduciâ ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Praestabilem super hominum malitiâ Dei bonitatem imploremus, ut, qui dat lasso virtutem, et his qui non sunt fortitudinem et robur multiplicat, confirmet quod operatus est in nobis, nosque confortet in potentiâ virtutis suae, ac repleat agnitione suae voluntatis in omni sapientiâ et intellectu, effundens super nos spiritum consilii, quo inter tot rerum ac temporum difficultates agnoscamus quid agere debeamus, oculisque ac mente semper in Deum intentis, quae recta sunt, salubriter perficiamus. Haec autem ut maiori spiritus ardore uberiorique fructus incremento fiant, caelestium munerum thesauros, quorum dispensationem fidei nostrae commisit divina dignatio, reserare, et liberali manu erogare decrevimus.

§ 1. Itaque, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis et singulis utriusque sexus christifidelibus in almâ Urbe nostrâ degentibus, qui solemni processioni quam dominicâ tertiâ post Pentecostes ab ecclesiâ S. Mariae super Minervam ad ecclesiam B. Mariae de Vallicellâ nuncupatam de eâdem Urbe, unâ cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, necnon etc[1]. Indictio praedicti iubilaei.

1 Vel *impendimus* vel *impendere debemus* (R. T.)

1 Reliqua omittimus, quia eadem sunt ac illa quae leguntur in tom. xx, pag. 9 (R. T.)

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x iunii MDCCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 10 iunii 1724, pontif. anno I.

XII.

Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium pro erectione seminarii missionariorum in provincia S. Pauli fratrum Minorum Discalceatorum strictioris observantiae Castellaeveteris [1].

**Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.**

Petitio dictae Congregationi facta pro erectione seminarii immediate subiiciendi ministro provinciali et definitorio iuxta constitutiones Innocentii XI de seminariis familiae Hispanicae.

§ 1. Nuper pro parte dilecti filii Ioannis Diaz a Conceptione, sacrae theologiae lectoris ac patris provinciae fratrum Excalceatorum S. Didaci in Baeticâ, et procuratoris generalis in Romanâ Curiâ eorumdem fratrum Discalceatorum et Recollectorum Ordinis sancti Francisci, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod, cum provincia S. Pauli fratrum Discalceatorum huiusmodi strictioris observantiae eiusdem S. Francisci veteris Castellae, animabus sanguine Agni redemptis proficere cupiens, humiliter eidem Congregationi supplicasset, quatenus eidem provinciae unum ex illius conventibus, per fratres definitorii provincialis designandum, in collegium seu seminarium missionariorum, qui apostolicis missionibus unice essent dediti, facultatem erigendi concederet, cuius quidem conventûs guardianus, aliique fratres, pariterque ipsum seminarium strictissimis praedictae provinciae constitutionibus gubernarentur, ac ministro et definitorio provinciali immediate subditi essent, cui etiam competeret electio guardiani dicti seminarii pro tempore, necnon receptio novitiorum, sicut in aliis totius provinciae conventibus observabatur, non autem subiicerentur immediate ministro generali, sicut in litteris felicis recordationis Innocentii Papae XI praedecessoris nostri desuper in simili formâ Brevis expeditis pro collegiis missionariorum sitis in provinciis ad familiam Hispanicam spectantibus disponebatur, prohibendo simul expresse, quod, dummodo erectum esset in dictâ provinciâ S. Pauli praedictum seminarium, nullus ex eiusdem provinciae alumnis titulo missionum ad alia missionariorum collegia extra ipsam provinciam existentia transire posset, concedendo his novis missionariis omnia et singula privilegia ac praerogativas in dictis litteris Innocentii praedecessoris contenta, quibusque alia missionariorum etiam regularis observantiae seminaria gaudebant, remanente tamen intactâ et illaesâ eâdem ministri generalis auctoritate, quam in omnibus provinciis et conventibus totius Ordinis exercebat, exceptis tamen immediatâ subiectione, electione guardiani, ac receptione novitiorum, quae, sicut praemittitur, ad ministrum et definitorium provinciale spectare deberent, emanavit a praedictâ Congregatione cardinalium decretum tenoris sequentis, videlicet:

Decretum Congregationis iuxta relatam petitionem anno MDCCXXIII editum.

Sacra Congregâtio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, visâ relatione eminentissimi Corsini praedicti Ordinis apud S. Sedem protectoris et patris procuratoris generalis, referente eminentissimo Fabrono,

[1] De erectione seminariorum pro familiâ Hispanicâ vide Innocentii XI const. ed. MDCLXXXVI, die 2 (forsan 28, vide tom. XIX, pag. 690) iunii, pontif. X, et huius Pontificis const. ed. MDCCXXVII, die 3 aprilis, pontif. II (R. T.).

benigne indulsit ut pater provincialis praefatae provinciae, veris existentibus narratis, fundationem praedicti seminarii missionariorum sibi et definitorio provinciali in uno ex conventibus eiusdem provinciae b[illegible]iso, iuxta formam, praerogativas, privi[illegible] et onera contenta in praecitatis Brevibus sanctae memoriae Innocentii XI, pro suo arbitrio et conscientiâ, servatis servandis, deveniat, immediatâ tamen iurisdictione, electione guardiani, et receptione novitiorum exceptis, quae reservatae intelligantur eidem provinciali modo supra descripto, et cum expressâ etiam conditione ut religiosi istiusmodi provinciae seu seminarii de uno ad aliud seminarium alterius provinciae transire, et guardianus huius seminarii erigendi religiosos aliarum Ordinis provinciarum acceptare minime possint et valeant; firmis ceteroquin integris et illaesis remanentibus omnibus aliis praerogativis, auctoritatibus et superioritatibus debitis et competentibus patri ministro generali Ordinis. Non obstantibus, etc. Romae, xx augusti MDCCXXIII. — F. card. PAULUTIUS. — F. archiepiscopus Damascenus, secretarius.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Ioannes procurator generalis nobis subinde exponi fecit, ipse privilegia huiusmodi [1], quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, specialem ipsi Ioanni procuratori generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xx iunii MDCCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 20 iunii 1724, pontif. anno I.

XIII.

Inciditur universale iubilaeum anni sancti MDCCXXV [1].

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium a necessitate implorandi caeli-

Redemptor et dominus noster Iesus Christus, unigenitus Dei filius, cuius

1 Voc[illegible]modi nos addimus (R. T.).

1 Ultimum iubilaeum anni sancti MDCC indictum fuit ab Innocentio XII const. ed. MDCXCIX, die 18 maii, pontif. VIII. Aliud iubilaeum huius Pontificis pro initio sui pontificatus vide supra pag. 50 *b* et *seq.* (R. T.).

ne auxilium ut a sanctissimo facilius et felicius regi possit universalis Ecclesia in [illegible] prospero rerum statu.

inscrutabili providentiâ[1] pariter ac terrena omnia sapientissime disponuntur, immensam suam erga nos bonitatem clarissimo testimonio patefecit, cum ad regimen universalis Ecclesiae pretioso suo sanguine acquisitae, post diuturnam Apostolicae Sedis vacationem, humilitatem nostram vocare, suamque in terris vicariam potestatem nobis committere dignatus est. Et nos quidem impositam sacrosancti apostolatus sarcinam, etsi viribus nostris longe imparem, quin etiam ipsis angelicis humeris formidandam, suspiria inter et lacrymas, nec tam immerentes quam inviti, suscepimus, ut divinae vocis imperio, quemadmodum par erat, humiliter obsequeremur. Verum, dum luctuósum christianae reipublicae, gravium malorum procellis tot per annos agitatae et graviorum adhuc periculis expositae, statum attente circumspicimus, susceptique oneris magnitudinem, et rerum ac temporum conditionem serio nobiscum reputamus, timor et tremor venerunt super nos, et vigilias anticipaverunt oculi nostri, meritoque veremur ne impendenti nobis gravissimae curarum moli infirmitas nostra succumbat. Non tamen concidimus animo, sed omnem pro salute crediti nobis e caelo gregis laborem alacriter subire parati, in bonorum omnium largitore Deo, qui sperantes in se confundi non patitur, firmam collocamus fiduciam, fore ut, qui nobis extitit honoris auctor, ipse fiat administrationis adiutor, et virtutem largiatur qui contulit dignitatem. Id porro nos a divinâ clementiâ supplici devotâque humilitate assidue precari non desinimus, et ab universis etiam christifidelibus, quibus apostolica sollicitudo a nobis impendenda est, unanimi studio flagitari maxime cupimus, ut exoratus communibus precibus benignus et misericors Dominus, qui dat lasso virtutem, et his qui non sunt fortitudinem et robur multiplicat, brachio sancto suo confortet ac roboret nos, mentemque nostram lumine suae claritatis illustret ad cognoscendum faciendumque semper quod bonum est in oculis suis; tribuat nobis spiritum sapientiae et intellectus, spiritum consilii et fortitudinis, ut pastorale officium salubriter exequi valeamus ad divini nominis gloriam, Ecclesiae sanctae utilitatem, ac spiritualem omnium fidelium aedificationem; praesentibus christiani populi necessitatibus propitius adsit, pericula propulset, haereses ac in religione dissidia extirpet, fidem catholicam protegat et propaget, orthodoxis principibus arctam et indissolubilem animarum concordiam, sanctaeque religionis propugnandae, atque ab insidiis et detrimentis liberandae zelum praebeat, eorumque consilia et vires ad christiani nominis tutelam et amplificationem unire, sociare, regere et roborare dignetur.

§ 1. Id autem, ut a vobis, dilecti filii, ferventiori pietatis studio uberiorique fructu peragatur, sacros indulgentiarum thesauros, quorum dispensationem fidei nostrae commisit divina dignatio, proferre ac liberali manu erogare decrevimus hoc maxime opportuno tempore, quo appropinquat annus christiano populo in primis optabilis atque iucundus sanctissimi iubilaei: annus universae catholicae Ecclesiae peculiari modo sacer ac venerabilis: annus expiationis et veniae, remissionis et gratiae, quo cunctis fidelibus ad almam hanc Urbem nostram confluentibus, et sacra apostolorum limina praescriptasque basilicas pie ac devote visitantibus, ut antiquorum habet fida traditio, amplissimae peccatorum indulgentiae pro- *Praestantia anni sancti.*

[1] Videtur deesse *caelestia* (R. T.).

positae sunt. Licet enim nulla temporis momenta decurrant, quae divinis non sint plena muneribus, et nunquam ad misericordiam Dei per ipsius gratiam nobis aditus praecludatur: eo tamen anno a diviná largitate singularia speranda sunt beneficia, ac tanto ampliora, quanto maiori fervore mentes fidelium ad universa religiosae pietatis opera incendi convenit ac inflammari. Audite igitur haec, omnes gentes, quae orthodoxam profitemini religionem; auribus percipite, qui habitatis orbem, reges terrae, et omnes populi, dum nos, Iesu Christi vices quamvis immeriti gerentes in terris, annunciamus vobis et evangelizamus annum Domini placabilem, annum redemptionis et veniae peccatorum, ac, pro paterná qua cunctos christifideles in Domino complectimur charitate, vos omnes ad iucundissimam sacrosancti huius iubilaei solemnitatem concelebrandam vocamus ac excitamus. Quod si olim quinquagesimus annus ex diviná ordinatione a filiis Israël summo plausu et incredibili gaudio excipiebatur, quanto magis decet christianum populum sacro iubilaei anno recurrente gaudere ac laetari. Non enim, ut quondam iudaica natio, ad distractorum praediorum recuperationem, sed ad aeternae possessionem haereditatis invitamur; non a colendae terrae laboribus eximimur, sed fructus, quos Christi domini, deiparae Virginis, et Sanctorum merita protulerunt, uberrimos percipimus; non a pecuniarum debito vel ab humaná servitute, sed a peccatorum vinculis et poenis absolvimur; non ab exilio terrenam patriam repetere nobis licet, sed ad caelestem illam patriam, unde exulantes in hac lacrymarum valle misere pererramus, tutum nobis iter praemonstratur et panditur.

Indictio praedicta anni cum formâ lucrandi indulgentias.

§ 2. Quod itaque vetus sanctae Romanae Ecclesiae consuetudo et Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum exempla nos admonent, illorum vestigiis inhaerentes, eorumque pium ac saluberrimum institutum retinentes, de venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium assensu, universalis et maximi in hac almá Urbe nostrá iubilaei celebrationem in annum proximum MDCCXXV a primis vesperis vigiliae Nativitatis domini nostri Iesu Christi proxime futurae inchoandam et per totum annum ipsum finiendam, auctoritate Dei omnipotentis et beatorum apostolorum Petri et Pauli ac nostrá, quanto maximo possumus cordis nostri gaudio et exultatione, ad ipsius Dei gloriam, catholicae Ecclesiae decus, ac totius christiani populi sanctificationem, indicimus et promulgamus. Quo sane iubilaei anno durante, omnibus utriusque sexus cristifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui beatorum Petri et Pauli apostolorum, necnon S. Ioannis Lateranensis et S. Mariae Maioris de Urbe basilicas semel saltem in die per triginta continuos aut interpolatos dies, si Romani vel incolae Urbis, si vero peregrini aut aliàs externi fuerint, per quindecim saltem dies devote visitaverint, et pro sanctae Ecclesiae exaltatione, haeresum extirpatione, catholicorum principum concordiá, ac totius christiani populi salute et tranquillitate plenas ad Deum preces effuderint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem et veniam misericorditer in Domino concedimus ac impertimur. Et quoniam contingere potest ut ex iis, qui hac de causá iter aggressi fuerint, vel ad Urbem se contulerint, aliqui in viá, aut etiam in ipsá Urbe, aegritudine vel aliá legitimá causá impediti, aut morte praeventi, praefinito dierum numero non completo, ac ne-

quidem fortasse inchoato, praemissa exequi et dictas basilicas visitare nequeant: nos, piae promptaeque illorum voluntati, quantum in Domino possumus, benigne favere cupientes, eosdem vere poenitentes et confessos praedictae indulgentiae et remissionis participes perinde fieri volumus, ac si dictas basilicas diebus a nobis praescriptis reipsâ visitassent.

Invitatio ad annum sanctum et hortatio ad pia opera.

§ 3. Impigrâ igitur piâque devotione, filii dilectissimi, et àlacri animo suscipite annunciati vobis anni sancti celebritatem, quem ideo religiosâ eiusmodi appellatione maiores, ut nostis[1], insignivere, quia divino cultui, sanctorum operum exercitationi specialius dicatus est: alatur esuriens, vestiatur nudus, adiuvetur opprèssus, foveatur aegrotus, odia transeant in dilectionem, inimicitiae convertantur in pacem, tranquillitas extinguat iram, mansuetudo remittat iniuriam, ieiunium carnis desideria conterat, oratio spiritum a terrenis rebus avocatum in caelestium contemplatione defigat, et ad amorem ac spem immortalium gaudiorum attollat. His porro christianarum virtutum exemplis et bonorum operum meritis instructi ad hanc sanctam civitatem, tot sanctorum martyrum memoriâ inclytam, ac beatorum praesertim apostolorum Ecclesiae principum doctrinâ eruditam et glorioso sanguine consecratam, religiosâ animi alacritate concurrite. Festinate ad locum quem elegit Dominus, ascendite ad hanc Hierusalem novam, unde ab ipso Ecclesiae nascentis exordio lex Domini et lux evangelicae veritatis in universas nationes effluxit: Urbem tot tantisque a Deo beneficiis auctam, tot muneribus cumulatam, ut civitas sacerdotalis et regia in superbiam saeculorum posita, civitas Domini, Sion sancti Israël iure optimo praedicetur. Hîc vere confitebimini Deo in Ecclesiâ magnâ, in populo gravi laudabitis eum; quandoquidem haec ipsa catholica et apostolica Romana Ecclesia, per sacram beati Petri Sedem caput orbis effecta, mater est cunctorum credentium, fida divinitatis interpres, et magistra omnium ecclesiarum. Hîc intemeratum fidei depositum, hîc fons sacerdotalis unitatis, hîc claves regni caelorum et summa ligandi atque solvendi potestas, hîc demum inexhaustus ille thesaurus Ecclesiae sacrarum indulgentiarum, cuius dispensator est Romanus Pontifex, custoditur.

Votum pro prospero itinere et reditu haereticorum ad catholicam Ecclesiam.

§ 4. In viam pacis et prosperitatis dirigat gressus vestros omnipotens Dominus, et tribuat vobis iter prosperum tempusque tranquillum, quatenus cum salute et gaudio pervenire possitis ad pastorem vobis in terris divinitus constitutum, ut, qui unum corpus sumus in Christo, unanimes glorificemus Deum, ac in sanctae Ecclesiae unitate et communione invicem collaetemur. Utinam vero comites sese vobis adiungerent et sacram hanc peregrinationem unà vobiscum aggrederentur filii olim nostri, nunc autem desertores et transfugae, quorum progenitores, veterum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum tempore, ad sanctam eiusmodi celebritatem ex omni populo et natione frequentissimos convenisse antiqua monumenta testantur. Nihil enim nobis optatius, neque iucundius accidere posset, quam ut ipsi ad fidem patrum suorum, a qua infeliciter cum manifesto aeternae salutis discrimine desciverunt, reverterentur, adeoque nobis paterni amoris in sinu eos excipere, et pari pontificiae charitatis sensu complecti liceret. Qua ratione et miserum errantium statum iugibus lacrymis deflemus, et pro pastorali nostrâ sollicitudine as-

[1] Edit. Main. habet *nostris* pro *nostis* (R. T.).

siduis enixisque votis a divinâ clementiâ flagitare non desistimus, ut ipsis veritatis suae lumen ostendere non dedignetur, qualenus, haereticâ pravitate depositâ, orthodoxam suscipiant religionem, abruptoque divisionis laqueo, catholicae Romanae Ecclesiae, extra quam non est salus, unitatem et communionem sincero corde amplectantur.

Praeceptum locorum Ordinariis ut annuncient annum sanctum et doceant modum indulgentias consequendi.

§ 5. Vos autem, venerabiles fratres nostri, patriarchae, primates, archiepiscopi et episcopi, in consortium nostrae sollicitudinis advocati, pastores et magistri populorum, nunc potissimum exaltate, quasi tuba, vocem vestram, annunciate dominico gregi tempus acceptabile, dies aeternae salutis, annum ad redimenda peccata, ad salvandas animas institutum, ut sanctificetur, et divinâ opitulante gratiâ disponatur ad ea caelestia munera rite suscipienda, quae bonorum omnium largitor Deus filiis dilectionis suae per ministerium humilitatis nostrae destinavit. Docete omnes, si unquam aliâs, nunc maxime oportere, ut abiiciant opera tenebrarum et induantur arma lucis, vitia fugiant, virtutes sectentur, et unusquisque recedat a viâ suâ malâ, et revertatur ad Dominum corde puro et conscientiâ bonâ et fide non fictâ; docete insuper sacros indulgentiarum thesauros consequendi spem omnem inanem esse, nisi contrito et humiliato corde unusquisque se praeparet, et congruis christianae pietatis operibus divinam misericordiam sibi propitiare contendat. Qui vero substantiam huius mundi habent, vobis admonentibus, discant facere sibi amicos de mammonâ iniquitatis, pauperum inopiae subveniant, et peregrinos praecipue Romam venientes subsidiis adiuvent, hospitio excipiant, omnibusque humanitatis et christianae charitatis officiis prosequantur. Omnes autem (quod vetus Ecclesiae consuetudo apostolicâ voce laudata nos admonet) orent pro regibus et principibus christianis, ut omnipotens Deus, rex regum et dominus dominantium, illis plenam in utroque homine felicitatem et pacem veramque concordiam largiri dignetur. Eos porro, qui sacram hanc peregrinationem susceperint, paternis adhortationibus et monitis instruite, qua cordis devotione et modestiâ, quave fraternae pacis observatione ubique se gerere debeant, ut Christi bonus odor sint in omni loco; non saeculi curiosa sectentur, non vanis intendant fabulationibus, sed divinarum rerum colloquiis, hymnis etiam et canticis spiritualibus viarum labores et incommoda levare studeant. Avertant in itinere oculos suos ne videant vanitates, nec illicitis cupiditatibus aut saecularibus desideriis a suscepto pietatis proposito se avocari patiantur. Sic bonas faciant vias suas et ambulantes in semitis iustitiae digni fient, angelo Dei comite, ad hanc sanctam civitatem cum exultatione deduci, ubi adorabunt Dominum in atrio sancto eius; intrabunt portas eius in confessione, portas iustitiae, quibus facilis ad divinam misericordiam praestatur accessus et ad caelestium benedictionum thesauros acquirendos felix aditus aperitur. In omnibus autem, venerabiles fratres, praebete vos ipsos et omnem clerum exemplum bonorum operum et formam gregis, ut vestrae virtutis ac religionis veluti sale ceteri condiantur; dumque in vos, tamquam in speculum, oculos coniiciunt, ex actionibus vestris sumere possint quod imitentur.

Admonitio potentatibus ut opem suam conferant.

§ 6. Postremo carissimos etiam in Christo filios nostros imperatorem electum, ac reges et principes omnes catholicos hortamur et in Domino obsecramus, ut, quo plura et magis illustria

beneficia ab Eo, per quem reges regnant, acceperunt, tanto ardentius, ut par est, ad Dei gloriam promovendam et sanctam eius Ecclesiam propugnandam pio zelo excitentur; praecipue vero venerabilium fratrum nostrorum episcoporum et superiorum antistitum pastoralem sedulitatem ac vigilantiam adiuvent, et a suis quoque magistratibus ac ministris adiuvari mandent.

Ipsis commendatur maxime cura peregrinorum.

§ 7. Maxime autem erga peregrinos beneficientiam et liberalitatem exerceant, curentque ut tutis incedant itineribus et nullâ perditorum hominum vexatione perturbentur; sed hospitalibus domibus et publicis hospiciis amanter excepti, et commeatu rebusque ad vitam necessariis recreati, sine ullâ concussione et iniuriâ institutum iter laeti peragant, et cum gaudio in patriam revertantur. His enim hostiis reges potissimum et principes Deum sibi propitium reddent, ut diu in terris felicem et tranquillam vitam agant, ac demum in aeterna tabernacula recipiantur ab illis ipsis pauperibus, erga quos misericordiam exercuerint, in quibus Christus pascitur et nutritur.

Clausulae.

§ 8. Ut vero praesentes litterae ad omnium fidelium quibuscumque in locis existentium notitiam facilius perveniant, volumus earum exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, ac personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae sigillo munitis, eamdem prorsus adhiberi fidem, quae ipsis praesentibus adhiberetur si exhibitae forent vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae indictionis, promulgationis, concessionis, impartitionis, hortationis, rogationis et voluntatis infringere, aut ei temerario ausu contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXIV, VI kalendas iulii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 26 iunii 1724, pontif. anno I.

P. cardinalis prodatarius.
F. cardinalis OLIVERIUS.

Visa de Curiâ I. C. archiep. Amasenus.

Loco † plumbi.

L. MARTINETTUS.

Registrata in Secretariâ Brevium.

Publicationes anni sancti.

Anno a Nativitate Domini MDCCXXIV, indictione II, die vero XXIX iunii festo Ss. apostolorum Petri et Pauli, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Benedicti divinâ providentiâ PP. XIII anno I, praesentes litteras apostolicas in atrio sacrosanctae basilicae Vaticanae de Urbe, adstante populo, legi et solemniter publicavi.

Ego I. C. archiepiscopus Amasenus, *abbreviator de Curiâ.*

Anno a Nativitate Domini MDCCXXIV, indictione II, die vero XXIX iunii, pontificatus sanctissimi domini nostri Benedicti PP. XIII anno I, supradictae litterae apostolicae in atrio basilicae Principis Apostolorum ut supra publicatae, ad valvas eiusdem basilicae affixae fuerunt, ac eaedem postea publicatae in basilicis S. Pauli, Lateranensi et S. Mariae Maioris, et ad earum valvas affixae fuerunt, prout similiter ad valvas Cancellariae Apostolicae et magnae Curiae Innocentianae in Monte Citatorio et in acie Campiflorae, ac aliis locis solitis et consuetis Urbis, dimissis copiis, ut moris est, per nos Ioannem Trifellium et Ioannem del Re sanctissimi domini nostri Papae cursores.

PETRUS ROMOLATIUS *magister cursor.*

Iterum eisdem anno et indictione, die vero XVII mensis decembris, dominicâ tertiâ Adventus Domini, pontificatus praefati sanctissimi domini nostri anno I, supradictae

litterae apostolicae apud portam maiorem palatii pontificii Vaticani lectae et publicatae fuerunt per nos infrascriptos subdiaconos apostolicos.

Ioannes Benedictus Gentilott *sacrae Rotae auditor;* Federicus Cornelius *sacrae Rotae auditor.*

Eisdem vero indictione et die, supradictae litterae apostolicae prae foribus basilicarum Ss. Petri et Pauli, necnon Lateranensis et Liberianae, prout ad valvas Cancellariae Apostolicae et magnae Curiae Innocentianae in Monte Citatorio et in acie Campiflorae, aliisque locis consuetis Urbis, publicatae et affixae de more fuerunt per nos Ioannem Trifelium et Ioannem del Re SS. D. N. Papae cursores.

Idem Trifellius *cursorum mag.*

XIV.

Conceditur indulgentia plenaria perpetua visitantibus ecclesias monasteriorum Ordinis Cisterciensis die festo S. Stephani tertii abbatis Cistercii [1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Iniunctae nobis divinitus apostolicae servitutis ratio postulat, ut caelestium munerum thesauros dispensationi nostrae a Domino creditos fideliter erogemus, cum id ad augendam in terris sanctorum in caelis cum Christo regnantium venerationem, excitandamque et confovendam erga illos fidelium devotionem, ac ad animarum salutem speramus in Domino profuturum.

Concessio praedicta.

§ 1. Supplicationibus itaque dilecti filii moderni procuratoris generalis totius Ordinis Cisterciensis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis quorumcumque monasteriorum dicti Ordinis tam hactenus erectis quam in posterum quandocumque erigendis, et ubicumque locorum existentibus, die festo S. Stephani tertii abbatis monasterii Cistercii et eiusdem Ordinis legislatoris, a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi, annis singulis, devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus: praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Clausulae.

§ 2. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV iulii MDCCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 4 iulii 1724, pontif. anno I.

XV.

Suspenduntur quaecumque indulgentiae, vertente anno universalis iubilaei MDCCXXV [1].

1 De indulgentiis totius Ordinis Cisterciensis et monasteriorum Germaniae superioris monachis provinciae Silesiae communicatis, vide Clementis XI constit. edit. MDCCXVI, die 8 octobris, pontif. XVI. De confirmatione omnium privilegiorum totius Ordinis vide const. edit. MDCCXXVIII, die 25 ianuarii, pontif. V.

1 Dictum iubilaeum indictum fuit const. edit. MDCCXXIV, die 26 iunii, pontif. 1.

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad futuram rei memoriam.

Suspensio de qua in rubrica.

Cum nos nuper sancti iubilaei celebrationem, a vigiliâ Nativitatis domini nostri Iesu Christi proxime futurae inchoandam, et usque ad finem sequentis[1] anni duraturam, universo populo christiano, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium assensu, indixerimus, ac omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui beatorum Petri et Pauli apostolorum, necnon S. Ioannis Lateranensis et S. Mariae Maioris de Urbe basilicas visitaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem et veniam concesserimus, prout in nostris desuper confectis litteris plenius continetur; cupientes ut christianae nationes, ex omnibus terrarum orbis locis in almâ Urbe nostrâ in fidei ac religionis unitate congregatae, eodem pietatis ac devotionis spiritu basilicas praedictas, quo maximo fieri poterit concursu, durante eodem iubilaeo, visitent et frequentent, multorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum exemplo adducti, omnes et singulas indulgentias etiam perpetuas, et peccatorum remissiones, ac facultates et indulta absolvendi etiam a casibus Sedi Apostolicae reservatis, etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, quibusvis ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, domibus, militiis, ordinibus, etiam Mendicantium, congregationibus, confraternitatibus, etiam laicorum, universitatibus et piis locis, illorumque ordinibus, capitulis, conventibus, magistris, superioribus, et tam saecularibus, quam quorumvis etiam Mendicantium Ordinum regularibus personis, coronisque, granis, imaginibus et numismatibus ex metallo seu quacumque aliâ materiâ confectis, tam singulariter quam universaliter per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam nos, etiam ad instantiam imperatoris, regum, ducum et aliorum principum, aut ipsis etiam imperatori, regibus, ducibus et principibus, vel aliis quacumque aliâ mundanâ vel ecclesiasticâ dignitate, etiam speciali notâ dignâ, fulgentibus, etiam ad instar iubilaei, aut aliàs quomodocumque, et ex quibusvis causis et occasionibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ, ac aliàs quomodolibet concessas et concessa, quorum omnium tenores, formas derogationes et decreta praesentibus pro expressis haberi volumus, apostolicâ auctoritate, de eorumdem fratrum consilio et assensu, ac potestatis plenitudine, suspendimus, et suspensas ac suspensa esse declaramus, easque et ea, eodem anno durante, nulli prodesse aut suffragari debere; irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Quocirca per praesentes auctoritate apostolicâ praecipimus et mandamus, ne interim aliae, quam indicti a nobis praedicti iubilaei, indulgentiae, sive publice, sive privatim, quovis praetextu, ubivis locorum et gentium, sub excommmunicationis eo ipso incurrendae aliisque arbitrio Ordinariorum infligendis poenis, publicentur vel nuncientur, aut in usum demandentur. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, Ordinum, congregationum, ho-

[1] Supra, pag. 55 *b*, legitur *per totum annum ipsum finiendam*, ex diversâ forsan methodo anni cursûs metiendi (R. T.).

spitalium, confraternitatum, universitatum, collegiorum et locorum, aliorumque praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, exemptionibus et indultis apostolicis, illis eorumque superioribus et personis, ac aliis quibuscumque per eosdem Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos, et dictam Sedem eiusque legatos, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, et ex quibusvis causis concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi in illis caveatur expresse quod sub similibus vel dissimilibus suspensionibus nequaquam comprehendantur nisi de illis specialis et individua mentio fiat, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum praemissum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Et quia difficile nimis esset praesentes quocumque, ubi illis opus fuerit, perferri, volumus earum exemplis, etiam impressis, notarii publici manu et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae obsignatis, eamdem prorsus fidem in iudicio et extra ubique locorum adhiberi, quae adhiberetur praesentibus si essent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae suspensionis, declarationis, decreti, praecepti, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXXIV, pridie nonas iulii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 6 iulii 1724, pontif. anno I.

XVI.

Declaratur et ampliatur constitutio Innocentii XII de exemptione praesulum regni Neapolis a spoliis Camerae Apostolicae debitis, cum quibusdam ordinationibus [1].

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Sacrosancti apostolatus officium humilitati nostrae divinâ dispensatione commissum salubriter exequi satagentes, ad ea potissimum, per quae ecclesiarum quarumcumque decori, commodis ac utilitati prospicitur, providoque consilio ad illarum favorem disposita a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris sarta tecta ac inviolata custodiuntur, vel etiam, ubi rerum, locorum ac temporum conditio ita postulet, declarantur et ampliantur, pastoralis sollicitudinis nostrae curas libenter convertimus, susceptique ministerii partes propensâ charitate desuper interponimus, prout, omnibus maturae considerationis trutinâ perpensis, expedire in Domino arbitramur.

Epitome praedictae constitutionis Innocentianae.

§ 1. Sane aliàs felicis recordationis Innocentius Papa XII praedecessor noster (animo secum reputans in regno Neapolitano ingentem extare numerum metropolitanarum, cathedralium, et aliarum, quibus praelati inferiores seu dignitates quasi episcopalem iurisdictionem seu Ordinariorum iura habentes praesunt, ecclesiarum congruis pro maiori parte carentium redditibus, adeoque illa, quum Dei domus exposceret maiestate et eleganti structurâ, necnon decenti suppellectili sacrâ et ministris ecclesiasticis sufficientibus ac idoneis, ceterisque [2] divino cultui necessariis, ob

1 Vide const. Innocentii XII et Pii IV infra citatas.

2 Male edit. Main. legit *ceterique* (R. T.).

earum inopiam vel non opulentiam, ut plurimum destitutarum; simulque considerans multiplices angustias et graves molestias, quibus venerabiles fratres earumdem ecclesiarum archiepiscopi et episcopi ac alii praelati inferiores, dum aegritudine premebantur, et aliquando etiam in extremis laborabant, a subcollectoribus spoliorum, sub praetextibus assecurandi iura ad Cameram nostram Apostolicam pertinentia, identidem vexari ac perturbari consueverant) a spolio et quocumque alio iure eiusdem Camerae Apostolicae exigendi et percipiendi pecunias, res, effectus, mobilia, semoventia et alia bona, etiam stabilia, cuiuscumque pretii, valoris, speciei, qualitatis et quantitatis per memoratos archiepiscopos, episcopos et praelatos inferiores dicti regni ex redditibus suarum ecclesiarum quomodocumque acquisita, necnon fructus naturales a solo separatos, et civiles, tempore mortis perceptos seu exactos ex redditibus praefatarum ecclesiarum, etiam inconsuntos et incommixtos, non tamen pendentes seu inexactos, ex speciali dono gratiae perpetuis futuris temporibus dictos archiepiscopos, episcopos et praelatos inferiores regni praefati omnino exemit et liberavit, ad effectum tamen, et non aliàs, aliter, nec alio modo, ut praemissa omnia et singula ad antedictas metropolitanas, aliasque cathedrales, et reliquas, quibus ipsimet archiepiscopi et episcopi seu praelati inferiores praefuerint, illisque non indigentibus quibus ipsimet archiepiscopi et episcopi seu praelati inferiores praefuerint, illisque[1] non indigentibus, ad parochiales ecclesias eorum regimini commissas spectare, ac ad earumdem favorem, beneficium et utilitatem prorsus cedere, converti et erogari deberent; pluraque alia statuit atque dissolvit, quae in constitutione a memorato Innocentio praedecessore desuper editâ anno Incarnationis dominicae MDCXCIII[1], III kalendas februarii, pontificatus sui anno III, quae incipit *Inscrutabili*, plenius ac uberius continetur.

1 Comma istud delendum, vel legendum *illis, inquam, non indigentibus* (R. T.).

An in ipsâ comprehenderentur praesules extra dioecesim decedentes, dubitatum est.

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, postquam eiusmodi constitutio promulgata fuit, debitaeque executioni demandari coepit, dilecti filii praedictae Camerae nostrae Apostolicae thesaurarius generalis et commissarius itidem generalis, necnon spoliorum in memorato regno Neapolitano collectores et subcollectores, praetenderint sub eâdem constitutione minime comprehendi nec comprehensa censeri debere spolia bonorum et fructuum quorumcumque spectantium ad archiepiscopos, episcopos et alios praesules inferiores decedentes extra fines ecclesiarum et dioecesum, apud quas personalem residentiam facere tenebantur; eo quia praefatus Innocentius praedecessor in antedictâ constitutione non modo expresse, quemadmodum opus erat, non derogaverit, sed nec ullam prorsus mentionem fecerit litterarum apostolicarum recolendae memoriae Pii Papae IV praedecessoris etiam nostri, quarum initium est *In supremâ*, editarum anno Incarnationis dominicae MDLXIV, VII kalendas decembris, pontificatus sui anno V, quibus bona omnia ad patriarchas, primates, archiepiscopos et episcopos, ac alios quoscumque beneficiatos extra residentiam defunctos pertinentia, tamquam spolia, ad Cameram Apostolicam legitime spectare aperte decernitur et cavetur; adeoque (cum post obitum memorati Innocentii praedecessoris nonnulli archie-

1 Habetur in Bullario sub anno MDCXCIV in tom. XX, pag. 590 (R. T.).

piscopi et episcopi praefati regni Neapolitani extra residentiam ex hoc seculo migraverint, et in controversiam vocari contigerit, an eorum bona spolio subiici deberent), discusso rite ac ordine dubio in Congregatione nostrâ Spoliorum nuncupatâ, resolutiones prodierint eidem Camerae favorabiles, et in executionem eiusmodi resolutionum in praefatis casibus spolium subinde factum, ac praedictae Camerae re ipsâ applicatum fuerit:

Causae praesentis declarationis et ampliationis.

§ 3. Nos itaque, animadvertentes memorato Innocentio praedecessori in praefatâ constitutione non aliam fuisse mentem atque consilium, nisi ut metropolitanarum, cathedralium, aliarumque ecclesiarum praedictarum angustias sublevaret (quae nobis etiam ipsis abunde notae sunt atque perspectae, cum in eodem regno non modo nati ac diu versati simus, verum etiam ibidem, dum cardinalatus fungeremur honore, Sipontinae primum ac deinde Beneventanae metropolitanis ecclesiis, priori scilicet per triennium, et posteriori triginta octo circiter annorum spatio, quousque ad apostolicae dignitatis fastigium divina clementia nos extulit, praefuerimus), et potissimum opportune provideret ea[1], quae sacris supellectilibus et reparationibus indigerent congruumque subsidium ab earum praelatis viventibus non accepissent, saltem post illorum obitum ex eorum bonis iuvari, reparari, ornari, rebusque ad divinum praesertim cultum necessariis instrui possent; ac proinde aequum esse censentes, ut nullum in hac materiâ constituatur discrimen inter praelatos extra residentiam vel in residentiâ decedentes, cum eorum factum obesse minime debeat ecclesiis, quarum favor, utilitas et beneficium in eâdem Innocentianâ constitutione principaliter consideratum, atque Pontifici, quemadmodum ex toto illius tenore manifeste colligitur, propositum in primis fuit: hinc igitur est quod nos, omnem de cetero controversiarum ac litium occasionem e medio auferre, praefatarumque ecclesiarum quieti et tranquillitati et commodo, quantum in Domino possumus, consulere cupientes, motu proprio, ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae nobis attributae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione statuimus, decernimus et declaramus, memoratas litteras apostolicas Innocentii praedecessoris suum integrum, plenarium ac omnimodum effectum et executionem in posterum sortiri ac obtinere debere in praedicto regno Neapolitano, perpetuis futuris temporibus, etiam in casibus in quibus archiepiscopos, episcopos et inferiores praelatos supradictos extra residentiam obire contigerit; et, quatenus opus sit, easdem litteras apostolicas ad omnes et singulos eiusmodi motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus extendimus et ampliamus; praefatisque Pii IV praedecessoris de spoliis praelatorum et clericorum extra residentiam decedentium, ac omnibus aliis aliorum Romanorum Pontificum, si quae sint, constitutionibus, etiam peculiari et individuâ notâ dignis, eâ tantum parte in qua praesenti nostrae constitutioni adversari dignoscuntur, illis aliâs in suâ firmitate ac robore permansuris, specialiter et expresse ac amplissime derogamus, et derogatum esse volumus et mandamus.

Ordinationes praeteritae.

§ 4. Per praesentes tamen casibus, qui hucusque evenerunt, normam praescribere, et spolia hactenus facta, dictaeque Camerae Apostolicae, in executionem resolutionum memoratae Congregationis Spoliorum, ut praefertur, applicata, irritare seu revocare non in-

1 Potius legendum *ut eae* (R. T.).

tendimus; quin etiam ea legitime facta et recte applicata fuisse decernimus et sancimus, mentemque ac voluntatem nostram esse, ut haec nostra dispositio in futuris tantum casibus locum habeat et observetur, expresse declaramus.

Ex spoliis fiant dotes applicandae dumtaxat ecclesiarum fabricae a praesule cum capituli consilio.

§ 5. Praeterea, cum, ob rationes superius expositas, probe compertum exploratumque habeamus, antedictas archiepiscopales, episcopales et alias praefati regni, quae ab inferioribus praelatis reguntur, ecclesias (exceptâ tantum metropolitanâ Beneventanâ, cui nos ipsi regiminis nostri tempore dotem annui redditus mille ducatorum monetae eiusdem regni ex propriis nostris pecuniis in fundis et capitalibus fructiferis pro perpetuâ illius fabricae reparatione ac manutentione constituimus et assignavimus), omni penitus carere dote, fundo, seu alio congruo subsidio, cuius annuo proventu illarum aedificia opportune reparari et conservari, ac, ubi necessitas id exposcat, etiam reaedificari, pristinumque in statum restitui valeant; ac propterea aequum iustumque, immo etiam necessarium existimemus, ut miserae earum conditioni et indigentiae aliquo modo prospiciatur: motu, scientiâ ac potestatis plenitudine similibus statuimus, sancimus et decernimus, ac insuper in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, ut ex spoliis, quae memoratis praesulibus dicti regni, tam in residentiâ, quam extra eam, ut praefertur, decedentibus, nemine prorsus excepto, in posterum fieri contigerit, quidquid in reparationem ecclesiarum aut alios pios et necessarios in praedictâ Innocentianâ constitutione praescriptos usus, vel in alia a defunctis praesulibus, iuxta facultatem illis in eâdem constitutione traditam, designata, pia et congrua opera erogatum expensumque non fuerit, a successoribus eorumdem praesulum, cum suorum capitulorum scientiâ et consilio, ex integro investiatur[1] et collocetur in fundis seu capitalibus tutis, securis atque fructiferis pro dote fabricae singularum ecclesiarum praedictarum; ac eiusmodi dotium annuus proventus non in alium usum, quam reparationis et manutentionis fabricae earumdem ecclesiarum ab uniuscuiusque praesulibus, cum scientiâ pariter et consilio suorum capitulorum, in occurrentibus casibus erogetur; et quotiescumque dictas ecclesias reparatione non indigere constiterit, annui etiam fructus, et fructuum fructus dotium praedictarum in aliis fundis et capitalibus tutis atque fructiferis eodem prorsus modo reinvestiantur et collocentur, ad hoc ut ipsaemet dotes maiora in dies, benedicente Domino, suscipiant incrementa, adeoque earum redditus supportando reparationis fabricae ipsarum ecclesiarum oneri satis esse possint. Quae sane reinvestimenta pro dote fabricae earumdem ecclesiarum nedum utiliora, sed magis etiam consentanea atque conformia intentioni memorati Innocentii praedecessoris fore arbitramur, quam si, quidquid supererit ex praedictis spoliis, in emptionem supellectilis voluptuosae vel non necessariae vel ecclesiae qualitatem excedentis, quemadmodum hactenus ob male intellectam praedictae constitutionis mentem non semel evenisse comperimus, erogaretur. Ceterum super praemissis omnibus, ac praesertim super iis quae rectam et fidelem praefatarum dotium administrationem respicient, eorumdem archiepiscoporum, episcoporum et praelatorum inferiorum, atque etiam capitulorum conscientiam districte oneramus.

Clausulae.

§ 6. Decernentes, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque,

1 Pessime edit. Main. legit *inveniatur* (R.T.).

etiam ex eo quod supradicti et alii quicumque in praemissis quomodolibet ius vel interesse habentes aut habere praetendentes iisdem praemissis non consenserint, nec ad ea vocati seu auditi fuerint, ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et formali et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, in controversiam vocari, ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari nullatenus posse; sed easdem praesentes litteras semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere debere, et ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, S.R.E. camerarium et cardinales, etiam de latere legatos, necnon Camerae praefatae thesaurarium generalem, et praesidentes clericos, Congregationem Spoliorum nuncupatam, nostrum et Sedis Apostolicae in dicto regno Neapolitano pro tempore nuncium et collectorem, aliosque quoscumque qualibet auctoritate, praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, de iure quaesito non tollendo, aliisque nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, aliorumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus et ordinationibus quibuscumque, ac praefati Pii IV de gratiis qualecumque interesse dictae Camerae concernentibus intra certum inibi expressum tempus exhibendis et registrandis, itaut easdem praesentes litteras ibidem exhiberi et registrari nunquam necesse sit, aliisque quibuscumque apostolicis, et in provincialibus ac synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon ecclesiarum praefatarum, ac nunciaturae Neapolis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, statutis, decretis, usibus, stylis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis ac litteris apostolicis, sub quibusvis tenoribus et formis, cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, et irritantibus aliisque decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter ac aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac etiam pluries confirmatis et innovatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, iisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemis-

sorum effectum, harum serie, specialiter et expresse plenissime derogamus, et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae. § 8. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae haberetur praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis. § 9. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum voluntatis, declarationis, ampliationis, extensionis, mandati, sanctionis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXXIV, v idus iulii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 11 iulii 1724, pontif. anno I.

XVII.

Instituitur promotor generalis fisci pro patrocinio causarum curiarum ecclesiasticarum [1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Causae praesentis motus proprii. Avendo noi molto bene considerato, ed anche coll'esperienza, quando eravamo in *minoribus*, riconosciuto di qual peso insoffribile fosse alli prelati ecclesiastici secolari e regolari il dover sostenere in questa Curia Romana le liti e controversie, che dalli rei inquisiti si introducono con ricorso o appellazione dalli loro decreti e giudicati, talmente che li più di essi per non soggiacere a tali dispendi, che ridondano in pregiudizio delle diocesi e de'poveri diocesani e delle religioni respettivamente, lasciano correre le cause indifese nelle seconde ed in altre ulteriori istanze, da che ne deriva, che non dandosi alli giudici per parte delle curie quelle necessarie informazioni, riesce spesso alli delinquenti di estorcere le assolutorie sentenze in pubblico detrimento della giustizia, e con scandalo di quelli che bene informati della verità nelle diocesi e nelle religioni vedono andare impuniti li delitti, provenendo da ciò la perseveranza de'cattivi nel male, e la sovversione de'boni dal ben vivere, onde fu sempre da noi sommamente desiderato di vedere dato opportuno riparo a tali perniciose conseguenze eversive del buon costume e della disciplina ecclesiastica, per mantenimento di cui devesi ogni superiore con tutto studio e vigilanza impiegare: quindi è, che essendo piaciuto alla divina providenza di elevarci, abbenchè senza alcun nostro merito, al supremo apostolato, e riconoscendo noi essere parte dell'obbligo della nostra pastoral sollecitudine l'invigilare affinchè col castigo delli delinquenti gli altri s'emendino, e si sradichino li vizî che sono infettivi de' boni, abbiamo, dopo una matura considerazione, determinato di dare il dovuto rimedio alle enunciate perniciose conseguenze con liberare li prelati e superiori secolari e regolari dal dispendioso peso di promovere in questa Curia le ragioni fiscali in difesa de'loro giudici, provvedendo perciò alli medesimi di ministro capace, d'integrità

1 Clementis XI const. ed. MDCCV, die 21 ianuarii, pontif. V, deputatur vicesgerens iudex privativus omnium causarum domus Catechumenorum et Neophytorum Urbis.

e di sperienza, che, come promotore fiscale generale, debba per le suddette curie ecclesiastiche dedurre in giudizio le ragioni, e fare tutto ciò, che per una buona e canonica difesa sarà necessario ed opportuno.

Institutio praedicti promotoris cum eiusdem attributionibus.

§ 1. Volendo dunque ridurre ad effetto questa nostra determinazione, di nostro moto proprio, certa scienza e pienezza della nostra potestà assoluta, creamo, istituimo, e stabilimo in perpetuo l'officio di promotore fiscale generale per le suddette curie ecclesiastiche, che debba essere esercitato da persona da deputarsi da noi, e da'nostri successori, la quale abbia le sopra enunciate qualità per impiegarle con tutta l'attenzione nella difesa e patrocinio nelle cause criminali per le curie ecclesiastiche suddette che sono state introdotte ed ancora si trovano pendenti e che in avvenire s'introdurranno in grado d'appellazione o ricorso avanti li tribunali e congregazioni competenti di questa nostra città di Roma. Ed affinchè il promotor fiscale generale suddetto possa e debba con tutta l'attenzione applicarsi a questo suo impiego, gli destiniamo e assegniamo per sua provisione ed emolumento mestrui scudi venticinque da pagarsegli di mese in mese dalla nostra Camera Apostolica con ordine e mandato del nostro tesoriere, della qual provvisione vogliamo che debba restar contento, senza che possa pretendere dalli prelati secolari o regolari alcun'altra recognizione a titolo e per ragione di onorari per le sue funzioni e fatiche, se non che le pure spese per il porto delle lettere, talmente che, facendo altrimente, debba esser soggetto alle pene anche gravi e gravissime a nostro arbitrio e delli nostri successori. E perchè la nostra intenzione è che per un efficace e valido patrocinio delle suddette cause goda il promotor fiscale generale di tutti quelli mezzi necessarî ed opportuni che godea il procurator generale del fisco e della nostra Camera Apostolica, vogliamo ed ordiniamo che debba intervenire ed assistere nella Congregazione criminale dell'uditor generale della medesima nostra Camera Apostolica, nel di cui tribunale specialmente si sogliono agitare e giudicare simili cause. Volendo parimente, che si debbano comunicare *gratis* al detto promotor fiscale li processi e tutti gli atti, come appunto si comunicano al fisco, siccome eseguire *gratis* le citazioni, come s'eseguiscono per l'istesso fisco, e che alle spese necessarie delle copie e stampe delle scritture tutte facienti per dette cause provveda la nostra stessa Camera Apostolica nella forma appunto e secondo che si pratica per il suddetto fisco dal nominato procuratore fiscale generale. Et acciòcchè detto promotor fiscale sia udito in qualsivoglia atto, vogliamo che debba essere in tutte e singole suddette cause citato in giudizio, con sottoscrivere esso le citazioni nel modo e forma che si sottoscrivono dal detto procurator fiscale, talmente che, non essendo sottoscritta alcuna citazione, nè citato detto promotore, sia l'atto soggetto al vizio di nullità per difetto di citazione. Dichiarando però che il presente nostro Motoproprio in tutte e singole parti quivi disposte debba aver luogo solamente in quelle cause nelle quali si faranno l'istanze in nome delli soli promotori fiscali per debito del loro officio, e non già quando instassero in giudizio e volessero allegare e scrivere in difesa delle proprie ragioni gli aderenti al fisco, talmente che in questi casi non dovrà il detto promotor fiscale generale esser tenuto ad alcuna opera,

nè la nostra Camera Apostolica soccombere a veruna spesa, nè alcun altro sentire qualsisia peso o incomodo.

Clausulae. § 2. Vogliamo per ultimo e decretiamo che la Congregazione delli vescovi e regolari e l'uditore generale della nostra Camera Apostolica debbano rispettivamente invigilare per la piena osservanza di tutto quello che viene da noi disposto e ordinato nel presente Motoproprio, e che questo, da registrarsi per gli atti del suddetto uditore della Camera e del notaro della medema Congregazione de' vescovi e regolari nelli suoi libri, abbia in ogni tempo il suo pieno effetto, vigore ed esecuzione, e contro di esso non si possa in alcun tempo opporre di obrezione, mancanza della nostra volontà ed intenzione, nè qualsivoglia difetto, benchè degno di espressa, speciale ed individua menzione, e che non si possa diversamente interpretare o giudicare, dichiarando nullo ed irrito tutto ciò che da qualunque persona in contrario scientemente o ignorantemente si facesse o s'attentasse, non ostanti, quanto a tutte e singole cose premesse, che non ci siano stati citati nè sentiti chi vi avesse o potesse avere interesse, la regola della nostra Cancellaria *de iure quaesito non tollendo*, le facoltà e privilegi conceduti a tutti li sopraddetti, la Bolla della riforma di Paolo V, ed ogni qualunque altra costituzione ed ordinazione apostolica de' nostri predecessori, leggi civili e canoniche, statuti, riforme, usi, stili e consuetudini, e qualunque altra cosa che facesse o potesse fare in contrario; alle quali tutte e singole, avendo il loro tenore qui per espresso e di parola in parola inserto, per l'effetto suddetto, e per questa volta sola, pienamente deroghiamo; perchè tale è la nostra certa, espressa e determinata volontà e mente.

Dato dal nostro palazzo apostolico Quirinale questo dì XII luglio MDCCXXIV.

Dat. die 12 iunii 1724, pontif. anno I.

BENEDICTUS PP. XIII.

XVIII.

Declaratur mens Pontificis circa iubilaeum initio sui pontificatus indictum [1].

Benedictus Papa XIII,
Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Nuper, per alias nostras in simili formâ Brevis die x iunii proxime praeteriti expeditas ac in locis solitis et consuetis almae Urbis nostrae affixas litteras, ut devotionem vestram ad divinam opem initio nostri pontificatus pro salubri Ecclesiae catholicae regimine nobiscum implorandam excitaremus, vobis omnibus et singulis, tam in eâdem Urbe quam extra eam degentibus, confessis et sacrâ communione refectis, aliaque pietatis opera in ipsis litteris praescripta peragentibus, plenissimam omnium peccatorum vestrorum indulgentiam et remissionem, sicut in anno iubilaei visitantibus certas ecclesias concedi consuevit, auctoritate apostolicâ concessimus, ac venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et ecclesiarum praelatis, atque Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque vicariis et officialibus, vel, iis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, mandavimus, ut, cum dictarum litterarum transumpta aut exempla etiam impressa accepissent, illa statim per suas ecclesias et dioeceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca publicarent et publicari facerent, et aliàs, prout in litteris Refertur iubilaeum praedictum.

[1] Dictum iubilaeum indictum fuit const. ed. MDCCXXIV, die 10 iunii, pontif. I.

praedictis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Causae sequentis declarationis.

§ 2. Cum autem nos, probe agnoscentes pastoralem nostram curam et sollicitudinem in catholicae fidei, sine qua impossibile est placere Deo, unitate atque integritate retinendâ et conservandâ potissimum sitam esse, ac propterea, licet memoratae litterae universis christifidelibus, quos gerimus in paterni affectus visceribus, inscriptae ac directae fuerint, illarumque publicatio patriarchis, archiepiscopis, episcopis, praelatis, ordinariis, ceterisque personis supradictis demandata sit, ut praefertur, animo tamen fuerimus maxime alieni ab iisdem litteris inscribendis ac dirigendis earumve publicatione sive executione demandandâ illis qui a sanctae Romanae Ecclesiae communione ecclesiasticâ separati reperiuntur; nihilominus omnem dubitandi occasionem removere, vosque de nostrâ in praemissis mente ac voluntate certiores reddere volentes, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus, vobisque omnibus et singulis notum palamque facimus, nostrae intentionis nullatenus fuisse litteras praefatas inscribere ac dirigere earumque publicationem seu executionem committere illis qui per Romanos Pontifices praedecessores nostros ab eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae charitate segregati fuerunt, ac cum quibus proinde nulla nobis et ipsi Romanae Ecclesiae communio ecclesiastica existit, et, si dictas litteras per eos, qui ab eiusmodi communione separati sunt, publicari seu executioni demandari contingat, vel forte iam contigerit, vobis auctoritate praefatâ harum serie denunciamus, id contra mentem, voluntatem ac intentionem nostram esse ac fuisse, quandoquidem nos, decretis et constitutionibus eorumdem Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum adversus illos editis firmiter inhaerentes, sicuti semper, benedicente Domino, inhaesuri sumus, eos, nisi resipuerint, a communis societatis charitate prorsus alienos ab omnibus haberi ac censeri volumus et intendimus.

Clausulae.

§ 3. Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac praefatae S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et quosvis alios qualibet auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari, interpretari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus litteris praedictis, ac quibusvis apostolicis, et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Ma-

forem, sub annulo Piscatoris, die XIV iulii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 14 iulii 1724, pontif. anno I.

XIX.

Conceditur indulgentia plenaria perpetua visitantibus ecclesias fratrum Ordinis S. Ioannis Dei Congregationis Hispaniarum die festo S. Caroli Borromaei, dicti Ordinis, dum vixit, protectoris.

Benedictus Papa XIII,
universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Concessio praedictae indulgentiae. Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris piâ charitate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis fratrum Ordinis S. Ioannis Dei Congregationis Hispaniarum ubicumque existentibus die festo S. Caroli Borromaei, dum vixit, dicti Ordinis protectoris, a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi, singulis annis, devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus: praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Clausulae. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV iulii MDCCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 14 iulii 1724, pontif. anno I.

1 Similis indulgentia concessa fuit in festo S. Petri de Alcantara pro ecclesiis fratrum Minorum Conventualium a Clemente XI const. edit. MDCCXVI, die XIX iulii, pontif. XVI; et in huius Pontificis constit. edit. MDCCXXIV, die IV iulii, pontif. I, concessa pariter fuit in festo S. Stefani tertii abbatis Cistercii pro ecclesiis Ordinis Cisterciensis.

XX.

Decernitur continuatio visitationis apostolicae cleri romani, ecclesiarum et locorum piorum Urbis[1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Cum felicis recordationis Innocentius Papa XII, praedecessor noster, circa pontificatus sui primordia pastoralem cleri romani, omniumque almae huius Urbis ecclesiarum piorumque locorum et operum visitationem instituerit, eamque ipsemet in patriarchalibus eiusdem Urbis ecclesiis inchoaverit, ac sibi in eo munere adiutores nonnullos ex sacro venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum, S. R. E. cardinalium collegio delegerit et assumpserit, eisque quosdam Romanae Curiae praelatos et alios subinde cardinales adiunxerit, qui visitationem ipsam peragerent et negotia illam concernentia expedirent, ac secretarium, commissarium et fiscalem, aliosque forsan officiales et ministros sacrae visitationis huiusmodi deputaverit, va- Visitatio praedicta ab Innocentio XII instituta eiusque continuatio a Clemente XI ac Innocentio XIII indictae.

1 De institutione huius visitationis vide Innocentii XII constit. edit. MDCXCIII, die 11 ianuarii, pontif. II; pro continuatione vero, vide Clementis XI constit. edit. MDCCI, die 14 ianuarii, pontif. I, et Innocentii XIII constit. edit. MDCCXXI, die 28 maii, pontif. I.

riasque eisdem cardinalibus, ac eorum et dictorum praelatorum Congregationi, necnon officialibus et ministris praedictis facultates, praeeminentias et indulta concesserit et impartitus fuerit, et aliàs, prout in diversis ipsius Innocentii praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis expeditis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur; et, sicut accepimus, memorati quidem cardinales visitatores, unâ cum praelatis coadiutoribus, etiam piae memoriae Clementis XI ac Innocentii XIII Romanorum Pontificum praedecessorum pariter nostrorum iussu, visitationem huiusmodi tam in eisdem patriarchalibus, quam in aliis collegiatis et fere omnibus parochialibus ecclesiis, ac in multis monasteriis regularium tam virorum quam mulierum, necnon collegiis, hospitalibus, confraternitatibus et aliis locis piis dictae Urbis postea prosecuti fuerint, salutaribusque monitis et decretis, ubi opus fuerit, providerint; visitatio tamen ipsa in omnibus ecclesiis ac locis et operibus piis praedictis nondum sit peracta, sed multa negotia eam concernentia adhuc pendeant indecisa:

Causa praesentis constitutionis.

§ 2. Hinc est quod nos, pastorali studio considerantes quantopere visitatio huiusmodi utilis et necessaria sit non modo ad tollendos abusus, sed etiam ad praecavendum ne deinceps introducantur, quantumque boni ex illâ hactenus provenerit, et benedicente Domino proventurum sit, si visitatio ipsa continuetur et absolvatur, ac in eâ, quae ad Dei cultum et gloriam animarumque salutem opportuna et conducibilia sunt, sicut hactenus factum est, in posterum quoque pie prudenterque statuantur, motu proprio, et ex certâ scientiâ et merâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, memoratam visitationem continuari et absolvi, causasque indecisas in Congregatione praedictâ pendentes, prout aequitatis atque iustitiae ratio suaserit, terminari, visitationes particularium ecclesiarum ac locorum et operum piorum iam inchoatas absolvi, necnon ecclesias et loca, opera pia, tam hucusque visitata, quae iteratam visitationem exposcere videbuntur, quam nondum visitata, visitari, ceteraque omnia et singula visitationem huiusmodi concernentia fieri, geri, statui et ordinari ac executioni demandari debere, tenore praesentium decernimus et mandamus: ac omnes et singulas facultates, privilegia, gratias, praeeminentias, praerogativas et indulta quaecumque praedictis cardinalibus et praelatis, eorumque Congregationi, necnon omnibus et singulis officialibus et ministris supradictis a memoratis Innocentio XII, Clemente XI et Innocentio XIII praedecessoribus, per suas respective litteras desuper emanatas, quovis modo respective concessa et attributa, per obitum eorumdem praedecessorum minime cessasse nec cessare, sed in suis robore et firmitate permanere, omnibusque et singulis praedictis respective adhuc competere et suffragari debere, decernimus pariter et declaramus, et, quatenus opus sit, facultates, privilegia, gratias, praeeminentias, praerogativas et indulta huiusmodi eisdem cardinalibus et praelatis, eorumque Congregationi, ac officialibus et ministris praedictis, in omnibus et per omnia prout eis respective a supradictis Innocentio XII, Clemente XI, ac Innocentio XIII praedecessoribus concessa et attributa fuerunt, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, denuo concedimus, tribuimus et impertimur.

Continuatio visitationis iniungitur.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes

litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis seu eorum aliquo interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiuscumque gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, etiam cardinalatus honore fulgentes, aut aliâs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarint, adductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque quantumvis iustâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet, etiam quantumvis magno et substantiali ac individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, ad terminos iuris reduci seu controversiam revocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrare vel intentare, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed ipsas praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, necnon eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac omnibus et singulis illis, quae memoratus Innocentius XII praedecessor in suis litteris supradictis voluit non obstare; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae. *Fides transumptorum.*

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV iulii MDCCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 15 iulii 1724, pontif. anno I.

XXI.

Confirmatur decretum Congregationis Concilii de auctoritate prioris S. Mariae super Minervam in poenitentiarios basilicae Liberianae [1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Emanarunt aliâs a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum in causâ seu causis inter tunc existentes eiusdem S. R. E. cardinalem maiorem poenitentiarum, ex unâ, et pro- *Decretum Congregationis Concilii refertur.*

[1] Vid. hac de re Pii V const. edit. MDLXVIII, die 1 septembris, pontif. III.

vincialem provinciae Romanae et priorem conventus S. Mariae super Minervam de Urbe Ordinis Praedicatorum, ex alterâ partibus, de et super facultate constituendi ac removendi minores poenitentiarios basilicae Liberianae, seu S. Mariae Maioris, Urbis et Ordinis praedictorum, eorumque subiectione vertentibus, decreta tenoris qui sequitur, videlicet:

Institutio poenitentiariorum praesertim fratrum Praedicatorum pro basilica Liberianâ ex redditibus cuiusdam abbatiae alendorum.

Romana. Poenitentiariorum minorum Liberianae basilicae. — Prae ceteris curis, quibus apostolica sollicitudo premitur, ea comperitur praecipua quae circa poenitentiale forum versatur, adeo merito, ut Romani Pontifices, exoriente Ecclesiâ, eidem muneri per se ipsos sedulo incumberent, ac deinde, negotiorum mole oppressi, nobiliora ecclesiasticae hierarchiae membra S. R. E. cardinales addixerint[1], neque primum ab huiusmodi onere ipsi relevati fuerunt, nisi cum publicis magnisque occupationibus eos distineri oportuit. Tum quidem probi sacerdotes poenitentiario officio suffecti extiterunt, qui fidelibus undequaque ad sacra limina confluentibus praesto essent, sub curâ et iurisdictione unius ex S. R. E. cardinalibus maioris poenitentiarii nomine nuncupati. Hic sane tamquam summi Pontificis vicarius in foro fori memoratis sacerdotibus minoribus poenitentiariis praesidere coepit, eosque eligere ac in nobilioribus Urbis basilicis promiscue deputare consuevit, [2] tum ex regulari coetu variisque ex nationibus et linguis. Perseveravit ultimo recensitus poenitentiariae status quousque S. Pius V in meliorem partem eum vertere censuit, simulque tribus religionibus optime meritis gratificari voluit, proindeque sub anno MDLXVIII constituit quod in Liberianâ basilicâ patres Praedicatores eligerentur minores poenitentiarii, in Lateranensi patres Minores, ac in Vaticanâ ex Societate Iesu assumerentur. Quin etiam prae aliis maiori beneficentiâ prosequi volens religionem S. Dominici, sub cuius vexillo vitam ab adolescentiâ instituerat, non sat habuit correligiosis suis ius electionis passivum decernere, quemadmodum binis recensitis religionibus constituit, sed ulterius dispositionem eorum favore exaravit, quod sex tantum poenitentiarii minores Ordinis Praedicatorum in dictâ basilicâ Liberianâ existerent ex unicâ linguâ Italâ et ex provinciâ Romanâ, tributâ facultate provinciali dictae provinciae sub[1] priori conventus S. Mariae super Minervam eligendi ac removendi eosdem minores poenitentiarios, ac certos exercendi actus iurisdictionales in eos privative quoad cardinalem maiorem poenitentiarium, exceptis respicientibus curam officii poenitentiarii, ut latius ex apostolico diplomate sub die I septembris anno MDLXVIII. Sed statim, vix praeterlapsis diebus octo, aliam edidit constitutionem, in qua sicut ius eligendi provinciali Romanae provinciae, sive priori conventus S. Mariae super Minervam attribuit, ita onus ipsos manutenendi, tamquam religiosos ex suâ mensâ, monasterio praefato addixit, ac pro subsidio eidem monasterio univit abbatiam S. Mariae Macularum loci S. Genesii « cum eo tamen ut ipse prior de fru tibus, redditibus et proventibus praefatis pensionem annuam tercentorum scutorum auri in auro eisdem sex poenitentiariis et duobus conversis, annis singulis, duobus terminis aequaliter in perpetuum persolvere teneatur, etc., si quid vero dictâ summâ tercentorum scutorum persolutâ reliquum erit, illud omne in communes dictae domus usus convertatur ».

Sed postea pro alimentis assignatis fuit unus canonicatus.

At vero sanctae memoriae Sixto V placuit iterum statum poenitentiariae Liberianae innovare. Quandoquidem sedulo idem Pontifex animo volvens quod inter ipsius basilicae canonicatus neque theologalis praebenda neque poenitentiaria erecta comperiebatur iuxta sacri Concilii Tridentini sanctiones, sed ex veteri instituto sex minores poenitentiarii fidelibus expiandis operam dabant, proindeque congruum omnino reputans quod ex mensae capitularis fructibus alimenta ipsis suppeditarentur, hinc memoratus Pontifex inquit: Motuproprio canonicatum ac praebendam, tunc vacantem, sup-

1 Edit. Main. legit *addixerit* pro *addixerint* (R. T.).

2 Forsan deest *tum ex clero saeculari* (R. T.).

1 Legend. *sive* pro *sub*, ut inf. lin. 20 (R. T.).

primimus et extinguimus; eorumque sic suppressorum fructus et proventus, ac etiam distributiones quotidianas, emolumenta certa et incerta, ordinaria et extraordinaria, et quae[1] anniversaria mortuorum, ac anni sancti, seu iubilaei, ac quovis modo appellantur, et solis praesentibus et divinis officiis et horis canonicis diurnis et nocturnis personaliter interessentibus dari solita, etc., eidem collegio et poenitentiariis huiusmodi per eos ac pro tempore existentes poenitentiarios basilicae S. Mariae Maioris praedictas integre pariformiter et aeque principaliter, ac sine ullà diminutione et differentiâ, ac si canonicus pro tempore existens actu semper interesset, et quoad hoc perinde ac si suppressio ipsa facta non fuisset, ita tamen quod ipsi poenitentiarii stallum in choro aut vocem locumve in capitulo non habeant, perpetuo applicamus et assignamus, etc.; ubi collegium poenitentiariorum nuncupatur ».

Et in ipsos concessa fuit iurisdictio maiori poenitentiario.

Hac tamen innovatione intactum patribus Praedicatoribus ius electionis passivum procul dubio remansit: verum cardinalis maior poenitentiarius, ut praetendit, reassumere, ac usque adhuc continuare coepit ius activum eligendi ex totâ dictâ religione minores poenitentiarios, tum vigore nativae eius facultatis, cum evidentius ex speciali iure ipsi nuncupato in Brevi quod expeditum fuit a sanctae memoriae Urbano VIII favore cardinalis S. Honuphrii maioris poenitentiarii sub hac verborum periodo: « Minores poenitentiarios et alios quoscumque officiales eiusdem officii poenitentiariae arbitrio tuo deputare vel confirmare, seu a dicto superiore episcopo et cardinali maiori poenitentiario, dum vixit, vel etiam a felicis recordationis Clemente VIII, Paulo V et Gregorio XV ad eorum beneplacitum et alio quovis modo deputatos removere, et alios sibi benevisos in illorum locum substituere, et alia quaecumque necessaria et opportuna facere licite possis et valeas, non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis »: quae facultates maioribus poenitentiariis successoribus cum expressâ subrogatione ad haec usque tempora renovatae fuerunt. Verum enim vero patres Praedicatores, sibi ipsis persuadentes integram intactamque remansisse formam Brevis sancti Pii V, inde a tempore quo apostolicum clavum gerebat sanctae memoriae Innocentius X contendere coeperunt, ad provincialem Romanae provinciae sive priorem conventus S. Mariae super Minervam ius eligendi minores poenitentiarios pertinere. At vero plurium testium usque ab anno MDCXLVI depositionibus formiter receptis circa quasi possessionem cardinalis maioris poenitentiarii, discussâque controversiâ in Congregatione particulari trium S. R. E. cardinalium ad enixas preces iam dictorum patrum deputatâ, nihil prorsus obtinuerunt, nec minus voti compotes effici potuerunt temporibus sanctae memoriae Alexandri VII. His tamen non obstantibus, iidem patres iterum autumantes ius eligendi minores poenitentiarios ad regulares superiores praememoratos spectare, quodque plures[1] ipsi exercuerint iurisdictionis actus in collegium huiusmodi poenitentiariorum, recursum suppliciter habuerunt ad sanctissimum dominum nostrum. Qui, partibus minime refragantibus, benigniter causam remisit ad eminentissimorum patrum consessum, a quorum iussu subscriptis infra exponendis dubiis, superest in praesenti quod solitâ sapientia et prudentiâ decernere ipsi dignentur:

Dubia in poenitentiariorum deputatione, amotione et subscriptione.

I. An poenitentiarii minores Ordinis Praedicatorum in basilicâ S. Mariae Maioris constitui debeant per provincialem provinciae Romanae Ordinis praedicti Praedicatorum, seu priorem S. Mariae super Minervam de Urbe, ad formam motusproprii S. Pii V, sive potius constitutio spectet ad cardinalem maiorem poenitentiarium, in casu, etc.:

II. An praedictorum poenitentiariorum minorum remotio spectet ad patrem provincialem seu priorem S. Mariae super Minervam Ordinis praedicti ad formam motusproprii praedicti S. Pii V, vel potius ad cardinalem maiorem poenitentiarium, in casu, etc.:

III. An praedicti poenitentiarii minores subiaceant curae, iurisdictioni, potestati,

1 Forsan *atque* pro *et quae* legendum (R. T.).

1 Forsan *pluries* pro *plures* legend (R. T.).

visitationi et correctioni praedicti provincialis seu prioris ad formam motusproprii praedicti S. Pii V, vel potius cardinalis maioris poenitentiarii, in casu, etc:

Resolutio in favorem prioris S. Mariae super Minervam.

Die XV decembris MDCCXIV sacra Congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum ad primum respondit affirmative quoad primam partem, et negative quoad secundum, servatâ formâ constitutionum Clementis VIII et Innocentii XII; ad secundam pariter affirmative quoad primam partem, et negative quoad secundam, servatâ forma dictarum constitutionum Clementis et Innocentii; ad tertium affirmative quoad primam partem, quoad ea quae concernunt observantiam regularem tantum. — PROSPER DE LAMBERTINIS secretarius.

Confirmatio relati decreti cum extinctione litis.

§ 2. Nunc autem nos, controversiis huiusmodi finem imponere cupientes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, decreta praeinserta, ac omnia et singula in eis contenta, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus. Praeterea lites et controversias quascumque super praemissis quovis modo exortas et adhuc forsan pendentes (illarum statum et merita nominaque et cognomina ac qualitates iudicum et collitigantium, et aliam etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes), in statu et terminis in quibus de praesenti reperiuntur, a quibuscumque iudicibus et tribunalibus ad nos, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, harum serie avocamus, illasque perpetuo supprimimus et extinguimus, ac perpetuum desuper silentium utrique parti imponimus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, seu intentari ullo modo unquam posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicquê et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praedictae cardinales, ceterosque quoslibet quacumque auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus quacumque litis pendentiâ ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinis, provinciae et conventus praefatorum, ac etiam officii poenitentiariae et collegii poenitentiariorum minorum huiusmodi, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque personis, atque maiori poenitentiario praedicto, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis, aliisque efficaciori-

bus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur et insererentur, iisdem presentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xv iulii MDCCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 15 iulii 1724, pontif. anno I.

XXII.

Conceditur patriarchalibus, metropolitanis et cathedralibus totius orbis catholici ecclesiis altare privilegiatum pro animabus defunctorum[1].

Benedictus Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Exordium. Omnium saluti paternâ charitate intenti, sacra interdum loca spiritualibus indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde fidelium defunctorum animae domini nostri Iesu Christi eiusque Sanctorum suffragia meritorum consequi, et illis adiutae ex purgatorii poenis ad aeternam salutem per Dei misericordiam perduci valeant.

Concedit ut in rubrica. § 1. Volentes igitur omnes et singulas patriarchales, metropolitanas et cathedrales totius orbis catholici ecclesias, in quibus altare privilegiatum quotidianum perpetuum forsan non reperitur concessum, et in eis altare, per patriarchas, archiepiscopos et episcopos respective locorum gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentes semel tantum designandum, hoc speciali dono illustrare, auctoritate nobis a Domino traditâ, ac de omnipotentis Dei misericordiâ et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ut quandocumque sacerdos aliquis saecularis, vel cuiusvis Ordinis, congregationis, seu instituti regularis missam defunctorum pro animâ cuiuscumque christifidelis, quae Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit, ad praedictum altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur; itaut eiusdem domini nostri Iesu Christi, ac beatissimae Virginis Mariae, sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatorii poenis liberetur, concedimus et indulgemus: praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Clausulae. § 2. Volumus autem, quod praesentium transumptis, seu exemplis, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx augusti MDCCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 20 augusti 1724, pontif. anno I.

1 Pro defunctis extensa fuit quaedam indulgentia ab Innocentio XI const. edit. MDCLXXIX, die 20 septembris, pontif. III; Clementis vero XI constit. edit. MDCCVII, die 26 septembris, pontif. I, conceditur indulgentia plenaria perpetua visitantibus domum Lauretanam, etiam per modum suffragii.

1 Reliqua ut supra pag. 59 b (R. T.).

XXIII.

Confirmatur decretum Congregationis super disciplinâ regulari super reformatione in duobus conventibus provinciae S. Alberti in regno Siciliae Ordinis B. M. de Monte Carmelo[1].

Benedictus Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Expositio facti

§ 1. Aliàs, pro parte dilecti filii Clementis Castiglioni prioris provincialis provinciae S. Alberti in regno Siciliae Ordinis beatae Mariae de Monte Carmelo, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et dilectorum filiorum Romanae Curiae praelatorum super disciplinâ regulari specialiter deputatae exposito, quod ipse unà cum definitorio eiusdem provinciae perfectam regularem observantiam et reformationem in duobus provinciae huiusmodi conventibus introducere necnon communem vitam observare intendebat, et ad hunc effectum dilectus pariter filius abbas Andreas Statella marchio loci de Spaccaforno, pro eo quem erga dictum Ordinem gerit devotionis affectu, redditus eorumdem conventuum pro manutentione duodecim religiosorum augere paratus erat; ideoque pro parte praedicti Clementis prioris provincialis eidem Congregationi supplicato, ut quatuor sequentes conditiones pro dictae reformationis firmitate admittere vellet: I. Quod unus quidem ex duobus praedictis conventibus pro novitiatu, alter vero pro professorio et studio assignari; II. Ut praedicti duo conventus nunc et pro tempore existenti priori generali Ordinis huiusmodi, donec et quousque una vicaria pro memoratae reformationis propagatione erigeretur, immediate subiici; III. Quod priores praedictorum conventuum a religiosis in illis de familiâ commorantibus, usquedum supradicta vicaria erecta minime fuisset, eligi; IV. Quod ab eiusmodi provinciâ quolibet triennio religiosis reformatis usque ad totalem illius reformationem unus conventus assignari respective deberent: conditiones vero a supradictâ Congregatione cardinalium requisitae, quod dotatio praedictorum conventuum a dicto Andrea iam facta et consensus a priori provinciali et definitorio praestitus fuerit, conventu Syracusano pro novitiatu et alio de Spaccaforno pro professorio et studio assignatis cum redditibus sufficientibus pro duodecim religiosorum substentatione fabricisque necessariis pro novitiatu et professorio et studio, iuxta decreta a felicis recordationis Clemente Papa VIII praedecessore nostro edita, adimpletae fuerint: et demum reperiantur viginti religiosi, qui reformationem huiusmodi amplecti desiderant, inter quos tres actuales definitores, quinque in sacrâ theologiâ magistri provinciae, et nonnulli alii eiusdem Ordinis fratres etiam simplices numerantur, praeter non modicum ecclesiasticorum et laicorum familiae claritate insignium, qui Ordinis praedicti habitum sub praedictâ reformatione suscipere intendunt: emanavit a praedictâ Congregatione cardinalium decretum tenoris sequentis, videlicet:

Decretum Congregationis

Sacra Congregatio super disciplinâ regulari, audito patre generali Ordinis Carmelitarum, referente eminentissimo Fabrono, censuit, super expositis oratoris precibus esse annuendum iuxta petita, contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae hac die XXIII decembris MDCCXXIII. F. cardinalis PAULUTIUS — F. episcopus.

[1] Hac de re vide etiam huius Pontificis const. ed. MDCCXXVII, die 15 decembris, pontif. IV. Clementis vero XI const. edit. MDCCXI, die 10 novembris, pontif. XI, reducuntur studia et gradus in Ordine Carmelitarum ad formam quorumdam decretorum capituli generalis.

Confirmatio decreti. § 2. Cum autem, sicut dictus Clemens prior provincialis nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsi Clementi priori provinciali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praedictae Congregationis cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectu sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis ac conventuum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, aut quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII iulii MDCCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 27 iulii 1724, pontif. anno I.

XXIV.

Conceditur ministris provincialibus et definitorio provinciarum Minorum Capuccinorum facultas vendendi vel permutandi libros duplicatos sive superfluos [1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius modernus procurator generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum, quod dudum felicis recordationis Urbanus Papa VIII praedecessor noster, ad supplicationem tunc existentis procuratoris generalis dicti Ordinis, ne libri, quinterni, folia sive impressa sive manuscripta, ad bibliothecas conventuum eiusdem Ordinis spectantia, inde sub quovis quaesito colore, praetextu vel occasione extraherentur vel asportarentur sub excommunica- *Ab Urbano VIII Minoribus eisdem vetitum fuit ne libros ex conventuum bibliothecis ullo pacto extraherent, cum licentia tamen inutiles cum utilibus permutandi.*

1 Urbani VIII const. edit. MDCXXXVIII, die 20 iulii, pontif. XVI, prohibitum fuit Capuccinis ne quovis colore libros e bibliothecis extraherent, sed inutiles cum utilibus permutare permittit; hoc idem decretum fuit ab Alexandro VIII const. edit. MDCLXXXIX, pontif. I.

tionis ac privationis vocis activae et passivae poenis per contrafacientes incurrendis, sub certis modo et formâ tunc expressis, interdixit et prohibuit. Permisit tamen tunc pariter existentibus ministris provincialibus et definitoribus Ordinis huiusmodi coniunctim procedentibus, ut per eorum syndicos earumdem bibliothecarum libros dicto Ordini inutiles cum aliis utilibus, de licentiâ tamen illorum qui eosdem libros, ut praefertur, donassent, aut eorum haeredum, si extitissent, permutare possent, et aliàs prout in ipsius Urbani praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die XX iulii MDCXXXVIII expeditis, uberius dicitur contineri. Et subinde recolendae memoriae Alexander Papa VIII, etiam praedecessor noster, per alias suas pariter in simili formâ Brevis die III iulii MDCLXXXIX expeditas litteras, similem prohibitionem fecit praeterquam fratribus praedicti Ordinis, qui quidem libros e bibliothecis huiusmodi respective de superioris seu bibliothecarii pro tempore existentis licentiâ extrahere et eis pro communi conventuum et particulari fratrum Ordinis praedicti usu in suis cellulis, fratribus quoque eiusdem Ordinis verbum Dei praedicantibus, qui etiam extra suos conventus uti possent, sed finito usu huiusmodi subitò ad dictas bibliothecas sub poenis supradictis reportare deberent; et aliàs, prout in praedictis Alexandri praedecessoris litteris fusius asseritur contineri.

Causae praesentis concessionis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, inter libros, qui in dictis bibliothecis collocati existant[1], aliquot sint duplicati, sive superflui, qui in aliis bibliothecis eiusdem Ordinis existunt necessarii, et viceversâ eveniat, quod in illis, in quibus desunt libri, qui in aliis superflui sunt, alii libri reperiantur superflui, quibus eiusmodi bibliothecae indigerent; dictus vero modernus procurator generalis, utilitati earumdem bibliothecarum consulere cupiens, ministris provincialibus et definitorio Ordinis praedicti libros duplicatos sive superfluos vendendi sive permutandi facultatem a nobis concedi summopere desideret: nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio praedicta, cum ordinatione convertandi pecunias ex venditione proventuras in emptionem aliorum librorum.

§ 3. Nos igitur, ipsum modernum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, nunc et pro tempore existentibus ministris provincialibus et definitorio coniunctim pariter procedentibus, ut per eorum syndicos libros duplicatos sive superfluos praedictos meliori qua fieri poterit conditione vendere et alienare, pecuniasque inde proventuras in emptionem tot librorum utilium ac meliorum, et non in alios usus, convertere et erogare, vel ipsos libros duplicatos sive superfluos cum aliis utilioribus et melioribus permutare libere et licite absque ullius censurae vel poenae in supradictis Urbani et Alexandri praedecessorum litteris quovis modo appositae sive comminatae incursu possint et valeant, ita tamen ut libri emptione sive permutatione huiusmodi acquirendi

1 Aptius lege *existunt* (R. T.).

illico in bibliothecis supradictis collocentur, nec inde sub poenis praedictis extrahi vel asportari valeant, licentiam et facultatem, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Clausulae derogatoriae. § 4. Non obstantibus praedictis Urbani et Alexandri litteris, ac, quatenus opus sit, piae memoriae Pauli II et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum pariter nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon conventuum et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Aliae clausulae. § 5. Volumus autem ut librorum duplicatorum seu superfluorum venditio, pecuniarumque inde proventurarum conversio huiusmodi, unico contextu fiant, vel saltem pecuniae ipsae penes Montem pietatis, aut personam fide et facultatibus idoneam deponantur, inde non amovendae, nisi ad effectum illas sicut praemittitur convertendi.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII augusti, MDCCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 8 augusti 1724, pontif. anno I.

XXV.

Conceditur Ruthenis ad Ecclesiam redeuntibus facultas recuperandi et retinendi bona sua[1].

**Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.**

Expositio. Æterni pastoris[2], qui misericors et miserator existit, vices licet immeriti in terris gerentes, iis etiam, qui foris sunt et a rectâ fide aberrant, pietatis et misericordiae ianuam reseramus, ac poenas, quas iuris severitas in eos statuit, Apostolicae Sedis clementiâ interdum ita temperamus, ut eiusdem Sedis benignitate allecti ad catholicam Ecclesiam, extra quam non est salus, reducantur, et Christo domino, qui eos proprio sanguine acquisivit, restituantur.

Concessio praedicta. § 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Benedictus Fruleviez, monachus expresse professus et procurator generalis Ordinis monachorum S. Basilii Magni ritus graeci uniti, nobis pro parte venerabilium fratrum archiepiscoporum et episcoporum Ruthenorum cum S. R. E. unitorum nuper exponi fecit, inter alias causas, quae schismaticos a relinquendo schismate et amplectendâ cum eâdem S. R. E. unione retrahunt ac morantur, ea praecipuae sit difficultas, scilicet, quam uniti experiuntur in recuperandis bonis, quae tam ante schisma quam tempore schismatis possidebant, et ut plurimum occupata ac eis violenter erepta sunt, nedum ante lapsum, sed etiam tempore lapsus in schisma praedictum; cupiantque archiepiscopi et episcopi

1 Clementis XI const. edit. MDCCXIII, die 16 septembris, pontif. XIII, mandatur Ordinariis quamplurium nationum et generalibus religionum et Ordinum, ut commendari curent populis christifideles captivi.

2 Similem de hac re vide const. Innocentii XIII in tom. praeced., pag. 956 (R. T.).

praedicti, huiusmodi impedimentum ad eorumdem schismaticorum reductionem facilius obtinendam amoveri, et opportune in praedictis a nobis provideri: nos, animarum saluti, quantum cum Domino possumus, consulere, ipsorumque archiepiscoporum et episcoporum votis hac in re favorabiliter annuere cupientes, necnon praedictum Benedictum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eorumdem archiepiscoporum et episcoporum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S.R.E. cardinalibus Congregationis Propagandae Fidei negotiis praepositae super rebus Ruthenorum deputatorum consilio, ut uniti cum eâdem S. R. E., sive laici, sive clerici, regulares vel saeculares, cuiusvis status, gradus et ordinis, etiam episcopalis, vel conditionis fuerint, omnia bona, quae ad eos tam ante schisma, quam eo perdurante aliàs legitime pertinebant, ac quibus etiam violenter spoliati fuerunt, recuperare et possidere, illisque frui, uti et gaudere libere et licite possint, quin in futurum ex causâ praedicti schismatis vel quovis sub praetextu alicui liceat bonorum eiusmodi recuperationem illorumque pacificam possessionem et usum ipsis unitis quoquo modo impedire, minusque eadem bona in illorum praeiudicium retinere, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, misericorditer in Domino concedimus et indulgemus.

Clausulae.

§ 2. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in futurum plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac dictae Sedis nuncios, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis apostolicis, et in synodalibus provincialibusque et universalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, legibus quoque imperialibus et municipalibus, ac consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII augusti MDCCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 12 augusti 1724, pontif. anno I.

XXVI.

Restituitur cardinali vicario Urbis iurisdictio cumulative in omnibus causis [1].

Benedictus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

In supremo apostolatus solio, meritis licet imparibus, divinâ dispositione constituti, ex incumbenti nobis pastoralis

1 Haec iurisdictio concessa praesertim fuerat a Clemente X const. edit. MDCLXXI, die 12 augusti, pontif. II; abolita vero ab Innocentio XII constit. edit. MDCXCII, die 17 septembris, pontif. II.

officii debito, ad ea libenter intendimus, per quae almae Urbis nostrae prospero statui et felici directioni opportune consulitur, et propterea, ea quae desuper a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus provide facta fuisse comperimus, partim approbamus et confirmamus, partim vero, aliis iustis causis ita suadentibus, alteramus et immutamus, ac facultates et iurisdictiones etiam de novo concedimus et indulgemus, aliasque eiusdem officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout, rerum, temporum et personarum, illarum praesertim quas in partem apostolicae sollicitudinis evocavit Altissimus, qualitate pensatâ, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Instituitur in vicarium Urbis ad vitam unus ex S. R. E. cardinalibus, cum potestate in civilibus et criminalibus, cum tribunali separato.

§ 1. Sane, cum, sicut accepimus, aliàs felicis recordationis Innocentius Papa XIII, praedecessor noster, officium vicariatus almae Urbis nostrae, tunc suae, et illius suburbiorum et districtus (quod etiam aliàs piae memoriae Paulus Papa IV etiam praedecessor noster pro uno ex S. R. E. cardinalibus, qui illud per pro tempore existentem Romanum Pontificem sibi concessum absque dispensatione apostolicâ ad eius vitam obtinere, et per se ipsum seu ab eo deputatos vicegesrentem et suffraganeum ac in civilibus et criminalibus locumtenentes exerceret, de fratrum suorum consilio et communi consensu erexit et instituit, prout in erectione et institutione huiusmodi et seu forsan desuper confectis litteris plenius continetur, quodque aliàs bonae memoriae Ioannes Dominicus tituli S. Anastasiae eiusdem S.R.E. presbyter cardinalis Paraccianus nuncupatus etiam, dum viveret, obtinebat), per obitum dicti Ioannis Dominici cardinalis, qui apud Sedem Apostolicam debitum naturae persolveret[1], vacans, ad prosperum et felicem statum dictae Urbis in spiritualibus dirigendum sollicitis studiis intendens, ad venerabilem fratrem nostrum, tunc suum, Fabritium eiusdem S. R. E. cardinalem Paulutium nuncupatum, tunc episcopum Albanensem, ob eximiae circumspectionis industriam, cognitam bonitatem, singularem integritatem atque prudentiam, fidei ac iustitiae zelum, et in magnis et arduis praefatae S.R.E., cuius honorabile membrum existit, negotiis experientiam comprobatam, necnon alia multiplicium virtutum dona, quibus eius personam illarum largitor[1] Altissimus insignivit, direxerit oculos suae mentis, certam in Domino spem habens quod idem Fabritius cardinalis, gratiâ ei assistente divinâ, officium ipsum summâ cum prudentiâ, fidelitate et diligentiâ exercuisset, motu suo proprio, non ad eiusdem Fabritii cardinalis, vel alterius pro eo, eidem[2] Innocentio praedecessori[3] super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ meràque deliberatione suis, deque apostolicae potestatis plenitudine, officium praefatum, sic vacans, eidem Fabritio cardinali per eum, quoad viveret, aut vicesgerentem et suffraganeum necnon locumtenentem seu locumtenentes suum vel suos exercendum, cum omnibus et singulis privilegiis, facultatibus, praerogativis, praeeminentiis, immunitatibus, exemptionibus et iurisdictionibus, necnon honoribus et oneribus, iuribus et emolumentis solitis et consuetis, quibus alii in dictâ Urbe, suburbiis et districtu praedicti vicarii in spiritualibus Romanorum Pontificum praedecessorum suorum pro tempore

1 Potius lege *persolverat* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *largiter* pro *largitor* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *eodem* (R. T.).

3 Male etiam legit *praedecessore* pro *praedecessori* (R. T.).

fuerat[1] uti, potiri, frui et gaudere potuerunt seu etiam debuerunt, auctoritate apostolicâ concesserit et assignaverit, et aliàs, prout in dicti Innocentii praedecessoris in formâ Brevis sub annulo Piscatoris desuper expeditis litteris etiam plenius continetur; et subinde singularum dictarum litterarum aliorumque praemissorum tenores etiam veriores ac datas, necnon alias dicti officii vicariatus facultates, si quae essent, pro expressis habens, antedictas officii vicariatus huiusmodi concessionem et assignationem, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus confirmaverit et approbaverit; ipsumque Fabritium cardinalem in suum et Urbis ac suburbiorum et districtus praefatorum vicarium, necnon Romanae Curiae iudicem ordinarium denuo assumpserit, constituerit et deputaverit, curam, regimen et administrationem liberumque exercitium officii huiusmodi plenarie committendo, cum potestate omnia et singula faciendi, disponendi, ordinandi, mandandi et exequendi, quae ad huiusmodi vicariatus officium de iure, stylo, consuetudine, aut aliàs quomodolibet pertinere dignoscuntur, et quae omnes alii vicarii Urbis, eiusque suburbiorum et districtus, de iure, stylo et consuetudine, vel alio quocumque modo et titulo dicere, facere, ordinare, mandare et exequi poterant et debebant, ac etiam vigore omnium et quorumcumque indultorum, facultatum et privilegiorum per felicium recordationum Paulum II, Clementem VII, Paulum III, Iulium item III, Pium IV, Pium V, Clementem VIII, aliosque Romanos Pontifices praedecessores nostros, tunc suos, concessorum, ante litteras piae memoriae Pauli Papae V, etiam praedecessoris nostri, tunc sui, sub datum kalendis martii anno Incarnationis dominicae MDCXI super reformatione tribunalium Urbis editas, cum declarationibus tamen et reformationibus contentis in litteris praedicti Pauli Papae V, iuxta quas, et respective ad eum statum in quo erant ante easdem litteras praefati Pauli V, etiam felicis recordationis Innocentius Papa XII, similiter praedecessor noster, tunc dicti Innocentii XIII, in suis litteris super suppressione, abolitione et abrogatione tribunalium et iudicum Urbis ex privilegiis constitutorum editis et expeditis XV kalendas octobris anno eiusdem Incarnationis dominicae MDCXCII, facultates, privilegia et indulta vicario pro tempore existenti dictae Urbis, eiusque districtus, per praefatos et alios etiam posteriores Romanos Pontifices concessa, in iudicialibus dumtaxat reduxit seu reformavit; quas quidem constitutiones praedecessorum huiusmodi, omniaque et singula indulta, facultates et privilegia, ut praefertur, officio vicariatus huiusmodi et vicariis praefatis in iudicialibus concessa et ad statum praefatum redacta, quarum et quorum tenores idem Innocentius XIII praedecessor pro plene et sufficienter expressis et insertis habens, salvas et salva esse, ac in suo firmitatis robore permanere declaravit, voluit et mandavit, necnon alias et illa, pro potiori cautelâ, apostolicâ auctoritate approbaverit, confirmaverit et innovaverit, eisdemque modis et formis, quibus ab ipsis praedecessoribus suis emanarunt, similibus auctoritate et tenore de novo perpetuo concesserit et indulserit, firmis quoque et illaesis remanentibus aliis indultis, privilegiis et facultatibus iudicialia non respicientibus, eidem pro tempore existenti vicario et vicariatus officio quandocumque etiam post dictam reformationem praefati Pauli V praede-

1 Vel verbum *fuerat* delendum, vel legendum *quibus alii, qui in dictâ Urbe... fuerant*, (R. T.).

cessoris concessis et reformatis et quomodolibet competentibus; ipsumque Fabritium cardinalem in praefatâ Urbe eiusque suburbiis et districtu vicarium, in praemissis et circa praemissa seu quolibet ipsorum competentem iudicem et exequutorem, motu, scientiâ et auctoritate paribus, declaraverit, constituerit et deputaverit; et, ut officium praefatum idem Fabritius cardinalis melius et liberius prosequi valeret, motu pari, deque scientiâ et potestatis plenitudine similibus, mandaverit omnibus et singulis, ad quos spectat, cuiuscumque status, dignitatis, ordinis, gradus vel conditionis existerent, quatenus in exequendis iis, quae ad officium eius praefatum et iurisdictionem pertinere noscebantur, omnibus possibilibus auxiliis, consiliis et favoribus opportunis assisterent, eique pariter obedirent prout ipsi Innocentio XIII praedecessori, dictoque Fabritio cardinali litteras praefatas in omnibus et per omnia suffragari debere, illasque, et in eis contenta quaecumque, sub quibusvis similium vel dissimilium facultatum et gratiarum revocationibus, suspensionibus, derogationibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus nullatenus comprehendi, nec per eas immutari, suspendi, limitari, moderari, aut ad terminos iuris reduci posse, sed perpetuo validas et efficaces fore et esse, et, quidquid illarum vigore a dicto Fabritio cardinali gestum, statutum, factum, mandatum indultum et exequutum foret, perpetuam iuris et roboris firmitatem retineret, et nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis dicti Innocentii XIII praedecessoris, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, vel ad terminos iuris reduci, seu in ius vel controversiam revocari, ac omnes et singulos processus, sententias, quos et quas per quoscumque iudices et officiales in praeiudicium attributae et concessae sibi iurisdictionis praefatae haberi et promulgari contigisset, nullas nulliusque roboris vel momenti fore et esse, et ita per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores ac praefatae S.R.E. cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet qualibet aliter iudicandi et interpretandi facultate, in quavis causâ et instantiâ iudicari et definiri debere, et, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane dictâ auctoritate voluerit, decreverit et statuerit: ac aliàs, prout in memorati Innocentii XIII praedecessoris, sub datum videlicet XIII kalendas octobris, pontificatus sui anno II, expeditis litteris plenius continetur:

Refertur Clementis X constitutio qua conceditur cardinali vicario cumolativa potestas in omnibus causis more iudicum ordinariorum Romanae Curiae.

§ 2. Cumque, sicut etiam accepimus, etiam aliàs felicis pariter recordationis Clemens Papa X, etiam praedecessor noster, bonae memoriae Gasparem, dum viveret, eiusdem S. R. E. presbyterum cardinalem de Carpineo nuncupatum, in suum et dictae Urbis suburbiorum ac districtus praefatorum vicarium, necnon Romanae Curiae iudicem ordinarium ad universitatem omnium et quarumcumque causarum cuiusvis qualitatis et speciei (etiam si essent mere laicales et profanae, et inter mere laicos, ad instar aliorum Romanae Curiae iudicum ordinariorum, itaut inter eum et illos nulla concidere posset differentia, etiamsi ageretur in gradu recursus a sententiis tantum iudicum Urbis et districtus, et inter quascumque personas exemptas et speciali notâ dignas, et quae specialem mentionem requirerent) assumpserit, constituerit et deputaverit; ac aliàs, prout in aliis eiusdem Clementis X praedecessoris sub datum Romae, apud S. Ma-

riam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCLXXI, pridie idus augusti, pontificatus sui anno II, expeditis litteris etiam plenius continetur:

Restituitur cardinali vicario facultas cumulativa in omnibus causis iuxta tenorem dictae constitutionis Clementis X.

§ 3. Nos igitur, qui, quantum cum Domino possumus, ad rerum omnium statum salubriter dirigendum nostrae considerationis intuitum libenter extendimus, et in iis, quae ad illarum regimen et gubernium profutura cognovimus, opem et operas nostras impendimus efficaces, eumdem Fabritium cardinalem, modernum episcopum Portuensem et S. Rufinae, dictae almae Urbis nostrae eiusque districtus et suburbiorum vicarium in spiritualibus generalem, amplioribus favoribus et gratiis prosequi, ac dicti vicariatus officii indemnitati ac feliciori regimini providere volentes, eumdem Fabritium cardinalem et vicarium, aliosque pro tempore dicto vicariatus officio potituros et gavisuros in iurisdictione vicariatus dictae Urbis, illiusque suburbiorum et districtus, iuxta praefatas litteras apostolicas per dictum Clementem X praedecessorem favore memorati Gasparis cardinalis de Carpineo dictae Urbis et suburbiorum et districtus vicarii in spiritualibus generalis emanatas, in eâ tantum parte in qua idem Clemens X praedecessor disposuit, cardinalem vicarium Urbis ac districtus et suburbiorum praefatorum habere iurisdictionem cumulativam cum omnibus aliis iudicibus ordinariis Urbis praefatae in causis civilibus et criminalibus, etiam mixtis, inter personas mere laicas, et in causis omnibus mere laicalibus et profanis, motu pari, non ad eiusdem Fabritii cardinalis vel alterius pro eo nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex scientiâ et potestatis plenitudine similibus, tenore praesentium reintegramus et plenarie restituimus, ac iurisdictionem huiusmodi ei et eis de novo concedimus et indulgemus; ita ut dictus Fabritius cardinalis et ceteri Urbis praefatae ac districtus et suburbiorum huiusmodi vicarii, qui pro tempore erunt, eorumque vicesgerentes et suffraganei ac locumtenentes, aliique iudices ab eis deputati ac pro tempore deputandi, iurisdictione cumulativâ cum omnibus aliis iudicibus ordinariis Urbis praefatae, ut supra, libere et licite uti possint et valeant, absque eo quod a quoquam quavis auctoritate, praetextu aut causâ impediri quoquo modo possint; et ita per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac praefatae S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos vicelegatos, Sedisque Apostolicae nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, in quavis causâ et instantiâ iudicari et definiri debere, et, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Clausulae derogatoriae amplissimae

§ 4. Non obstantibus dictâ constitutione praefati Innocentii XII praedecessoris nostri, cui, quatenus opus sit, in hac tantum parte, aliisque reformationibus et decretis a quibusvis iudicibus quavis auctoritate fungentibus ac etiam vivae vocis oraculo emanatis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis generalibus editis, stylo palatii, regulis Cancellariae Apostolicae prohibentibus mandata executiva aliâs quam sub plumbo expeditis, ac facultatibus et iurisdictionibus praefatae almae Urbis gubernatoris, senatori et populo romano, et causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori, praesidi et magistris viarum, ac praefatae S. R. E. cardinalibus, ac aliis quibusvis iudicibus et officialibus etiam

laicalibus quacumque auctoritate fungentibus, et quibuscumque aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, necnon irritantibus et fortioribus decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, per nos, seu quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros in contrarium forsan quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis, ac etiam iteratis vicibus innovatis, etiamsi cautum sit in eis expresse, quod illis nullatenus, vel nonnisi sub certis inibi expressis et nominatis modis et formis derogari, seu contra illa quidquam concedi possit; quibus omnibus et singulis, etiamsi de eorum totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso inserti, et formâ in illis traditâ observatâ forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, motu et scientiâ similibus, specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse, nec illa eisdem praesentibus adversari vel obstare volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum

§ 5. Volumus etiam, quod earumdem praesentium transumptis semper et quandocumque stetur et plenaria fides adhibeatur tam in iudicio quam extra illud, ac si eaedem praesentes exhibitae vel ostensae forent.

Sanctio poenalis.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae reintegrationis, restitutionis, concessionis, indulti, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXXIV, XVI kalendas septembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 16 septembris 1724, pontif. anno I.

XXVII.

Confirmantur quaedam litterae Innocentii VIII, Pauli III et Pii IV super causarum cognitione archiepiscopo Beneventano spectantibus, aliisque ecclesiae Beneventanae consuetudinibus [1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

In supremo militantis Ecclesiae solio per ineffabilem divinae sapientiae atque bonitatis abundantiam nullo licet meritorum suffragio constituti, ea quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ad favorem catholicorum antistitum eorumque officialium provide atque sapienter constituta et ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque illibata serventur, nec temerario cuiusquam ausu violentur, apostolici muniminis nostri patrocinio libenter roboramus. Exordium.

§ 1. Dudum siquidem, postquam felicis recordationis Innocentius Papa VIII, Ab Innocentio VIII archiepiscopo Bene-

1 Hac de re vide Innocentii VIII const. edit. MCDXCI, die 8 iunii, pontif. VII, necnon Pauli III constit. edit. MDXXXVIII, die 22 augusti, pontif. V, et Pii IV constit. edit. MDLX, die 20 augusti, pontif. II. Huius Pontificis constit. edit. MDCCXXIV, die 23 martii, pontif. I, confirmatur const. Pii III de fructibus beneficiorum vacantium dioecesis Beneventanae convertendis in reparationem et incrementum ecclesiae Beneventanae.

ventano eiusque vicario generali concessum fuit, ut omnes appellationum causas, tam civiles, quam criminales, in quibus delinquentes puniendi non essent poenâ corporis afflictivâ, coram ipsis cognosci et decidi deberent.

praedecessor noster, per quasdam suas litteras desuper in simili formâ Brevis die XVIII iunii MDXCI pontificatus sui anno VII expeditas, et[1] tunc existenti vicario tunc pariter existentis archiepiscopi Beneventani in spiritualibus generali directas, motus[2] supplicationibus tunc itidem existentium Beneventanorum nostrorum, tunc suorum, directioni[3] eiusdem vicarii, pro maiori commoditate Beneventanorum ipsorum, ad relaxandos eos laboribus et expensis gravioribus, omnes appellationum causas, tam in civilibus quam in criminalibus, dummodo non venirent delinquentes puniendi poenâ corporis afflictivâ, cognoscendi, terminandi, decidendi, iuxta tenorem privilegii quod sibi concessum affirmabant a piae memoriae Pio Papa II itidem praedecessore nostro, facultatem et potestatem apostolicâ auctoritate concesserat etiam et elargitus fuerat:

A Paulo III dictae civitatis Beneventanae gubernatori nonnullae variae facultates elargitae fuere.

§ 2. Subinde Paulus Papa III, etiam praedecessor noster, per alias suas desuper sub plumbo anno Incarnationis dominicae MDXXXVIII, X kalendas septembris, pontificatus sui anno V, expeditas litteras, bonae memoriae Francisco, dum vixit, archiepiscopo Beneventano directas, quondam Ludovico Bozzuto, dum vixit, civi Neapolitano, civitatis nostrae tunc suae Beneventanae gubernatori, contra et inter quoscumque sibi ratione gubernii sui quovis modo subditos, si de tali causâ agerent ex qua civitatis status perturbari potuisset, quoties sibi visum fuisset, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, solâ facti veritate inspectâ, iuris ordine praetermisso, et aliàs manu regiâ procedendi, necnon meram et mixtam omnimodam gladii potestatem in eâ exercendi, necnon quascumque poenas criminales, ubi de ultimi supplicii aut de mutilatione membrorum poenâ non ageretur (habitâ prius per eos qui deliquissent ab offensis vel eorum haeredibus pace), in pecuniarias poenas commutandi, statutum et ordinationem dudum per recolendae memoriae Clementem PP. VIII[1] etiam praedecessorem nostrum super substitione[2] procuratoris fiscalis in qualibet civitate Sedi Apostolicae immediate subiectâ, et aliis tunc expressis facta et edita in dictâ civitate Beneventanâ, in omnibus et singulis eorum capitulis, observari et executioni demandari, ac alia tunc expressa faciendi, plenam et liberam per alias suas in formâ Brevis litteras facultatem concessit; necnon, ut causae civiles civitatis et dioecesis praedictarum, quarum cognitio in secundâ instantiâ ad archiepiscopum Beneventanum pro tempore existentem, seu eius vicarium, ex antiquâ et approbatâ eatenus pacificâ observatâ consuetudine devolvi consueverat, celeriter terminarentur, statuit et ordinavit quod exinde de cetero, nisi archiepiscopus aut vicarius praedicti causas praedictas infra tres menses, a die qua procedere incepissent, ipsas causas expedissent, causae praedictae ad abbatem monasterii S. Modesti Beneventani Ordinis S. Benedicti devolverentur, et devolutae esse censerentur, prout in dictis litteris plenius dicebatur contineri.

At postea praedicta revocata et archiepiscopus in pristinum ius restitutus.

§ 3. Et in petitione eidem Paulo praedecessori pro parte eiusdem archiepiscopi factâ subiuncto, quod praemissa cognitio causarum huiusmodi ad ipsum et pro tempore existentem archiepiscopum Beneventanum ex inveteratâ consuetudine semper observatâ spectantium a suâ curiâ limitabatur et

1 Male ed. Main. legit *ex* pro *et* (R. T.).
2 Male ed. Main. legit *Motus* (R. T.).
3 An recta lectio iudicet lector scius (R. T.).

1 Legendum saltem ***Clementem VII*** (R. T.).
2 Forsan *substitutione* (R. T.).

abdicabatur, et ad inferiorem ipso eo devolvebatur: idem Paulus praedecessor, qui in minoribus constitutus ecclesiae Beneventanae praefuerat, de praemissis plene informatus, eamdem ecclesiam, quam in visceribus gerebat charitatis, in suis iuribus conservari volens, eiusdemque archiepiscopi, qui unum ex officiis scriptorum litterarum apostolicarum ex concessione apostolicâ obtinebat, eius[1] in hac parte supplicationibus inclinatus, litteras praedictas et inde secuta quaecumque, quoad ea quae causarum huiusmodi cognitionem, decisionem, terminationem illarumque devolutionem et statuti praedicti observantiam concernebant, auctoritate apostolicâ revocavit et annullavit, illaque nullius prorsus roboris vel momenti fuisse et esse ac pro penitus infectis quoad omnia haberi voluit et decrevit, necnon eumdem archiepiscopum et praescriptam ecclesiam in pristinum, et eum in quo antequam litterae ipsae ab eodem Paulo praedecessore emanassent quomodolibet erant, statum restituit, reposuit et plenarie reintegravit, ac repositos, restitutos et reintegratos existere, necnon quae in causis appellationum huiusmodi, tam in civilibus quam in criminalibus, ac quibuscumque aliis, ac quoad exactionem procurationis a suffraganeis dictae ecclesiae et quibuscumque aliis personis visitationi subiectis ratione visitationis huiusmodi debitis[2] in pecuniâ numeratâ iuxta solitum, necnon quascumque alias dictae ecclesiae consuetudines, quae catenus in viridi observantiâ fuerant, approbavit, confirmavit et innovavit, illaque, prout ante concessionem litterarum huiusmodi servata fuerant, in posterum servari debere, necnon suam et eiusdem ecclesiae ordinariam iurisdictionem in eisdem causis et consuetudinibus illibatam remanere, et causas ipsas per se vel suum in spiritualibus vicarium generalem pro tempore existentem decidi debere et licite posse, nec per dictum gubernatorem praetextu litterarum praedictarum, seu quoscumque alios etiam quacumque dignitate fungentes, expedire posse, sicque per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, necnon, quidquid secus attentari contigisset, irritum et inane decrevit.

A Pio IV denique idem circa cognitionem causarum in secundâ instantiâ eidem archiepiscopo concessum.

§ 4. Ac demum recolendae memoriae Pius PP. IV, etiam praedecessor noster, per quasdam pariter suas litteras in formâ Brevis die XX augusti MDLX expeditas, et bonae memoriae Iacobo S. R. E. cardinali Sabello, dum vixit, archiepiscopo Beneventano inscriptas (cum per alias suas litteras quondam Paulum Odescalcum, dum etiam vixit, notarium et utriusque signaturae referendarium, et in regno Neapolitano nuncium, suum in civitate nostrâ, tunc suâ, Beneventanâ eiusque districtu, necnon quorumcumque magistratuum, locumtenentium et aliorum officialium et iustitiae ministrorum, simulque civium et incolarum in illis tunc et pro tempore existentium, in temporalibus superintendentem generalem auctoritate apostolicâ ad beneplacitum suum fecisset, constituisset et deputasset, dans eidem plenam et liberam potestatem et facultatem quascumque causas civiles, criminales et mixtas ratione superintendentiae huiusmodi ad illum expectantes, ac inter et contra quoslibet ex supradictis pro tempore motas, per se ipsum vel alium ab ipso deputandum, audiendi, cognoscendi et fine debito, prout iuris fuisset, summarie, simpliciter et de plano, sine stre-

1 Vox eius redundat (R. T.).
2 Forsan debitae nempe *procurationis* (R. T.).

pitu et figurâ iudicii, terminandi, et[1] prout latius in eisdem litteris sub datum sub annulo Piscatoris die XIX iunii MDLX, pontificatus sui anno I, plenius continebatur; et deinde, sicut acceperat, quod omnium et quarumcumque causarum tam civilium quam criminalium et mixtarum coram gubernatore seu locumtenente ac vicario curiae temporalis, et aliis magistratibus, iudicibus et officialibus quibuscumque dictae civitatis pro tempore motarum et vertentium, in secundâ instantiâ, per appellationem ad eumdem Iacobum cardinalem qui ecclesiae Beneventanae ex dispositione apostolicâ praeerat, seu ad officiales et ad vicarium suum generalem, ex antiquâ approbatâ consuetudine, sub privilegiorum desuper concessorum vigore, aut aliàs quomodolibet, omnimoda iurisdictio et cognitio spectabat et pertinebat) declaravit, et per easdem litteras attestatus fuit, suae intentionis non fuisse nec esse praescriptum Paulum nuncium et superintendentem suum praescriptos Iacobum cardinalem et archiepiscopum ac officialem seu vicarium suum, vigore sibi attributae et concessae iurisdictionis et commissionis, molestare, inquietare ac perturbare quomodolibet potuisse seu posse, nullumque per litteras suas praescriptas iurisdictioni et cognitioni eidem Iacobo cardinali et archiepiscopo, ut praecipitur, spectanti et pertinenti factum fuisse ac in futurum fieri posse vel debere praeiudicium, quominus illam exercere posset eisdem modo et formâ quibus ante datam dictarum litterarum idem Iacobus cardinalis et archiepiscopus aut eius vicarius exercere consueverant, ac praescriptis Iacobo cardinali et archiepiscopo vicarioque facultatem et auctoritatem, tam eidem nuncio, quam aliis quibuscumque, quatenus et quibus opus fuisset, sicut ante exercere consueverat, inhibendi, nec[1] in futurum in causis coram eodem Iacobo cardinali et archiepiscopo seu eius vicario generali, tam in primâ quam in secundâ instantiâ, ratione devolutionis ut supra spectantibus et pertinentibus, quovis modo et quaesito colore se intromittere[2], sub poenis et censuris ecclesiasticis, et aliis poenis, quoad ipsum nuncium, arbitrio eiusdem Pii praedecessori, quo vero ad alias[3], arbitrio eiusdem Iacobi cardinalis et archiepiscopi vel eiusdem vicarii sui imponendis, auctoritate praescriptâ concessit et impertitus fuit, prout idem Pius praedecessor eidem nuncio et aliis praescriptis inhibuit sub iisdem poenis et censuris ecclesiasticis incurrendis, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigisset attentari, decrevit; et aliàs, prout in eorumdem Innocentii, Pauli et Pii praedecessorum nostrorum litteris respective expeditis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, fusius continetur.

Confirmatio praedictarum Innocentii, Pauli et Pii litterarum motu proprio facta, cum statuto ut illae perpetuis futuris temporibus observentur.

§ 5. Nunc autem nos, qui ante nostram ad supremum apostolatus apicem assumptionem triginta octo annorum et aliquorum mensium spatio, quo antedictae metropolitanae ecclesiae Beneventanae praefuimus, huiusmodi consuetudinem in viridi observantiâ fuisse et esse comperimus et experti sumus, pro debito pastoralis officii praefatas litteras etiam in posterum observari volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, easdem litteras dictorum Innocentii, Pauli et Pii praedecessorum, omnes et sin-

1 Vox *et* delenda, vel legendum *et aliàs* (R. T.).

1 Legendum *ne* pro *nec* (R. T.).

2 Legendum *intromitterent* (R. T.).

3 Videtur legendum *alios* pro *alias* (R. T.).

gulas, cum omnibus et singulis in eis contentis et expressis harum serie approbamus et confirmamus ac innovamus, illisque omnibus et singulis inviolabilis apostolicae firmitatis robur, vim et efficaciam adiungimus, eaque omnia in eis contenta et expressa, sub iisdem poenis, perpetuis futuris temporibus inviolabiliter et inconcusse observari praecipimus et mandamus.

Clausulae. § 6. Decernentes, easdem praesentes et praefatas Innocentii, Pauli et Pii praedecessorum litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet, etiam cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis, aut alii, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione digni, in praemissis forsan ius vel interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, neque causae, propter quas ipsae praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque quantumvis iuridicâ, piâ, legitimâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno ac substantiali ac incogitato inexcogitabilique defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse; sed ipsas praesentes et praedictas Innocentii, Pauli et Pii praedecessorum litteras semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac pro tempore existenti archiepiscopo Beneventano, eiusque vicario in spiritualibus generali, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 7. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae in supradictis Innocentii, Pauli et Pii praedecessorum litteris concessa sunt non obstare; ceterisque contrariis quibuscumque. Contrariorum derogatio.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI septembris MDCCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 6 septembris 1724, pontif. anno I.

XXVIII.

Decernitur decanatum sacri cardinalium collegii ad episcopum cardinalem antiquiorem, licet absentem, pertinere, aliaeque controversiae hac super re de medio tolluntur [1].

[1] Hac de re vide Pauli IV const. ed. MDLV, die 22, pontif. I, quae hic refertur. Huius vero

Benedictus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romani Pontificis circumspecta vigilantia, ea quae certis etiam et rationabilibus ex causis a praedecessoribus suis olim provide sancita fuerunt, ubi dissidiis et contentionibus, praesertim inter eos qui sublimi cardinalatus dignitate in sanctâ Dei Ecclesiâ praefulgent, aliisque insuper gravioribus malis occasionem tribuere dignoscuntur, ipsâ rerum experientiâ suadente, nonnunquam moderatur ac immutat, et ad aequitatis ac iustitiae normam redigit, ut, sublatis e medio litium malorumque seminibus, fraterna charitas atque concordia, quam inter eosdem cardinales maxime vigere decet, inviolata servetur, et publico simul bono consultum sit; eumque in finem apostolicae auctoritatis et providentiae partes libenter interponit, prout, maturâ deliberatione praehabitâ, in Domino conspicit salubriter expedire.

Refertur constitutio quaedam Pauli IV qua sancitur decanatum collegii cardinalium ad episcopum cardinalem antiquiorem in Curia praesentem, aut ex causâ publicâ absentem, pertinere.

§ 1. Dudum siquidem a felicis recordationis Paulo Papa IV praedecessore nostro emanavit constitutio tenoris sequentis, videlicet:

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Cum venerabiles fratres nostri[1] S. R. E. cardinales in partem sollicitudinis vocentur, etc.[2]. Datum Romae apud S. Marcum anno Incarnationis dominicae MDLV, XI kalendas septembris, pontificatus nostri anno I.

Sed postea sub Clemente XI dubitatum fuit praedicta an constitutio servanda esset necne.

§ 2. Postmodum, anno scilicet MDCCXI, occasione obitus bonae memoriae Nicolai S. R. E. cardinalis Acciaioli episcopi, dum viveret, Ostiensis et Veliternensis, sacrique venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S.R.E. cardinalium collegii decani, dubitatio emersit, an praedictâ constitutione adversus cardinales a Curiâ Romanâ absentes latâ comprehenderentur vel potius excluderentur cardinales promotione antiquiores, qui, eveniente decanatus eiusdem sacri collegii vacatione, a praefatâ Curiâ quidem abessent, sed apud illas metropolitanas seu cathedrales ecclesias residerent, quibus eos, unâ cum aliquâ ex iis cathedralibus ecclesiis suburbicariis, quae ipsis cardinalibus antiquioribus pro suis titulis seu denominationibus assignari solent, praeesse contingeret. Cumque eiusmodi dubitatio nullis antea Sanctae Sedis deficientibus[1] discussa ac dirempta esse videretur, recolendae memoriae Clemens Papa XI, praedecessor itidem noster, eam expendendam librandamque committere decreverat sive dilectis filiis Rotae Romanae auditoribus, sive aliis eiusdem Curiae praesulibus integritate doctrinâque praestantibus, quorum auditâ sententiâ, id, quod rationi et aequitati consentaneum illi visum fuisset, statuere posset. Verum, dum in eâ deliberatione versaretur, nos, quos potissimum, tamquam eo tempore sanctae Romanae Ecclesiae cardinalem episcopum Portuensem et archiepiscopum Beneventanum ceterisque collegis promotione priores, memoratâ Pauli IV constitutione sepositâ, tam ad decanatus dignitatem, quam ad praefatas Ostiensem et Veliternensem ecclesias, antiquitatis iura vocabant, animo reputantes rem hanc absque aliquâ contentione transigi minime posse, probeque memores verborum Apostoli Timotheum suum admonentis *Servum Dei non oportet litigare*, firmiter constituimus super istiusmodi negotio a

Pontificis const. ed. MDCCXXIV, die 17 augusti, pontif. I, restituta fuit cardinali vicario Urbis iurisdictio cumulativa in omnibus causis.

1 Male edit. Main. legit *nostris* (R. T.).

2 Const. Pauli IV require suo loco in tom. VI, pag. 502 *b* et *seq*. (R. T.).

1 An recta lectio iudicet lector scius (R. T.).

quavis concertatione seu litis specie prorsus abstinere; adeoque, datis primum ad eumdem praedecessorem nostrum litteris ex suburbano secessu sancti Pastoris, et mox etiam apertis verbis illi coram explicavimus atque obtestati fuimus, ut, quacumque nostri ratione posthabitâ, dignitatem decanatus cardinali episcopo ex residentibus in Romanâ Curiâ antiquiori deferre vellet, eidemque ecclesiarum Ostiensis et Veliternensis optionem permitteret, eâ tamen adiectâ declaratione, ut, simili in posterum occurrente decanatus vacatione, salva et illaesa remanerent iura cardinalium episcoporum, qui cardinalatu quidem essent antiquiores, sed extra Romanam Curiam in propriis suis episcopatibus tunc residerent. Attentâ itaque huiusmodi nostrâ obtestatione atque cessione, vacans sacri collegii decanatus unâ cum Ostiensi et Veliternensi ecclesiis a memorato Pontifice in consistorio secreto habito die XXVI aprilis MDCCXIX bonae memoriae Fulvio sanctae Romanae Ecclesiae cardinali Astallio, tunc episcopo Sabinensi, qui ex episcopis cardinalibus in Curiâ degentibus antiquior erat, cum speciali tamen iurium quorumcumque tam episcoporum cardinalium extra Curiam apud priores suas ecclesias residentium, quam aliorum episcoporum cardinalium in eâdem Curiâ commorantium, praeservatione, delatus fuit.

Deinde simile controversia, vacante denuo decanatu, excitata fuit: eâque commissâ cuidam congregationi particulari, ab eâ sequens iudicium prolatum est, quod et ab eodem Clemente XI approbatum.

§ 3. Deinde vero, cum praefatus cardinalis Astallius decanus, inscrutabili divinae providentiae dispositione, ab huiusmodi[1], omnium opinione celerius, decessisset, et alia non adsimilis controversia inter venerabiles fratres nostros bonae memoriae cardinalem Sebastianum Antonium Tanarium, tunc episcopum Tusculanum, et cardinalem Franciscum Iudicem, tunc pariter episcopum Praenestinum in Romanâ Curiâ praesentes (nobis omnino silentibus et a quacumque petitione prorsus abstinentibus) excitata fuisset, memoratus Clemens praedecessor septem eiusdem Curiae praesules doctrinâ et integritate praestantes deputavit, illisque commisit, ut, probe ac mature perpensis rationum momentis, qui hinc inde afferri poterant, et de quibus eos plene instrui curavit, suum circa verum sensum antedictae constitutionis Pauli IV iudicium proferrent, quod postea in hunc qui sequitur modum protulerunt:

Praedictae Congregationis iudicium.

Die XXVIII februarii MDCCXXI habita fuit congregatio particularis in mansionibus reverendi patris domini auditoris Sanctissimi super causâ decanatus sacri collegii cardinalium, cui interfuerunt RR. PP. DD. Petra, Marefuscus auditor Sanctissimi, Lancetta, Cerreus, Herrera, Ansideus et Lambertinus eiusdem particularis Congregationis secretarius; omnesque unanimiter responderunt consulendum esse Sanctissimo, quod declarare dignetur decanatum sacri collegii cardinalium devenisse vigore Bullae quintae sanctae memoriae Pauli IV ad eminentissimum dominum cardinalem Tanarium, uti episcopum cardinalem antiquiorem in Curiâ praesentem tempore vacationis dicti decanatus sequutae per obitum cardinalis Fulvii Astallii, exclusis episcopis cardinalibus antiquioribus extra Curiam tempore dictae vacationis commorantibus non ex publicâ causâ et destinatione Romani Pontificis, etiamsi residerent in ecclesiis, quarum administrationem ex dispensatione apostolicâ retinent, et ita servandum esse perpetuis futuribus vacationibus. Quoad aliam vero controversiam inter eminentissimos dominos cardinalem Tanarium, antiquiorem in episcopatu et iuniorem in cardinalatu, et cardinalem Iudicem, iuniorem in episcopatu sed antiquiorem in cardinalatu, causa non fuit proposita, attentâ cessione suo iuri

1 Deesse videtur *vitâ*, vel subintelligendum *decanatu* aut *dignitate* (R. T.).

factâ ab eodem cardinali Iudice, dominique unanimiter dixerunt consulendum esse Sanctissimo quod declarare dignetur ex huiusmodi cessione nullum in futuris decanatus vacationibus censeri irrogatum fuisse praeiudicium cardinalibus similia iura foventibus. Factâque eâdem die per me infrascriptum secretarium de praemissis sanctissimo domino nostro relatione, Sanctitas Sua congregationis sententiam quoad utramque partem benigne approbavit, et perpetuis futuris temporibus observari mandavit. — PROSPER DE LAMBERTINIS secretarius.

A Clemente XI confirmatum.

Idem vero Clemens praedecessor non modo antedictorum praesulum votum seu consilium, ut praefertur, benigne probavit, perpetuisque futuris temporibus observari mandavit, verum etiam illud in consistorio secreto subinde, nempe die III martii MDCCXXI habito, palam recitari et inter acta eiusdem consistorii ad perpetuam rei memoriam asservari atque custodiri praecepit.

Causae praesentis constitutionis.

§ 4. Cum autem, seclusâ Paulinâ constitutione, maxime aequum et rationi consonum videatur, ut cardinales episcopi antiquiores praefati, quamvis tempore vacationis decanatus sacri collegii a Romanâ Curiâ absint, et apud priores sibi commissas ecclesias personaliter resideant, ad eumdem decanatum assequendum admitti debeant: tum quia ipsi re verâ a Curiâ non absunt ex voluntate suâ, sed ex formali necessitate, cum, ex divinarum canonicarumque sanctionum et Concilii potissimum Tridentini praescripto, apud priores ecclesias iugiter residere cogantur, quin etiam ab eis discedere absque Sedis Apostolicae licentiâ non possint, nec ab hoc apud ipsas residendi onere exempti sint, quamvis in Urbe vel in ecclesiis suburbicariis, qui illis in titulum sunt assignatae, commorari vellent, quemadmodum expresse sub gravissimis poenis cavetur peculiari constitutione piae memoriae Urbani Papae VIII praedecessoris pariter nostri, cuius tenor est qui sequitur, videlicet: ***Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.*** **Sancta Synodus Tridentina sub recolendae memoriae Paulo Papa III praedecessore nostro, etc.**[1], datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII decembris MDCXXXIV, pontificatus nostri anno XII; tum etiam quia si iuxta Paulinam constitutionem a decanatu non repellitur episcopus cardinalis antiquior ex causâ publicâ absens et extra Curiam per Romanum Pontificem destinatus, ob eamdem quoque rationem repelli non debere videtur episcopus cardinalis antiquior qui apud priorem ecclesiam residet; is enim vere a Romanâ Curiâ abesse dicitur ex causâ publicâ, publicam scilicet particularis ecclesiae, cui praeest, utilitatem, in qua publicum quoque universalis Ecclesiae commodum continetur, respiciente; praeterea negari non potest, quin ipse extra Curiam per Romanum Pontificem fuerit destinatus, dum idem Romanus Pontifex non modo illi prioris ecclesiae regimen destinavit, sed etiam, ut commissam sibi pastoralis sollicitudinis partem cumulatius expleret, eum ad iugiter residendum apud ecclesiam sibi destinatam sub gravissimis in praeinsertâ potissimum Urbani praedecessoris constitutione sancitis poenis compulit et obstrinxit: accedit praemissis, quod ab eiusmodi exclusione episcoporum cardinalium antiquiorum extra Romanam Curiam in prioribus ecclesiis residentium maximum illud promanat absurdum, quod alienae mortis detestabile votum ingeritur; nam, sicut accepimus, et nobis etiam ipsis evenisse non diffitemur, statim ac cardinalis sacri collegii deca-

1 Constitutionem Urbani VIII vide tom. XIV, pag. 457 b et seq. (R. T.).

nus gravi et periculoso morbo laborat, illico episcopus cardinalis antiquior absens, qui ipsi in decanatu successurus est, amicorum litteris ad Urbem quantocitius repetendum incitatur, ut tempore obitus eiusdem cardinalis decani in Romanâ Curiâ praesens sit, adeoque ad eum ex Paulinae constitutionis praescripto decanatus deferatur; unde non sine gravi bonorum offensione et ecclesiasticae disciplinae detrimento, in Urbe conspicitur episcopus cardinalis antiquior, in decanatu proxime successurus, qui cardinalis decani aegrotantis mortem expectat, ut ad ipsum dignitas vacatura deveniat, contra saluberrimum Lateranensis Concilii monitum relatum in cap. II *De concessione praebendae*, cuius verba sunt: *Ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cuius locum et beneficium se crediderit successurum. Cum enim in ipsis etiam legibus gentilium inveniatur inhibitum, turpe est et divini plenum animadversione iudicii, si locum in Ecclesiâ Dei futurae successionis expectatio habeat, quam ipsi etiam gentiles condemnare curarunt:*

Decernitur ad quem decanatus praedictus pertineat.

§ 5. Nos itaque, qui deinde praedictum sacri collegii cardinalium decanatum absque ullâ contentione obtinuimus ob illius vacationem retroactis mensibus secutam per obitum memorati cardinalis Tanarii decani, dum in Romanâ Curiâ praesentes essemus, et in conclavi, ubi, divinâ sic disponente clementiâ, ad summi apostolatus fastigium evecti fuimus, reperiremur: praemissis omnibus, quantum cum Domino possumus, occurrere et obviare, ac aliàs desuper opportune providere volentes: motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praefatis aliisque iustis et rationalibus causis animum nostrum moventibus adducti, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione sancimus atque decernimus, quod episcopus cardinalis antiquior, qui unâ cum aliquâ ex cathedralibus suburbicariis praefatis in titulum cardinalibus antiquioribus assignari solitis aliam retinebit cathedralem seu metropolitanam ecclesiam in administrationem, dummodo tamen apud ipsam secundodictam ecclesiam personaliter resideat tempore vacationis decanatus eiusdem sacri collegii, de cetero ad ipsum decanatum admitti debeat et admittatur, perinde ac si occurrente illius vacatione in Romanâ Curiâ praesens fuisset, itaut absentia ab Urbe ad praemissum effectum ei nullatenus obesse possit: quin etiam volumus et declaramus, ipsum decanatum ad praedictum episcopum cardinalem antiquiorem absentem, et apud priorem ecclesiam, ut praefertur, actu residentem, ipso iure devenire debere eo prorsus modo, quo in Paulinâ constitutione ad episcopum cardinalem antiquiorem in Curiâ praesentem, aut ex causâ publicâ absentem, et extra Curiam per Romanum Pontificem destinatum, devenire debere decernitur, ita quod inter eos nullum amplius discrimen seu differentia constituatur: ac ita perpetuis futuris temporibus servari praecipimus et mandamus.

Tollitur quaedam controversia, super assequutione saepe dicti decanatus.

§ 6. Praeterea expedire censentes ut e medio tollatur ac penitus extinguatur alia pariter controversia aliàs, sicut praemittitur, excitata et non definita, utrum scilicet, in assecutione saepe memorati decanatûs, cardinalis antiquior in episcopatu suburbicario, et iunior in cardinalatu, praeferendus sit cardinali iuniori in episcopatu sed antiquiori in cardinalatu, vel e contra, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, praelationem deberi cardinali antiquiori in episcopatu, licet sit iunior in cardina-

latu, decernimus et declaramus, ac ita deinceps in occurrentibus decanatûs vacationibus perpetuo servari volumus et mandamus.

Reservatur cardinali decano optio ecclesiarum Ostiensis et Veliternensis.

§ 7. Quoniam vero ab antiquo tempore, ac praesertim ab editâ Paulinâ constitutione, usque ad praesentem diem, cardinalis sacri collegii decanus Ostiensis et Veliternensis ecclesiarum invicem perpetuo canonice unitarum episcopatum semper obtinuit, adeoque sive ex praesumptâ earum cum decanatu unione, sive alio titulo, speciale ius ad ipsum favere videtur (in quo mentis ac intentionis nostrae non est ut eidem cardinali decano praeiudicium aliquod inferatur); contingere autem facile potest quod episcopus cardinalis antiquior a Romanâ Curiâ absens et apud suam priorem ecclesiam residens, ad quem decanatus ex praemissis in posterum deveniet, ad Urbem celeriter accedere, et primo consistorio, in quo memoratum Ostiensem et Veliternensem episcopatum optare deberet, praesens interesse nequeat: motu et potestatis plenitudine paribus optionem praedictarum Ostiensis et Veliternensis ecclesiarum cardinali, qui pro tempore fuerit eiusdem sacri collegii decanus, specialiter reservamus ac reservatam esse volumus et declaramus, itaut earumdem ecclesiarum episcopatum nemo alius optare unquam possit, sed ad cardinalem decanum praedictum privative quoad alios quoscumque perpetuis futuris temporibus eiusmodi optio pertineat ac pertinere debeat. Volumus tamen atque decernimus, quod idem episcopus cardinalis antiquior a Curiâ absens et apud priorem ecclesiam, ut praefertur, residens, postquam ad eum sacri collegii decanatus devenerit, quantocitius poterit, ad Urbem se conferre, summoque Pontifici in consistorio, ut moris est, pro optione earumdem Ostiensis et Veliternensis ecclesiarum supplicare teneatur: quod si notoriâ aegritudine fuerit impeditus, vel ob aliam iustam aut gravem causam a Romano Pontifice pro tempore existente probandam ad Urbem venire nequiverit, motu, scientiâ ac potestatis plenitudine paribus, eidem cardinali decano, ut in praenarratis casibus per suum legitimum procuratorem antedictas Ostiensem et Veliternensem ecclesias optare, et vigore optionis huiusmodi eas assequi libere et licite possit et valeat, non secus ac si ipse praesens personaliter illas optasset, licentiam et facultatem in Domino concedimus et impertimur.

Clausulae peculiares.

§ 8. Decernentes, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod supradicti, et alii quicumque in praemissis ius vel interesse habentes aut habere praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati ac auditi, et causae, propter quas praesentes emanarunt, verificatae, seu aliàs sufficienter aut etiam in aliquo iustificatae non fuerint, seu aliis quibusvis de causis, quantumvis urgentibus, ullo unquam tempore a quoquam de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quolibet quantumvis magno, formali et substantiali defectu notari, impugnari, retardari, invalidari, aut ex quovis quaesito praetextu vel colore in controversiam vocari, ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, aut quempiam impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso, uti nullatenus posse, nec sub quibuslibet similium vel dissimilium constitutionum, sive dispositionum, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, etiam con-

sistorialiter, aut aliàs quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores et successores nostros, ac etiam per nos factarum et faciendarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed easdem praesentes litteras semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, necnon praedictis S. R. E. cardinalibus a Romanâ Curiâ absentibus et apud suas priores ecclesias, ut praefertur, actu residentibus plenissime suffragari; ab omnibus vero aliis, ad quos spectant et pro tempore quandocumque spectabunt, inviolabiliter et inconcusse observari debere; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et cardinales, etiam de latere legatos, necnon quascumque eorumdem cardinalium Congregationes, et quosvis alios qualibet auctoritate, praeeminentiâ et potestate fungentes et quandocumque functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatoriae. § 9. Non obstantibus praeinsertâ constitutione Pauli Papae IV praedecessoris nostri et praeinserto similiter consilio seu voto Congregationis septem praesulum a felicis recordationis Clemente XI praedecessore etiam nostro deputatorum, ab eo, ut praefertur, specialiter approbato, necnon decretis consistorialibus similis memoriae Pauli III et sancti Pii V Romanorum Pontificum pariter praedecessorum nostrorum, et constitutione similis memoriae Innocentii Papae X, praedecessoris itidem nostri, super residentiâ eiusdem S. R. E. cardinalium apud Sedem Apostolicam, et quibusvis nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, et signanter illâ de iure quaesito non tollendo, et aliâ, quod cardinales in constitutionibus et regulis per nos edendis non comprehendantur, nisi illae eorumdem cardinalium favorem concernant, vel de ipsorum seu maioris partis eorum consilio editae fuerint, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam consistorialibus, et aliis decretis consistorialibus quibuscumque, necnon dicti sacri collegii, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, decretis, statutis, usibus, stylis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, et indultis ac litteris apostolicis quibuscumque, sub quibusvis tenoribus et formis, et cum quibuscumque, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, et consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, confirmatis et approbatis, ac pluries et quantiscumque vicibus innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaelibet alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas, causas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter ac exactissime expressis, insertis, servatis et specificatis respective habentes, illis aliàs

in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse, ac plenissime et amplissime derogamus, et derogatum esse volumus et mandamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 10. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae haberetur praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 11. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum voluntatis, declarationis, extensionis, reformationis, moderationis, concessionis, praecepti, sanctionis, mandati et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXXIV, VII idus septembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 7 septembris 1724, pontif. anno I.

XXIX.

Confirmantur privilegia ab Urbano VIII Ordini S. Ioannis Dei tradita, et nova conceduntur[1].

1 Hac de re vide const. heic traditam; de confirmatione vero confirmatoriarum Urbani VII et Alexandri VII super exemptione hospitalium Ordinis S. Ioannis Dei ab Ordinariorum iurisdictione pro Congregatione Hispanicâ, vide Innocentii XIII const. edit. MDCCXXI, die 8 iulii, pontif. I.

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Iniuncti nobis apostolici muneris ratio postulat, ut ea, quae ad favorem christifidelium, qui regularem vitam profitentur et praesertim aegrotis et miserabilibus personis in eorum hospitalibus cum assiduâ charitate inserviunt, ex providâ Sedis Apostolicae benignitate provenerunt, quo solidius perennent[1], apostolici muneris praesidio roboremus.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Urbanus VIII praedecessor noster omnia et singula privilegia, immunitates, gratias, indulgentias Ordini S. Ioannis Dei concessa, unà cum elargitione et cum communicatione quarumcumque praerogativarum et indultorum Ordinibus Mendicantium et signanter Congregationi clericorum regularium Ministrantium Infirmis, eorumque locis et personis, concessorum et concedendorum, approbavit per quasdam suas desuper in simili formâ Brevis expeditas litteras tenoris qui sequitur, videlicet:

Urbani VIII constitutio.

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam. Sacrosancti apostolatus officium, etc.[2].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX iunii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I ».

Confirmatio relatae constitutionis.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte dilecti filii moderni prioris generalis dicti Ordinis nobis nuper expositum fuit, ipse praemissa, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, specialem ipsi priori generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti, aliisque ec-

1 Edit. Main. legit *perennet* (R. T.).
2 Integra Urbani VIII constitutio legitur in tom. XIII pag. 169 *a* et seq.; ubi incipit *Sacrosanctum apostolatus officium* (R. T.).

clesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia et singula privilegia, immunitates, gratias et indulta praedicto Ordini a memorato Urbano praedecessore concessa ut praefertur, emanatasque desuper ipsius Urbani praedecessoris litteras praeinsertas, cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, pariter approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae memoratus Urbanus praedecessor in suis litteris praeinsertis concessit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII septembris MDCCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 13 septembris 1724, pontif. anno I.

XXX.

Confirmatur decretum Congregationis Rituum circa translationem corporis venerabilis Ferdinandi a S. Iosepho Ordinis eremitarum S. Augustini ad ecclesiam quamdam eiusdem Ordinis [1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Decretum sacrae Congregationis refertur.

§ 1. Nuper ad supplicationem dilecti filii moderni prioris generalis Ordinis fratrum eremitarum S. Augustini emanavit a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Iaponensis, seu Makaensis, beatificationis et canonizationis seu declarationis martyrii servi Dei Ferdinandi a S. Iosepho sacerdotis Ordinis eremitarum S. Augustini. Cum patri generali Ordinis eremitarum S. Augustini innotuerit, quod litterae a sacrâ Rituum Congregatione die XIII septembris MDCXCII concessae et episcopo Makaensi directae, ad effectum ut auctoritate sacrae Congregationis corpus servi Dei Ferdinandi a S. Iosepho praedicti in Iapponiâ anno MDCXVII in odium fidei, ut asseritur, interfecti, et illinc ad regnum de Makascar, deindeque ad civitatem Makaensem translatum, a Catharinâ de Noronha viduâ relictâ quondam Francisci Viera retentum, patribus eiusdem Ordinis consignaretur, ob navium depraedationem aliaque varia infortunia ad civitatem Makaensem minime pervenerunt [2]; cumque modo post tam longum tempus dicta Catharina de Noronha ab humanis decessisse assertum fuerit, et corpus praefati servi Dei retineatur

1 Huius Pontificis const. ed. MDCCXXVIII, die 23 octobris, pontif. V, confirmatur iudicium episcopale Ticini habitum de corpore S. Augustini; et Clementis XI const. ed. MDCCI, die 29 ianuarii, pontif. I, confirmatur decretum Congregationis Rituum de facultate eremitis Augustinianis provinciae Franciae factâ canendi Horas canonicas cum cantu Gregoriano.

2 Aptius lege *pervenerint* (R. T.).

a Mariâ de Noronha illius sorore in civitate Maka prius commorante, quae postmodum unâ cum proprio filio Antonio de Leguiera Noronha ad civitatem Goanam se transtulit, secum etiam asportasse[1] corpus dicti servi Dei: propterea sacrae Rituum Congregationi modo supplicatum fuit, quatenus iniungere dignaretur reverendissimo archiepiscopo Goano, ut, auctoritate ipsius sacrae Congregationis, idem corpus a domo Mariae de Noronha, sive in casu illius mortis a quocumque alio loco, ubi quomodolibet repertum fuerit, amoveatur, et ad ecclesiam patrum Ordinis eremitarum S. Augustini sub titulo Nostrae Dominae vulgo de Gratiâ civitatis Goanae transferatur, ad effectum illud tumulandi et servandi absque ullâ veneratione usque ad declarationem martyrii dicti servi Dei. Eadem sacra Congregatio pro executione decretorum sanctissimae Inquisitionis sub die XIII martii et XII octobris MDCXXV ac V iulii MDCXXXIV super non cultu ab Urbano PP. VIII editorum, et in parvo volumine impressorum, censuit committi dicto reverendissimo archiepiscopo, ut, verificatâ coram ipso identitate dicti corporis, adhibitâque omni maiori circumspectione et cautelâ in huiusmodi decreti executione ne ulla controversia aut scandalum oriri possit, illud consignari faciat praedictis patribus ad effectum tumulandi in dictâ eorum ecclesiâ, dictaque translatio ac tumulatio praesente vicario generali eiusdem archiepiscopi, vel aliâ personâ in ecclesiasticâ dignitate constitutâ eidem benevisâ, secreto fiat, servatis in reliquis dictis decretis sanctae memoriae Urbani PP. VIII super non cultu editis, ne unquam de illorum contraventione dubitari contingat, et adimpletis aliis latius iniungendis et exprimendis in litteris expediendis, eidemque reverendissimo archiepiscopo dirigendis. — Die XXVI augusti MDCCXXIV. - F. card. PAULUTIUS, praefectus. - N. M. TEDESCHI archiepiscopus Apamenus S. R. C. secretarius.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte dicti prioris generalis nobis subinde expositum fuit, ipse decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desideret: nos, ipsum priorem generalem specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis memoratae cardinalium. Clausulae.

§ 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII septembris MDCCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 18 septembris 1724, pontif. anno I.

---

[1] Forsan *asportans* pro *asportasse* legendum (R. T.).

XXXI.

Confirmatur constitutio Innocentii XIII super ecclesiasticâ disciplinâ in regnis Hispaniarum [1].

Benedictus Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. In supremo militantis Ecclesiae solio per ineffabilem divinae sapientiae atque bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, constituti, ea, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ad ecclesiasticam disciplinam sartam tectamque tuendam, et, ubi collapsa est, instaurandam, provide disposita esse noscuntur, apostolici muniminis nostri patrocinio libenter constabilimus, novisque praesidiis, ut exactius serventur, corroboramus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiae decus, specialemque christifidelium aedificationem expedire in Domino arbitramur.

Constitutio praedicta Innocentii XIII. § 1. Aliàs siquidem emanarunt a felicis recordationis Papa Innocentio XIII praedecessore nostro litterae tenoris qui sequitur, videlicet:

Innocentius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam. Apostolici ministerii, quod nobis, licet immerentibus, etc[2].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII maii MDCCXXIII, pontificatus nostri anno II.

Eius confirmatio. § 2. Cum autem, sicut accepimus, tametsi praemissa a memorato Innocentio praedecessore maturo ac saluberrimo fuerint constituta et ordinata consilio, illa nihilominus necdum plenae executioni, ut par erat, demandata fuerint, neque proinde optatos fructus usquequaque proferre valuerint: hinc est quod nos, probe considerantes nihil magis alios ad veram pietatem et Dei cultum assidue instruere et excitare, quam eorum vitam et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt, facileque fieri posse ut populus in viâ Domini prospere et feliciter progrediatur, si clerus illi praeluceat, ac suavem in eo sanctioris disciplinae bonorumque operum odorem diffundat; ac propterea eorumdem praemissorum ad hunc tam pium et salutarem finem tradentium [1] subsistentiae ac paratae executioni, sublatis quibusvis impedimentis, quantum cum Domino possumus, pastorali nostrâ curâ et sollicitudine consulere cupientes, praeinsertas Innocentii praedecessoris litteras, et quaecumque in eis constituta, ordinata, sancita, decreta et declarata, ac aliàs quomodolibet contenta et expressa, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, ac, quatenus opus sit, innovamus et de novo constituimus, ordinamus, sancimus, decernimus et declaramus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, necnon tam dilecto filio nostro et Sedis praefatae in regnis Hispaniarum nuncio nunc et pro tempore existenti, quoad ea quae ad ipsum eiusque tribunal pertinent, quam venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, ceterisque locorum Ordinariis et superioribus, ac etiam dilectis filiis utrique clero saeculari et regulari eorumdem regnorum, districte ac sub interminatione divini iudicii auctoritate praefatâ harum serie praecipimus et mandamus, ut illa omnia et singula, omni morâ, dilatione et cunctatione sublatâ, debitâ obedientiâ exequan-

1 Dicta constitutio edita fuit, die 13 maii MDCCXXIII, pontif. II. Innoc. XII const. ed. MDCXCVII, die 4 augusti, pontif. VIII, confirmata fuit Congregatio super disciplinâ regulari.

2 Reliqua omittimus, quia integra Innocentii XIII constitutio legitur in tom. XXI, pag. 931 *a* et seq. (R. T.).

1 Potius lege *tendentium* (R. T.).

tur, et accurate et exacte servent, faciantque respective illa ab iis, ad quos spectat et quandocumque spectabit, in futurum eâdem auctoritate omnimodae executioni demandari et inviolabiliter observari.

Clausulae. § 3. Decernentes pariter, ita in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac ipsius S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et dictae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae praedictus Innocentius praedecessor in litteris suis praeinsertis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Ut autem eaedem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus illas seu earum exempla ad valvas ecclesiae Lateranensis, ac basilicae Principis Apostolorum, necnon Cancellariae apostolicae Curiaeque generalis in Monte Citatorio et in acie Campiflorae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari, sicque publicatas et affixas, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctari et afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent; utque ipsarum litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII septembris MDCCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 23 septembris 1724, pontif. anno I.

XXXII.

Conceditur indulgentia perpetua et universalis omnibus christifidelibus recitantibus, ad signum campanae quod vulgo dicitur l'Ave Maria, *antiphonam* Angelus Domini *flexis genibus* [1].

Fabrizio, per la misericordia di Dio vescovo di Porto della santa Romana Chiesa cardinal Paolucci, della Santità di nostro Signore vicario generale, ecc.

Indulgentia plenaria quolibet mense. Essendo stato commesso alla suprema apostolica autorità del Sommo Pontefice, vicario di nostro signor Gesù Cristo in terra, il dispensare i tesori dei doni celesti e considerando la Santità di Benedetto XIII che sia un potente motivo per distribuire liberalmente i detti tesori, quando si riconosce che siano per essere molto profittevoli per accrescere la venerazione all' augustissima regina de' cieli Maria sempre vergine madre di Dio, per eccitare e mantenere la divozione verso la medesima e per la salute delle anime: quindi è che la Santità Sua, confidata nella misericordia dell'onnipotente Iddio e nell'autorità de' Ss. apostoli Pietro e Paolo, concede indulgenza plenaria e remissione di tutti li peccati universalmente e in perpetuo a tutti li fedeli i quali, veramente pentiti, confessati e comunicati, in un giorno di ciaschedun

1 Constit. seq. conceduntur etiam nonnullae indulgentiae perpetuae recitantibus coronam Septem Dolorum B. Mariae Virginis. In Clementis XI const. edit. MDCCI, die 26 septembris, pontif. I, conceduntur plenariae perpetuae etiam per modum suffragii visitantibus sanctam Domum Lauretanam.

mese, a loro elezione, reciteranno inginocchioni divotamente al suono della campana la mattina, o a mezzogiorno, ovvero la sera, la solita orazione *Angelus Domini nunciavit Mariae, et concepit de Spiritu Sancto. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, e con la detta orazione tre volte *Ave Maria, etc.*, e pregheranno il Signore per la pace e concordia tra' principi cristiani, estirpazione delle eresie, e per l'esaltazione della santa madre Chiesa.

Aliae indulgentiae conceduntur.

Negli altri giorni poi dell'anno concede la Santità di nostro signore parimente in perpetuo ai fedeli, i quali veramente contriti diranno l'orazione come sopra, ogni volta che ciò faranno, cento giorni d'indulgenza, come più diffusamente si legge nel Breve apostolico spedito il dì 14 settembre 1724. — Data dalla nostra solita residenza questo dì 26 settembre 1724.

Dat. die 26 septembris 1724, pontif. anno I.

XXXIII.

Conceduntur nonnullae indulgentiae perpetuae recitantibus coronam Septem Dolorum beatae Mariae Virginis[1].

Benedictus Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Redemptoris et domini nostri Iesu Christi vices licet immeriti gerentes in terris, spiritualium munerum thesauros, quorum dispensatores a Domino constituti sumus, libenter erogamus, sicut ad fovendam et incitandam fidelium devotionem salubriter expedire in Domino arbitramur.

1 De simili concessione pro recitantibus flexis genibus antiphonam *Angelus Domini* ad signum campanae quod vulgo dicitur *l'Ave Maria*, vide huius pontificis const. praecedentem.

Concessio ut in rubrica.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, et[1] dilecti filii moderni prior generalis et procurator generalis Ordinis fratrum Servorum B. M. Virginis nobis nuper exponi fecerunt, in dicto Ordine, iuxta illius institutum et laudabilem ac antiquissimam consuetudinem, in recordationem septem principalium dolorum quos beatissima Virgo Maria patrona et advocata nostra in unigeniti sui filii vitâ et obitu passa fuit, Corona eorumdem septem praecipuorum dolorum, e septem septenariis angelicarum salutationum, septemque dominicis orationibus, unâ cum tribus aliis *Ave Maria* in honorem lacrymarum eiusdem B.M.V. composita, recitari consueverit, eâque occasione praefati etiam dolores explicentur et meditentur: nos, ad augendam christifidelium devotionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris piâ charitate intenti, ac supplicationibus eorumdem prioris generalis et procuratoris generalis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui vere poenitentes et confessi seu firmum confitendi propositum habentes in singulis feriis sextis cuiuslibet hebdomadae Quadragesimae et festivitate Septem Dolorum eiusdem beatae Mariae Virginis eiusque totâ octavâ, necnon in ecclesiis Ordinis praedicti, coronam Septem Dolorum huiusmodi devote recitaverint, ducentos dies pro qualibet oratione dominicâ, et totidem pro quavis salutatione angelicâ; in reliquis vero totius anni diebus, centum dies; iis autem qui per se ipsos, aut cum socio vel familiari, eiusmodi coronam integre itidem recitaverint, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis seu aliàs quomodolibet debitis poenitentiis in formâ Ecclesiae consuetâ relaxamus:

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

praeterea praedictis christifidelibus, qui quotidie per integrum annum memoratam Coronam pariter recitaverint, et subinde vere poenitentes et confessi ac sacrâ communione refecti pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel in anno, die per unumquemque ex eis eligendâ, lucrifaciendam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus et elargimur: praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Statuitur ut coronae septem dolorum B. M. a suis religiosis benedicantur.

§ 2. Volumus autem quod superiores conventuum, seu religiosi praedicti Ordinis qui ab illis ad id specialiter deputati fuerint, coronas huiusmodi benedicendi facultatem habeant, et ut supradictae coronae nemini possint vendi nec commodari, et, si secus fiat, indulgentiae supradictae cessent, nulliusque sint roboris vel momenti, sed circa eas decretum a felicis recordationis Alexandro PP. VII praedecessore nostro die VI februarii MDCLVII editum omnino servetur; utque earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI septembris MDCCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 26 septembris 1724, pontif. anno I.

XXXIV.

Conceditur fratribus Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis captivorum facultas nominandi iudices conservatores in conventibus provinciarum Castellae, Legionis, Navarrae et Baeticae [1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio facti.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Attilanus Perez procurator generalis Ordinis fratrum SS. Trinitatis redemptionis captivorum, in sacrâ theologiâ magister, tam suo quam dilectorum filiorum fratrum conventuum provinciarum Castellae, Legionis et Navarrae, ac Baeticae nominibus, quod, vacantibus potissimum, uti ex proprio instituto tenentur, eorum religiosis captivorum redemptioni ex manibus et durâ infidelium servitute tam in Asiae quam in Africae partibus, ac in opus tam pium christifidelium et magnatum largitionibus, benedicente Domino, confluentibus, saepius contigit, et non sine maximâ eorum amaritudine in dies contingere solet, eiusmodi subsidia ac etiam animos religiosorum distrahi ob insurgentes lites, quae tum eamdem redemptionem, tum alia religionis negotia concernunt, eo quia illas in diversis tribunalibus ad instantiam partium cum maximo dispendio et incommodo prosequi coguntur.

Causae praesentis concessionis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Attilanus procurator generalis nominibus praedictis, quo vexationibus et molestiis exinde im-

1 Alia ab hoc Pontifice const. ed. MDCCXXVII, die 26 februarii, pontif. IV, conceditur facultas capitulo generali eiusdem Ordinis et definitorio generali ipsum celebrandi, necnon condendi statuta et decreta. Innoc. XIII const. ed. MDCCXXII, die 24 augusti, pontif. II, confirmat decretum Congregationis episcoporum et regularium de alternativâ vicariatus generalis inter tres provincias dicti Ordinis.

minentibus, quae [1] non parum praeiudiciales esse tum ipsis religiosis tum incremento et piissimi instituti propagationi experientia satis docuit, tandem occurratur, praemissorum intuitu eisdem religiosis iudicem conservatorem [2] imposterum pro causis occurrentibus tam activis quam passivis, non solum interesse redemptionis eorumdem captivorum in dictis partibus, quam aliud quodcumque eorumdem conventuum concernentibus, coram quo absque tanto strepitu, dispendio et circuitu decidi possint, nominandi facultatem a nobis concedi plurimum desiderent, quemadmodum aliae etiam religiones ex huius Sanctae Sedis benignitate, et signanter fratres Ordinis B. Mariae de Mercede eiusdem redemptionis captivorum pro diversis provinciis indulgeri, et deinde in formâ communi ad reliquas omnes eiusdem instituti a recolendae memoriae Alexandro PP. VII praedecessore nostro ad tenorem constitutionum felicis recordationis Clementis VIII et Gregorii XV Romanorum Pontificum pariter praedecessorum nostrorum indulgeri ac [3] indultum huiusmodi extendi respective obtinuerunt: nobis propterea dictus Attilanus procurator generalis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio praedicta.

§ 3. Nos igitur, dictum Attilanum procuratorem generalem aliosque praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui eumdem Attilanum procuratorem generalem super praemissis audiverunt, consilio, ac attentis narratis, eisdem exponentibus ut imposterum iudices conservatores in supra citatis conventibns ad formam constitutionum eorumdem Clementis et Gregorii praedecessorum, et non aliter, nominare possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, indulgemus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, etc [1].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII septembris MDCCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 27 septembris 1724, pontif. anno I.

1 Edit. Main. legit *quos* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *conservatorum* (R. T.).
3 Verba *indulgeri ac* redundant (R. T.).

XXXV.

Conceditur ministro generali Minorum Conventualium facultas erigendi confraternitates Cordigerorum in iis etiam locis in quibus ecclesiae Ordinis Minorum non existunt [2].

1 Reliqua ut supra pag. 72 *b* (R. T.).
2 De erectione confraternitatis Cordigerorum et facultate ministro generali eam in omnibus ecclesiis Ordinis Minorum erigendi, vide Sixti V const. ed. MDLXXXV, die 29 decembris, pontif. I.

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Sacrosancti apostolatus ministerium, quod ineffabilis divitiarum sapientiae et scientiae Dei altitudo humilitati nostrae, nullis licet suffragantibus meritis, per abundantiam caelestis misericordiae credidit, iugiter nos admonet,[1] ut, inter multiplices gravissimasque apostolicae servitutis curas, eam peculiari sollicitudine amplectamur, qua religiosorum virorum Ordines, in militanti Ecclesiâ ad divini nominis laudem et gloriam et fidei catholicae exaltationem sancte instituti, novis a Sede Apostolicâ privilegiis et gratiis decorentur, prout, rerum et temporum qualitatibus debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

A Sixto V archiconfraternitas Cordigerorum Assisii in dictorum fratrum ecclesiâ erecta: ac magistro generali facultas concessa erigendi confraternitates eiusdem nominis in Minorum ecclesiis.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Angelus Maria Sidori, procurator generalis Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum, quod dudum felicis recordationis Sixtus PP. V praedecessor noster, per quasdam suas litteras desuper sub plumbo anno Incarnationis dominicae MDLXXXV, III kalendas decembris, pontificatus sui anno I expeditas, in ecclesiam domus fratrum dicti Ordinis Assisiensis, ubi corpus S. Francisci sub altari maiori ipsius ecclesiae requiescit, unam archiconfraternitatem utriusque sexus christifidelium, qui cordam a[2] praedicti Ordinis fratribus gestari solitam ex illorum devotione deferrent, et illâ cingerentur, sub invocatione memorati S. Francisci perpetuo erexit et instituit; ac insuper tunc et pro tempore existenti ministro generali Ordinis praedicti quascumque confraternitates utriusque sexus christifidelium Cordigerorum in quibuscumque ecclesiis domorum tam fratrum eorumdem Minorum Conventualium quam Capuccinorum et de Observantiâ nuncupatorum, in quibuscumque mundi partibus et locis pro tempore erigendis et instituendis, erigendi et instituendi, illasque, postquam erectae et institutae fuissent, praedictae archiconfraternitati erectae et institutae, cum omnibus et singulis indulgentiis, peccatorum remissionibus et relaxationibus, aggregandi, ipsasque indulgentias illis et eorum confratribus communicandi pariterque concedendi, plenam et liberam ac omnimodam facultatem et auctoritatem dedit et concessit, prout idem Sixtus praedecessor easdem omnes confraternitates, postquam erectae et institutae fuissent, ipsi archiconfraternitati aggregavit, praedictasque indulgentias illis et eorum confratribus, sub certis modo et formâ tunc expressis, communicavit et concessit; et aliâs, prout in eiusdem Sixti praedecessoris litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri.

Preces procuratoris generalis pro concessione praesentis facultatis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, erectio confraternitatum Cordigerorum huiusmodi in saecularibus et regularibus ecclesiis illorum locorum, in[1] quibus ecclesiae dicti Ordinis fratrum Minorum Conventualium minime existunt, cupide exoptetur; ipse vero Felix Angelus procurator generalis illas erigendi facultatem cum communicatione indulgentiarum a nobis concedi summopere desideret: nos, ipsum Felicem Angelum procuratorem generalem specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis,

Quibus annuit Pontifex.

In huius Pontificis const. ed. MDCCXXV, die 10 decembris, pontif. II, confirmatur const. S. Pii V pro fratribus Minoribus de participatione privilegiorum Ordinum Mendicantium.

1 Coniunct. *et* delemus (R. T.).

2 Praeposit. *a* nos addimus (R. T.).

1 Edit. Main. legit *et* pro *in* (R. T.).

suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tunc pariter et pro tempore existenti ministro generali dicti Ordinis, ut in quibusvis civitatibus, terris et locis ubicumque existentibus, in quibus ecclesiae huius Ordinis non existunt, ut praefertur, de Ordinariorum licentiâ confraternitates eiusmodi Cordigerorum erigere et instituere possit et valeat, plenam et liberam licentiam et facultatem, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus; ac, postquam erectae fuerint, ut omnibus et singulis privilegiis, indultis, facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, concessionibus, indulgentiis, etiam plenariis, et peccatorum remissionibus et relaxationibus, ac gratiis quibusvis, aliis eorumdem Cordigerorum confratribus et sororibus per dictum Sixtum, ac quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam nos, hactenus concessis et concedendis, et quibus confraternitates huiusmodi earumque confratres et sorores quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt in futurum, pariformiter et aeque principaliter uti, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant, in omnibus et per omnia perinde ac si specialiter et expresse ac nominatim concessa fuissent, dictâ auctoritate pariter concedimus et indulgemus; ac privilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates, concessiones, indulgentias, etiam plenarias, sicut praemittitur, concessas et concessa, ad ipsas confraternitates erigendas, illarumque confratres et sorores pro tempore existentes, perpetuo extendimus et ampliamus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae seu quopiam alio defectu notari, impugnari vel retractari aut revocari ullatenus[1] posse nec debere, sed semper in perpetuum validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et dictae Sedis nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus omnibus et singulis illis quae idem Sixtus praedecessor in praedictis suis litteris voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etc[2].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX septembris MDCCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 30 septembris 1724, pontif. anno I.

1 Potius lege *nullatenus* (R. T.).
2 Reliqua ut supra pag. 72 *b* (R. T.).

XXXVI.

Conceditur quatuor primis patriarchis facultas gestandi exomidem[1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Romanus Pontifex, supremus gratiarum dispensator, illis praesulibus, qui de benignitate Sedis Apostolicae locum obtinent celsiorem, et honorabilia S.R.E. membra existunt, ea[2] libenter concedit, per quae eis aliqua fiat decoris accessio, ut eo alacrius in ministeriorum suorum functione perseverent.

Concessio de qua in rubrica.

§ 1. Itaque, ad eximia venerabilium fratrum modernorum patriarcharum Constantinopolitani, Alexandrini, Antiocheni et Hierosolymitani in nos et dictam Sedem fidei et devotionis aliaque multiplicia merita paternae dirigentes considerationis intuitum, illorumque ordinem et dignitatem novi honoris praerogativâ decorare volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ut deinceps perpetuis futuris temporibus omnes et singuli patriarchae Constantinopolitani, Alexandrini, Antiocheni et Hierosolymitani praesentes et futuri exomidem super amiculo breviori in quibusvis functionibus et actibus publicis ac privatis ubique deferre et gestare illâque uti libere et licite possint et valeant, tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Clausulae.

§ 2. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX septembris MDCCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 30 septembris 1724, pontif. anno I.

XXXVII.

Abrogantur privilegia omnia personalia, quae Minoribus Ordinis sancti Francisci in regnis Portugalliae concedi consueverant[1].

[1] De erectione ecclesiae in palatio regis Portugalliae in archiepiscopatum et patriarchatum ecclesiae Ulyssiponensis, vide Clementis XI constit. edit. MDCCXVI, die 7 novembris, pontificatus XVII; huius vero Pontificis constit. edit. MDCCXXIV, die 20 iulii, pontif. I, concessum fuit altare privilegiatum omnibus cathedralibus.

[2] Ed. Main. legit *et* pro *ea* (R. T.).

[1] Hac de re vide Clementis XI constit. edit. MDCCXVIII, pontif. XVIII, ubi innovatur constit. Clementis X de revocatione privilegiorum personalium eorumdem fratrum provinciae Brasiliae.

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Sacrosanctum apostolatus officium, humilitati nostrae per ineffabilem divinae sapientiae providentiam commissum, iugiter nos admonet, ut, inter gravissimas multiplicesque apostolicae servitutis curas, illam peculiari studio amplectamur, per quam christifideles Altissimi obsequiis sub suavi religionis iugo mancipati, sublatis iis quae regulari eorum observantiae atque disciplinae detrimentum adferre noscuntur, iuxta laudabilia eorum instituta prospere dirigantur, illisque firmiter insistentes, optatis in dies, benedicente Domino, proficiant incrementis.

Abrogatio de qua in rubrica. § 1. Cum itaque, sicut accepimus, in Portugalliae et Algarbiorum regnis, ac eorumdem regnorum insulis in Indiis Orientalibus et ultramarinis conquisitis, praedictorum regnorum Portugalliae et Algarbiorum dominio temporali subiectis, abusus invaluerit, ut passim fratribus Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ et Reformatorum, seu Strictioris Observantiae, ac Tertii Ordinis nuncupatorum diversa indulta et privilegia personalia concedantur, ex quo gravissima inconvenientia et scandala in Ordine praefato enascuntur, et magnum relaxationi ostium aperitur: nos, qui regularem disciplinam ubique vigere, et omnem illius relaxationi viam praecludi summopere cupimus, de opportuno remedio, quantum cum Domino possumus, providere volentes, ac felicis recordationis Urbani VIII et Clementis X Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnia et quaecumque indulta seu privilegia personalia quomodocumque nuncupata etiam extra claustra quoad[1] parentes vel consanguineos degendi, quibusvis[2] dicti Ordinis fratribus in regnis et insulis praefatis consistentibus, cuiuscumque qualitatis, dignitatis et conditionis existant (carissimi in Christo filii nostri Ioannis Portugalliae et Algarbiorum regis illustris theologo, concionatore et confessario dumtaxat exceptis), quovis titulo, praetextu, causâ et occasione, et ad cuiuscumque instantiam et supplicationem, tam a nobis et a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, et a quibusvis sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium congregationibus, quam etiam ab ipsius Sedis in eisdem regnis nunciis, ac a quibuslibet Ordinis huiusmodi superioribus, hactenus quoquomodo contra et praeter regularia Ordinis praedicti instituta et apostolicas constitutiones concessa, harum serie perpetuo revocamus, annullamus, cassamus, abrogamus et abolemus, illaque perpetuo revocata, cassata, abrogata et abolita, viribusque et effectu vacua fore, neminique ullatenus suffragari, neque de cetero a quoquam concedi posse, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Clausulae. § 2. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis privationisque suorum officiorum ac vocis activae et passivae poenis eo ipso incurrendis, dilectis filiis ministro ac vicario seu commissario generalibus, ac ministris provincialibus, aliisque dicti Ordinis superioribus, ut,

1 Videtur legendum *apud* pro *quoad* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *quibus* pro *quibusvis* (R. T.).

quamprimum praesentes nostrae litterae ad eorum notitiam pervenerint, omnes et singulos patres et fratres Ordinis huiusmodi, similia indulta seu privilegia habentes, illis eo ipso privatos et spoliatos esse declarent, nec quemquam illis uti sinant vel permittant, inobedientes quoslibet et rebelles opportunis iuris et facti remediis, iuxta regularia eiusdem Ordinis statuta apostolicâ auctoritate confirmata, omni et quacumque appellatione, reclamatione et recursu remotis, compescendo.

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis litteris apostolicis super concessione seu confirmatione concessionis privilegiorum huiusmodi emanatis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, in genere vel in specie, aut aliâs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III octobris MDCCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 3 octobris 1724, pontif. anno I.

XXXVIII.

Vindicatur a calumniis doctrina Ss. Augustini et Thomae, eaque miris laudibus effertur[2].

Benedictus Papa XIII,
Dilectis filiis universis fratribus Ordinis Praedicatorum professoribus[3].
Dilecti filii,
salutem et apostolicam benedictionem.

Diriguntur litterae Ordini Praedicatorum.

Demissas preces et aequissimas conquestiones vestras, quas dilectus filius Augustinus Pipia totius Ordinis magister generalis, religiosae vitae exemplis ac doctrinâ prudentiâque commendatissimus, supplici libello ad nos detulit, eâ benignitate complexi sumus, quam et vestra in catholicam religionem amplissima merita, et nostra, quam dudum professi sumus, erga Ordinem Praedicatorum observantia filialis, nostraeque demum humilitati impositum paternae charitatis et sollicitudinis officium postulabant.

1 Reliqua ut supra pag. 66 *a* (R. T.).

2 De laudibus doctrinae Ss. Augustini et Thomae legantur constitutiones Pii V et Clementis VIII, quae hic citantur.

3 Inscriptionem hanc desumimus ex Bullario Ordinis fratrum Praedicatorum, ubi Breve hoc reperitur in tom. VI, pag. 545 (R. T.).

Calumniis in doctrinam Ss. Augustini et Thomae.

§ 1. Quod igitur aegre admodum, ut par est, molesteque feratis, erroribus, a felicis recordationis Clemente Papa XI praedecessore nostro per constitutionem quae incipit *Unigenitus Dei filius* saluberrimo et sapientissimo iudicio reiectis damnatisque, Augustinianae et Angelicae doctrinae nomen obtendi, indeque audere nonnullos apostolicae auctoritati ac vestrae existimationi detrahere, quod ipsa vestrarum sententiarum capita eius constitutionis censuris notisque inusta esse calumnientur, iustam quidem animorum vestrorum offensionem laudi damus, qua nimirum vos germanos S. Thomae discipulos maxime probatis[1]. Magisterio enim tanti doctoris imbutos nihil decet magis quam ut in addictissimâ huic Sanctae Sedi fide obedientiâque praecipuum studiorum suorum fructum[2] et laudem collocent, et absonas refragantesque apostolicis decretis opiniones non aversentur modo, sed per arma etiam lucis et veritatis dissipent et evertant. Tantum tamen abest ut vicem vestram doleamus, ut vobis potius gratulemur quod hac etiam in parte causa vestra ab huius Sanctae Sedis rationibus seiuncta esse non potuerit, quodque alienae prorsus calumniosaeque interpretationes, ad conflandam memoratae constitutioni invidiam temere excogitatae, ad iniuriam quoque vestri nominis redundarint.

Exploditur ea lumnia praedicta.

§ 2. Ceterum non adeo vobis erat aut dolendum aut mirandum, quod, cum ipsis divinorum librorum oraculis et apostolicis definitionibus pro impotenti obfirmatoque partium studio passim vis afferatur, haec eadem contentionis pervicaciaeque licentia Angelicam doctrinam attentare non dubitaverit. Illud potius iure mirandum quod tam praepostero consilio[1] in hac causâ locus esse potuerit, ubi S. Thomae exploratissimis sententiis damnati errores disertissime confutantur. Quandoquidem *omnipotentis Dei providentiâ factum est ut Angelici doctoris vi*[2] *ac veritate doctrinae* non solum innumerae, quae vel ipsius aetate vel antea grassatae sunt, sed *multae* etiam *quae deinceps exortae sunt haereses confusae et convictae*[3] *dissiparentur*[4].

Laudes doctrinae praedictae

§ 3. Magno igitur animo contemnite, dilecti filii, calumnias intentatas sententiis vestris de Gratiâ praesertim per se et ab intrinseco efficaci ac de gratuitâ Praedestinatione ad gloriam sine ullâ praevisione meritorum, quas laudabiliter hactenus docuistis, et quas ab ipsis sanctis doctoribus Augustino et Thoma se habuisse et verbo Dei summorumque Pontificum et Conciliorum decretis et Patrum dictis consonas esse schola vestra commendabili studio gloriatur. Cum igitur bonis et rectis corde satis constet, ipsique calumniatores, nisi dolum loqui velint, satis percipiant, *Ss. Augustini et Thomae inconcussa tutissimaque dogmata*[5] nullis prorsus antedictae constitutionis censuris esse perstricta, ne quis in posterum eo nomine calumnias struere et dissensiones serere audeat, sub canonicis poenis districte inhibemus. Pergite porro doctoris vestri

1 In cit. Bullario FF. Praedic. legitur *probastis* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *fructuum* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *Concilio* (R. T.).

2 Vocem *vi* nos addimus ex Bullâ Pii V, *Mirabilis Deus*, anno MDCCLXVII, unde verba ista desumpta sunt, quaeque legitur in *Magno Bullario Romano* tom. VII pag. 564 *b* huius nostrae editionis (R. T.).

3 Pessime edit. Main. legit *coniunctae* pro *convictae* (R. T.).

4 Verba Pii V in Bullâ ut supra (R. T.).

5 Verba Alexandri VII in Brevi incipiente *Litteras*, MDCLXI.

opera sole clariora, *sine ullo prorsus errore conscripta*[1], quibus Ecclesiam Christi *mirâ eruditione clarificavit*[2], inoffenso pede decurrere[3], ac *per certissimam illam christianae doctrinae regulam*[4] sacrosanctae religionis veritatem incorruptaeque disciplinae sanctitatem tueri ac vindicare.

Verba consolationis, laudis, et hortationis.

§ 4. Haec sunt enim, dilecti filii, quae praedecessores nostri de S. Thomae doctrinâ senserunt et praedicarunt; quaeque nos, non modo ad curarum vestrarum leninentum, sed ad animi quoque nostri solatium libentissime usurpamus et praeconio apostolicae vocis efferimus. Inclytus enim Ordo iste, cui nomen dedimus, et quem expresse, Domino miserante, professi sumus, eodem Angelicae doctrinae lacte nos aluit, ac, licet impari institutionis fructu, ad gerendam ecclesiarum sollicitudinem eduxit, ut privato etiam diuturnoque colendarum artium experimento ediscere[5] potuerimus, quod ex apostolatus speculâ per hasce litteras annunciamus. Deum interea, qui pacem et veritatem diligendam praecipit, supplices rogate, ut sincero Angelici doctoris studio omnes in simplicitate cordis nitantur, *quae ille docuit, intellectu*[6] *conspicere*, atque in unitate spiritus et charitate fraternitatis, *quae ille egit, imitatione complere*[7]. Ac vobis, dilecti filii, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI novembris MDCCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 6 novembris 1724, pontif. anno I.

1 Verba Clementis VIII in Brevi incipiente *Sicut angeli*, MDCIII. (Male edit. Main. habet pro verbis initialibus huius Brevis *Dilecti filii* (R. T.).

2 Ex oratiunculâ vel collectâ festi S. Thomae.

3 Edit. Main. legit *decurrite* (R. T.).

4 Verba Pii V in Bullâ ut supra.

5 Male edit. Main. legit *edicere* (R. T.).

6 Male edit. Main. legit *intellectum* (R. T.).

7 Ex oratiunculâ citatâ in festo S. Thomae (R. T.).

XXXIX.

Statuuntur quaedam pro restituendâ et conservandâ antiquâ regulari disciplinâ in Ordine fratrum Minorum, sub directione ministri generalis totius Ordinis viventium[1].

Benedictus Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam

Exordium.

Universalis Ecclesiae regimini, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, inscrutabili divinae providentiae arcano praesidentes, inter multiplices ac sane gravissimas pastoralis officii nostri sollicitudines, quibus iugiter premimur, memores sub suavi religionis fratrum Praedicatorum iugo a teneris usque annis nosmetipsos Deo devovisse, illam peculiari quadam ratione curam suscipimus, per quam prisca regularis disciplinae observantia in religiosis Ordinibus conservetur atque instauretur, et, ne ii, qui per emissorum in illis votorum semitam ad apicem perfectionis contendunt, a recto institutorum suorum tramite deflectant, quaecumque felici eorum regimini ac providae animarum suarum directioni impedimento esse possunt removere studemus, sicut, omnibus maturae considerationis trutinâ perpensis, in Domino salubriter expedire conspicimus.

Causae praesentis constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, ac nos ipsi, dum in minoribus constituti

1 Constit. edit. MDCCXXIV, die 3 octobris, pontif. I, abrogantur pro bono regimine omnia privilegia personalia fratribus provinciae Portugalliae concedi solita; et Clemens XI const. edit. MDCCXVIII, die 20 augusti, pontif. XVIII, idem fecit pro fratribus provinciae Brasiliae.

commisso nobis a felicis recordationis Clemente XI et Innocentio XIII Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris in quibusdam Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci tum de Observantiâ tum Reformatorum nuncupatorum provinciis visitatoris apostolici munere fungebamur, experientiâ didicimus, in Ordine praefato, qui suaves ac uberrimos in Ecclesiâ Dei fructus omni tempore protulit, et in dies, eo benedicente a quo bona cuncta procedunt, proferre non desistit, nonnulli irrepserint abusus contra primitivae illius disciplinae formam ac[1] dispositionem quarumdam apostolicarum constitutionum praesertim recolendae memoriae Urbani Papae VIII praedecessoris pariter nostri die XXIII iunii MDCXXXIII, XXVI iunii MDCXXXIX, ac I etiam iunii MDCXLIX respective editarum (quarum priore, incipiente *Inter ceteras*, omnia privilegia personalia in eodem Ordine perpetuo abrogata fuerant, neque de cetero a quoquam concedi posse cautum erat; altera vero, cuius initium est *Admonemur*, adversus illius superiores, favores extra Ordinem ipsum in concessione gratiarum, graduum, officiorum et dignitatum, ac remissione poenarum attendentes, necnon fratres eiusmodi favores conquirentes emanaverat; et tertiâ demum, quae incipit *Militantis Ecclesiae*, inter alia, patribus eiusdem Ordinis ius, arbitrium ac consuetudinem[2] superintendendi provinciis, conventibus, fratrum collocationibus, aliisque dispositionibus, quae sibi ex officiis, quibus functi fuerant, remansisse seu competere praetendebant, adempta et abolita fuerunt), ob minus accuratam autem harum constitutionum observantiam multa et gravia in dicto Ordine adversus regularis observantiae nitorem incommoda oriri dignoscantur, necnon magnum relaxationi ostium pandatur, atque spiritui paupertatis et humilitatis, quo seraphicus ille Ordo potissimum innititur, plurimum detrahatur, non sine modicâ etiam religiosae illius fratrum paci et tranquillitatis perturbatione:

Abolentur quaecumque indulta personalia adversus Ordinis statuta et apostolicas constitutiones concessa.

§ 3. Hinc est quod nos, qui regularem disciplinam ubique vigere, omnemque illius relaxationis viam praecludi summopere exoptamus, huiusmodi malis et incommodis de opportuno remedio, quantum cum Domino possumus, providere volentes, antiquis ac laudabilibus dicti Ordinis statutis per Sedem Apostolicam confirmatis inhaerendo, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ sanctione confirmantes et expresse innovantes quae ab eodem Urbano praedecessore in ternis eius constitutionibus supradictis et a piae memoriae Clemente Papa X praedecessore etiam nostro per quasdam suas in pari formâ Brevis die VII octobris MDCLXXII super novâ eorumdem privilegiorum personalium abrogatione expeditas litteras disposita et ordinata fuere, omnia et quaecumque indulta seu privilegia personalia, tam ex-ministrorum, ex-commissariorum, seu vicecommissariorum, ex-procuratorum et ex-definitorum generalium, quam ex-ministrorum, ex-custodum, ex-definitorum provincialium, prout etiam ex-generalium, praedicatorum atque lectorum theologiae supra numerum, nec non apud parentes vel consanguineos aut alibi extra claustra habitu retento degendi, aut in uno conventu ita determinate commorandi, ut sublatâ sit superioribus facultas ad alios conventus

1 Male edit. Main. legit *ad* pro *ac* (R. T.).

2 Ex syntaxi legendum *consuetudo* vel *consuetudines* (R. T.).

transferendi, et quaevis alia hic[1] non expressa, quibuslibet fratribus de Observantiâ, Reformatis, Discalceatis, Recollectis, Tertiariis, vel quocumque alio nomine nuncupatis, sub regimine ac directione ministri generalis dicti Ordinis viventibus, cuiuscumque dignitatis, qualitatis et conditionis existant (carissimorum in Christo filiorum nostrorum regis Romanorum, in imperatorem electi, ac aliorum regum theologis, concionatoribus et confessariis actualibus dumtaxat exceptis), quovis titulo, praetextu, causâ et occasione, et ad cuiuscumque instantiam et supplicationem, tam a nobis et Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris et a quibusvis S. R. E. cardinalium congregationibus, quam etiam ab ipsius Sedis Apostolicae nunciis aut de latere legatis, ac quibuslibet Ordinis huiusmodi superioribus, hactenus quoquomodo contra et praeter regularia Ordinis praedicti statuta et apostolicas constitutiones concessa, perpetuo revocamus, annullamus, cassamus, abrogamus et abolemus, illaque in perpetuum revocata, cassata, abrogata et abolita, viribusque et effectu vacua esse et fore, neminique ullatenus suffragari, neque deinceps a quoquam concedi posse, decernimus. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, et sub excommunicationis privationisque suorum officiorum ac vocis activae et passivae poenis eo ipso incurrendis, dilectis filiis ministro et commissario generalibus, ac ministris provincialibus, custodibus, aliisque eiusdem Ordinis superioribus, ut, quamprimum praesentes nostrae litterae ad eorum notitiam pervenerint, omnes et singulos patres et fratres Ordinis huiusmodi similia indulta seu privilegia habentes, etiamsi a nobis vel a praedecessoribus praedictis de non completo vel complendo integro tempore officiorum, ex quibus illa desumere praetendunt, dispensationem quoquo modo obtinuissent, illis eo ipso privatos et spoliatos esse declarent, nec quemquam eis in posterum uti sinant vel permittant.

Statuitur, ne fratres conventus suo arbitrio eligere valeant; sed de eis sibi a superioribus provideri postulent.

§ 3. Fratres vero, quibus, per dicti Ordinis constitutiones, conventus, in quibus degant, pro suo arbitrio deligere concessum est, cum ad praescriptum regulae, quam solemniter voverunt, *nec domum, nec locum, nec aliquam rem in hoc mundo sibi possint appropriare*, ex nunc et de cetero perpetuis futuris temporibus, omni usu in contrarium penitus sublato, a superioribus generalibus vel provincialibus de conventibus eis magis acceptis eâ qua decet humilitate sibi provideri postulent, superiores autem pro singulorum meritis et qualitate eos in conventibus postulatis collocari procurent, sicut in Domino expedire viderint; exceptis tamen almae Urbis nostrae conventibus, in quibus, utpote numerosâ familiâ gravatis, nec ipsos etiam Ordinis discretos, qui non fuerint patres Romanae provinciae, sive de Observantiâ, sive Reformatorum, vel dictae Sedis servitio addicti, volumus de familiâ commorari posse, sed, expletis eorum officiis, ad proprias provincias vel ad conventus sibi a dictis superioribus assignandos proficisci omnino teneantur, in quibus guardianis suis, iuxta divi Francisci institutoris mentem, ita illi eorumque socii subesse debeant, ut extra claustra absque expressâ eorumdem[1] guardianorum qualibet vice obtinendâ licentiâ exire non possint.

Praecipitur superioribus, ne gradus et dignitates ad instantiam quarumcumque personarum fratribus

§ 4. Insuper, ne ad gradus, officia et dignitates per emendicata suffragia ambitiosus pateat accessus, et aditus prae-

1 Edit. Main. legit *hinc* pro *hic* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *earumdem* (R. T.).

Impertiantur, hisque interdicitur, ne exterorum favores ad illas consequendas procurent, neque oblatos recipiant.

beatur vagis et otiosis fratribus per alienas provincias errandi vel etiam propriae provinciae conventus circumeundi ob extortas a suis superioribus facultates per conquisitos extra Ordinem favores, similiter in virtute sanctae obedientiae, ac sub poenâ privationis officiorum nostro ac Romanorum Pontificum successorum nostrorum arbitrio, superioribus generalibus eiusdem Ordinis, provincialibus vero et reliquis dicti Ordinis praelatis, nunc et pro tempore existentibus, arbitrio ipsorum superiorum generalium, praecipimus et mandamus, ne ad instantiam et requisitionem quarumcumque personarum tam ecclesiasticarum quam laicarum, extra dictum Ordinem constitutarum, etiam cardinalatus honore et quacumque saeculari dignitate et excellentiâ etiam ducali, regali et imperiali fulgentium, cuivis praefati Ordinis religioso ullam gratiam impertiri, vel poenas aliquas remittere, seu gradus, honores, dignitates et officia et administrationes eiusdem Ordinis concedere audeant; quinimo fratres, qui contra praesentium tenorem mediis et viis huiusmodi per conquisitos favores et suffragia extra Ordinem aliquid sibi procuraverint, ad talia et similia ac etiam maiora in eodem Ordine consequenda perpetuo inhabiles et incapaces declaramus: eos vero, qui personarum extra Ordinem favorem vel auctoritatem interpellaverint ad extorquendas a suis superioribus facultates vagandi vel de uno ad alium conventum transeundi, poenâ carceris formalis superiorum suorum generalium vel provincialium pariter arbitrio puniendos esse statuimus; ipsisque religiosis et fratribus dicti Ordinis quibuscumque sub eisdem respective poenis praecipimus et expresse interdicimus, ut non solum in praemissis omnibus favores huiusmodi minime procurare, sed nec etiam sponte oblatos aut ab eis minime procuratos recipere, et similiter nec ad hunc effectum munera aliqua praedictis personis exhibere praesumant.

Guardianorum nominationes et praesentationes penitus tolluntur et abrogantur.

§ 5. Praeterea omne et quodcumque praetensum ius, seu assertam consuetudinem, quae potius abusus dici debent, definitores vel guardianos in ipsius Ordinis capitulis provincialibus vel congregationibus intermediis nominandi, praesentandi seu proponendi, provinciis, conventibus ac fratrum collocationibus superintendendi, quovis titulo convenientiae vel directionis, seu alio qualitercumque nuncupato inducta, obtenta et intrusa, in perpetuum similiter cassamus et abolemus, ac cassata et abolita esse et censeri debere, cuicumque in posterum tales nominationes, praesentationes et propositiones aliaque praemissa faciendi facultate penitus interdictâ, sub privationis vocis activae et passivae necnon inhabilitatis ad officia obtenta et alia in futurum obtinenda ipso facto incurrendis poenis, decernimus et ordinamus. Declarantes propterea, eos, qui superiores vel definitores generales, officiales Romanae Curiae, provinciarum ministri, vel, qui inter ipsos iuxta dicti Ordinis statuta connumerantur, quinque custodes etiam aut definitores provinciarum fuerint, ex officiis, quibus functi sunt, nullum habere vel praetendere posse ius, arbitrium, superintendentiam, intelligentiam, vel, quocumque alio nomine nuncupetur, praeeminentiam in provinciis, conventibus, fratrum collocationibus, aliisque dispositionibus, sed liberum omnino sit provincialibus et definitoribus (nullo ad praedictos patres habito respectu) de conventibus disponere, guardianos instituere, fratres collocare, aliaque exequi, prout communi

provinciarum bono magis convenire censuerint. Ipsis etiam provinciarum ministris, custodibus ac definitoribus nunc et pro tempore existentibus, sub eâdem poenâ privationis officiorum, quae obtinent, eo ipso quoque incurrendâ, districte inhibemus, ne titulo convenientiae vel directionis seu alio quocumque nomine conventus invicem partiri in eisque guardianos nominare, proponere et praesentare audeant; cum intentionis nostrae sit omnes et quascumque eiusmodi conventuum distributiones, guardianorum nominationes et praesentationes penitus tollere et abrogare.

Praecipitur praesentium lectio.

§ 6. Praecipientes omnibus et singulis fratribus dicti Ordinis suffragium et vocem activam habentibus in capitulis et congregationibus provincialibus, ut, priusquam ad electiones deveniant, has praesentes litteras legi faciant, omnesque et singuli observari iurent, quo scilicet, depositis privatis studiis et affectionibus, nullâque dictorum patrum habitâ ratione, eos tantum in provinciales, custodes, definitores et guardianos libere eligere et approbare valeant, qui iuxta apostolicas et dicti Ordinis constitutiones eligi debent, quosque praeviâ meritorum qualificatione digniores ac ipsis provinciis et conventibus regendis utiliores et ad id magis idoneos diiudicaverint.

Praescribitur, ut deputatio familiarum et destinatio conventuum in capitulis et congregationibus provincialibus fieri debeat.

§ 7. In deputatione autem familiarum seu destinatione conventuum in capitulis et congregationibus provincialibus huiusmodi faciendâ, ut iuxta conventuum exigentiam et personarum merita religiosi opportune collocentur, praecipimus et mandamus, sub vocis activae privatione aliisque arbitrio superiorum generalium infligendis poenis, ut in iisdem capitulis et congregationibus familiae fratrum ab integro definitorio deputentur et conventus destinentur; fratres vero, sub poenâ etiam carceris formalis arbitrio ministri provincialis, ad conventus sibi assignatos se conferre ibique commorari teneantur, nisi legitimâ excusentur causâ ab ipso definitorio approbandâ, et guardiani, aliquem sine causâ respuentes, privationis sui officii poenam incurrant; at, si causa subsit illum reiiciendi, eam superioribus provincialibus deferre debeant, quae si legitima et rationabilis eorum iudicio probabitur, tunc religiosum sic reiectum ad alium conventum mittere valeant.

Revocantur in capitulis provinciarum particularibus quaecumque suffragia perpetua.

§ 8. Quia tamen in provinciarum regimine nec abusus tolli, sed potius augeri, nec omnimodam libertatem in electionibus et deputationibus familiarum huiusmodi, prout par esset, pluribus ab hinc annis obtineri posse, non uno experimento compertum habemus, et quod[1] superiores officio functi, ac ferme semper iidem provinciarum patres definitorio ingrediantur, ibique locum et votum habeant; perniciosis huiusmodi malis occurrere cupientes, utque provinciarum gubernia iuxta ipsius Ordinis constitutiones singulis trienniis ex integro immutentur, et nullatenus perpetua reddantur, providere volentes, cum aliquando contingat suffragia perpetua patrum, quos habituales vocant, votis definitorum actualium aequalia esse, immo illa excedere in grave ipsarum provinciarum praeiudicium, quandoquidem ipsis dumtaxat definitoribus ius sit in capitulis huiusmodi pro earumdem provinciarum maiori bono et felici gubernio religiosos ad officia eligere, ac proinde in hac parte litteris sanctae memoriae Pii V, Clementis VIII et Gregorii XV Romanorum Pontificum praedecessorum itidem nostrorum hac super re emanatis insistentes, omnia et quae-

[1] Videtur legendum *eo quod* (R. T.).

cumque perpetua suffragia, tam de iure quam de consuetudine, quoquo modo in capitulis, congregationibus vel definitoriis particularibus provinciarum et custodiarum, tam de Observantiâ, quam Reformatorum, Discalceatorum, Recollectorum, Tertiariorum, vel alio nomine nuncupatorum, quibusvis fratribus hactenus quomodolibet competentia, motu, scientiâ, ac de potestatis plenitudine paribus, harum serie etiam perpetuo revocamus, annullamus et abrogamus, nulliusque roboris et momenti deinceps fore et esse declaramus: volentes proinde in capitulis provincialibus huiusmodi guardianos, definitores, custodes, et provinciales ministros, ac praesidentes capitulares vocem activam pro novo definitorio eligendo, ipsosque ministros provinciales suo tunc officio functos votum etiam consultivum et decisivum in omnibus actibus capitularibus unâ cum novo definitorio et praesidente in futurum dumtaxat habere, in reliquis vero definitoriis particularibus et congregationibus intermediis solos provinciales, ministros, custodes et definitores huiusmodi voce consultivâ et decisivâ uti et frui debere.

Item in capitulis et congregationibus generalibus.

§ 9. Cumque eadem prorsus sit ratio de capitulis et congregationibus generalibus, et ne etiam ob hanc suffragiorum perpetuitatem aliqui ex dictis religiosis, sanctae et seraphicae humilitatis obliti, spiritu superbiae inflentur, vel, diuturnitate gubernandi allecti, subesse dediscant, et alii eorum exemplo simili cupiditate accendantur, priusquam huiusmodi scandala in Ordinis et animarum detrimentum invehantur, idipsum quod de capitulis et congregationibus provincialibus disposuimus, ut praefertur, ad congregationes etiam et capitula generalia dicti Ordinis extendimus: inhibentes propterea omnibus et singulis praedicti Ordinis patribus, ne in capitulis et congregationibus generalibus praefatis quisquam eorum in posterum, cuiuscumque habitualitatis, etiam generalatus, praetextu, suffragium ferre possit pro superioribus generalibus vel definitoriis noviter eligendis, sed illi tantum inibi votum habeant, qui iuxta Ordinis constitutiones de corpore definitorii generalis fuerint, ita tamen ut ipsi superiores generales officio functi in illis capitulis et congregationibus, in quibus eorum munus expleri seu cessare contigerit, votum consultivum et decisivum in omnibus actibus capitularibus obtineant; quibus absolutis, soli minister et commissarius generales noviter electi cum eorum officialibus curiae et definitoribus universum Ordinem vel familiam respective, seclusis quibuscumque Ordinis discretis, valeant et debeant moderari; ita quod superiores generales huiusmodi in arduis Ordinis vel familiae negotiis aliquos ex discretis et patribus praefatis, quos maluerint, consulere, et etiam ad ordinarios congressus, si id commode fieri poterit, vocare debeant, prout religionis bono conducere existimaverint.

Statuuntur nonnulla de subrogatione patrum in capitulis tam particularibus quam generalibus.

§ 10. Porro, quod attinet ad subrogationem patrum in capitulis et congregationibus sive particularibus definitoriis aut congressibus, tam generalibus quam provincialibus, ea omnia servari debere mandamus, quas aliàs per statuta dicto Ordini praescripta reperiuntur, ita ut, secundum uniuscuiusque gradum et dignitatem, primo Ordinis et familiae discreti, deinde ex-officiales Romanae Curiae ac ex-definitores generales, postea ex-ministri et provinciae patres respective, iuxta eorumdem statutorum dispositionem, substituantur et subrogentur. Volentes tamen quod provinciarum ministri officio functi, et qui inter eos

ad praescriptum constitutionum Ordinis praefati connumerari solent, sive sint ex-guardiani Hierusalem, ex-secretarii aut ex-commissarii generales in partibus Indiarum, vel lectores iubilati de numero, ac alii huiusmodi, inter se ita aequalem omnino ordinem de cetero perpetuis futuris temporibus servent quoad substitutiones huiusmodi, ut illi primo loco subrogentur qui prius inter provinciarum patres seu ex-ministros locum fuerunt adepti, quamvis exinde ipsos provinciarum ministros, qui re verâ officio functi sunt, post alios non antea ministros contingat suffragari, cum mentis et intentionis nostrae sit ut hoc substituendi et suffragandi ius, non in aliquot tantum, sed in omnibus patribus, quibus illud competit, suum sortiatur effectum.

Commutatur poena excommunicationis ab Urbano VIII in transgressores inflicta in illam privationis officiorum.

§ 11. Quoniam vero in supradictis Urbani praedecessoris constitutionibus, non minus contra fratres favores extra Ordinem praefatum attendentes vel conquirentes, quam super abolitione praetensi iuris, consuetudinis vel arbitrii patrum eiusdem Ordinis, qui officiis functi fuerant, editis, poena excommunicationis adversus transgressores ipso facto incurrenda infligitur, ne ex hoc religiosorum dicti Ordinis conscientiae scrupuli ingerantur, ac laquei statuantur in gravem animarum suarum perniciem, eisdem constitutionibus, firmâ remanente in reliquis earum dispositione, in hac parte tantum derogantes, poenam excommunicationis huiusmodi in illam privationis officiorum, ut praefertur, quae tamen nonnisi a nobis et Romanis Pontificibus successoribus nostris relaxari valeat, commutamus.

Clausulae peculiares.

§ 12. Decernentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod superiores et patres Ordinis praefati, aliique quilibet, cuiuscumque status, gradus, ordinis, praeeminentiae vel dignitatis existant, seu aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, seu ad ea vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas ipsae praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ qualibet, etiam quantumlibet iuridicâ, legitimâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu vel capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali, ac incogitato, inexcogitabili individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, modificari, redargui, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse, neque easdem praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam a nobis et successoribus praefatis pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, nisi de ipsis litteris earumque dispositione fiat mentio specialis; sed ab illis semper excepta et perpetuo valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et ob-

tinere, et ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter et inconcusse observari et adimpleri, sicque et non aliter in praemissis censeri, atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et dictae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatoriae. § 13. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, et felicis recordationis Gregorii XIII ac eiusdem Urbani VIII et Alexandri VII, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, per quas suffragia perpetua in capitulis et congregationibus provincialibus et generalibus patribus Ordinis et provincialibus concessa fuerant, aliisque apostolicis ac in[1] universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon dicti Ordinis eiusque congregationum, reformationum, provinciarum et conventuum quorumcumque, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, usibus, stylis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Ordini, eiusque superioribus, fratribus et personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, ac quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 14. Volumus autem, ne ullo unquam tempore haec in oblivionem seu desuetudinem abeant, ut superiores generales vel eorum commissarii in provinciarum visitatione, sub iisdem privationis officii vocisque activae et passivae ipso facto incurrendis poenis, quae nonnisi a nobis vel Romanis Pontificibus successoribus nostris similiter relaxari valeant, de contentorum in hac nostrâ sanctione observantiâ diligenter inquirant, ac transgressores in vocis activae et passivae privationis poenam incidisse et ad officia Ordinis inhabiles eo ipso declarent; utque earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius ex secretariis ministri generalis aut notarii publici subscriptis, et sigillo officii eiusdem ministri aut procuratoris generalis ipsius Ordinis, vel alterius Transumptorum fides.

1 Praeposit. in nos addimus (R. T.).

personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI novembris MDCCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 16 nobembris 1724, pontif. anno I.

XL.

Reservatur Romano Pontifici dispensatio super voto perseverantiae pro ingressuris tamen dumtaxat Congregationem Doctrinae Christianae in regno Neapolis [1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Expositio facti. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii presbyteri Congregationis Doctrinae Christianae in regno Neapolis, quod pro augendâ et conservandâ eorum Congregatione valde expediat, ut, nomen eidem Congregationi dare volentes, post probationis annum, votum perpetuae stabilitatis, cuius dispensatio nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti reservata sit, emittere teneantur. Nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas

Reservatio ut in rubricâ.

a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, dispensationem super dicto voto perseverantiae pro ingressuris tantum praedictam Congregationem nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti dumtaxat, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, reservamus, et, quatenus e memoratâ Congregatione egrediantur, ab exercitio suorum ordinum suspensi remanere debeant.

Clausulae irritantes. § 2. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab [1] illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon dictae Congregationis, etiam iuramento, et confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robo-

1 Huius Pontificis const. edit. MDCCXXV, die 28 septembris, pontif. II, unitur Congregatio Neapolitana Doctrinae Christianae cum Congregatione Avenionensi; et Clementis XI const. edit. MDCCXIV, die 11 iunii, pontif. XIV, conceditur suffragium deliberativum definitorii adiunctis eiusdem Congregationis Galliae.

1 Praeposit. *ab* nos addimus (R. T.).

re permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV novembris MDCCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 24 novembris 1724, pontif. anno I.

XLI.

Conceduntur privilegia familiaribus Sanctitatis suae [1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Diriguntur litterae familiaribus eisdem. **Venerabilibus fratribus Nicolao Mariae Lercario Nazianzeno, cubiculi nostri praefecto, Prospero Marefusco Caesariensi, auditori nostro, Nicolao Coscia Transanapolitano, libellorum supplicum nobis porrectorum, Camillo Merlini Iconiensi, notarum arcanarum, et Carolo Maiella Emesseno, litterarum nostrarum in formâ Brevis quae ad principes scribuntur, respective secretariis, ac Iosepho Accorambono Philippensi archiepiscopis[2], subdatario, Nicolao Augustino de Abbatibus Oliverio Porphyriensi, sacrarii nostri praefecto, Francisco Antonio Fini Avellinensi et Dominico de Rubeis Vulturariensi episcopis, necnon dilectis filiis Philippo Coscia, vicario in civitate et dioecesi Beneventanâ a nobis deputato, Nicolao Albini vestiario et eleemosynario secreto, ac Nicolao de Simone Beneventanae, Nicolao Xaverio S. Maria Salernitanae, Ioanni Vincenti Reatinae, Bernardo Pizzella Triventinae, Francisco Pacca Neapolitanae, Ianuario Vitelli, pincernae, et Francisco Ascolensi Beneventanae, architrilino, Hieronymo Columnae, forerio maiori, Octavio Rinaldo de Bubalo a Valle et Philippo Astallio Romanae, cubiculariis intimis seu secretis, Michaëli Angelo de Paulis Pisaurensis et Ioanni Baptistae Nuccerini Fulginatensis, medicis secretis, Dominico Preti Brittinoriensis, Ignatio Clementi et Ianuario Genovese Beneventanae, Paschali Ferrari Nolanae, Ignatio Philippo Piersanti Camerinensis, Nicolao Schinosi Beneventanae et Michaëli Angelo Troysi Minerviensis, capellanis secretis, Iosepho Longo Beneventanae et Ianuario S. Maria Nolanae, clericis capellae nostrae secretae, Dominico Eustachi Beneventanae, Dominico Martino Firmanae, Donato Antonio Civitella et Antonio Ferri Beneventanae, Andreae Ioannis Praenestinae et Andreae Coppola Beneventanae respective civitatum vel dioecesum, cubiculi nostri adiutoribus, ac Iulio Silvaggio Romano, magistro domus nostrae, clericis seu presbyteris vel laicis familiaribus continuis commensalibus nostris, salutem et apostolicam benedictionem.**

§ 1. Circumspecta Romani Pontificis gratiarum dispensatoris providentia, etc. [1]. Concessio de qua in rubrica.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV decembris MDCCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 15 decembris 1724, pontif. anno I.

XLII.

Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium, quo statuitur ut visitator provinciae Assumptionis Tucumanensis in Indiis Occidentalibus Ordinis Minorum de Observantiâ, quando commissarius Indiarum ad eamdem non vult accedere, ex eâdem provinciâ eligatur [2].

1 Ab Innocentio XIII eadem privilegia concessa fuerunt const. edit. MDCCXXI, die 28 maii, pontif. I; et a Clemente XII conceduntur constit. edit. MDCCXXXI, die 25 iulii, pontif II.

2 Edit. Main. legit *archiepiscopi* (R. T.).

1 Reliqua ut in tom. XX, pag. 24 (R. T.).

2 Clementis XI constit. edit. MDCCXVII, die 7 septembris, pontif. XVII, concessa fuit facultas eligendi commissarios visitatores ex eâdem provinciâ pro provinciâ Conceptionis B. M. Minorum de Observantiâ Fluminis Ianuarii, et huius Pontificis const. ed. MDCCXXVI, die 28 ianuarii, pontif. II, confirmatur decretum episcoporum et regularium super lite de erectione conventus in provinciâ Valentiae eorumdem fratrum.

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Exponuntur causae, longinquitas nimirum provinciae et intollerabiles sumptus, quae Congregationem praedictam ad hoc decernendum impulerunt.

§ 1. Nuper, pro parte dilecti filii Francisci Idalgo prominístri ac procuratoris provinciae Assumptionis Tucumanensis in Indiis Occidentalibus Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod, facto recursu anno MDCCVIII nomine dictae provinciae ad eamdem Congregationem, praeter alia quamplurima, supplicatum fuerat quod commissarius visitator dictae provinciae a superioribus, ad quos spectabat, ex religiosis benemeritis eiusdem provinciae eligeretur, et ad hunc effectum provincialis ac definitorium pro tempore existentes ad ipsos superiores notulam omnium religiosorum tali munere dignorum transmittere tenerentur, ut illi, quem mallent, pro sui iustitiâ et aequitate eligere possent; cuius supplicationis ratio fundamentalis fuit maxima paupertas et distantia quoad longitudinem et latitudinem ipsius provinciae, in qua tam domorum quam ecclesiarum aedificia nullum altum habent, imo solum ex luto acerato constructa existunt, adeoque intolerabiles sumptus accessus et recessus extranei commissarii visitatoris sufferre minime valebant, eâque de causâ ab exministro generali Biesma mediis suis litteris patentalibus die XVII februarii MDCCI Matriti expeditis hoc idem observari mandatum fuerat, cum decreto quod praefatae litterae patentales usque ad capitulum generale observarentur: dicta vero Congregatio super dictis precibus, auditis prius relatione et voto tunc existentis procuratoris generalis dicti Ordinis, rescripserat quod exquireretur votum capituli generalis, quod super hoc puncto commissarii visitatoris favorabile fuit: ideoque eidem Congregationi supplicato, ut, attento favorabili voto memorati capituli generalis, tam commissarius generalis Indiarum quam Peruanus, quando per se ipsos eamdem provinciam Tucumanensem visitare nolebant vel nequibant, unum ex religiosis idoneis eiusdem provinciae deputare et nominare, et ad hunc effectum provincialis et definitorium pro tempore notulam omnium religiosorum ad id munus visitandi dignorum ad eosdem superiores mittere tenerentur et respective deberent, sicque in futurum inviolabiliter observari mandarent: emanavit a praefatâ Congregatione cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum praedictum.

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, visâ relaxatione eminentissimi Corsini, praedicti Ordinis apud Sanctam Sedem protectoris, ac enuntiato voto capituli generalis, referente eminentissimo nostro Spinula, censuit et decrevit, idem decretum capituli generalis esse approbandum et confirmandum ut infra, videlicet: « Quod, stante summâ egestate praefatae provinciae Tucumanensis, quae intolerabiles sumptus adducendi extraneum commissarium visitatorem sufferre non potest, quando Indiarum commissarius per se ipsum non vult accedere ad eamdem provinciam ad capitulum celebrandum, tunc ex eâdem provinciâ commissarium visitatorem debeat assignare, et ad hunc effectum suo tempore provincialis et definitorium[1] notulam religiosorum tali munere dignorum ipsimet Indiarum commissario transmittere teneantur. Constitutionibus apostolicis et Ordinis ac aliis quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus ». Romae, XXII septembris MDCCXXIV. — F. card. PAULUTIUS. V. archiep. Damascenus secret. *Loco † sigilli.*

1 Edit. Main. legit *definitorum* (R. T.).

Confirmatio relati decreti. § 2. Cum autem, sicut dictus Franciscus nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret; nos, ipsum Franciscum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX decembris MDCCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 20 decembris 1724, pontif. anno I.

XLIII.

Conceduntur indulgentiae omnes praesentis anni iubilaei monialibus, oblatis, puellis et mulieribus saecularibus in monasteriis degentibus, ac anachoretis, eremitis, infirmis et in carcere detentis [1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Pontificia sollicitudo quamvis omnium christifidelium saluti prospiciat, praecipue tamen spiritualibus sanctimonialium profectibus paternae charitatis affectu studet providere; ipsae enim sunt filiae, quae, oblitae populum suum et domum patris sui, animi splendore caelestem regem oblectant; ipsae sunt prudentes virgines, quae, lampades suas charitatis flammâ succensas provide aptantes, meliorem partem elegerunt, et dum vitam caelitus petitam ducunt, non modo sibi ipsis ad caelum viam sternunt, sed, ieiuniis, vigiliis et orationibus, ceteris quoque christifidelibus eam aperire stu-

1 Pro omnibus aliis hic non exceptis suspensae fuerunt quaecumque indulgentiae, vertente hoc anno iubilaei MDCCXXV, constit. huius pontif. edit. MDCCXXIV, die 6 iulii, pontif. I.

dent. Quare summopere optandum est ut vitae rationem, quae eas angelis quodammodo aequat, constantissime retineant, ac dent operam, ut, sicuti praeclaros hic agunt de carne in carne triumphos, ita post huius vitae certamina in caelesti patriâ feliciter coronentur. Quoniam autem consimile vitae genus quamplurimi anachoretae atque eremitae, ut supernarum rerum contemplationi securius vacent, laudabiliter elegerunt, spiritualibus quoque ipsorum incrementis paternis visceribus maxime ducimus consulendum.

Causae praesentis concessionis.

§ 1. Cum igitur tam ipsi quam praefatae sanctimoniales perpetuâ vivant clausurâ mancipati, et multae puellae et mulieres saeculares, educationis vel aliâ ex causâ, de licentiâ Sedis Apostolicae in monasteriis degant, ibique clausurae leges observent, multaeque etiam reperiantur oblatae, quarum institutum a Sede Apostolicâ approbatum existit, et quae in domibus seu conservatoriis in communi vivunt, necnon multi (ut accepimus) utriusque sexus christifideles, partim carceribus detenti, partim vero diuturnâ infirmitate praepediti, non solum in almâ Urbe nostrâ et Italiâ, sed aliis etiam regionibus, provinciis et locis reperiantur, qui et quae respective impedimentis huiusmodi remotis pro percipiendis praesentis anni iubilaei fructibus ad almam Urbem nostram omnino venirent, et basilicas ecclesiasque ad id deputatas, benedicente Domino, indubitanter visitarent, verum ob praedicta impedimenta ad Urbem huiusmodi minime venire neque respective basilicas et ecclesias ipsas visitare valeant: nos, pro pastoralis officii nostri debito paternâque charitate illorum omnium animarum saluti, quantum cum Domino possumus, prospicere volentes, omnibus et singulis sanctimonialibus quorumcumque monasteriorum, etiam illorum quae ab ordinariâ iurisdictione exempta et Sedi Apostolicae praefatae immediate subiecta sunt vel esse asseruntur, necnon oblatis praefatis ac puellis et mulieribus saecularibus in[1] monasteriis huiusmodi de eiusdem Sedis licentiâ degentibus, et anachoretis atque eremitis huiusmodi, ac utriusque sexus christifidelibus tam carceratis quam infirmis praedictis tantum, et qui aliàs, impedimentis longae carcerationis ac diuturnae infirmitatis cessantibus, ad hanc almam Urbem pro thesauris spiritualibus huiusmodi consequendis venturi fuissent, verè poenitentibus et confessis, quod in locis ubi eos esse contigerit, pia christianae pietatis et charitatis opera, iuxta formam ab Ordinariis locorum seu sanctimonialium et anachoretarum eremitarumque huiusmodi superioribus, vel, de eorum mandato, a prudente confessario, in almâ vero Urbe a dilecto filio nostro vicario seu eius vicesgerente tantum, praescribendam pro cuiuslibet statu et conditione, ac loci et temporis ratione habitâ, exercendo, et alia in nostris litteris indictionis anni iubilaei contenta adimplendo, omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones etiam plenissimas consequantur, quas consequerentur et consequi possent si in hoc praesenti anno iubilaei diebus ad id statutis quatuor ad id deputatas basilicas et ecclesias almae Urbis, et extra illius muros, pro quibus visitandis iubilaeum et indulgentiae praedictae concessae sunt, personaliter visitarent, et eorum quilibet visitaret; eisdemque sanctimonialibus ac oblatis, puellis et mulieribus saecularibus, necnon anachoretis atque eremitis et christifidelibus impeditis huiusmodi, ut, ad effectum prae-

Concessio ut in rubricâ.

1 Praeposit. *in* nos addimus (R. T.).

sentium, confessarios presbyteros saeculares vel cuiusvis Ordinis regulares ab iisdem Ordinariis locorum ad id probatos, qui, confessionibus eorum diligenter auditis, eos et eorum quemlibet a quibusvis peccatis, criminibus et delictis quantumcumque gravibus et enormibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis, etiam in Bullâ Coenae Domini contentis, iniunctâ eis poenitentiâ salutari, absolvere possint, eligere valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Clausulae. § 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 3. Volumus autem quod praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, etc[1].

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xx ianuarii MDCCXXV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 20 ianuarii 1725, pontif. anno I.

LXIV.

Abrogantur quaecumque privilegia personalia monachis Ordinis sancti Benedicti Congregationis Portugalliae aliàs concessa[2].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. In supremâ militantis Ecclesiae speculâ, meritis licet imparibus, divinâ dispositione collocati, in eam praecipue curam sollicitis studiis intendimus, ut religiosorum virorum sub suavi vitae monasticae iugo Altissimi obsequiis mancipatorum congregationes salubriter dirigantur, laudabilibusque institutis suis, quocumque sublato impedimento, inhaerentes, felicibus in dies benedicente Domino proficiant incrementis.

Causae sequentis abrogationis. § 1. Cum itaque, sicut accepimus, in Portugalliae et Algarbiorum regnis, ac insulis in Indiis et ultramarinis conquistis ipsorum regnorum Portugalliae et Algarbiorum dominio temporali subiectis, monachis Congregationis Portugalliae Ordinis sancti Benedicti diversa indulta et privilegia personalia, praerogativae, immunitates atque exemptiones concessa reperiantur, unde gravissima in praedictâ Congregatione scandala enasci, magnumque monasticae in eâ disciplinae et observantiae relaxationi ostium pandi experientiâ ipsâ compertum est: nos, praemissis, quantum cum Domino possumus, de opportuno remedio providere, salubrique ac prosperae ipsius Congregationis monachorum directioni consulere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnia et quaecumque privilegia et indulta personalia, praerogativas, immunitates et exemptiones quibusvis dictae Congregationis monachis et personis, cuiuscumque dignitatis, qualitatis et conditionis existant, quovis titulo, praetextu, causâ et occasione, et ad cuiuscumque instantiam et supplicationem, tam a nobis et Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, et a quibusvis S. R. E. cardinalium congregationibus, quam etiam a Sedis Apostolicae in eisdem regnis nuntiis, ac quibuslibet Congregationis monachorum huiusmodi superioribus, hactenus quoquo modo contra et praeter regularia Congregationis et Ordinis praedictorum instituta et apostolicas constitutiones concessa, harum serie perpetuo revocamus, annullamus, cassamus, abrogamus et abolemus, illaque perpetuo

Abrogatio ut in rubricâ.

1 Reliqua ut supra pag. 59 *b* (R. T.).

2 Const. edit. MDCCXXIV, die 3 octobris, pontif. I, abrogata fuerunt privilegia omnia personalia, quae Minoribus Ordinis sancti Francisci in regno Portugalliae concedi consueverant.

revocata, cassata, abrogata et abolita, viribusque et effectu vacua esse et fore, neminique ullatenus suffragari, neque de cetero a quoquam concedi posse, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus. Mandantes propterea, in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis privationisque suorum officiorum vocisque activae et passivae poenis eo ipso incurrendis, dilectis filiis generali aliisque dictae Congregationis abbatibus et superioribus, ut, quamprimum praesentes nostrae litterae ad eorum notitiam pervenerint, omnes et singulos monachos Congregationis huiusmodi similia indulta, privilegia, praerogativas, immunitates et exemptiones habentes, illos eo ipso privatos et spoliatos esse declarent, nec quemquam illis uti sinant vel permittant, inobedientes quoslibet et rebelles opportunis iuris et facti remediis, iuxta regularia Congregationis et Ordinis praedictorum statuta apostolicâ auctoritate confirmata, omni et quacumque appellatione, reclamatione et recursu remotis, compescendo.

Clausulae cum derogatoriis.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis litteris apostolicis super concessione seu confirmatione indultorum, privilegiorum, praerogativarum, immunitatum et exemptionum huiusmodi emanatis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Congregationis et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibus et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 3. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVII ianuarii MDCCXXV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 27 ianuarii 1725, pontif. anno I.

XLV.

Declaratur irrita electio et consecratio Cornelii Steenoven in archiepiscopum Ultraiectinum [2].

Benedictus Papa XIII.
Dilecti filii,
salutem et apostolicam benedictionem.

Litterae diriguntur ad catholicos in foederato Belgio.

Qua sollicitudine ad animarum vestrarum salutem haec Sancta Sedes ad-

1 Reliqua ut supra pag. 59 *b* (R. T.).

2 Aliâ const. ed. MDCCXXV, die 13 augusti, pontif. II, declaratur nulla electio Cornelii Berchaman in archiepiscopum Ultraiectinum, cum indictione excommunicationis latae sententiae audentibus illum consecrare.

vigilet, quove studio curet et nitatur, ut adversus insidias diaboli nulla vobis desint sanae doctrinae, salutaris disciplinae et vigilantiae pastoralis praesidia, iam assiduis hactenus argumentis exploratum vobis esse non dubitamus. Haec ipsa tamen doloris acerbitas, qua gemitus nostros ad vos deferre, moerorisque causas iteratis questubus replicare et recentibus scandalis obviam ire compellimur, novum vobis nec obscurum esse debet paternae nostrae charitatis testimonium.

Expositio facti.

§ 1. Nostis autem, dilecti filii, quibus artibus pravae doctrinae semina spargere molientes dissensionis filii, non solum catholico nomine, sed pastoralium etiam munerum inductâ larvâ, et confictis ecclesiastici ministerii titulis abutentes, ad animarum curam et sacramenta administranda obrepere aut irrumpere tentaverint. Sed superbia eorum, quae ascendit semper, eo demum temeritatis evasit, ut, postquam a septem clericis, qui canonicorum nomen iactabant Ultraiectini capituli, quod iam ante annos ab hinc plures supra centum intercedit[1], perperam ac temere facta esset die XXII mensis aprilis anno MDCCXXIII electio Cornelii Steenoven turbolentae factionis antesignani et ecclesiasticis censuris obstricti in archiepiscopum Ultraiectinum, quamquam ab hac sanctâ Sede reiectam eiusmodi electionem certo et palam rescivissent, curarunt tamen atque effecerunt ut eidem Cornelio die XV mensis octobris anno MDCCXXIV, apostolicâ auctoritate et sacrorum canonum contemptis regulis, per detestabilem ac sacrilegam manuum impositionem episcopalis consecrationis munus traderetur. Ne autem factiosorum conatus ullâ pravitate vacarent, consecratio peracta est a Dominico Maria Varlet episcopo Babylonensi iam ab exercitio episcopalis ordinis suspenso, eius suspensione per litteras sacri cardinalium collegii apud vos typis impressas publice denunciatâ. Sed ad haec inde etiam cumulus perversitatis accessit, quod memoratus episcopus Babylonensis, minime assistentibus ex praescripto sacrorum canonum duobus aliis episcopis, nullâque apostolicâ dispensatione suffultus, solus antedictum Cornelium consecrare ausus fuerit.

Declaratio praedicta irritae electionis cum inhibitione eidem Cornelio ut abstineat ab exercitio ordinis episcopalis.

§ 2. Ut igitur pro nostrae servitutis officio opportuna remedia tantis scandalis adhibeamus, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus et declaramus, tam electionem eiusdem Cornelii in archiepiscopum Ultraiectinum fuisse irritam ac prorsus nullam, quam eius consecrationem fuisse omnino illicitam et execrandam, ac proinde ipsum temere nulloque iure electum Cornelium omni ecclesiasticâ et spirituali iurisdictione pro animarum regimine carere, atque illicite consecratum ab omni exercitio episcopalis ordinis esse suspensum. Mandamus propterea districteque interdicimus memorato Cornelio, sub poenâ excommunicationis ipso facto sine aliâ declaratione incurrendae, ne audeat pastores, missionarios, ministros, aut alios quocumque nomine nuncupentur, ad animarum curam et sacramentorum administrationem quovis etiam necessitatis praetextu constituere ac deputare. Simul etiam palam edicimus et declaramus omnes et singulas praedictorum officiorum deputationes pro animarum regimine quocumque nomine factas aut fortasse faciendas, cum omnibus inde secutis, prorsus irritas esse ac nullius roboris et momenti. Rursus eidem Cornelio praecipimus et inhibemus, ne, sub simili excommunicationis poenâ, audeat illicite sacramentum Con-

1 Forsan *intercidit* (R. T.).

firmationis aut ordines conferre, aut quoquo pacto ordinem episcopalem, a quo suspensus est, exercere.

Iniungitur eisdem catholicis, ne praedictum Cornelium in archiepiscopum agnoscant.

§ 3. Vobis autem, dilecti filii, graviter iniungimus ac vetamus, ne antedictum Cornelium pro vero archiepiscopo Ultraiectino habeatis et agnoscatis, neve cum eodem ullo pacto, praesertim in divinis, communicetis, aut ab ipso vel ab aliis per ipsum perperam et inaniter deputatis sacramenta aut ordines accipiatis. Noverit enim, qui ordinibus initiatus ab ipsis fuerit, suspensionis se vinculo constrictum atque irregularitati praeterea obnoxium si susceptos ordines exercuerit. Reliquum est ut paternis curis nostris filialis obedientiae fideique vestrae officia respondeant. Nullum enim iucundius dolori nostro solatium afferri potest, quam ut intelligamus, vos, caute ambulantes, non vocem alienorum audire, sed pastorem sequi et domum aedificare supra firmam petram. Ac vobis, dilecti filii, apostolicam benedictionem, quam caelestis praesidii pignus atque adversus potestates tenebrarum arma et scutum esse optamus, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI februarii MDCCXXV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 21 februarii 1725, pontif. anno I.

XLVI.

Declaratur, quasdam indulgentias in generali indulgentiarum suspensione, anno iubilaei durante indictâ, minime comprehendi; et quaedam alia indulgentia conceditur [1].

Benedictus XIII.
Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Decet Romanum Pontificem quarumdam indulgentiarum et gratiarum spiritualium concessiones, quae ad divini cultus incrementum et ad augendam fidelium devotionem animarumque salutem promovendam peculiariter impertiri dignoscuntur, ab indictâ anno iubilaei generali earumdem indulgentiarum suspensione excipere, ne circa eas aliquibus dubitandi occasio praebeatur.

Enumeratio indulgentiarum, quae sub praedictâ suspensione minime comprehenduntur.

§ 1. Quum itaque nos nuper sub generali suspensione huiusmodi nec indulgentias altarium privilegiatorum pro fidelibus defunctis, nec alias quascumque eodem modo pro solis ipsis defunctis concessas venire, sed quas vivi sibi lucrari possunt, cum facultate illas per modum suffragii animabus eorumdem defunctorum in purgatorio existentibus applicandi, suspensas esse, minusque indulgentias concessas in articulo mortis cum [1] facultate illas aliis communicandi cessare, neque a sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium de latere legatis et apostolicae Sedis nunciis ac episcopis in usu seu exercitio pontificalium, aut in impartiendâ benedictione, aliâve formâ consuetâ concedi solitas; siculi etiam perdurare facultates tribunalis officii Inquisitionis adversus haereticam pravitatem auctoritate apostolicâ instituti, eiusque officialium, missionariorum quoque et ministrorum, qui ab eodem tribunali seu a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum eiusdem sanctae Ro-

1 Inter alias excipiuntur indulgentiae concessae ab Innocentio XI const. ed. MDCLXXVIII, die 1 octobris comitantibus SS. Viaticum, quae confirmatae et ampliatae fuerunt ab Innocentio XII const. ed. MDCXCV, die 5 ianuarii, pontif. IV; et aliâ huius Pontificis const. ed. MDCCXXV, die 28 aprilis, pontif. I, fit facultas christifidelibus consequendi etiam suspensas indulgentias in suffragium tamen animarum purgatorii.

1 Forsan *cum* pro *in* legendum (R. T.).

manae Ecclesiae cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositâ, vel aliàs a Sede praedictâ ad id deputati fuerint, et praesertim facultates absolvendi ab haeresi illos, qui, abiuratis eorum erroribus, capaces eiusmodi absolutionibus redduntur; insuper indulgentias a felicis recordationis Innocentio XI et Innocentio XII Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, per quasdam suas desuper in simili formâ Brevis die I octobris MDCLXXVIII et die I iulii MDCXCV respective expeditas litteras, christifidelibus, qui sanctissimum Eucharistiae sacramentum, dum ad infirmos deferri contigerit, devote comitati fuissent, aut legitimo impedimento detenti personaliter comitari nequivissent, sed tamen lumen seu facem per alios eâ occasione deferendum seu deferendam misissent, prout etiam a nobis, per nostras in pari formâ Brevis litteras die XIV mensis septembris proxime praeteriti emanatas, mane aut meridie seu vespere, ad pulsum campanae, flexis genibus, salutationem angelicam recitantibus concessas, sub praefatâ suspensione indulgentiarum minime comprehendi, auctoritate apostolicâ declaraverimus:

Declaratio praedicta.

§ 2. Nunc autem, universos christifideles de nostrâ in praemissis mente et voluntate certiores reddere, et ad indulgentias et gratias spirituales eiusmodi lucrifaciendas, quacumque submotâ dubietatis occasione, alacrius excitare cupientes, omnibus et singulis christifidelibus praedictis declarationem a nobis, sicut praemittitur, editam, quod scilicet memoratae indulgentiae et gratiae spirituales, durante anno iubilaei, lucrifieri possint, in omnibus et per omnia, perinde ac si generalis suspensio praefata non emanasset, tenore praesentium denuntiamus ac edicimus, palamque et notam facimus.

Conceduntur indulgentiae iis qui interfuerint orationi Quadraginta Orarum ubicumque.

§ 3. Praeterea, ad fovendam ampliandamque eorumdem fidelium erga sanctissimum augustissimumque corporis et sanguinis domini nostri Iesu Christi sacramentum praedictum pietatem atque devotionem, illis omnibus et singulis christifidelibus ubicumque extra Urbem degentibus, confessis ac sacrâ communione refectis, vel saltem vere contritis et cum firmo proposito confitendi, qui in ecclesiis, ubi oratio Quadraginta Horarum durante praesenti anno iubilaei, indicta fuerit, devote eo temporis spatio, quod illis commodum fuerit, oraverint, toties, quoties id egerint, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis seu aliàs quomodolibet debitis poenitentiis, in formâ Ecclesiae consuetâ, dictâ auctoritate relaxamus, prout eidem orationi Quadraginta Horarum in ecclesiis almae Urbis nostrae institutae interessentibus novissime concessimus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus suspensione huiusmodi, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum

§ 5. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die II martii MDCCXXV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 2 martii 1725, pontif. anno I.

XLVII.

Interdicitur regularibus omnibus, ad quascumque dignitates ecclesiasticas promotis, ne secum extra coenobia ulla bona adsportare audeant [1].

1 Reliqua ut pag. 59 *a* (R. T.).

1 Similis interdictio pro fratribus Minoribus Conventualibus facta est ab Alexandro IV constit. edit. MCCLV, die 5 decembris, pontif. I; et pro fratribus Praedicatoribus a Clemente IV

Benedictus Papa XIII,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Postulat humilitati nostrae divinâ dispensatione commissum sacrosancti apostolatus officium, ut, quaecumque respiciunt bonum, tranquillitatem et commodum Ordinum regularium, unde plurimum omni tempore, non modo splendoris ac ornamenti, verum etiam utilitatis atque praesidii catholicae Ecclesiae accessisse ac in dies magis accedere satis omnibus notum est, et quorum in coetu, nempe in Ordine fratrum Praedicatorum, nos ipsos olim fuisse, pluriumque annorum spatio versatos esse, in Domino gloriamur, propensis studiis paternâque charitate et sollicitudine promovere non omittamus, ac ea praesertim, quae, ad tollendos abusus, arcendam proprietatis labem, et inviolatum custodiendum in eisdem Ordinibus paurpertatis votum, a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris provido iustoque consilio sancita fuisse noscuntur, ut serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae munimine roboremus, et aliàs desuper concessae nobis caelitus auctoritatis partes interponamus, prout rerum ac temporum conditio exigit, et nos, omnibus maturae considerationis trutinâ perpensis, ad maiorem omnipotentis Dei gloriam, prosperum praedictorum Ordinum regularium statum, ac animarum pretiosissimo Christi sanguine redemptarum salutem expedire in Domino arbitramur.

Refertur quaedam constitutio Alexandri IV, qua idem iniungitur Minoribus Conventualibus.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Alexander Papa IV praedecessor noster, cum expositum illi fuisset aliquando contingere, ut fratres Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci ad episcopalem et alias superiores seu inferiores dignitates promoti secum adsportare propriisque usibus applicare praesumerent libros, et alia quae tempore suae promotionis haberent, tametsi non ad eos, quibus nihil proprium habere licet, sed ad Ordinem pertinerent, ad eiusdem abusum submovendum et consulendum praefati Ordinis indemnitati, quasdam suas desuper promulgavit litteras apostolicas tenoris sequentis, videlicet:

Alexander episcopus, servus servorum Dei, generali et provincialibus Minoris Ordinis fratrum Minorum. Ex parte vestrâ nobis fuit intimatum, etc. [1]

Datum Laterani, anno Incarnationis Dominicae MCCLV, nonis decembris, pontificatus nostri anno I.

Alia constitutio Clementis IV ad eumdem abusum ex Ordine Praedicatorum submovendum.

§ 2. Deinde, cum memoratus abusus in Ordinem quoque fratrum Praedicatorum irrepsisset, recolendae memoriae Clemens Papa IV, praedecessor itidem noster, pro suo pastorali zelo eum extirpandum curavit per suas consimiles litteras apostolicas, quarum tenor hic subiicietur:

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistro et universis prioribus et fratribus Ordinis Praedicatorum, salutem et apostolicam benedictionem. Providenti laudabilis etc. [2]

Datum Viterbii, anno Incarnationis dominicae MCCLXVIII, quinto idus iunii, pontificatus nostri anno IV.

Confirmatio relatarum constitutionum.

§ 3. Quamvis autem praeinsertarum apostolicarum litterarum tenorem a memoratis regularibus, pro quibus emanarunt, religiose hactenus observatum fuisse et adhuc observari minime vereamur; nihilominus, nonnullis iustis et gravibus

constit. edit. MCCLXVIII, die 9 iunii, pontif. IV; quae constitutiones hic referuntur et extenduntur ad omnes Ordines regulares.

1 Const. Alexandri IV iam legitur in tomo III huius nostrae edit. pag. 628 *a* (R. T.).

2 Const. Clem. IV legitur in eodem tom. III, pag. 799 *b* et seq. (R. T.).

adductis[1] rationibus, ad obstruendum fraudibus, quae forsan in posterum committi possent, quemcumque aditum, easdem Alexandri et Clementis praedecessorum litteras cum omnibus et singulis in eis contentis confirmandas et innovandas esse duximus, prout, motu proprio, ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione illas et in eis contenta quaecumque (iis tantum exceptis quae eidem nostrae constitutioni adversantur, ut infra) amplissime confirmamus, approbamus ac innovamus, et, quatenus opus sit, adversus quemcumque non usum seu contrarium usum, qui quoquo modo praetendi posset, restituimus, pristinum in statum reponimus, ac plenarie integramus.

Extensio earumdem ad omnes alios regularium Ordines.

§ 4. Praeterea, etsi satis constet saluberrimam praedictam[2] litterarum dispositionem non ad eos dumtaxat, de quibus loquitur, sed ad universos etiam alios regulares Ordines pertinere, cum ratio voti solemnis paupertatis, cui illa unice innititur, vigeat, locumque habeat generatim absque ullâ prorsus differentiâ in omnibus Ordinibus, quorum professores eodem paupertatis voto aequaliter obstringuntur, adeoque, sicut iidem professores indiscriminatim nihil proprium possident nec possidere possunt, et, quidquid acquirunt, monasterio et Ordini acquirunt, ita sane absque ullo discrimine, quando ad praelaturas ecclesiasticas assumuntur, bona, quae ante earum assecutionem habebant, secum adsportare propriosque in usus convertere nequaquam possunt, sed monasterio et Ordini cui acquisita sunt, ex integro relinquere ac resignare tenentur: nihilominus, ad quamcumque ambiguitatem submovendam ac penitus e medio tollendam, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, memoratas Alexandri et Clementis praedecessorum litteras tenore praesentium expresse extendimus ac ampliamus ad omnes etiam et singulos alios catholicae Ecclesiae Ordines, congregationes ac instituta regularia, monastica, et alia quocumque nomine et titulo nuncupata, nullo prorsus excepto, a quibus et ab eorum professoribus deinceps illas, in omnibus et singulis quae praesenti constitutioni non adversantur, exactissime observari volumus, praecipimus et mandamus, perinde ac si ipsaemet litterae a praefatis praedecessoribus nostris pro singulis aliis Ordinibus, congregationibus ac institutis praedictis, eorumque professoribus quibuscumque, editae et promulgatae fuissent, et non aliàs, nec alio modo.

Idem denuo omnibus inhibetur ab hoc pontifice.

§ 5. Cupientes insuper ut omnis ansa et occasio quibuscumque alienis, extraneis aut subdolis praedictarum litterarum interpretationibus praecidatur, Ordinumque regularium quorumcumque praefatorum indemnitati plenius etiam atque uberius consultum sit, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, omnibus et singulis regularibus personis cuiuscumque Ordinis, congregationis ac instituti, ut praefertur, quae a nobis et a Romano Pontifice pro tempore existente ad patriarchatus, archiepiscopatus, episcopatus, vel quascumque alias praelaturas et dignitates ecclesiasticas in posterum assumentur, tenore praesentium strictissime interdicimus ac inhibemus, ne secum adsportare propriisque usibus applicare audeant libros, pecunias, credita, deposita et bona mobilia seu immobilia cuiuscumque generis et speciei, quae eos tempore suae promotionis penes se vel alios habere contigerit, *exceptis dum-*

1 Potius lege *adducti* (R. T.).
2 Aptius forsan *praedictarum* (R. T.).

taxat scriptis, propriis indumentis et breviario, sed ea omnia, statim ac suae promotioni consenserint, et antequam consecrationis munus suscipiant, superiori locali et capitulo coenobii, conventus aut domus, ubi degunt[1], integra et intacta, absque ullâ prorsus diminutione, cum eorum notulâ seu inventario bonâ fide confecto, resignare teneantur, ut illi postmodum coenobio, conventui vel domui applicari possint ac debeant, cui iuxta constitutiones et consuetudines cuiusque Ordinis, congregationis ac instituti applicanda esse constiterit. Quod si secus fecerint et huic nostrae ordinationi non obtemperare praesumpserint, contrafacientes, ultra poenam suspensionis ab exercitio pontificalis ministerii in praefatis Clementis IV litteris constitutam, suspensionis insuper a divinis poenam ipso facto incurrant, cuius relaxationem nobis tantum et Romano Pontifici pro tempore existenti (sublatâ ceteris omnibus, etiam Poenitentiariae Apostolicae officio et maiori poenitentiario, eam etiam ad tempus relaxandi facultate) specialiter et expresse reservamus, ac reservatam esse volumus et mandamus.

Adimitur superioribus Ordinum facultas concedendi promotis eisdem ad tempus usum librorum, aliorumque.

§ 6. Postremo, cum aequum et salutare, imo etiam necessarium arbitremur, ut occurratur ac opportunum adhibeatur remedium praeiudiciis et detrimentis, quae hactenus illata fuisse novimus, ac etiam de cetero inferri posse animadvertimus Ordinibus regularibus, coenobiis, conventibus ac domibus praedictis ex facultate, quae ab Alexandro praedecessore ministro generali et provincialibus Ordinis fratrum Minorum Conventualium S. Francisci, et a Clemente itidem praedecessore ministro generali ac prioribus Ordinum fratrum Praedicatorum, ut praefertur, tributa fuit, concedendi promotis ad episcopalem et alias ecclesiasticas dignitates usum ad tempus librorum aliorumque bonorum quae tempore suae promotionis habebant, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, tenore praesentium, nedum praefatis, sed etiam omnibus et singulis aliis superioribus quorumcumque aliorum Ordinum, congregationum ac institutorum regularium praedictorum, ad quae praeinsertas Alexandri et Clementis praedecessorum litteras, ut supra, extendimus et ampliamus, etiamsi abbates, magistri, ministri et praepositi provinciales aut generales fuerint vel quacumque aliâ denominatione ac titulo Ordinibus, congregationibus et institutis antedictis praefuerint, necnon eorumdem coenobiorum, conventuum, domorumque superioribus localibus et capitulis quibuscumque, praedictam facultatem concedendi ad tempus usum librorum, aliorumque mobilium praefatorum, prorsus adimimus, auferimus et abrogamus, ac pro ademptâ, sublatâ et prorsus abrogatâ ab omnibus in posterum haberi volumus, statuimus et declaramus, itaut perpetuis futuris temporibus eiusmodi facultate uti amplius non possint nec debeant, perinde ac si ipsis a praefatis praedecessoribus nostris nunquam tributa et concessa fuisset, et non aliàs, aliter, nec alio modo, sub poenâ, si secus fecerint, suspensionis a divinis eo ipso incurrendâ, cuius relaxationem nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti, privative quoad omnes alios, reservamus et reservatam esse statuimus, praecipimus ac mandamus.

Clausulae.

§ 7. Decernentes, praesentes litteras semper validas, firmas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spe-

1 Male edit. Main. legit *detegunt* (R. T.).

ctat et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quavis praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate ac auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatoriae peculiares.

§ 8. Non obstantibus praeinsertis Alexandri IV et Clementis itidem IV praedecessorum litteris, et de iure quaesito non tollendo, ac certis nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quorumvis Ordinum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, aut quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus, illorumque superioribus et professoribus quibuscumque, sub quibusvis verborum tenoribus et formis, ac cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, et aliis efficacioribus et insolitis clausulis et decretis, etiam irritantibus, etiam motu simili et consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones, ac alia etiam speciali expressione digna, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis ac servatis respective habentes, hac vice dumtaxat, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Aliae clausulae.

§ 9. Ut autem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas seu earum exempla ad valvas ecclesiae Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum, nec non Cancellariae Apostolicae Curiaeque generali in Monte Citatorio, ac in acie Campiflorae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari; sicque publicatas et affixas, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare et afficere ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent; utque ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 10. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrae confirmationis, approbationis, innovationis, reintegrationis, decreti, declarationis, statutorum, voluntatum, mandatorum, constitutionis, assignationis, praecepti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc

attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXV, IV nonas martii, pontificatus nostri anno I.

P. M. card. prodatarius.

Dat. die 4 martii 1725, pontif. an. I.

XLVIII.

Conceduntur duabus facultatibus utriusque iuris et artium liberalium in oppido Palensi provinciae Bearniae nuper erectis privilegia omnia universitatibus studiorum generalium regni Galliarum concessa, ac pariter studentibus et ad gradus scolasticos in eis promotis[1].

Benedictus Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Duas facultates praedictas nuper erectas fuisse refertur.

§ 1. Nuper pro parte carissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum regis christianissimi nobis expositum fuit, quod, cum dilecti filii clerus et populus provinciae suae Bearniae ei exposuissent grave incommodum et dispendium quod incolae provinciae praedictae in amandandis iuvenibus ad studiorum generalium universitates utpote multum inde dissitas sentiebant, ipseque Ludovicus rex, eorumdem incolarum commoditatibus ac utilitati prospicere cupiens, erectioni duarum facultatum in oppido civitate nuncupato Palensi, quod dictae provinciae caput existit, utriusque nempe iuris canonici et civilis ac artium liberalium assensum suum praebuisset, quae postmodum inibi erectae et institutae fuerunt; nunc autem memoratus Ludovicus rex duabus facultatibus sic erectis praerogativas universitatibus studiorum generalium intra regni sui Galliarum fines consistentibus concessas impertiri, eos vero, qui eisdem facultatibus pro tempore studuerint, ac exacto studiorum cursu ad doctoratum aliosve gradus scholasticos in utroque vel altero iurium praedictorum seu ad magisterium artium praedictarum promoti fuerint, eisdem privilegiis, quibus in ipsis universitatibus studiorum generalium dictis facultatibus vacantes, aut ad doctoratum, gradus et magisterium huiusmodi in eis promoti, ex concessionibus apostolicis fruuntur, donari ac similiter frui posse plurimum desideret: nobis propterea idem Ludovicus rex humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio privilegiorum praedictorum.

§ 2. Nos igitur, ipsius Ludovici regis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum, qui narrata attenderunt, consilio, petitum indultum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et impertimur, itaut qui supradictae iuris facultati studuerint, quive doctoratum, baccalaureatum aliosve gradus scholasticos, servatis servandis, in eodem iure receperint, omnibus et singulis privilegiis, etiam habilitationis ad beneficia ecclesiastica assequenda, quibus alii, qui iuri student, aut dictos gradus in praefati regni Galliarum et signanter Tolosanâ studiorum genera-

[1] Innocentii XIII constit. edit. MDCCXXI, die 9 maii, pontif. I, confirmatur et innovatur concessio privilegiorum universitati studii generalis et collegio doctorum civitatis Urbini a Clemente XI facta; et huius Pontificis constit. edit. MDCCXXVII, die 1 iulii, pontif. IV, erigitur universitas studiorum in civitate Camerinensi.

lium universitatibus recipiunt, ex quibusvis concessionibus apostolicis quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt in futurum, pari modo et absque ullâ prorsus differentiâ uti, frui, potiri et gaudere debeant et valeant.

Clausulae. § 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII martii MDCCXXV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 12 martii 1725, pontif. anno I.

XLIX.

Confirmatur constitutio Sixti V, qua, iuxta declarationem Pii V hac super re, decernitur, ut omnes obtinentes commendas et beneficia hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani ad solutionem iurium communis aerarii praedicti hospitalis teneantur [1].

Benedictus Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Ad pastorale fastigium, meritis licet imparibus, divinâ dispositione evecti, ea, quae de Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum et Apostolicae Sedis benignitate in favorem militiarum et hospitalium quorumcumque ad omnipotentis Dei gloriam suaeque Ecclesiae sanctae exaltationem, illius vero hostium profligationem [2], pie provideque institutorum processerunt, quo maioris validitatis munimine subsistant, apostolicae confirmationis patrocinio, cum id a nobis petitur, constabilimus.

Constitutio praedicta Sixti V. § 1. Dudum siquidem felicis recordationis Sixtus PP. V praedecessor noster omnes et singulos, prioratus, baiulivatus [3], castellanias, praeceptorias et alia beneficia et pensiones militiae S. Ioannis Hierosolymitani, etiam ex Sedis Apostolicae provisione obtinentes, ad solutionem iurium communis aerarii hospitalis dicti S. Ioannis Hierosolymitani omnino teneri, receptoresque eiusdem hospitalis fructus, redditus et proventus eiusmodi praeceptoriarum et beneficiorum propriâ auctoritate exigere, ac illorum possessionem apprehendere, ac de illis disponere posse decrevit et declaravit per suas desuper litteras in simili formâ Brevis in formâ rationi congruâ

1 Dicta Sixti V constitutio hic inserta edita fuit MDLXXXV, die 1 maii, pontif. I.

2 Edit. Main. legit *profligatione* (R. T.).

3 Edit. Main. legit *baiulatus* (R. T.).

expeditas, tenore qui sequitur, videlicet:

Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam. Æquum arbitramur et congruum, etc[1].

[1] Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die I maii MDLXXXV [2], pontificatus nostri anno I. — A. PEREGRINUS.

Confirmatio relatae Sixti V constitutionis.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte dilectorum filiorum magni magistri et fratrum militum hospitalis praedicti nobis nuper expositum fuit, ipsi praemissa, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio roborari plurimum desiderent: nos, eorumdem exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, eosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum consilio, praeinsertas Sixti praedecessoris litteras, omniaque et singula in eis contenta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque[3] perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos dictaeque Sedis nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae in praeinsertis Sixti praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI martii MDCCXXV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 21 martii 1725, pontif. anno I.

L.

Confirmatur constitutio quaedam Pii II quoad primos medios fructus beneficiorum ecclesiae Beneventanae, et latius declaratur [1].

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex, aequi bonique supremus assertor, inter gravissimas multiplicesque apostolicae servitutis curas,

1 Sixti V const. habetur sub datum 1 maii MDLXXXVI, in tom. VIII nostrae edit., pag. 765 *a* et *seq* (R. T.).

2 In loco parallelo legitur MDLXXXVI (R. T.)

3 Ed. Main. legit *illique* (R. T.).

1 Laudata const. edita est anno MCDLIX, die 5 septembris, pontif. II; huius pontif. vero const. edit. MDCCXXV, die 28 aprilis, pontif. I, demandatur solutio mediae annatae beneficio-

in eam peculiari studio iugiter incumbit, ut ecclesiarum omnium, praesertim archiepiscopali nomine insignitarum, reparationes fabricae et augmentationes assiduis favoribus et gratiis promoveantur, et quae propterea a praedecessoribus suis iisdem de causis facta et decreta dignoscuntur, ut ab omnibus perpetuo inviolabiliter observentur, apostolicae confirmationis patrocinio corroborat, aliaque statuit et declarat, prout earumdem ecclesiarum indigentiis, commodis et utilitatibus conspicit in Domino salubriter expedire.

A Pio II declaratum fuit omnes primos medios fructus beneficiorum ecclesiae Beneventanae in reparationem dictae ecclesiae convertendos esse.

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Pius Papa II praedecessor noster per quamdam eius constitutionem ab eo editam favore ecclesiae et civitatis Beneventanae, sub datum Mantuae, anno Incarnationis dominicae MCDLIX, nonis septembris, pontificatus sui anno II, inter cetera statuit, disposuit et decrevit, quod omnes primi medii fructus beneficiorum ecclesiasticorum pro tempore vacantium ecclesiae Beneventanae (cuius adhuc archiepiscopus existimus), qui a pro tempore existente archiepiscopo Beneventano percipiebantur, in reparationem, fabricam et augmentationem dictae ecclesiae Beneventanae, iuxta eiusdem pro tempore existentis archiepiscopi ac unius eiusdem ecclesiae Beneventanae canonici arbitrium, converti debeant.

Confirmatio praedictae constitutionis cum eiusdem latiori declaratione.

§ 2. Nos, considerantes praefatam Pii praedecessoris constitutionem commodum, utilitatem et incrementum praefatae ecclesiae Beneventanae summopere concernere, ac cupientes illam perpetuis futuris temporibus semper et inviolabiliter observari, ac Pii praedecessoris praefati constitutionis desuper editae huiusmodi tenores etiam veriores praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex merâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, dispositionem et decretum huiusmodi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illique perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; ac dispositionem et decretum huiusmodi comprehendere omnia beneficia ecclesiastica, tam collationis archiepiscopi, quam capituli et canonicorum dictae ecclesiae Beneventanae vel abbatis de Paduli nuncupati aut alterius cuiuscumque inferioris collatoris pro tempore existentium, ad[1] eis conferenda cessantibus reservationibus et affectionibus apostolicis, non tamen beneficia ecclesiastica dispositioni apostolicae reservata vel affecta, dictâ apostolicâ auctoritate declaramus.

Clausulae peculiares.

§ 3. Praesentes quoque nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae aut quovis alio defectu, quantumvis magno, inexcogitato et substantiali, aut ex quocumque alio capite, a iure vel facto aut statuto vel consuetudine aliquâ resultante, aut quocumque alio colore, praetextu, ratione vel causâ, etiam in corpore iuris clausâ, quantumvis iustâ, rationabili et privilegiatâ, etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostrâ huiusmodi aut aliis superius expressis relatis in litteris alibi[2] appareret, seu aliàs probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, redu-

rum providendorum per totam Italiam et insulas adiacentes in favorem fabricae ecclesiarum matricium.

1 Videtur legendum *ab* pro *ad* (R. T.).

2 Forsan *nullibi* legendum (R. T.).

ctionis ad vim et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet concesso aut impetrato uti seu se iuvare in iudicio vel extra posse, neque ipsas praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus et limitationibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas[1], ac perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per omnes et singulos, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices etiam S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Sedis Apostolicae nuncios, et alios quavis auctoritate et potestate fungentes, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet in quocumque iudicio et in quavis instantiâ aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, necnon etiam in synodalibus, universalibus et provincialibus conciliis editis vel edendis, specialibus vel generalibus, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictaeque ecclesiae Beneventanae statutis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, etiam motu et de apostolicae potestatis plenitudine similibus, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibus ac aliis decretis, concessis ac etiam pluries approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, approbationis, declarationis, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXV, nono kalendas aprilis, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 24 martii 1725, pontif. anno I

LI.

Publicantur litterae processus die Coenae Domini[1].

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad futuram rei memoriam.

Exordium a consuetudine praedecessorum petitum.

Pastoralis Romani Pontificis vigilantia et sollicitudo, etc.[2]

1 Male ed. Main. legit *acceptas* (R. T.).

1 Similes litterae publicatae fuerunt ab Innocentio XIII const. edit. MDCCXXII, die 29 aprilis, pontif. I; et a Clemente XI constit. edit. MDCCI, die 24 martii, pontif. I.

2 Reliqua ut in tom. XXI, p. 20 *a* et seq. (R. T.).

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXV, IV kalendas aprilis, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 29 martii 1725, pontif. anno I.

LII.

Statuitur ut regulares apostatae ad suos Ordines impune reverti possint[1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. Pastoris aeterni vices, licet immeriti, gerentes in terris, paternae charitatis nostrae partes esse reputamus, ut oves, quas satanae versutia a caulis Domini abduxit, ad easdem opportunis rationibus reducere, et ne in perpetuum pereant, quantum nobis ex alto conceditur, providere studeamus.

Causae praesentis constitutionis. § 1. Itaque in praesenti anno iubilaei, anno scilicet remissionis et gratiae, quem ad totius catholicae Ecclesiae consolationem atque aedificationem, apertis atque largiter prolatis spiritualium gratiarum dispensationi nostrae divinitus creditarum thesauris, indiximus, et, benedicente Domino, maximo cum animi nostri gaudio celebramus, pietatis nostrae viscera erga regulares professionis suae desertores aperire, eosque ad Christi ovile, suos videlicet cuiusque Ordines, extra quos luporum rapacium insidiis atque periculis expositi miserabiliter[2] vagantur, quantum divina benignitas largiri dignabitur, ut, ad salutarem vitae normam, quam amplexi fuerant, velut postliminio reversi, vota sua Domino reddere studeant, revocare cupientes, ac felicis recordationis Urbani VIII, Clementis X et Innocentii XII Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, qui annis iubilaei tunc instantibus seu recurrentibus eiusmodi regularium desertorum reductioni provide consuluerunt, vestigiis inhaerentes, auctoritate apostolicâ, tenore prasentium, misericorditer indulgemus, ac statuimus et decernimus, ut regulares apostatae et fugitivi, cuiuscumque sint Ordinis, tam Mendicantium quam non Mendicantium, congregationis, societatis et instituti, etiam necessario exprimendi, qui citra montes, intra quatuor, ultra montes vero, intra octo menses a publicatione earumdem praesentium litterarum inchoandos, suâ sponte ad suam quisque religionem redierint, tunc poenarum omnium ipsis propter apostasiam huiusmodi inflictarum vel infligendarum remissionem atque impunitatem assequantur; ita tamen ut debeant a suo quisque respective superiore humiliter petere absolutionem, et coram eo culpam fateri atque emendationem polliceri, et viceversâ superior benigne illos teneatur ab huiusmodi poenis absolvere et paternâ charitate complecti, cui propterea, ad effectum praemissum dumtaxat, quatenus opus sit, omnem facultatem necessariam dictâ auctoritate harum serie impertimur.

§ 2. Non obstantibus praemissis, necnon apostolicis, ac in universalibus provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac quorumvis Ordinum, congregationum, societatum et institutorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stylis et usibus, etiam immemorabi- Clausulae cum derogatoriis.

1 Pro regularibus quorumdam regnorum a Clemente XI, in const. edit. MDCCXIX, die 7 septembris, pontif. XIX, revocata fuerunt privilegia a nuncio concessa; et huius Pontificis const. edit. MDCCXXV, die 6 maii, pontif. I, praecipitur omnibus abbatibus regularibus perpetuis ut, infra annum ab electione, episcopalem benedictionem recipiant.

2 Edit. Main. legit *mirabiliter* (R. T.).

libus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis etiam Ordinibus, congregationibus, societatibus et institutis huiusmodi, illorumque generalibus et aliis superioribus ac personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu proprio et de apostolicae potestatis plenitudine ac consistorialiter et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum in genere vel in specie concessis et quantiscumque vicibus iteratis, approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Mandatur publicatio harum litterarum.

§ 3. Ut autem eaedem praesentes litterae omnibus facilius innotescant, volumus illarum exempla ad dilectos filios nostros et Apostolicae Sedis nuncios, ac venerabiles fratres patriarchas, archiepiscopos, episcopos, aliosque ecclesiarum praelatos, et locorum Ordinarios transmitti, qui illas quantocitius publicare studeant; ipsarum vero praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eamdem omnino fidem in iudicio et extra illud ubicumque locorum haberi, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV aprilis MDCCXXV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 4 aprilis 1725, pontif. anno I.

LIII.

Conceditur fratribus Praedicatoribus nonnullarum provinciarum, ut processiones SS. Rosarii, sine parochi interventu et licentiâ Ordinarii, peragere possint[1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

In supremo[2] militantis Ecclesiae solio, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam constituti, exortas inter catholicos antistites aliasque personas ecclesiasticas et religiosos viros controversias opportunis rationibus dirimere studemus, sicut in Domino conspicimus salubriter expedire.

Expositio facti.

§ 1. Exposuit siquidem nobis nuper dilectus filius noster Augustinus S. R. E. cardinalis Pipia nuncupatus, Ordinis fratrum Praedicatorum administrator generalis, quod, cum in variis dicti Ordinis provinciis nonnullae lites cum modico saecularium exemplo circa processionem SS. Rosarii qualibet primâ dominicâ mensis octobris fieri consuetam exortae

1 Clementis XII constit. edit. MDCCXXXIII, die 10 aprilis, pontif. III, confirmatur facultas celebrandi processiones SS. Corporis Christi et Rosarii, cum confirmatione et declaratione Brevis Benedicti XIII.

2 Edit. Main. legit *supra* pro *supremo* (R.T.).

fuerint, praetendentibus Ordinariis locorum et parochis perturbare antiquam (in qua fratres earumdem provinciarum reperiuntur) possessionem faciendi dictam processionem sine parochi assistentiâ, Ordinarii licentiâ, etiam ingrediendi limites parochiae, et allegantibus ius commune id prohibens necnon quamdam resolutionem Congregationis tunc existentium S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum anno MDCXXVIII emanatam ac a felicis recordationis Urbano Papa VIII praedecessore nostro confirmatam, per quam immemorabilis consuetudo sublata fuit, ipse Augustinus cardinalis et administrator generalis, attento quod id[1] diversimode et omnino insubsistens declaratum fuit, ut imposterum eiusmodi inordinationibus et perturbationibus, quae ex piâ processione huiusmodi generantur, finis imponatur, opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri summopere desiderat.

Concessio praedicta.

§ 2. Nos, ipsius Augustini cardinalis et administratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eius supplicationibus inclinati, fratribus provinciarum et Ordinis praedictorum, ut ipsi de cetero memoratam processionem SS. Rosarii qualibet primâ dominicâ mensis octobris, ingrediendo limites cuiuscumque parochiae, Ordinarii licentiâ minime requisitâ, et absque assistentiâ parochi, ac cum omni pompâ peragere libere et licite possint et valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, facultatem concedimus et impertimur.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

1 Edit. Main. legit *in pro id* (R. T.).

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die X aprilis MDCCXXV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 10 aprilis 1725, pontif. anno I.

LIV.

Statuitur motu proprio ut decem ex clero Caesenatensi in collegio iuristarum eiusdem civitatis admitti debeant[2].

Benedictus Papa XIII.
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ecclesiae catholicae per universum terrarum orbem longe lateque diffusae regimini ineffabili divinae sapientiae abundantiâ praepositi, in his, per quae personarum ecclesiasticarum honori et commodis ac uberiori in bonarum lit-

1 Reliqua ut supra pag. 72 *b* (R. T.).

2 De erectione et privilegiis dicti collegii videantur sequentes constitutiones, Iulii II const. edit. MDIV, die 24 iunii, pontif. II, Clementis VII constit. edit. MDXXIV, die 10 februarii, pontif. I, Pauli V constit. edit. MDCL, die 3 septembris, pontif. VI, Alexandri VIII constit. edit. MDCLVII, die 3 decembris, pontif. IV, et Clementis X constit. edit. MDCLXXV, die 28 septembris, pontificatus VI. In huius Pontificis constit. sequenti erigitur collegium theologorum in eâdem civitate Caesenatensi.

terarum scientiâ laudabilibusque disciplinis progressui opportune consulitur, pastoralis curae nostrae partes libenter interponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Refertur erectio dicti collegii, ac facultates eidem concessae.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, in universitate studii generalis Caesenatensi, quae in totâ provinciâ nostrâ Romandiolae unica existit, collegium iuristarum, viginti doctoribus constans, dudum erectum reperiatur, ac eidem collegio felicis recordationis Iulius Papa II praedecessor noster, per suas litteras die XXIV iunii MDIV expeditas, notarios creandi, et recolendae memoriae Clemens Papa VII similiter praedecessor noster, per suas litteras X februarii MDXXIV emanatas, duos ad id idoneos quotannis ad gradum doctoratus in utroque iure, servatis servandis, promovendi facultatem respective concesserint; haecque facultas, a Clemente praedecessore concessa, ad alios duos annis singulis doctoratus laureâ decorandos, a piae memoriae Paulo Papa V praedecessore pariter nostro per suas die III septembris MDCX desuper editas litteras ampliata; et omnes gratiae supradictae a similis recordationis Alexandro VII et Clemente X Romanis Pontificibus praedecessoribus quoque nostris, per eorum litteras die III decembris MDCLVII et die XXVIII septembris MDCLXXV expeditas, cum concessione indulti non solum praedictos quatuor, sed etiam quoscumque alios idoneos similiter promovendi, per eumdem Clementem X praedecessorem factâ, confirmatae fuerint; necnon piae memoriae Paulus Papa III praedecessor etiam noster, per suas die XXX decembris MDXXXV conditas litteras, omnia statuta, privilegia, ordinationes et decreta dicto collegio iuristarum eatenus concessa, confirmaverit.

Necnon lites inter clerum et collegium praedictum.

§ 2. Verum, cum clerus Caesenatensis gravius semper tulisset, ac pluries conquestus fuisset, quod ipse a collegio eiusmodi excluderetur, nec unquam obtinere valuerit ut in eo admitteretur; quinimo anno MDCCXIII, lite adversus iuristas laicos in Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium immunitati ecclesiasticae et controversiis iurisdictionalibus praepositâ ad iurium suorum tuitionem desuper motâ, contrariam resolutionem passus fuerit, binis potissimum innixam fundamentis; primo nimirum, quod per statuta dicti collegii, a memorato Paulo III praedecessore confirmata, personarum ecclesiasticarum admissio in eodem collegio prohibeatur; et altero, quod idem collegium institutum fuerat, ut exinde haberi possent iurisperiti ad diversa officia saecularia, cum statu ecclesiastico incompatibilia, exercenda:

Causae praesentis constitutionis.

§ 3. Sed, sicut postmodum per eumdem clerum animadversum fuit, statuta praedicta nonnisi in formâ communi, ut vocant, et cum clausulâ, *quatenus licita et honesta, sacrisque canonibus non contraria, neque contra libertatem ecclesiasticam existerent,* confirmata fuerint, prout ex ipsius Pauli praedecessoris litterarum tenore apparet; officium autem praetoris, quem potestatem ibi appellant, cuius vices, dum eumdem praetorem abesse vel aliquo impedimento detineri contingit, prior eiusdem collegii pro tempore existens gerere solet, quidquid olim fuerit, hodie non amplius praeferat potestatem iudicandi in causis criminalibus, in quibus agitur de poenâ sanguinis infligendâ, quae personis ecclesiasticis nusquam congrueret, quemadmodum pro earum exclusione in enarratâ lite adductum fuerat; sed causarum criminalium huiusmodi cognitio ad civitatis Caesenatensis gubernatorem,

vel S. R. E. cardinalem in provinciâ Romandiolae et exarchatu Ravennatensi Apostolicae Sedis de latere legatum, pro tempore existentes, privative nunc spectare dignoscitur.

Praedictus motu proprio favore cleri Caesenatensis.

§ 4. Hinc est quod nos, qui ab eo iam tempore, quo in minoribus constituti ecclesiae Caesenatensi praeeramus, ipsius cleri querimonias nobis interdum latas desuper audivimus, ipsumque a collegio praedicto arceri, necnon personas ecclesiasticas, quas non minore litterarum scientiâ ac doctrinâ quam laicos pollere decebat, in universitatibus studiorum generalium ditionis ecclesiasticae deterioris esse conditionis quam in similibus universitatibus in principum saecularium dominiis consistentibus, ubi libenter passimque admittuntur, indigne ferebamus, eiusdem cleri Caesenatensis, quem peculiari paternae charitatis semper complexi fuimus et adhuc complectimur affectu, votis hac in re, quantum cum Domino possumus, annuere, illiusque utilitati ac decori in praemissis prospicere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, harum serie[1] statuimus et ordinamus ut deinceps perpetuis futuris temporibus praedictum collegium iuristarum viginti doctoribus collegialibus de numero participantibus constare debeat, quorum decem ex clero seu coetu ecclesiastico Caesenatensis civitatis vel dioecesis, sive inde originem ducentes, sive exteri qui tamen ibidem domicilium contraxerint, vel dignitatem, canonicatum, aliudve beneficium ecclesiasticum vel officium residentiae inibi obtinuerint, et totidem laici, qualitatibus quae hactenus requiri consueverunt praediti, existant; ita tamen quod omnes doctores laici, qui de praesenti in eodem collegio reperiuntur, in eo remaneant, donec, per obitum, cessionem, vel absentiam, ad denarium numerum redacti fuerint; omnesque viginti doctores praedicti tam ecclesiastici quam laici collegium iuristarum inter se constituant; et emolumenta ipsi collegio obvenientia inter se aequis portionibus partiantur.

Deputatur episcopus Caesenatensis in priorem seu praesidem eiusdem collegii, cum quibusdam Ordinationibus.

§ 5. Praeterea venerabilem fratrem modernum ac pro tempore existentem episcopum Caesenatensem in priorem seu praesidem eiusdem collegii, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, tenore praesentium, perpetuo similiter facimus, constituimus et deputamus; volentes ac mandantes ut collegium praedictum in posterum in episcopio convocetur et celebretur, ecclesiasticis scilicet a dextris, iuxta cuiusque dignitatis ordinem, et laicis doctoribus a sinistris ipsius episcopi sedentibus; idem vero episcopus omnes illas functiones peragat, quae a priore laico dicti collegii hucusque expleri consueverunt; assignando nempe ad doctoratum promovendis puncta examinis, ac, postquam examen vitae et[1] collegialiter expletum et promovendi per pluritatem suffragiorum doctorum ibi praesentium tam ecclesiasticorum quam laicorum approbati fuerint, episcopus praedictus, tamquam caput, ac nomine collegii praedicti, professionem fidei catholicae per ipsos promovendos emittendam[2] recipiat, deinde illos laureâ doctorali insigniat, et ad doctoratus gradum in utroque iure promoveat, eisque consuetas patentes litteras a se subscriptas, suoque et eiusdem collegii sigillo munitas, desuper expediat et relaxet, servato in reliquis nihilque immutato more ac ritu

1 Edit. Main. legit *seriem* (R. T.).

1 Particula *et* delenda (R. T.).

2 Edit. Main. legit *emittendae* (R. T.).

in motionibus ad doctoratum huiusmodi per idem collegium hactenus servari consuetis. Sede autem episcopali Caesenatensi vacante, vicarius capitularis ipsius ecclesiae Caesenatensis, tunc legitime deputatus, eiusdem episcopi vices in omnibus praemissis gerat et sustineat. Porro, cum prior laicus supradicti praetoris absentis vel impediti partes supplere antehac consueverit, ut praefertur, quod de cetero doctor laicus antiquior eiusmodi officio fungatur, sicuti etiam secundus in antianitate iudicis appellationum munus exerceat, quatenus usus appellandi ad doctorem dicti collegii vigeat, ac tertius doctor in negotiis aquarum, viarum et aliarum rerum similium ius dicendi facultatem habeat, si et dummodo alicui doctori eiusdem collegii competat, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, earumdem tenore praesentium, statuimus itidem et ordinamus.

Clausulae.

§ 6. Decernentes, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti doctores laici, seu alii quilibet in praemissis interesse habentes seu habere praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarunt sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque causâ, colore, praetextu et capite etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam formali et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, limitari, aut ad terminos iuris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illa aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, aut[1] etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse; sed ipsas praesentes litteras semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, quandocumque in omnibus et per omnia inviolabiliter observari, et illis respective plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac dictae S.R.E. cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, aliosve quoslibet, quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Cum deputatione executoris.

§ 7. Quocirca venerabili fratri Hieronymo moderno ac pro tempore pariter existenti archiepiscopo Ravennatensi per praesentes motu pari committimus et mandamus, quatenus ipse, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte interesse in praemissis habentium, seu alicuius eorum, fuerit requisitus, solemniter publicans, illisque in eisdem praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostrâ illos et eorum quemlibet praesentium litterarum et in eis contentorum huiusmodi commodo et effectu pacifice frui et gaudere, non permittens

1 Particulam *aut* nos addimus (R. T.).

illos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, perturbari vel inquietari, contradictores quoslibet et rebelles, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo; legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariorum derogatio. § 8. Non obstantibus lite et cardinalium resolutione supradictis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris etiam nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, necnon Pauli III litteris praedictis, et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, collegii praedicti, aliisque quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem collegio eiusque personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et pluries innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro eorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI aprilis MDCCXXV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 11 aprilis 1725, pontif. anno I.

LV.

Erigitur collegium theologorum in civitate Caesenatensi cum quibusdam facultatibus[1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Ex iniuncto nobis divinitus pastoralis sollicitudinis munere, sacrarum litterarum et praesertim theologicae facultatis studia inter cristifideles potissimum in sortem Domini vocatos, ac nobis et huic Sanctae Sedi in temporalibus subditos, opportunis rationibus excitare et promovere satagimus, ac ut debitus virtuti honor rependatur libenter providemus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, religionis decus et incrementum, ac catho-

1 Innocentii XIII const. edit. MDCCXXII, die 19 augusti, pontif. II, erecta fuit universitas studii generalis in civitate S. Iacobi de Leon de Caracas in Indiis Occidentalibus; et huius Pontificis constit. edit. MDCCXXVII, die 1 iulii, pontif. IV, erigitur in civitate Camerinensi.

licae fidei praesidium cognoscimus in Domino expedire.

Causae praesentis erectionis.

§ 1. Exponi siquidem nobis super fecerunt dilicti filii capitulum et canonici cathedralis ecclesiae, ac universus clerus civitatis et dioecesis Caesenatensis, quod (cum in civitate Caesenatensi, ultra universitatem studii generalis dudum inibi vigentem, in qua sacra theologia, ius cannnicum et leges civiles, philosophia, logica et medicina publice docentur, praeleguntur, duo collegia, unum nempe iuristarum, et alterum physicorum et medicorum, quae ex antiquâ Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum concessione privilegia conferendi lauream doctoralem in suis respective facultatibus fruuntur, erecta reperiantur, solumque collegium theologorum desit) ipsi exponentes, sacrae theologiae studia Ecclesiae Dei ac personis ecclesiasticis in primis necessaria esse animadvertentes, eiusmodi collegium theologorum, quorum sufficiens copia in dictâ civitate nunc habetur, duodecim doctoribus seu magistris constans, institui, ipsique collegio, pro maiori etiam eorum et praecipue pauperum, qui dictae sacrae theologiae sedulam operam navaverint, commoditate, personas idoneas ad doctoratus seu magisterii aliosque gradus in eâdem sacrâ theologiâ promovendi facultatem tribui plurimum desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Erectio praedicta.

§ 2. Nos igitur, qui in minoribus constituti ecclesiae Caesenatensis regimini sex annos praefuimus, et ex eo tempore illam, ac clerum, civitatem et dioecesim Caesenatensem propensiori semper respeximus et etiamnum respicimus paterni amoris affectu, et ad ea, quae publicae illorum utilitati ac decori conducibilia fore prospicimus, favorabiliter intendentes, ipsorumque exponentium votis in praemissis peculiari charitate annuere volentes, ac illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus eorum inclinati, unum in praedictâ civitate Caesenatensi collegium theologorum, quod duodecim personis ecclesiasticis in sacrâ theologiâ magistris, octo nimirum saecularibus, et quatuor cuiusvis Ordinis societatis, instituti regularibus, de quorum numero canonicus praebendam theologalem in ecclesiâ Caesenatensi obtinens, ac sacrae theologiae in dictâ universitate lector publicus, nunc et pro tempore existentes, semper esse debeant, constituatur atque iugiter constet, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, sine alicuius praeiudicio, perpetuo erigimus et instituimus.

Conceditur eis quaedam facultas.

§ 3. Praeterea praefato theologorum collegio, ut quoscumque, qui, peracto studiorum sacrae theologiae curriculo ac praevio rigoroso examine habiles et idonei ad id reperti fuerint, ac servatis servandis, ad doctoratus seu magisterii aliosque gradus scholasticos in eâdem sacrâ theologiâ promovere, eisque solita graduum huiusmodi insignia conferre libere et licite possit et valeat, itaut sic promoti et graduati omnibus et singulis gratiis, praerogativis ac privilegiis fruantur et gaudeant, quibus gaudent et fruuntur qui in publicis universitatibus ad eosdem gradus promoti sunt, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus.

Deputatur episcopus Caesenatensis praeses eiusdem collegii.

§ 4. Porro venerabilem fratrem modernum et pro tempore existentem episcopum Caesenatensem in eiusdem collegii theologorum caput et praesidentem, cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis etiam professionem fidei, a promovendis seu graduandis huiusmodi iuxta articulos a Sede Apostolicâ propositos emittendam, per se seu suum in spiritualibus vicarium generalem recipiendi, dictâ auctoritate, harum serie, facimus, constituimus et deputamus, statuentes, ut, sede episcopali Caesenatensi vacante, vicarius capitularis praefatae ecclesiae Caesenatensis pro tempore legitime deputatus eiusdem episcopi vices in praemissis suppleat.

Clausulae.

§ 5. Ac decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigeri attentari.

Cum derogatoriis.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, civitatis et universitatis praedictorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 7. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis etc.[1]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xx aprilis MDCCXXV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 20 aprilis 1725, pontif. anno I.

LVI.

Confirmatur decretum quoddam consultae generalis clericorum regularium Ministrantium Infirmis, pro Hispaniae provinciâ[2].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio facti.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Pecrez Moreno, Congregationis clericorum regularium Ministrantium Infirmis pro provinciâ Hispaniae consultor generalis, quod religiosi dictae provinciae fere ab initio eius fundationis usque ad haec tempora consueverunt, et quasi pro lege, incumbere fideliter doctrinae S. Thomae Aquinatis, et ob id provinciae huiusmodi studiosi multorum annorum spatio scholas publicas Ordinis fratrum Praedicatorum in universitate studii generalis complecten.[3] frequentarunt; et quia in his novissimis temporibus aliqui ex dictis religiosis scholam Thomisticam, ad effectum amplectendi contrariam, deserere moliebantur, dictus Franciscus ab eius superiore generali unâ cum consultâ decre-

1 Reliqua ut pag. 72 *a* (R. T.).

2 Innocentii XII const. ed. MDCXCIII, die 13 maii, pontif. II, confirmatur erectio novae provinciae Hispaniae eorumdem clericorum, cum redintegratione provinciae Bononiensis.

3 Sic edit. Main.; forsan *Complutensi* (R. T.).

tum, per quod cum praecepto formali iniungitur omnibus praedictae provinciae religiosis ut eorum laudabilem morem addiscendi religiose eamdem doctrinam S. Thomae retineant, formari obtinuit tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum praedictum.

Reperitur in actis consultae generalis clericorum regularium Ministrantium Infirmis decretum sequens: « Cum[1] nobis exploratum sit, aliquem ex nostris in Hispaniâ a[2] scholis ex[3] doctrinâ Angelici praeceptoris discessum moliri: nos (quibus cordi est ea, quae ad studiorum incrementum et felicitatem pertinent, pro viribus adimplere, illamque doctrinam illic addisci et doceri, quam nostri tum collegiales tum lectores e solis divi Thomae fontibus hactenus ebiberunt), his aliisque gravissimis causis permoti, et ne quis sub quovis praetextu audeat, contra laudabilem priscorum consuetudinem ibi adhuc vigentem, aliò divertere, omnibus et singulis ex nostris philosophiae et theologiae studiis operam navantibus praesentibus et futuris districte mandamus, etiam sub formali praecepto sanctae obedientiae, cuius violationis absolutionem soli reverendissimo patri nostro generali pro tempore reservamus, ut imposterum ad praedictam dumtaxat doctrinam incumbant, et sive in nostris sive in cuiusque universitatis scholis illam unice doceant, addiscant et defendant. Mandantes insuper provinciali aliisque quibuscumque pro tempore Hispaniarum superioribus quacumque dignitate fulgentibus, ut executioni praesentis huius nostri decreti omnino studeant, neque illi quoque modo contraveniri permittant, sub poenâ suspensionis a suis respective officiis ipso facto incurrendae, aliisque nobis arbitrariis; illudque de more in omnibus illius provinciae domibus publicari, affigi et registrari curent. Datum Romae, in aedibus nostris S. Mariae Magdalenae, die III aprilis MDCCXXIII ». — Ita est: PHILIPPUS RUFFI secretarius generalis.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Franciscus praemissa, quo firmius subsistant, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsum Franciscum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac ipsum decretum observari mandamus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Cum derogatoriis.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Congregationis et provinciae praedictarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus

1 Vocem *cum* nos addimus (R. T.).
2 Praeposit. *a* delenda (R. T.).
3 Potius lege *a* pro *ex* (R. T.).

pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI aprilis MDCCXXV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 21 aprilis 1725, pontif. anno I.

LVII.

Statuitur, ut in Italià, eique adiacentibus insulis, parochis defunctorum, qui in ecclesiis regularium sepulturam elegerint, quarta funeralis persolvi debeat [1].

**Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad futuram rei memoriam.**

Exordium.

Romanus Pontifex, aequi bonique supremus assertor, auctoritatem a Christo per beatum Petrum apostolorum [2] culmen sibi traditam intelligens ut ex agro dominico pro temporum necessitate noxia evellat et destruat, utiliaque plantet ac aedificet, ea interdum, quae a praedecessoribus suis ob rationabiles et iustas causas olim sancita fuerunt, ubi in grave aliorum praeiudicium et detrimentum redundare cognoscit, atque dissidiis et contentionibus fomentum praebere animadvertit, maxime inter Dei et Ecclesiae ministros quorum est evangelizare pacem et quibus a Domino non aliud frequentius neque enixius commendatur quam ut pacem ac unitatem diligant, moderari et immutare, aliasque pastoralis officii sui partes desuper interponere solet, prout, rerum, locorum, temporumque circumstantiis mature pensatis, discordiarum extinctioni, ecclesiasticorum ministrorum quieti, fidelium animarum saluti, divinoque cultui conspicit salubriter expedire.

Aliàs regularibus concessum ne huiusmodi quartam funeralium partem parochis persolvere tenerentur regulares.

§ 1. Sane quamplures Romani Pontifices praedecessores nostri, multiplicia ac plane insignia considerantes merita Ordinum regularium, qui militantem in terris Ecclesiam fortissimis omni tempore auxerunt praesidiis, viris nempe vitae sanctitate, doctrinae laude, ac orthodoxae religionis zelo praestantibus, eidemque in caelis triumphanti eximii fulgoris lumina addiderunt, ipsos Ordines eorumque professores plurimis satis amplis indultis et privilegiis benigne decorarunt, ac inter alia iis illud concesserunt, ut canonicam portionem seu quartam funeralium emolumentorum partem, pro personis quae in eorum ecclesiis sepulturam sibi eligerent, parochis persolvere minime tenerentur; ac, ad maiorem eiusmodi privilegii firmitatem, sanctioni etiam a felicis recordationis Clemente V praedecessore nostro editae in concilio Viennensi, et relatae in Clementinà *Dudum de sepultur.*, necnon Concilii Tridentini decreto relato in cap. XIII, sess. XXV *De Reform.*, praedictam quartam funeralium parocho aperte reservantibus, non semel amplissime derogarunt; unde non acerbae modo parochorum querelae, sed innumerae etiam contentiones atque lites inter eos et regulares super solutione eiusdem quartae diversis temporibus excitatae fuerunt, quae coram Ordinariis locorum, et deinde in variis quoque almae Urbis nostrae tribunalibus, praesertim vero in auditorio palatii nostri apostolici et in Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium praefati Concilii Tridentini interpretum, magno partium studio nec

1 Hac de re vide Innocentii XIII const. ed. MDCCXXII, die 26 augusti, pontif. II.

2 Edit. Main. legit *apostolum* (R. T.).

minori sumptuum incommodo discussae, sicut accepimus, aliquando ad favorem parochorum, aliquando autem ad favorem regularium, pro diversis causarum circumstantiis atque vario iudicantium sensu, decisae ac definitae fuerunt. Haec porro iudicatorum sententiarumque diversitas, cum nullam certam ac determinatam constituerit regulam in evenientibus casibus observandam, magnum plane fomentum et ansam relinquit, imo et latam sternit viam ulterioribus inter praedictos regulares et parochos litibus et controversiis, ex quibus ipsi, qui in domo Dei ambulare debent cum consensu, novis de cetero perturbari dissidiis novisque praegravari dispendiis possunt, cum divini cultus detrimento et scandalo plurimorum.

Causae praesentis constitutionis.

§ 2. Quocirca nos, maxime expedire censentes ut eiusmodi controversiae et lites ab Ecclesiâ Dei penitus arceantur, ac insuper, licet universos Ordines regulares, in quibus, nempe in Ordine fratrum Praedicatorum, nos ipsi plurimum[1] annorum spatio versati sumus, speciali paternae charitatis affectu prosequamur, eosque, uti de Ecclesiâ, Catholicâ Fide et Sede Apostolicâ optime meritos, praecipuo semper in honore ac pretio habuerimus et habeamus, nihilominus, considerantes exemptionem a solutione quartae funeralis praefatis Ordinibus a dictâ Apostolicâ Sede concessam modo vergere in maximum parochorum praeiudicium, tum propter multiplicationem conventuum et monasteriorum regularium, tum etiam propter auctam devotionem et consuetudinem fidelium sepulturam eligendi in ecclesiis praedictorum regularium, ac proinde non modo consentaneum, sed etiam necessarium arbitrantes ut eorumdem parochorum, quibus ceteroquin sacri canones et prisca Ecclesiae disciplina aperte suffragantur, indemnitati opportune consulatur, et antedicta apostolica privilegia ad aequitatis limites reducantur:

Privilegium praedictorum regularium exemptionis semper a solutione quartae funeralis abrogatur.

§ 3. Hinc igitur est quod nos, omnia et singula memorata privilegia exemptiva a solutione quartae funeralis, quibusvis Ordinibus, congregationibus ac institutis regularibus ab Apostolicâ Sede, ut praefertur, quandocumque et quomodocumque concessa, praesentibus pro pleno et sufficienter expressis habentes, ac de eorum tenore et substantiâ satis superque instructi, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, et aliquot etiam Romanae Curiae praelatorum a nobis ad id specialiter deputatorum consilio, suadentibus etiam episcopis et aliis ecclesiarum praelatis in praesenti sacro concilio congregatis, ac insuper motu proprio, ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione, praemissa omnia privilegia quoad quartam funeralem tantum pro locis infra exprimendis moderamur, reformamus, ad viam[1] iuris reducimus, et, quatenus opus sit, etiam revocamus et abrogamus, neque cuiquam deinceps suffragari posse vel debere decernimus.

Statuitur, ut supra, parochorum favore, cum quibusdam explicationibus.

§ 4. Praeterea motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus sancimus, statuimus et mandamus, ut in Italiâ eique adiacentibus insulis, a die publicationis praesentis constitutionis in futurum, parochis defunctorum, qui in ecclesiis quorumcumque regularium praedictorum tumulabuntur, persolvatur et cum effectu tradatur quarta pars omnium intorticiorum et candelarum, quibus defuncti cadaver in itinere ad ecclesiam tumulantem associabitur, necnon omnium

1 Legendum *plurium* vel *plurimorum* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *vitam* pro *viam* (R. T.).

intorticiorum et candelarum quae in eâdem ecclesiâ circa cadaver vel etiam in altaribus in die funeris accendentur. A praedictâ tamen quartâ funerali exceptae intelligantur et sint candelae, quas sacerdotes, etiam regulares, vel piarum sodalitatum confratres, funus associantes, manualiter per viam accensas deferent. Quod si funus non fieret in die tumulationis, sed ad diversam diem vel ad aliud longius tempus differetur, parocho nihilominus assignetur quarta pars omnium intorticiorum et candelarum, quae ipsâmet peracti funeris die in ecclesiâ, ubi defunctus humatus fuit, circa coenotaphium seu tumulum honorarium atque etiam in altaribus eiusdem ecclesiae accensa fuerint. Haec porro omnia locum habeant et exacte in posterum observentur, quotiescumque defunctus extra suam parochialem ecclesiam tumuletur vel exponatur, sive quia in ecclesiâ tumulante vel exponente beneficium obtinuerit, sive quia ibidem sepulchrum habuerit gentilitium, sive tandem quia in eâ sepulchrum elegerit. Ceterum sub praedictâ quartâ funerali comprehendi non intendimus, imo expresse ab eâ excipimus, legata missarum et anniversariorum, hisque similia pia relicta ad favorem ecclesiae tumulantis vel exponentis a defuncto disposita; circa quae, ac omnia et singula alia, de quibus in praesenti constitutione mentio facta non fuerit, privilegia, praedictis regularibus Ordinibus ab Apostolicâ Sede concessa, salva prorsus, illaesa ac inviolata perpetuo permanere, et ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inconcusse ac irrefragabiliter observari debere, volumus, decernimus et mandamus. Ubi vero consuetudines legitimae probatae, conventiones, concordiae vel statuta vigerent, quae praefatis parochis magis faverent, illisque pinguiorem praedictâ quartâ emolumentorum funeralium portionem assignarent, ea in iis in quibus vigent locis inconcusse ab omnibus observari, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, sancimus, praecipimus et iubemus.

Clausulae.

§ 5. Decernentes pariter, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedictorum Ordinum regularium superiores, vel quicumque alii in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, seu causae, propter quas praesentes emanarint, adductae, verificatae seu aliàs iustificatae non fuerint, vel etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, aut alio quovis praetextu, et ex quocumque capite, colore et causâ, etiam necessario exprimendâ, de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quopiam defectu notari, impugnari, in toto vel in parte rescindi, retractari, invalidari, in ius vel controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, seu adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut quodcumque aliud iuris vel facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu eo impetrato quemquam uti seu se iuvare in iudicio vel extra nullatenus posse; sed eas semper validas, firmas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari debere, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum dicti palatii apostolici auditores et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet

quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus, necnon quorumvis Ordinum praedictornm, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros eisdem Ordinibus, ut praefertur, illorumque superioribus et professoribus quibuscumque, sub quibusvis verborum tenoribus et formis, ac cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, et aliis efficacioribus et insolitis clausulis et decretis irritantibus, etiam motu simili et consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones, ac alia etiam speciali expressione digna, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis ac servatis respective habentes, hac vice dumtaxat, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Mandatur publicatio praesentium litterarum.

§ 7. Ut autem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas seu earum exempla ad valvas ecclesiae Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum, necnon Cancellariae Apostolicae Curiaeque generalis in Monte Citatorio, ac in acie Campiflorae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari, sicque publicatas et affixas, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent; utque ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud, ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum voluntatis, declarationis, reformationis, moderationis, concessionis, assignationis, praecepti, sanctionis, mandati et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXV, quarto kalendas maii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 28 aprilis 1725, pontif. anno I.

LVIII.

Conceditur christifidelibus facultas applicandi indulgentias, anno iubilaei

durante suspensas, per modum suffragii animabus defunctorum[1].

Benedictus Papa XIII,
universis christifidelibus salutem
et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Salvatoris et domini nostri Iesu Christi, qui de sinu Patris ad infima mundi descendens et formam servi accipiens in arâ Crucis pro humani generis redemptione pretiosissimum sanguinem suum effundere dignatus est, vices quamquam immeriti gerentes in terris, ad ea libenter intendimus, per quae fidelium defunctorum animae, hoc potissimum tempore, expiationis scilicet et veniae, remissionis et gratiae, eiusdem domini nostri Iesu Christi eiusque Sanctorum suffragia meritorum uberius consequi, et illis adiutae ex purgatorii poenis ad aeternam salutem per Dei misericordiam perduci valeant.

Alias ab eodem Pontifice indulgentiae omnes, anno iubilaei durante, suspensae fuere.

§ 1. Cum itaque nos occasione praesentis anni iubilaei omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones quomodolibet concessas, dicto anno durante, sub certis modo et formâ tunc expressis, per nostras sub plumbo expeditas litteras suspenderimus, ac postmodum sub generali suspensione huiusmodi neque indulgentias altarium privilegiatorum pro fidelibus defunctis, nec alias quascumque eodem modo pro solis defunctis concessas venire, sed quas vivi sibi lucrari possent cum facultate illas per modum suffragii animabus ipsorum defunctorum in purgatorio existentibus applicandi comprehensas esse, inter alia declaraverimus, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis die II mensis martii proxime praeteriti confectis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expressô ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, plenius continetur.

Concessio praedicta.

§ 2. Nunc vero fidelium devotioni animarumque eorumdem defunctorum refrigerio peramplius consulere cupientes, ac declarationem a nobis, sicut praemittitur, editam ampliantes et extendentes, omnibus et singulis christifidelibus, quod quascumque indulgentias et peccatorum remissiones, ut praefertur, suspensas (iniuncta tamen in illarum concessionibus pietatis opera peragendo, ac firmâ remanente pro vivis earum suspensione), ad effectum illas animabus fidelium defunctorum, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii hoc anno iubilaei durante directe applicandi, etiamsi eas sic applicandi facultas in concessionibus praedictis concessa non fuerit, consequi libere et licite possint et valeant, in omnibus et per omnia, perinde ac si suspensio praefata a nobis non emanasset, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Clausulae.

§ 3. Non obstantibus suspensione huiusmodi, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVIII aprilis MDCCXXV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 28 aprilis 1725, pontif. anno I.

LIX.

Statuitur ut per Italiam et insulas adiacentes provisi de beneficiis mediam

1 Dicta suspensio facta fuit constit. edit. MDCCXXIV, die 6 iulii, pontif. I; et const. edit. MDCCXXV, die 2 martii, pontif. I, declaratur quasdam indulgentias in dictâ suspensione non comprehendi.

1 Reliqua ut supra pag. 59 b (R. T.).

annatam solvere teneantur fabricae suarum respective ecclesiarum[1].

Benedictus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Pius et misericors Dominus, qui, dum pro peccatis nostris irascitur, misericordiae recordatur, templa dominica construi et divinis precibus consecrari voluit et praecepit, in quibus cum hominibus habitat, ut plebs fidelis, per oblationes et pacificas hostias devotae orationis, iram iudicis mitiget, ipsius clementiam humiliter postulando. Ne igitur domos Dei, quas decet sanctitudo et quarum decorem summopere diligendum sacra eloquia testantur, propter temporum iniuriam collabi, in peius ruere, minusque decenter retineri contingat, sacros canones modis omnibus providere non omiserunt.

Causae praesentis constitutionis.

§ 1. Verumtamen experientia ostendit, quod dolenter dicimus, hactenus constituta haud sufficienter praesidio fore ut sacrarum legum vota adimpleantur. Quamobrem, cum ad universalis Ecclesiae pastorem pertineat vigili curâ in re tam sanctâ, in qua nulla sollicitudo nimia videri potest, nova subministrare subsidia, praesertim ubi de reparandis, iisve debito modo conservandis ecclesiis cathedralibus agitur et collegiatis, in quibus fidelis populus frequentius ad orandum convenire solet, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et aliquot insuper dilectorum filiorum Romanae Curiae praelatorum, quos ad id specialiter deputavimus, consilio, ac etiam motu proprio, ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, decernimus, praecipimus et mandamus, per totam Italiam et insulas adiacentes, ut in posterum provisi de canonicatibus et beneficiis, tam residentialibus non curatis, computatis etiam incertis, non excedentibus valorem annuum scutorum centum monetae romanae, quam non residentialibus et simplicibus sitis extra ecclesias collegiatas, teneantur solvere et respective deponere mediam annatam pro fabricâ ecclesiae cathedralis; provisi vero de canonicatibus et beneficiis tam residentialibus non curatis, computatis etiam incertis, non excedentibus valorem annuum scutorum centum monetae praefatae, quam non residentialibus et simplicibus sitis in ecclesiis collegiatis, vel ad illas translatis, itidem teneantur solvere et respective deponere mediam annatam pro fabricâ ecclesiae collegiatae: sive beneficia praedicta liberae collationis, sive iurispatronatûs mixti ac etiam laicalis fuerint, et ad quemcumque electio, collatio, institutio et provisio pertineat, sive nimirum ad metropolitanum vel Ordinarium, sive ad capitulum, sive ad alium quemcumque inferiorem; dummodo collationis, institutionis et provisionis Sanctae Sedis minime existant, aut etiam legitima non vigeret consuetudo solvendi, dimittendi fructus sex mensium, aut similem, non tamen minorem, ratam favore fabricae vel sacristiae; utroque enim in casu pro fabricâ praedictâ nihil solvendum aut[1] deponendum erit.

Statuit et in fabricâ.

§ 2. Ut autem praemissa, quae ad consulendum debito metropolitanarum et cathedralium ac collegiatarum ecclesiarum decori disposita dignoscuntur, suum sortiantur effectum, praecipimus et mandamus, quod mediae annatae huiusmodi deponantur penes personam

Praecipitur ut dictae mediae annatae penes aliquem deponantur, a quo investiri debeant pro dote eiusdem fabricae.

1 Innocentii XI const. edit. MDCLXXXIII, die 27 septembris, pontif. VIII, indicuntur quaedam decimae super fructibus et beneficiis ecclesiasticis in Italiâ et insulis adiacentibus.

1 Edit. Main. legit *ut* pro *aut* (R. T.).

idoneam ab episcopis cum scientiâ et consensu capitulorum deputandam, et successive ab eisdem, deficiente necessitate occurrendi reparationi ecclesiae, investiantur et collocentur in stabilibus et fundis seu capitalibus tutis, securis atque fructiferis, ac, ubi fieri poterit, in locis montium cameralibus non vacabilibus pro dote fabricae singularum ecclesiarum praedictarum, ac eiusmodi dotium annuus proventus non in alium usum quam reparationis, conservationis et manutentionis fabricae earumdem ecclesiarum ab uniuscuiusque praesulibus, cum scientiâ pariter et consensu suorum capitulorum, in occurrentibus casibus erogetur, et quotiescumque dictas ecclesias reparatione non indigere constiterit, annui etiam fructus et fructuum fructus dotium praedictarum in aliis stabilibus fundis et capitalibus tutis atque fructiferis, ac respective in aliis locis montium eodem prorsus modo investiantur et collocentur, ad hoc ut ipsaemet dotes maiora in dies, benedicente Domino, suscipiant incrementa, adeoque earum redditus supportando reparationis fabricae ipsarum ecclesiarum oneri satis esse possint.

Statuuntur nonnulla pro rectâ et fideli earumdem dotium administratione.

§ 3. Ceterum super praemissis omnibus, et praesertim super iis quae rectam et fidelem praefatarum dotium administrationem respicient, eorumdem archiepiscoporum, episcoporum et praelatorum inferiorum, atque etiam capitulorum conscientiam peculiariter et districte oneramus; ac insuper, quoties archiepiscopi, episcopi vel Ordinarii inferiores, ac respective capitula, in aliquo ex his defecerint, itaut vel ratione minus fidelis idoneique depositarii, aut ex causâ non facti vel minus tuti et exinde deperditi investimenti, aut demum propter erogata capitalia vel fructus in alios usus, aliquod praeiudicium emerserit patrimonio fabricae, ipsi archiepiscopi, episcopi vel Ordinarii inferiores, et respective capitula et singuli canonici qui defecerint, eorumque haeredes et successores, teneantur ad omnia damna et interesse favore praedictae fabricae; eorumdemque bona omnia pro potiori cautelâ affecta sint et specialiter hypothecata favore eiusdem fabricae.

Declaratur per hanc constitutionem minime tolli episcopis onus reparandi ecclesias cathedrales.

§ 4. Quoniam vero nostrae mentis non est per hanc nostram constitutionem, ut praemisimus, sacrorum canonum statuta et praesidia minuere, sed, quantum in Domino possumus, augere favore ecclesiarum, declaramus et expresse volumus firmissimum nihilominus manere onus reparandi, restaurandi et manutenendi ecclesias cathedrales episcopis a iure iniunctum, itaut in restaurandis, reparandis et conservandis ecclesiis cathedralibus, antequam tangantur fructus seu capitalia favore fabricae vigore huius constitutionis conficienda, teneantur episcopi, et ad normam sacrorum canonum exquiratur de eorum obligatione.

Pariter decernitur hanc eamdem editam esse pro ecclesiis Italiae et insularum adiacentium.

§ 5. Praetereaque decernimus habere favore omnium ecclesiarum et collegiatarum totius Italiae et insularum adiacentium, tametsi pro nonnullis ecclesiis editae fuerint aliquae provisiones, sicuti per felicis recordationis Innocentium Papam XIII praedecessorem nostrum pro tribus ecclesiis, nempe Auximanâ, Viterbiensi et Tuscanensi, et per nos hactenus pro quatuor, scilicet Nuscanâ, Vigilienâ, Castellanatensi, et Sypontinâ, mediante unione ratae pensionis super fructibus earumdem ecclesiarum, actum fuisse constat[1], et in universum pro ecclesiis regni Neapolitani emanavit[2] constitutio sanctae memoriae Innocentii XII etiam praedecessoris nostri, incipiens

1 Ed. Main. legit *constet* (R. T.).
2 Aptius lege *emanaverit* (R. T.).

Inscrutabili, et supervenerit alia nostra ampliativa incipiens *Sacrosancti apostolatus*.

Excipitur ab hac constitutione dioecesis Beneventana.

§ 6. Excipimus tamen ab hac constitutione beneficia nostrae archidioecesis Beneventanae; dudum enim eorum respectu per aliam nostram constitutionem incipientem *Romanus Pontifex*, confirmando, declarando et ampliando antiquam constitutionem felicis recordationis Pii Papae II pariter praedecessoris nostri, simile iniunximus beneficiis in universâ archidioecesi existentibus.

Excipiuntur pariter quaedam aliae dioeceses.

§ 7. Volumus autem quod huic nostrae constitutioni seu solutioni mediae annatae praedictae minime subiecta existant beneficia illarum dioecesum et respective collegiatarum, in quibus reperitur opus seu peculiare patrimonium fabricae sufficienter instructum, aut onus seu obligatio reparandi, restaurandi et conservandi ecclesias residet penes communitates locorum, vel adsunt dictarum ecclesiarum patroni, qui, nisi reparare et manutenere velint easdem ecclesias, earum patronatum amittere debent: cum enim in his satis consultum sit reparationi et conservationi ecclesiarum, volumus [1] aliud superaddere beneficiatis impendium, quod urgeret [2] in sublevamen eorum qui de iure tenentur.

Clausulae.

§ 8. Decernentes, easdem praesentes ac praeinsertas litteras semper validas, firmas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quavis praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatoriae peculiares.

§ 9. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, necnon constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutis, usibus, stylis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibuscumque, sub quibusvis, tenoribus et formis, et cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus et consistorialiter, ac aliâs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones, ac alia etiam speciali expressione digna, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis ac reservatis respective habentes, hac vice dumtaxat, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse deroga-

1 Videtur legendum *nolumus* (R. T.).

2 Forsan *vergeret* legendum pro *urgeret* (R. T.).

mus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Mandatur publicatio harum litterarum.

§ 10. Ad hoc autem ut praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, et nemo illorum ignorantiam allegare valeat, volumus illas seu earum exempla ad valvas ecclesiae Lateranensis, ac basilicae Principis Apostolorum, necnon Cancellariae apostolicae Curiaeque generalis in Monte Citatorio et in acie Campiflorae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari, sicque publicatas et affixas, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent; utque ipsarum praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, approbationis, innovationis, ampliationis, restitutionis, reintegrationis, decreti, declarationis, statuti, voluntatis, mandati, constitutionis, assignationis, praecepti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXV, IV kalendas maii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 28 aprilis 1725, pontif. anno I.

LX.

Confirmatur quaedam Gregorii XV constitutio de non recipiendis fratribus Congregationis Galliae Tertii Ordinis S. Francisci provinciae S. Ioannis, cum eius ampliâ extensione[1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Aliàs a Gregorio XV statutum, ne superiores aliorum Ordinum reciperent quemcumque professum dictae Congregationis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius modernus procurator generalis provinciae S. Ioannis Tertii Ordinis sancti Francisci de Poenitentiâ nuncupatae Congregationis Galliae, quod dudum felicis recordationis Gregorius Papa XV praedecessor noster, per quasdam suas in simili formâ Brevis expeditas litteras, ne quis praelatorum, aut superiorum, seu fratrum aliorum Ordinum Mendicantium quemquam dicti Tertii Ordinis professum sub quovis praetextu et colore, absque eiusdem Congregationis ministrorum provincialium licentiâ in scriptis, recipere auderet, sub poenâ excommunicationis, aliisque censuris et poenis ecclesiasticis arbitrio suo infligendis, interdixit et prohibuit; et nihilominus, cum anno MDCLVI, die XI decembris, tunc existens vicarius generalis totius Ordinis eiusdem sancti Francisci Spiritui a S. Antonio presbytero expresse professo dictae provinciae transitum ad Ordinem fratrum Minorum de Observantiâ provinciae Parisiensis permisisset, Congregatio tunc existentium S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita eumdem transitum nullum et invalidum tamquam praedictis Gregorii praedecessoris litteris contrarium per suum decretum die III augusti MDCLVII emanatum declaravit; novissime vero fratres Minores de Observantiâ supradictae provin-

[1] Hac de re legatur dicta costitutio Gregorii XV, quae hic citatur; Clementis XI constit. edit. MDCCVIII, die 9 augusti, pontif. VIII, agitur de electione vicegeneralis eorumdem fratrum provinciae Lugdunensis.

ciae Parisiensis, sub praetextu cuiusdam decreti subreptitii ministri generalis Ordinis huiusmodi, Iosephum Seigneur, laicum seu conversum expresse professum memoratae provinciae S. Ioannis, receperunt; sed idem minister generalis, attendens et reflectens ad easdem Gregorii praedecessoris litteras, et ad cap. II num. 4 constitutionum, decretum supradictum revocavit, nullumque, irritum et invalidum die XVI maii anni proxime praeteriti per suas litteras ministro provinciali dictae provinciae S. Ioannis directas declaravit.

Causae praesentis confirmationis et extensionis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, his tamen non obstantibus, certi religionis quidem fratres dyscoli huius austerae, quae semper in viridi observantiâ viget, iugum aegre ferentes, litteras ipsius Gregorii praedecessoris nullum nunc habere locum, ex eo quod a nobis confirmatae non fuerint, temerarie asseverare non dubitent, itaut nonnulli eiusdem provinciae religiosi cum decretis subreptitie aut obreptitie ab hac Sanctâ Sede obtentis ad alias religiones tam Mendicantes quam non Mendicantes a parvo tempore transiverint, suoque pessimo exemplo maximum aliis dyscolis similis translationis litteras apostolicas obtinendi pruritum aviditatemque causaverint; ac proinde dictus procurator, haec omnia cum maximo suo dolore perpendens, supradictas Gregorii praedecessoris litteras apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri et ut infra indulgeri plurimum desideret:

Confirmatio ut in rubricâ.

§ 3. Nos, specialem ipsi procuratori gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praefatas Gregorii praedecessoris litteras, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; illas etiam extendimus, prohibendo, ne fratres memoratae provinciae S. Ioannis in posterum ad quascumque alias religiones, sive Mendicantes sive non Mendicantes, absque licentiâ in scriptis pro tempore existentis ministri provincialis, vel inconsulto illius provinciae procuratore, transire possint.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis, quae in praeinsertis Gregorii praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die II maii MDCCXXV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 2 maii 1725, pontif. anno I.

LXI.

Statuuntur nonnulla circa clericos beneficiatos in habitu laicali incedentes[1].

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium, quo demonstratur clericos decentem habitum deferre debere.

Apostolicae Ecclesiae regimini per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, praesidentes, eò potissimum apostolicae vigilantiae studia dirigenda esse arbitramur, ut, qui in sortem Domini vocati sunt ecclesiasticaeque militiae nomen dederunt, ubique irreprehensibiles inveniantur. Maxime siquidem ipsos decet vitam moresque suos omnes ita componere, ut habitu, gestu, incessu aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum ac religione plenum praeseferant. Quocirca clericos quoscumque, praesertim vero beneficia ecclesiastica obtinentes, teneri vestes honestas et proprio congruentes ordini semper deferre, ut, per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant, et, si secus fecerint, etiam poenâ privationis beneficiorum plectendos esse, sacrae Tridentinae Synodi decretis pluribusque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum sanctionibus provide atque salubriter cautum sit[2].

Causae praesentis constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut non sine maximo animi nostri moerore, imo etiam horrore, percepimus, quorumdam clericorum beneficia ecclesiastica obtinentium audacia et temeritas hodie eousque processerit, ut in dedecus ordinis clericalis, sacrorum canonum contemptum, magnamque animarum suarum perniciem incedere in habitu laicali minime vereantur: nos, gravissimo huic abusui et christifidelium offensioni pro pastoralis officii debito, quantum nobis ex alto conceditur, opportune consulere cupientes, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et aliquot insuper dilectorum filiorum Romanae Curiae praelatorum, quos ad id specialiter deputavimus, consilio, ac etiam motu proprio, ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione decernimus, statuimus et mandamus, quod Ordinarii locorum, ubi sita sunt beneficia eiusmodi, clericorum vestes laicales deferentium impudentiam canonicis remediis omnino coërceant, et hunc in finem non modo possint, sed etiam debeant contra ipsos procedere per citationes domi dimissâ copiâ, quatenus domicilium habeant in eorum respective dioecesibus, sin minus, per citationes ad valvas, iurisque ordine servato, sententiam declaratoriam privationis obtentorum beneficiorum in ipsos ferre et pronunciare, ita tamen ut eadem beneficia, iuxta constitutionem felicis recordationis Sixti V praedecessoris nostri incipientem *Cum sacrosanctam*, nostrae ac Romani Pontificis pro tempore existentis collationi, provisioni ac omnimodae dispositioni reserventur et reservata censeantur.

Statuitur ut Ordinarii locorum contra praedictos procedant.

Decernitur eosdem clericos teneri sub poenâ lethalis culpae ad restitutionem fructuum e beneficiis perceptorum.

§ 2. Praeterea volumus, statuimus et declaramus praedictis clericis beneficiatis in habitu laicali incedentibus minime licere percipere nec facere suos fructus et proventus quoscumque suorum beneficiorum, cuiuscumque generis, speciei, qualitatis et valoris existant: quin etiam expresse decernimus ac sancimus eiusmodi beneficiatos, ex mero facto incessûs

1 Constit. edit. MDCCXXIV, die 23 septembris, pontif. I, confirmata et innovata fuit const. Innocentii XIII super ecclesiasticâ disciplinâ in regnis Hispaniarum.

2 Aptius lege *est* vel *fuit* (R. T.).

in habitu clericali[1], quamvis nulla praecesserit Ordinariorum sententia declaratoria, privationis beneficiorum, quae obtinent, imo, etiamsi nulla citatio, monitio, vel alius iudicialis actus in eos fuerit institutus, ipso iure amissionis et privationis fructuum praedictorum poenam incurrere, itaut illos ullo modo percipere nec perceptos retinere vel facere suos possint, sed ipsos absque ullâ prorsus diminutione ad commodum fabricae ecclesiarum, in quibus erecta sunt beneficia, illico sub poenâ lethalis culpae restituere teneantur; a qua quidem restitutionis obligatione a nemine praeterquam a nobis et Romano Pontifice pro tempore existente (sublatâ ceteris omnibus, etiam Poenitentiariae Apostolicae officio et maiori poenitentiario, condonandi facultate) eos absolvi et liberari posse volumus, praecipimus et mandamus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque semper firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, quomodolibet in futurum inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuntios, aliosve quoslibet quavis praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, necnon constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutis, usibus, stylis et consuetudinibus immemorabilibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, aut quavis firmitate aliâ roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibuscumque, sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones, ac alia etiam speciali expressione digna, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis ac servatis respective habentes, hac vice dumtaxat, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Ut autem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas seu eorum exempla ad valvas ecclesiae Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum, necnon Cancellariae apostolicae Curiaeque generalis in Monte Citatorio, ac in acie Campiflorae de Urbe, ubi moris est, affigi et publicari, sicque publicatas et

1 Potius lege *laicali* (R. T.).

affixas, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent; utque ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam [1] hanc nostrae voluntatis, sanctionis, praecepti, mandati et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXV, VI nonas maii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 2 maii 1725, pontif. anno I.

LXII.

Conceditur Congregationi Benedictinae Augustanae communicatio privilegiorum Congregationis Cassinensis quoad gratias spirituales tantum [2].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Pastoralis officii, quod auctore Deo gerimus, debitum exigit, ut, paternam christifidelium diviinis obsequiis sub suavi monasticae vitae iugo mancipatorum curam gerentes, felicibus eorum in vineâ Domini progressibus, quantum nobis ex alto conceditur, consulere iugiter studeamus [1].

Exponitur petitio.

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Rupertus, abbas monasterii Ottobruani et visitator principalis Congregationis Benedictinae Augustanae sub regulâ S. Benedicti, etiam nomine dilectorum filiorum Amandi abbatis monasterii Heresheimensis praesidis et ceterorum abbatum dictae Congregationis, nobis nuper exponi fecit, dicta Congregatio octo monasteriis unitis constet, ipse vero Rupertus abbas ipsi Congregationi eiusque monachis easdem gratias, exemptiones, indulta, indulgentias, favores, privilegia, saltem ad res spirituales et salutem animarum spectantia, quibus Congregatio Cassinensis monachorum Ordinis praedicti gaudet, per nos concedi plurimum desideret:

Concessio praedicta cum quibusdam ordinationibus.

§ 2. Nos, ipsius Ruperti abbatis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, dictosque Rupertum abbatem aliosque abbates specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum, qui relationem dilecti pariter filii moderni procuratoris

1 Vocem *paginam* nos addimus (R. T.).

2 Clementis XI const. edit. MDCCXIV, die 6 octobris, pontif. XIV, concessa fuerunt privilegia omnia Congregationum Benedictinorum Congregationi monachorum Bohemiae illiusque membris in Moraviâ et Silesiâ; et huius Pontificis constit. edit. [illegible]CCXXVII, die 1 aprilis, pontif. IV, confirmantu[illegible]stitutiones dictae Congregationis Augustanae.

1 Edit. Main. legit *studemus* (R. T.).

generalis memoratae Congregationis Cassinensis super praemissis eisdem cardinalibus factam attenderunt, consilio, praedictae Congregationi Benedictinae Augustanae monachorum Ordinis S. Benedicti, illiusque monasteriis, monachis et personis, nunc et pro tempore existentibus, petitam communicationem privilegiorum, quoad gratias spirituales tantum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus; ita tamen ut huius concessionis praetextu ius aliquod in temporalibus ipsi Congregationi Benedictinae Augustanae collatum minime intelligatur, nec eius monachi in Italiam venientes idem communicationis privilegium praetendant ut in monasteriis Congregationis Cassinensis recipiantur et in eis habitare velint, sed iis tantum hospitalitatis officiis sint contenti, quae secundum eamdem regulam S. Benedicti ceteris monachis dicti Ordinis, non tamen huius Congregationis Cassinensis, exhiberi solent; ac salvâ semper in praemissis auctoritate Congregationis cardinalium.

Clausulae. § 3. Non obstantibus nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV maii MDCCXXV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 4 maii 1725, pontif. anno I.

LXIII.

Confirmantur quaedam resolutiones capituli generalis Congregationis Bethlehemitarum in Indiis Occidentalibus[1].

Benedictus Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Bartholomaeus a Cruce, praefectus generalis, aliique vocales nuperi capituli generalis Congregationis fratrum Bethlehemitarum nuncupatorum in Indiis Occidentalibus, quod, licet in constitutionibus dictae Congregationis a felicis recordationis Innocentio Papa XI anno MDCLXXXVII confirmatis praescriberetur, ut officium praefecti generalis eiusdem Congregationis ad sexennium tantum duraret, nihilominus in illius capitulo generali anno MDCCIV celebrato stabilitum fuerat officium praedictum perpetuum seu ad vitam electi esse debere, ac diversa alia decreta praedictis constitutionibus plane contraria edita fuerant, adversus quae, plurium hospitalium seu domorum dictae Congregationis nomine, habito ad hanc Sanctam Sedem recursu, et negotii cognitione per recolendae memoriae Clementem Papam XI praedecessorem nostrum Congregationi tunc existentium S. R. E. cardinalium negotiis et consultationis episcoporum et regularium praepositae demandatâ, et ab eâ tribus eiusdem Congregationis cardinalibus ad id specialiter deputatis remissâ, re mature discussâ, die XII aprilis MDCCIX prodiit ab eiusmodi Congregatione particulari trium cardinalium decretum tenoris sequentis, nimirum:

In capitulo generali MDCCIV diversa decreta plane constitutionibus Congregationis contraria edita fuere.

Revocatis decretis asserti capituli generalis in eâ parte in qua sunt contraria constitutionibus apostolicâ auctoritate confirmatis, serventur omnino eaedem constitutiones, et archiepiscopo Limano pro executione et convocatione capituli, cui praesideat per se sive per alium, cum omnibus facultatibus sacrae Congregationis, et, quatenus tunc temporis archiepiscopus obierit, exequatur et praesideat vicarius capitularis.

[1] Haec Congregatio, quae prius erat confraternitas, erecta fuit ab Innocentio XI, et eius constitutiones novae confirmatae constit. edit. MDCLXXXVII, die 26 martii, pontif. XI.

Quod quidem decretum ipse Clemens praedecessor per suas in simili formâ Brevis die XXV maii MDCCX expeditas litteras approbavit.

Deinde ab eisdem fratribus dictae Congregationi particulari variae instantiae propositae fuere, quae ab eadem reiectae sunt, et mandatum ut votum proximi capituli generalis exquireretur.

§ 2. Subinde vero coram eâdem Congregatione particulari cardinalium variae instantiae pro parte procuratorum dictae Congregationis fratrum, qui tunc in almâ Urbe degebant, promotae fuerunt: nempe, quia constitutionibus praefatis expresse cavebatur neminem in eiusmodi Congregatione, qui in aliquo ex sacris ordinibus constitutus foret, admitti, nullumque fratrem ex admissis, vel deinceps admittendis, ad illos promoveri posse, quod tribueretur facultas sacerdotes admittendi, vel fratres ad eosdem sacros ordines promovendi, quodque superioribus ac ipsimet praefecto generali dictae Congregationis interdiceretur, ne qui eidem Congregationi inserviissent, seu donati, ut vulgo appellant, fuissent, in illâ admitterent: et insuper, cum in eisdem constitutionibus disponeretur, convocationem vocalium ad electionem futuri praefecti generalis ad vicarium generalem spectare, et contingere posset dictum vicarium generalem vel decedere, vel legitimo impedimento, quominus ad eiusmodi convocationem procedere valeret, detineri, petitum fuerat decerni quod tunc et eo casu pertineret ad assistentem antiquiorem capitulum generale convocare et illi praesidere: ac demum, eveniente obitu vice-praefectorum generalium provinciarum Limanae aut Mexicanae, seu praefecti cuiuscumque provinciae, praefectus noviter electus munus vice-praefecti generalis ad formam earumdem constitutionum, etiamsi confirmationem suae electionis a memorato praefecto generali nondum obtinuisset, exercere posset. Verum praefata Congregatio particularis cardinalium huiusmodi instantias ac petitiones die XXXI ianuarii MDCCX admittere noluit, sed votum proximi capituli generalis desuper exquiri mandavit. Cumque interim, sub obtentu quod dilectus filius frater Rodericus a Cruce tunc assertus praefectus generalis dictae Congregationis fratrum non fuerat auditus in propositione habitâ die XII aprilis MDCCIX coram eâdem Congregatione particulari cardinalium, carissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, retentis supradictis Clementis praedecessoris litteris, partes ad eumdem Clementem praedecessorem, ut ab eo voluntatem suam super praemissis certius explorarent, remisisset, porrectoque ipsi Clementi praedecessori pro parte dilecti etiam filii fratris Michaëlis a Conceptione dicti fratris Roderici procuratoris supplici libello, et iterum commissâ rei cognitione eidem Congregationi particulari cardinalium, die V februarii MDCCXIV emanavit ab eâ decretum per alias ipsius Clementis praedecessoris in pari formâ Brevis die XXII decembris subsequentis confectas litteras itidem confirmatum, quo, persistendo in decisis quoad revocationem decretorum in capitulo generali anno MDCCIV, ut praefertur, editorum, et convocationem dicti capituli generalis, mandavit per vota secreta in eodem proximo capitulo generali exquiri, num expediret dictae Congregationi fratrum officium praefecti generalis in posterum fore ad sexennium, seu potius novennium, exclusâ omnino illius perpetuitate.

Resolutiones praedicti capituli generalis MDCCXXI ad cuius votum omnia remissa fuerant.

§ 3. Quamobrem capitulo generali huiusmodi anno MDCCXXI in civitate Limanâ celebrato, illique praesidente venerabili fratre archiepiscopo Limano, post peractam electionem dicti praefecti generalis, discussa in eo ac resoluta fuerunt enarrata puncta in hunc modum, videlicet:

Resolutio prima circa tempus generalatus aliorumque officiorum Ordinis.

Fuit primo loco exquisitum votum, an expediret generalis Ordinis durare debere ad novennium vel ad sexennium; et resolutum fuit unanimiter quod deberet esse novennale, et quod omnia pariter officia illorum, qui in capitulo generali eliguntur, prout sunt assistentes generales et assistentes particulares utriusque regni, debebunt etiam esse ad novennium, servatis tamen quoad electionem superiorum localium constitutionibus Ordinis praecipientibus quod istae fiant de triennio in triennium.

Resolutio secunda circa novos praefectos, quoad religiosos ad sacerdotium promovendos.

Postmodum fuit processum ad exquisitionem votorum eiusdem capituli generalis super aliis punctis ad illum remissis a Congregatione particulari die XXXI ianuarii MDCCX, et fuit secundo loco exquisitum an expediret habere in religione religiosos, qui promoverentur ad sacerdotium; ac communibus suffragiis resolutum fuit expedire sub sequentibus tamen conditionibus: prima, quod nemo possit promoveri ad sacerdotium nisi post elapsum decennium a die ingressus in religionem; secunda, quod ad effectum se promovendi ad sacerdotium nullâ directe vel indirecte uti possit mediatione alterius personae pro obtinendâ licentiâ a patre generali et assistentibus generalibus, sed proponi debeat a patre vice-praefecto generali et assistentibus, qui debeant patri generali eiusque definitorio illas personas significare, quas huiusmodi dignitatem promoveri posse crediderint; tertia, quod si aliter quispiam ad sacerdotium fuerit promotus, ipso facto incurrat in suspensionem a divinis, a qua nonnisi per summum Pontificem absolvi possit, et habilitatio peti nequeat, nisi praecedente beneplacito definitoris generalis; quarta, quod teneantur quotidie celebrare et applicare sacrificium iuxta intentionem praefecti localis et iuxta obligationes communitatis illius domus, et quod, si pro celebratione aliquam eleemosynam receperint, teneantur illam tradere in manibus ipsius praefecti localis ubi missae celebrantur, vel cuius subditus fuerit ille qui extra conventum celebraverit, sub poenis contra proprietarios inflictis; quinta, quod in quolibet conventu non adsint, nisi duo sacerdotes, et in domibus, quae sunt matrices, tres ad effectum supplendi in casum obitus in aliis conventibus; sexta, et casu quo, de licentiâ etiam patris generalis et assistentium, maior numerus promoveretur, sic promoti non possint celebrare nisi superveniente vacatione alicuius loci per obitum alterius sacerdotis; septima, quod sacerdotes, ut supra promoti, debeant in omnibus sequi vitam regularem ac deferre coronam clericalem ad instar sacerdotum Ordinis S. Ioannis Dei, quodque nunquam nec per breve temporis spatium possint esse praefecti generales, nec ullam praelaturam habere supremam seu ordinariam, nec ex dispensatione patris generalis, nec definitorii generalis, nec cuiuscumque alterius superioris, sed quod solummodo possint esse discreti conventuum, magistri novitiorum, et assistentes provinciae; octava denique, quod si aliquis sacerdos saecularis aegrotus in hospitalibus degens peteret pro suâ devotione admitti ad habitum religionis antequam obiret, possint pater generalis et definitorium concedere licentiam alicui de praefectis localibus pro huiusmodi admissione, accedente tamen consensu illius communitatis, non obstante quod in eodem conventu adsint alii duo sacerdotes ut supra.

Resolutio tertia circa donatos.

Tertio loco exquisitum fuit votum eiusdem capituli generalis, an pater praefectus generalis vel quicumque alius superior possint in religione recipere illos, qui inservierunt eidem religioni, seu fuerint, ut vulgo dicitur, *Donados*: et resolutum extitit per communia suffragia non posse.

Resolutio quarta: Cui convocatio capituli pertineat.

Quarto loco propositum fuit, an in casu obitus praefecti generalis, quando ad eum pertineret convocare capitulum, seu concurrente quocumque alio legitimo impedimento, in aliquo ex istis casibus convocatio capituli pertinere debeat ad assistentem antiquiorem: et pariter resolutum fuit quod in casu obitus patris generalis seu vicarii generalis, vel in casum gravis infirmitatis eos legitime impedientis, seu quacumque aliâ legitimâ causâ concurrente, ius convocandi capitulum generale et in eo praesi-

dendi pertineat ad patrem assistentem generalem antiquiorem, seu, eo impedito, ad alios assistentes, iuxta eorum antianitatem, vel ad alios locales qui sequuntur, attentâ semper eorum antianitate.

Resolutio quinta de praefectis qui nondum confirmationem obtinuerint.

Quinto atque ultimo loco propositum fuit, an in casum obitus vice-praefectorum generalium Limae aut Mexici, seu praefecti[1] cuiuscumque alterius provinciae, praefectus noviter electus, etiamsi confirmationem suae electionis a patre praefecto generali adhuc non obtinuerit, possit exercere munus vice-generalis; et similiter per secreta suffragia resolutum fuit quod in casum mortis naturalis uniuscuiusque ex vice-praefectis generalibus, praefectus noviter electus, unâ cum assistentibus generalibus illius regni, gerere ea omnia possit, quae a constitutionibus vice-praefectis generalibus conceduntur, donec advenerit eius confirmatio, quae, si iustis de causis denegata fuerit, adhuc omnia per ipsum gesta valida sint et plenarium suum effectum consequi debeant.

Confirmatio relatarum resolutionum.

§ 4. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefatae resolutiones pro salubriori eiusdem Congregationis fratrum directione ac regularis in eâ disciplinae progressu in dicto capitulo generali communi vocalium suffragio factae fuerint, ac exponentes praedicti easdem resolutiones, tametsi aliquae earum supradictis constitutionibus adversentur, apostolicae confirmationis patrocinio communiri plurimum desiderent: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, eorumdem exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere cupientes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui relationem dilecti filii nostri Ludovici ipsius S. R. E. cardinalis Pici nuncupati, etc., praedictae Congregationis fratrum apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, iura distributa et votum dilecti filii Caroli Augustini dictae S. R. E. pariter cardinalis Fabroni nuncupati ponentis sibi desuper exhibitae viderunt, consilio, praeinsertas capituli generalis resolutiones, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, iuxta modum tamen infra dicendum, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui in eis quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clarius declarantur praedictae resolutiones, eisque quaedam ordinationes adduntur.

§ 5. Ita scilicet, ut, quoad secundam conditionem secundi capitis dictarum resolutionum, imponatur ista lex, nempe quod promovendus proponatur a vice-praefecto et assistentibus, si sit de regno ubi residet idem vice-praefectus; si vero sit de regno ubi residet praefectus generalis, proponatur a superiore et capitulo conventuali domus quae sit de sacerdote providenda: ex tertiâ conditione eiusdem secundi capitis dematur verba illa: « quod peti nequeat habilitatio, nisi praecedente beneplacito definitorii generalis »: ex quartâ conditione omittatur particula *quotidie*: sextae autem conditioni addatur « poenâ privationis vocis activae et passivae respectu superiorum post expletum eorum novennium », et ex illâ dematur suspensio respectu promotorum, dummodo sine eorum culpâ fuerint supra

[1] Edit. Main. legit *praefectus* (R. T.).

numerum promoti: quo vero ad tertium caput earumdem resolutionum, firmâ remanente prohibitione respectu cuiuscumque superioris, et additâ poenâ nullitatis professionis, si secus factum fuerit, detur facultas capitulo generali admittendi ad habitum *donatos*, quatenus expedire censuerit: ac demum, quoad quintum caput, addantur verba: « dummodo sacris canonibus ac constitutionibus dictae Congregationis fratrum non sint contraria »: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 6. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac dictae Sedis nuncios iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Cum derogatoriis

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quoad ea quae praesentibus adversantur, dictae Congregationis fratrum, illiusque provinciarum, domorum seu hospitalium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV maii MDCCXXV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 4 maii 1725, pontif. anno I.

LXIV.

Declaratur qui fratres a Congregatione S. Sabinae dimitti possint, qui in provinciâ Lombardiae Ordinis Praedicatorum recipi debeant[1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Praedictam Congregationem ab Innocentio XII erectam esse refertur.

§ 1. Aliàs, sicut accepimus, felicis recordationis Innocentius Papa XII praedecessor noster, per quasdam suas in simili formâ Brevis, die XIV iunii MDCXCV expeditas litteras, diversos in eisdem litteris expressos conventus provinciae Lombardiae Ordinis fratrum Praedicatorum, eorumque fratres et personas quascumque, cum omnibus et singulis illorum membris, iuribus et pertinentiis universis, ab omni et quacumque iurisdictione, superioritate, correctione, visitatione, regimine, curâ et gubernio pro tempore existentis prioris provincialis eiusdem provinciae tam in temporalibus quam in spiritualibus perpetuo exemit; ipsosque conventus in novam Congregationem sub titulo S. Sabinae provinciae utriusque Lombardiae eiusdem Ordinis nuncupandam, quae pro

1 Haec Congregatio erecta fuit ab Innocentio XII const. edit. MDCXCV, die 14 iunii, pontif. IV, quae hic recensetur; et huius Pontificis constit. edit. MDCCXXVI, die 5 iunii, pontif. III, subiiciuntur omnes conventus huius Congregationis provinciali utriusque Lombardiae.

tempore pariter existenti magistro generali sive eius loco in Romanâ Curiâ residenti vicario generali Ordinis huiusmodi immediate subiacere deberet, itaut in illam nulli alii ipsius Ordinis superiores, praeterquam dictae Congregationis vicarius ceterique illius praelati iuxta morem deputari soliti potestatem aliquam valerent exercere, pariter perpetuo erexit; in quibus conventibus ad praedictam Congregationem sic erectam et institutam spectantibus fratres omnes ad regulae, quam professi fuerant, praescriptum exacte vitam instituere et componere, atque illa, quae communem vitam, victum et vestitum concernebant, iuxta Concilii Tridentini et recolendae memoriae Clementis Papae VIII praedecessoris itidem nostri decretorum tenorem, fideliter et inviolabiliter observare deberent; voluitque idem Innocentius praedecessor, ut ipsi Congregationi de idoneo vicario generali ex fratribus alicuius ex conventibus ipsius Congregationis a magistro generali praefato de biennio in biennium provideretur, qui eamdem prorsus iurisdictionem et auctoritatem haberet in conventus et fratres praedictae Congregationis, quam, iuxta apostolicas et dicti Ordinis constitutiones, priores provinciales habent in suis provinciis; posset quoque idem vicarius quoscumque fratres Ordinis praefati undecumque venientes suscipere, et eis de conventibus Congregationis praedictae per deputationem vel assignationem providere, quod tamen criminosis iuxta dicti Clementis praedecessoris decreta nullatenus prodesse valeret, non autem intelligerentur iidem fratres Congregationi huiusmodi incorporati, nisi post quadriennium, eoque durante, si ad suos conventus vel provincias redire voluissent, licentia eis abeundi libere concederetur.

Ab eoque inter alia cautum, ut fratres dictae Congregationis, discedere ab ea volentes, difficiliter quidem, dimitterentur.

§ 2. Praeterea nulli ex fratribus dictae Congregationis, sive intra eam habitum suscepisset, sive aliunde, si per quadriennium, ut praefertur, incorporatus fuisset, permitteretur transire ad conventus extra suam Congregationem, nisi de licentiâ vicarii, unâ cum consilio sex graviorum patrum eiusdem Congregationis; quae tamen licentia non facile daretur, sed omnimoda diligentia et charitatis officia adhiberentur, ut abire volentes in suscepto vitae instituto confirmarentur; quod si adhuc in discedendi voluntate permansissent, tandem dimitterentur, ne aliis impedimento forent: et aliàs, prout in ipsius Innocentii praedecessoris litteris praedictis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Narrantur querelae exortae inter vicarium Congregationis praedictae et priorem eiusdem provinciae Lombardiae super dictis fratribus dimissis.

§ 3. Subinde vero, sicut nobis etiam innotuit, delatis pro parte vicarii generalis Congregationis praefatae ad Congregationem tunc existentium S. R. E. cardinalium et eiusdem Romanae Curiae praelatorum super disciplinâ regulari specialiter auctoritate apostolicâ deputam querelis, quod prior provincialis dictae provinciae Lombardiae fratres e dictâ Congregatione ad[1] se dimissos recipere renueret, die XII martii MDCCIX emanavit ab ipsâ Congregatione cardinalium et praelatorum decretum, ut liceret vicario generali praefato dimittere fratres e dictâ Congregatione, praeviâ tamen notificatione dimissionis faciendâ dicto priori provinciali, qui dimissos in alio conventu statim collocare, et locum destinationis factae eidem vicario notificare teneretur; quamobrem praefatus prior provincialis omnes fratres e dictâ Congregatione dimissos, nedum

1 Posset forsan quis legere *ab* pro *ad* (R. T.).

qui in conventibus ipsius provinciae Lombardiae antea professi ad Congregationem supradictam translati et illi incorporati fuerant, sed etiam qui in eâdem Congregatione habitum susceperant, et ulterius aliquos, qui, durante incorporatione huiusmodi, vel habituales corporis ac etiam mentis passi erant infirmitates, vel criminibus obnoxii carceribus mancipati fuerant, exinde recipere coactus fuit, non sine ingenti dictae provinciae dispendio, gravique illius fratrum perturbatione: de quibus incommodis nos, utpote qui olim in minoribus constituti inclyto S. Dominici instituto in eâdem provinciâ Lombardiae nomen dedimus, apprime instructi fuimus.

Causae praesentis declarationis.

§ 4. Cum autem in memoratis Innocentii praedecessoris litteris vicario generali dictae Congregationis fratres quidem, qui in Congregatione praefatâ habitum suscepissent sive illi incorporati fuissent, aliquando, tametsi non facile, dimittendi tribuatur facultas; verum quò isti, qui habitum in eâdem Congregatione susceperunt, abire debeant, minime disponatur, prout quoque in enarrato decreto Congregationis cardinalium et praelatorum super disciplinâ regulari decernatur licere eidem vicario generali fratres e dictâ Congregatione dimittere, sed nulla fiat distinctio inter fratres, qui e provinciâ praedictâ eiusque conventibus in dictam Congregationem advenerint, illique incorporati fuerint, ab eis, qui in eâdem Congregatione habitum huiusmodi susceperint, et nihilominus priori provinciali praefato dimissos indiscriminatim recipiendi onus imponatur:

Declaratio praedicta motu proprio edita.

§ 5. Nos, attendentes, quod, quemadmodum aequum et iustitiae consonum est ut fratres ex conventibus dictae provinciae Lombardiae ad Congregationem praefatam accedentes, si ab eâ dimittantur, ad illos revertantur, ita rationi minime consentaneum sit, provinciam praedictam ad eos fratres, qui in eâdem Congregatione habitum susceperunt et dimissi fuerunt, recipiendos et alendos adstringi, ac propterea quamcumque dubitandi occasionem hac in re submovere, ac dictae provinciae Lombardiae, quam in paternae charitatis visceribus gerimus, levamini et indemnitati consulere, illiusque necnon praefatae Congregationis S. Sabinae religiosae tranquillitati opportune prospicere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, harum serie statuimus et ordinamus, quod, si deinceps per vicarium generalem Congregationis S. Sabinae dimittatur aliquis frater, qui e provinciâ Lombardiae eiusve conventibus in eâdem Congregatione venerit ac susceptus in illâ fuerit, tunc prior provincialis ipsius provinciae Lombardiae illum recipere, et in primaevo suae adfiliationis aliove dictae provinciae conventu collocare, necnon de tali collocatione vicarium generalem praefatum certiorare teneatur (nisi tamen agatur de dimissione fratris in praedictâ Congregatione recepti, qui ob crimina durante suâ permanentiâ in eiusmodi Congregatione commissa carceribus mancipatus, vel de eis inquisitus, aut habituali gravique mentis aut corporis infirmitate in eâdem Congregatione contractâ correptus reperiatur, quo casu istiusmodi fratrem, nisi post finitam causam adversus eum instructam per eius absolutionem ex capite innocentiae vel poenae illi iniunctae implementum, aut sanitatem receptam, respective dimitti non posse decernimus); quo vero ad fratres, qui habitum in dictâ Congregatione susceperint, vicarius generalis eis ab ipsâ Congregatione ab-

cundi licentiam concedere, illosve dimittere nequeat, nisi prius de invento benévolo receptore in aliquo conventu cuiusvis provinciae praefati Ordinis Praedicatorum legitime docuerit; ac hoc modo et cum eiusmodi discrimine de cetero in praemissis procedendum esse, nec non tam Innocentii praedecessoris litteras, quam decretum praefatae Congregationis cardinalium et praelatorum super disciplinâ regulari intelligenda fore, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, tenore praesentium, declaramus ac praecipimus et mandamus.

Clausulae peculiares.

§ 6. Decernentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta, etiam ex eo quod vicarius generalis praefatae Congregationis S. Sabinae, aliique quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas ipsae praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque quantumvis legitimâ, iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, ad viam seu terminos iuris vel constitutionum dicti Ordinis reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed easdem praesentes litteras semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et alios quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatoriae.

§ 7. Non obstantibus eiusdem Innocentii praedecessoris litteris ac decreto Congregationis cardinalium et praelatorum super disciplinâ regulari supradictis, aliisque costitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinis, Congregationis S. Sabinae, et provinciae ac conventuum huiusmodi, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordini, Congregationi S. Sabinae, et provinciae ac conventibus, illorumque respective magistro et vicario generali et provincialibus, aliisque superioribus, fratribus et personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et in-

solitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac aliàs[1] quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, confirmatis et approbatis, ac pluries et quantiscumque vicibus innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ac formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, iisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, harum serie, specialiter et expresse plenissime et amplissime derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die v maii MDCCXXV, pontificatus nostri, anno I.

Dat. die 5 maii 1725, pontif. anno I.

LXV.

Praecipitur abbatibus regularibus perpetuis, ut infra annum a die eorum electionis ab episcopis benedictionem suscipiant, vel saltem postulent[2].

**Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium. Commissi nobis caelitus apostolici ministerii sollicitudo nos admonet, ut omnium quidem christifidelium paternam geramus curam, sed eorum praesertim, qui, contemptis illecebris saeculi, sub suavi religionis iugo divinis sese obsequiis mancipanrunt, prospero statui salubrique directioni, quantum nobis ab alto conceditur, prospicere studeamus, et, si quid in regulari disciplinâ inordinatum et absonum vel a sacrarum legum sensu alienum inter eos irrepsisse constiterit, pontificiae providentiae et auctoritatis ope submovere ac e medio tollere satagamus, quatenus ipsi vota sua Domino reddere in sanctitate et iustitiâ, ac in eâ, quam elegerunt, tutioris vitae ratione, amplioribus in dies proficere valeant incrementis.

Causae praesentis constitutionis. § 1. Cum itaque, sicut accepimus, abbates regulares perpetui, non quidem ratione tituli, quia ad triennium, vel sexennium, aut aliud limitatum tempus eliguntur, sed ratione administrationis, quia ab unius monasterii regimine, expleto limitato tempore, transferuntur ad aliud, ab episcopis, in quorum dioecesibus sita sunt monasteria, benedictionem obtinere, imo et petere negligant: hinc est quod nos, gravi eiusmodi abusui pro pastoralis officii debito opportune consulere ac providere cupientes, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et aliquot insuper Romanae Curiae praelatorum super hoc a nobis specialiter deputatorum consilio, suadentibus etiam episcopis et aliis ecclesiarum praelatis in praesenti sacro concilio congregatis, necnon motu propio, ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione iniungimus, praecipimus et districte man-

[1] Edit. Main. legit *aliis* (R. T.).

[2] Huius Pontif. const. edit. MDCCXXVI, die 7 martii, pontif. II, decernuntur episcoporum regularium habitus et tonsura, determinaturque, ut, abdicato episcopatu, ad claustra revertantur.

damus omnibus et singulis abbatibus regularibus, licet perpetuis solummodo ratione administrationis, ut praefertur, qui monasteriis cuiuscumque Ordinis, congregationis ac instituti de cetero praeficientur, ut, infra annum a die eorum electionis computandum, solemnem benedictionem ab episcopis, in quorum dioecesibus monasteria consistunt, iuxta ritum in pontificali romano praescriptum, omnino suscipiant, vel saltem eam ter ab ipsis humiliter postulent, servatâ formâ sancitâ in cap. *Statuimus de supplend. neglig. praelator.* Quod si secus fecerint, ab officio per annum sint ipso iure suspensi. Volumus tamen et expresse declaramus quod ipsimet abbates electi, durante praefato termino, ac interim, omnia munia abbatialia libere ac licite exercere possint et valeant, quodque abbas semel benedictus iterum benedictionem petere vel obtinere non teneatur, tametsi ad gubernium diversorum monasteriorum aliarum etiam dioecesum translatus extiterit.

Decernitur quomodo se gerere debeant abbates, quibus concessa fuerit apostolica facultas suscipiendi benedictionem a quocumque antistite.

§ 2. Quoniam vero nonnulli ex praedictis abbatibus regularibus apostolicis, ut asseritur, muniti sunt privilegiis, quibus ampla ipsis tribuitur facultas suscipiendi benedictionem a quocumque, quem maluerint, catholico antistite gratiam et communionem Sanctae Sedis Apostolicae habente: nos, iustis et rationabilibus adducti rationibus, motu, scientiâ ac potestatis plenitudine paribus, statuimus atque decernimus, ut eiusmodi abbates in posterum, non a quocumque antistite, sed a dioecesano tantum episcopo, vel a metropolitano, infra praedictum terminum, benedictionem omnino suscipere teneantur; et quatenus ille, quem abbas elegerit, tertio humiliter requisitus ipsi petitam benedictionem impertiri detrectet aut negligat, tunc, et eo dumtaxat casu, eamdem benedictionem a quocumque catholico antistite abbas libere suscipere possit et valeat; ac ita perpetuis futuris temporibus ubique servari volumus et mandamus.

Et cui illa suffragare possit.

§ 3. Ceterum eiusmodi indulta exemptiva ab obligatione suscipiendi benedictionem a proprio episcopo illis dumtaxat abbatibus, quibus ab Apostolicâ Sede directe concessa fuerunt, iuxta modum supra expressum suffragentur: reliquis autem abbatibus, qui ea ex generali tantum privilegiorum aliis Ordinibus, congregationibus vel institutis concessorum communicatione sibi competere praetendunt, minime suffragari posse nec debere, decernimus et declaramus.

Quoad alios aliis indultis munitos.

§ 4. Quo vero ad abbates, quibus a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris indultum fuit ut a suis superioribus regularibus, vel ab eorum praelatis delegatis, benedictionem sumere possint, vel etiam per speciale indultum apostolicum concessum fuit ut electi habeantur pro benedictis ab ipso Summo Pontifice, nihil omnino innovandum esse sancimus, et apostolica, quibus gaudent, privilegia ubique inconcusse observari praecipimus et mandamus.

Inhibetur episcopis, ne intuitu huiusmodi benedictionum munera quaecumque accipere audeant.

§ 5. Universos demum episcopos, atque etiam archiepiscopos, a quibus benedictio tribuenda erit, eorumque officiales assistentes et ministros quoscumque in Domino hortamur ac admonemus, ut, occasione similium benedictionum, excutiant ac prorsus emundent manus suas ab omni munere: quin etiam praedictis praesulibus, sub poenâ interdicti ab usu pontificalium per annum, vetamus ac inhibemus, ne tam ante quam post easdem benedictiones, earumque intuitu, cuiuscumque generis aut speciei, etiam bellariorum et comestibilium, munera vel

xenia a quoquam recipere audeant, illisque praeterea districte iniungimus, ut ab omni abstineant solemni pompâ, quae sumptus quantumvis modicos, etiam prandii, secum ferat; cum eiusmodi sacrae functiones, ab internâ solidâque potius benedicentium ac benedicendorum religione et pietate, quam ab externâ et vanâ apparatus magnificentiâ, debeant commendari.

Clausulae.

§ 6. Decernentes, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti et alii quicumque in praemissis interesse habentes, vel habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, congregationis ac instituti existant, seu aliàs speciali notâ digni] illis non consenserint, et ad ea vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarint, adductae et sufficienter iustificatae non fuerint, sive ex aliâ quacumque quantumvis iustâ, legitimâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu vel capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis ac enormissimae laesionis, nullo unquam tempore impugnari, redargui, iufringi, in controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci posse, sed semper firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, quomodolibet in futurum inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et dictae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ, dignitate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Cum derogatoriis.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon ecclesiarum, monasteriorum, collegiorum, ordinum, congregationum et institutorum quorumlibet, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, usibus, stylis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibuscumque, Ordinibus, congregationibus ac institutis praedictis, eorumque monasteriis et abbatibus, sub quibusvis tenoribus et formis, et cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque tenoribus specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones, ac alia etiam speciali expressione digna, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis ac servatis respective habentes, hac vice dumtaxat, illis aliàs

in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Mandatur publicatio praesentium litterarum.

§ 8. Ut autem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seu earum exempla, ad valvas ecclesiae Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum, necnon Cancellariae apostolicae Curiaeque generalis in Monte Citatorio ac in acie Campiflorae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari, sicque publicatas et affixas, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent; utque ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in eccclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Infliguntur poenae in earumdem contradictores.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrae voluntatis, sanctionis, praecepti, mandati et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXV, pridie nonas maii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 6 maii 1725, pontif. anno I.

LXVI.

Conceditur capitulo metropolitanae ecclesiae Capuanae usus mitrae aliorumque insignium, instar capituli ecclesiae Beneventanae[1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In apostolicae dignitatis speculâ meritis licet imparibus per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam constituti, ad statum ecclesiarum omnium, quarum nobis a Domino commissa est sollicitudo, personarumque in eis Altissimo famulantium, propensis studiis animum iugiter intendimus, earumque decori et dignitati paternâ benignitate libenter prospicimus, sicut, omnibus maturae considerationis trutinâ perpensis, rationi consentaneum esse in Domino arbitramur.

Causa praesentis concessionis.

§ 1. Cum itaque, sicut dilecti filii capitulum et canonici metropolitanae ecclesiae Capuanae nobis nuper exponi fecerunt, eadem metropolitana ecclesia, in qua tres dignitates, decanatus nempe, archidiaconatus et primiceriatus, ac triginta sex canonicatus existunt, antiquitatis laude, patrimonii amplitudine, cleri, populique pietate et frequentiâ eximie floreat, templumque habeat magnificum ac apprime instructum, curâ et studio dilecti filii nostri Nicolai S. R. E. presbyteri cardinalis Caraccioli nuncupati dictae metropolitanae ecclesiae ex concessione et dispensatione apostolicâ praesulis, non sine gravi impensâ, novissime instauratum et innovatum, in quo multa corpora Sanctorum, ut pie creditur, asservantur, et in primis diversa in metropolitanâ ecclesiâ praefatâ concilia a

1 Clementis XI constit. edit. MDCCXVII, die 4 martii, pontif. XVII, ampliata fuerunt indulta capituli Patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis; et huius Pontificis constit. edit. MDCCXXVII, die 26 aprilis, pontif. III, fit facultas canonicis S. Petri de Urbe concedendi dimissorias subditis suarum abbatiarum etiam ad sacros ordines.

Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris olim celebrata fuisse, plurimosque vitae sanctitate ac virtute et meritis praeclaros, necnon amplissimâ cardinalatus dignitate insignes viros ex ipsius capituli gremio prodiisse iure glorietur, necnon multiplicibus a Sede Apostolicâ privilegiis ornata reperiatur; unum vero exponentibus praedictis mitrarum decus desit, quarum usu metropolitana ecclesia nostra Beneventana, arcto fraternae charitatis vinculo cum dictâ metropolitanâ ecclesiâ Capuanâ dudum coniuncta, ac aliae regni Neapolis etiam cathedrales ecclesiae ex concessione apostolicâ gaudere dignoscuntur, et, si exponentes praefati hac quoque praerogativâ donarentur, non modica exinde eis ecclesiaeque praefatae splendoris ac dignitatis fieret accessio, divinusque in eâ cultus ac populi devotio maiora in dies susciperet incrementa: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio praedicta. § 2. Nos igitur, qui dictam metropolitanam ecclesiam Capuanam peculiari semper prosecuti sumus et adhuc prosequimur devotionis affectu, ac vetere cum memorato Nicolao cardinali praesule etiam iungimur necessitudine, ipsorum exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere cupientes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas[1] fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, dignitates ac canonicatus in dictâ metropolitanâ ecclesiâ Capuanâ obtinentibus praesentibus et futuris, ut deinceps perpetuis futuris temporibus tam in civitate quam in dioecesi Capuanâ, etiam absente eodem Nicolao cardinali praesule seu pro tempore existente archiepiscopo Capuano, in missis, vesperis ac laudibus solemniter decantandis, ac etiam in processionibus seu supplicationibus, benedictionibus candelarum, cinerum, palmarum et fontis baptismalis, ac reliquis ecclesiasticis functionibus, in quibus sacra adhibentur paramenta, mitrâ aliisque indumentis et paramentis, in omnibus et per omnia ad instar dilectorum filiorum capituli et canonicorum supradictae ecclesiae Beneventanae, uti libere et licite possint et valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus, eisque in suis armis seu insigniis gentilitiis mitram apponi faciendi et addendi licentiam et facultatem etiam perpetuo tribuimus et impartimur.

Clausulae. § 3. Ipsos vero super praemissis a quoquam quovis praetextu, causâ et occasione molestari, perturbari aut impediri nullatenus unquam posse, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et dictae Sedis nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordina-

[1] Edit. Main. habet *absolutos* (R. T.).

tionibus, necnon, quatenus opus sit, praefatae metropolitanae ecclesiae Capuanae, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibusvis, in genere vel in specie, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et pluries innovatis, quibus omnibus et singulis, etiamsi pro eorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma[1], tenores[2] huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII maii MDCCXXV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 8 maii 1725, pontif. anno I.

LXVII.

Praescribitur Ordinariis Italiae insularumque adiacentium ut seminariorum erectionem promoveant, deque congruis redditibus provideant, cum nonnullis ordinationibus et erectione Congregationis super hac re[1].

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Creditae nobis caelitus dispensationis officium salubriter exequi, adiuvante Domino, satagentes, ad ea mentem curasque nostras convertimus, per quae sedulae clericorum institutioni opportune prospicitur. Ubi enim illi a teneris annis, ceu plantae novellae, benigniori curâ educentur, litterarumque scientiam[1] in seminariis accurate informentur, cum postea ad laboriosa ecclesiastica ministeria in viam dominicam transplantantur, ecclesiarum regimini populorumque saluti maxime fructuosos ac utiles esse diuturnâ plurimorum annorum experientiâ satis compertum habemus.

Causae praesentis constitutionis. § 1. Cum itaque seminarii ecclesiastici erectio, a sacrâ Tridentinâ Synodo, cap. XVIII, sess. XXIII *De reformatione*, episcopis omnibus tantopere commendata, et ad ecclesiasticam disciplinam conservandam adeo necessaria, in pluribus cathedralibus ecclesiis, quemadmodum non sine gravi animi nostri moerore accepimus, hucusque neglecta fuerit: nos, pro pastorali vigilantiae nostrae debito pium hoc et sanctum opus strenue promovere cupientes, motu proprio, ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, universis et singulis locorum Ordinariis Italiae, insularumque adiacentium, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione districte iniungimus, praecipimus et mandamus, ut in cathedrali-

1 Desunt verba *servanda foret* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *tenore* (R. T.).

1 De erectione et statutis seminariorum missionum pro fratribus Minoribus de Observantiâ, vide Innocentii XI const. edit. MDCLXXXVI, die 28 iunii, pontif. X, et huius Pontificis const. edit. MDCCXXVII, die 3 aprilis, pontif. II.
1 Aptius lege *scientiâ* (R. T.).

bus, in quibus seminarium hactenus erectum non fuit, illud quamprimum erigi ac omnino institui curent; ubi vero iam reperitur erectum, sed congruis redditibus ad alumnorum magistrorumque substentationem necessariis instructum non est, de iis, ut infra, opportune provideant.

Pro dictâ seminariorum erectione, eorumque substentatione, taxa conficienda praescribitur, ad cuius solutionem beneficia omnia teneri decernitur.

§ 2. Utroque igitur casu, nimirum tam pro erectione novi seminarii quam pro supplemento reddituum seminarii iam erecti, taxam cum consilio duorum de capitulo et totidem de clero conficiant a memorato Tridentino, cap. XVIII, sess. XXIII *De reformat.*, praescriptam, incipiendo ab integris fructibus mensae episcopalis, et absque ullo discrimine prosequendo iuxta normam ibidem expressam et provide constitutam; eidem vero taxae omnia et singula beneficia saecularia et regularia per quoscumque etiam venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales, necnon nostros et pro tempore existentis Romani Pontificis familiares et Camerae nostrae Apostolicae clericos, ministros ac officiales quoscumque praesentes et futuros obtenta, et in posterum obtinenda, ac omnia insuper beneficia saecularia prioratibus, commendis vel baiulivatibus[1] Ordinis fratrum sancti Ioannnis Hierosolymitani quomodocumque unita, aut de cetero unienda, necnon fructus ac redditus confraternitatum laicorum ex certis fundis et capitalibus provenientes (non autem summas pecuniarias, quae a confratribus quolibet mense vel anno, vel per modum eleemosynae vel in vim statutorum contribuuntur) subiici, et ad illius solutionem perpetuo teneri, decernimus, statuimus et mandamus; declarantes et ab eâ exemptos esse debere regulares pro iis tantum beneficiis vel fructibus, quorum ratione ipsis Apostolica Sedes diserte ac expresse et ex causâ vere ac

1 Edit. Main. legit *baiulatibus* (R. T.).

proprie onerosâ indulsit ut ab onere taxae pro seminario exempti sint.

Designatur praedicta taxa; atque eius exactor constituendus praecipitur.

§ 3. Porro eiusmodi taxa iuxta locorum qualitatem respondere debeat summae scutorum trium pro quolibet centenario proventuum beneficii, et, si necessitas urgeat, augeatur etiam usque ad summam quinque pro centenario, ita nunquam minor scutis tribus neque maior sit scutis quinque pro quolibet centenario et anno; ac in illius confectione regula a Tridentino Concilio in praedicto capitulo XVIII sancita accurate et adamussim observetur. Donec autem nova haec taxa confecta, et a Congregatione a nobis deputatâ, ut infra dicetur, approbata fuerit, alia taxa, quam seminarium antea exigere consueverat, omnino persolvatur. Ceterum novae taxae exactio semper committatur personae fide et facultatibus idoneae ab episcopo et cathedralis ecclesiae capitulo specialiter approbandae ac deputandae, ita quidem ut quoties exactor huiusmodi negligens aut minus idoneus repertus fuerit, illius culpam idem episcopus et capitulum praestare[1] debeant, et pro non exactis atque deperditis respective de proprio teneantur, liceatque seminario tam contra exactorem quam contra deputantes, eorumque haeredes, quocumque tempore agere, nedum pro deperditis, sed etiam pro non exactis ad praecisam taxae faciendae normam et quantitatem.

Penes quem omnes illam deponere teneantur.

§ 4. Praeterea episcopi et capitula portiones seu quotas sibi obtingentes iuxta praefatam taxam quolibet anno realiter et cum effectu deponere teneantur penes exactorem deputatum, qui eas solvat seu eroget in sumptus pro seminarii manutentione necessarios, et tam huius depositi quam successivae solutionis seu erogationis, simulque cuiusque alterius non factae, et qua de causâ,

1 Forsan *portare*, aut aliter corrige (R. T.).

documentum per eosdem episcopos et capitula ad antedictae Congregationis secretarium quotannis transmittatur.

Statuitur, ut, praeter taxam praedictam, si non sufficiat, possit etiam seminariis uniri beneficia quaecumque simplicia.

§ 5. Quod si in aliquâ dioecesi, computatis propriis seminarii redditibus, si qui sint, necnon beneficiorum antea cum effectu illi unitorum ac fructibus parvorum conventuum suppressorum praecedenter applicatis (quas quidem tum beneficiorum uniones tum applicationes fructuum parvorum conventuum firmas esse volumus), per huiusmodi etiam taxam erectioni et substentationi seminarii, ad necessitatem nimirum uniuscuiusque dioecesis et alumnorum, non autem ad promptum et voluntatem, sufficienter provideri nequiverit, tunc, et eo casu, ac in subsidium tantum, Ordinarii locorum eidem seminario unire et applicare possint ac debeant beneficia simplicia, cuiuscumque qualitatis et dignitatis fuerint, etiam iurispatronatus ecclesiastici, vel quomodocumque affecta et dispositioni Sedis Apostolicae reservata, sine tamen ullo divini cultus ac illa obtinentium praeiudicio. Haec porro unio fiat statim et ante eorumdem beneficiorum vacationem; nempe uniantur beneficia primo loco vacatura usque ad certam annui redditus quantitatem in ipsâ unione specificandam, quae, computatâ taxâ insufficienti, satis esse possit substentationi certi numeri alumnorum pro unoquoque seminario designatorum; ipsaque unio, statim ac beneficia praedicta quomodocumque vacaverint, debitum atque integrum sortiatur effectum, felicis recordationis Clementis VIII ac Urbani pariter VIII necnon aliorum quorumcumcumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus vel decretis in contrarium facientibus non obstantibus.

Declarantur beneficia quaedam ab hac unione exempta.

§ 6. Ceterum considerantes, monasteria, prioratus et beneficia consistorialia, necnon aliqua alia indispensabiliter necessaria esse ac fore pro congruâ substentatione S. R. E. cardinalium et ministrorum Romano Pontifici et Sedi Apostolicae actualiter inservientium, volumus et declaramus, quod abbatiae, prioratus et monasteria consistorialia seu beneficia quovis modo apostolicâ auctoritate commendata et ad praesens obtenta et in futurum obtinenda per[1] antedictos S. R. E. cardinales, seu veros et proprios Papae familiares, nuncios apostolicos, et praelatos Congregationum, quibus iidem S. R. E. cardinales intersunt, secretarios dumtaxat, memoratis seminariis uniri et applicari nunquam possint, et uniones, quas forsan fieri contigerit, nullae ac irritae prorsus sint: firmâ in reliquis remanente libertate et facultate uniendi (servatâ tamen formâ superius expressâ, et non aliter) cetera omnia beneficia, etiam, ut praefertur, affecta et reservata, vel aliàs ad provisionem ac dispositionem Sedis Apostolicae quomodolibet pertinentia.

Quae ut omnia perficiantur, Congregatio ex S. R. E. cardinalibus seminariorum nuncupanda, erigitur, cum amplis facultatibus.

§ 7. Cum autem, sicut accepimus, seminaria plerisque in locis ideo erecta minime reperiantur, vel quia episcopi taxam conficere detrectant, ne illam a semetipsis inchoare cogantur, vel quia beneficia simplicia, quorum dispositio ad eos libere spectat, occurrente illorum vacatione, suis familiaribus aliisve personis sibi gratis et benevisis conferre volunt: hinc est quod nos, omnem scrupulum et obicem impeditivum boni spiritualis ab huiusmodi seminariorum erectione provenientis e medio prorsus tollere ac removere intendentes, motu, scientiâ ac potestatis plenitudine paribus, Congregationem seminariorum nuncupandam, in qua venerabiles fratres nostri S. R. E. Congregationis[2] super ne-

1 Praeposit. *per* nos addimus (R. T.).
2 Edit. Main. legit *Congregationi* (R. T.).

gotiis et consultationibus episcoporum et regularium, necnon Congregationis[1] interpretum Concilii Tridentini praefati, utriusque Congregationis secretarii, datarius seu prodatarius ac subdatarius nunc et pro tempore existentes esse debeant, tenore praesentium perpetuo erigimus ac instituimus, eiusdemque Congregationis secretarium illum ipsum, qui Congregationis Concilii praedicti secretarius pro tempore fuerit, constituimus ac deputamus; praedictaeque Congregationi ac illius secretario omnium et singulorum seminariorum in locis, ubi adhuc erecta non sunt, erigendorum, et ubi erecta quidem sunt, sed sufficientes non habent redditus, iis pro modo indigentiae, ut praefertur, augendorum omnimodam curam committimus ac demandamus, necnon eiusdem Congregationis deputatis praedictis semel singulis mensibus, et quoties opus fuerit, se congregandi, dictorum seminariorum erectionem promovendi, iam erectorum et proventus recognoscendi, eorum necessitatibus opportune consulendi, taxas approbandi, reformandi et augendi, numerum alumnorum in singulis seminariis taxandi et praefigendi, eumque pro modo redditiuum[2] augendi et minuendi, statuta pro recto[3] felicique eorumdem seminariorum regimine et administratione condendi, eaque mutandi, variandi, corrigendi, ac, toties quoties illis expedire videbitur, de novo faciendi, emergentes controversias summarie, solâque facti veritate inspectâ, cognoscendi et definiendi, visitatores etiam (qui eiusmodi seminaria diligenter perlustrent, et an recte atque fideliter administrentur, ac in iis potissimum regulae a Tridentino Concilio praescriptae sedulo adimpleantur, inspiciant et recognoscant), ubi et quando et quoties opus esse iudicaverint, facto tamen prius verbo cum Romano Pontifice pro tempore existente, delegandi ac deputandi, aliaque in praemissis necessaria et opportuna, pro datâ ipsis a Domino prudentiâ, decernendi et gerendi et exequendi, plenariam atque omnimodam facultatem, potestatem et auctoritatem tribuimus, concedimus ac impartimur.

Iniungitur episcopis universis ut praedictam taxam conficiant, eamque ad praefatam Congregationem transmittant approbandam.

§ 8. Universis itaque episcopis, quorum in dioecesibus non adsunt, vel congruis redditibus instructa non sunt seminaria, per praesentes iniungimus et mandamus, ut quamprimum praefatam taxam sedulo conficiant, eamque ad antedictae Congregationis secretarium infra sex menses a die publicationis praesentis constitutionis computandos omnino transmittant unâ cum distinctâ et accuratâ relatione omnium beneficiorum suarum dioecesum eorumque annui valoris, necnon locorum animarumque et ecclesiarum in illis existentium, cum suis qualitatibus, ad hoc ut eadem Congregatio, omnibus mature perpensis, statuere possit an praedicta taxa approbari necne debeat, simulque numerum in unoquoque seminario retinendorum, et summam pro singulorum substentatione necessariam praescribere, et reliqua tandem omnia, quae pro rectâ eorumdem seminariorum administratione sedulâque alumnorum institutione utilia et opportuna iudicaverit, salubriter decernere valeat.

Inhibetur praedictis episcopis et officialibus seminariorum.

§ 9. Omnibus insuper episcopis praefatis, ne de cetero pro se vel suis vicariis, aut familiaribus quibuscumque, sub quovis colore et praetextu, habitatione, coquinâ, famulis, ministris aut officialibus seminarii, vel lectoribus, magistris, sacerdotibus, clericis, quo-

1 Edit. Main. legit *Congregationi* (R. T.).
2 Ed. Main. legit *redituum* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *recta* (R. T.).

quomodo inservientibus eidem seminario, et alumnis, vel a seminario salariatis, ac quomodocumque retentis, uti audeant, districte, sub poenâ interdicti ab ingressu Ecclesiae, vetamus ac inhibemus: non tamen per hoc prohibere intendimus episcopo pontificalia exercenti, ne caeremoniarum magistro vel sacerdotibus a seminario retentis uti possit: imo ut eorum operâ ac assistentiâ in huiusmodi sacris functionibus uti valeat, plenam ipsi episcopo tribuimus facultatem.

Sancitur quibus disciplinis alumni seminariorum erudiri debeant.

§ 10. Postremo, saluberrimae praefati Concilii dispositioni inhaerentes, volumus, praecipimus et sancimus ut in omnibus seminariis, tam hactenus erectis, quam in posterum erigendis, alumni grammatices, cantus gregoriani, computi ecclesiastici aliarumque bonarum artium tantum disciplinâ erudiantur, et Sacrae Scripturae, catechismi, aliorumque ecclesiasticorum librorum, praesertim vero de sacramentis sacrisque ritibus et caeremoniis tractantium, lectioni diligenter incumbant, ut, cum ad vineam Domini excolendam vocati fuerint, dignos, peritos utilesque operarios sese probare valeant, fructumque ei reddant uberrimum temporibus suis.

Clausulae.

§ 11. Decernentes, praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, obtinere, necnon praemissa omnia et singula in illis contenta per eos, ad quos spectat et in futurum quomodolibet spectabit, exacte et inviolabiliter observari, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet quacumque potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatoriae peculiares.

§ 12. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostris et Cancellariae Apostolicae regulis quibuscumque, et praefatis Clementis VIII et Urbani pariter VIII praedecessorum nostrorum aliisque apostolicis, etiam in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis ad favorem quarumcumque personarum editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quorumcumque Ordinum, congregationum, societatum et institutorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus, congregationibus, societatibus et institutis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, vel aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse dero-

gamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Mandatur publicatio harum litterarum.

§ 13. Ut autem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seu eorum exempla, ad valvas ecclesiae Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum, necnon Cancellariae apostolicae Curiaeque generalis in Monte Citatorio, ac in acie Campiflorae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari, sicque publicatas et affixas, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent; utque earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem ubique fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae oel ostensae.

Infliguntur poenae in has litteras infringentes.

§ 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum voluntatis, sanctionis, adscriptionis, prohibitionis, institutionis, deputationis, praefectionis, commissionis, mandati, décreti et derogationis infringere; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXV, VII idus maii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 9 maii 1725, pontif. anno I.

LXVIII.

Erigitur conventus Carmeli maioris Ordinis Carmelitarum, cum aliis quibusdam conventibus a provinciâ Terrae Laboris dismembratis, in novam provinciam Neapolitanam nuncupatam [1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Inter gravissimas apostolicae servitutis curas, quae animum nostrum assidue pulsant, in eam praecipue sollicitis studiis incumbimus, ut prospero felicique christifidelium in sortem Domini assumptorum et divinis obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatorum statui, regimini et progressui, quantum nobis ex alto conceditur, providere iugiter satagamus, ac proinde novas eiusmodi religiosorum virorum provincias interdum instituimus, sicut, rerum, locorum, personarum et temporum qualitatibus maturae considerationis trutinâ perpensis, ad omnipotentis Dei gloriam et religionis incrementum salubriter in Domino expedire arbitramur.

Narrantur dissidia inter provinciam Terrae Laboris et conventum praedictum, quae fuere causae huius dismembrationis.

§ 1. Innotuit siquidem nobis, quod, cum aliàs fratres provinciae Terrae Laboris in regno Neapolis Ordinis beatae Mariae de Monte Carmelo, absolutum dominium, quod fratres conventus Carmeli maioris nuncupati civitatis Neapolitanae provinciae et Ordinis praedictorum in universam provinciam huiusmodi illiusque conventus et fratres exercebant, ferre non valentes, ad Congregationem tunc existentium S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositam, ut multiplicibus gravaminibus, quae sibi per fratres memorati conventus inferri praetendebant, opportuno aliquo remedio occurreret, recursum habuissent,

1 Clementis XII const. ed. MDCCXXXI, die 27 ianuarii, pontif. I, confirmatur haec constitutio; et huius Pontificis const. ed. MDCCXXV, die 30 maii, pontif. I, idem conventus Carmeli maioris erigitur in collegium studii generalis pro provinciis regni Neapolitani.

et ab eadem Congregatione cardinalium die XVIII decembris MDCCXXIV decerni obtinuissent quatenus fratribus dictae provinciae aliquae in praefato conventu camerae, necnon conventus Capodichino nuncupatus, assignarentur, et e contra fratribus ipsius conventus Carmeli maioris per eamdem provinciam alius conventus aequivalens a dilecto filio priore generali dicti Ordinis designandus cederetur; fratres eiusdem conventus Carmeli maioris non solum eiusmodi decreto a memoratâ Congregatione cardinalium emanato sub variis praetextibus hactenus minime paruerunt, verum praefatae provinciae fratres gravius quam antea vexare perrexerunt; unde nova inter eos animarum dissidia non sine fraternae charitatis et regularis disciplinae detrimento enata fuerunt; quae, nisi opportunâ validâque ratione radentur, maximas in eamdem provinciam turbas ac ingentia mala et scandala facile invehere possunt.

Separatio dicti conventus cum quibusdam aliis a praedictâ provincia, motu proprio.

§ 2. Hinc est quod nos, eiusmodi contentionum causam et occasionem[1] penitus submovere, dictorumque conventuum ac fratrum in eis degentium paci et tranquillitati felicique directioni et incremento, quantum cum Domino possumus, providere cupientes, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eumdem conventum Carmeli maioris civitatis Neapolitanae, cum decem eius grangiis, nempe de Capodichino, Chiaia, Somma, Nolaum, Pusidipo, Isdano, Puteolano, Ottaiano, Grugnano et Arienzo, necnon quinque alios conventus de Pomigliano d'Aoro, Castrimaris, Nuceriae Paganorum, S. Eliae et Suestanum, provinciae et Ordinis praefatorum, ab eâdem provinciâ Terrae Laboris tenore praesentium perpetuo separamus et dismembramus; ipsosque conventus cum grangiis huiusmodi, eorumque respective fratres et personas quoscumque, cum omnibus et singulis illorum membris, iuribus et pertinentiis universis, ab omni et quacumque iurisdictione, superioritate, correctione, visitatione, regimine, curâ et gubernio dilecti filii moderni et pro tempore existentis prioris provincialis dictae provinciae tam in spiritualibus quam in temporalibus itidem perpetuo eximinus et plenarie liberamus; ac eosdem conventus cum grangiis praedictis sic separatos et dismembratos in novam provinciam dicti Ordinis, quae provincia Neapolitana nuncupari debeat, et capitula provincialia pro prioris provincialis, definitorum, aliorumque officialium ipsius provinciae electione, ac congregationes aliosque congressus ad instar aliarum provinciarum Ordinis huiusmodi celebrare, ac omnibus et singulis praerogativis, praeeminentiis, iuribus, honoribus, privilegiis, gratiis et indultis, quibus aliae eiusdem Ordinis provinciae, tam de iure, usu et consuetudine, quam aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt in futurum, pariformiter et absque ullâ prorsus differentiâ uti, frui, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, sine cuiusquam praeiudicio, pariter in perpetuum erigimus et instituimus.

§ 3. Quoniam vero conventus Montis Sancti nuncupatus Neapolitanus Ordinis praefati multis ab hinc annis acephalus et independens reperitur, nullaque spes illum provinciae Montis Sancti ditionis nostrae ecclesiasticae dicti Ordinis uniendi subest, dilecto filio moderno priori generali eiusdem Ordinis prae-

Statuuntur quaedam circa conventum Montis Sancti acephalum.

1 Edit. Main. legit *occasionum* (R. T.).

fatum conventum Montis Sancti dictae provinciae Neapolitanae sic erectae et institutae uniendi et incorporandi, ac cum ipsius conventus fratribus, qui in eo remanere voluerint, super eorum constitutionum reformatarum observantiâ dispensandi, opportunam facultatem, motu, scientiâ deliberatione et potestatis plenitudine similibus, tribuimus et impartimur: statuentes ut electio prioris provincialis, definitorum, aliorumque superiorum et officialium novae provinciae sic erectae, ad praescriptum constitutionum ac iuxta morem eiusdem Ordinis, ab illis ad quos spectat rite ac ordine quamprimum celebretur.

Clausulae amplissimae.

§ 4. Decernentes, ipsas praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet in praemissis ius vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, etiam specificâ et individuâ mentione mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae aut verificatae et iustificatae fuerint, aut ex quavis aliâ quantumlibet iuridicâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis formali et substantiali individuamque expressiovem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari[1], aut ad terminos iuris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sique et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praefatae cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Cum derogatoriis.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis, provinciae et conventuum huiusmodi, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis etiam dicto Ordini eiusque superioribus, et quibusvis aliis personis et locis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque

[1] Male edit. Main. legit *notari* (R. T.).

totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso ac formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, iisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, harum serie, specialiter et amplissime derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII maii MDCCXXV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 18 maii 1725, pontif. anno I.

LXIX.

Decernitur ut in ecclesiis cathedralibus Italiae insularumque adiacentium praebenda theologalis et canonicus poenitentiarius instituatur, cum quibusdam ordinationibus [1].

Benedictus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

Pastoralis officii nostri esse ducimus assiduo enixoque studio curare, ut universa sacrae Tridentinae Synodi decreta ubique inviolabiliter observentur. Sed eorum prae ceteris executionem strenue promovendam urgendamque nobis esse arbitramur, ex quibus maiorem in Ecclesiâ Dei utilitatem proventuram fore conspicimus, ac eos potissimum, quorum opus in praedicatione et doctrinâ consistere debet, ut cunctos aedificent tam fidei scientiâ, quam actionum disciplinâ, excitari maxime posse confidimus ad impensius frequentandam tantopere necessariam sanctarum Scripturarum lectionem; quas qui nescit, ut beatus Hieronymus admonet, nescit Dei virtutem eiusque sapientiam; nam ignorantia [1] Scripturarum ignoratio Christi est.

A Concilio Tridentino iam pridem praefatae praebendae theologalis institutioni consultum.

§ 1. Cum itaque saluberrimo praedicti Concilii Tridentini decreto relato in cap. I sess. V *De reformat.* cautum sit, ut, nedum in ecclesiis cathedralibus, sed in collegiatis etiam oppidorum insignium, in quibus praebenda aut praestimonium seu stipendium pro Sacrae Scripturae lectoribus constitutum non reperitur, praebenda quomodocumque praeterquam ex causâ resignationis primo vacatura ipso facto ad eum usum perpetuo constituta ac deputata intelligatur; et, quatenus nulla vel non sufficiens praebenda foret, locorum Ordinarii per assignationem fructuum alicuius simplicis beneficii, debitis tamen eius supportatis oneribus, vel per contributionem beneficiatorum suarum dioecesum, vel aliàs, prout commodius fieri poterit, ita provideant ut ipsa Sacrae Scripturae lectio omnino habeatur; verum eiusmodi provida praefati Concilii dispositio in aliquibus cathedralibus, sicut non absque gravi animi nostri dolore percipimus, hucusque neglecta debitaeque executioni demandata non fuerit: hinc igitur est quod nos, illius executionem pro pontificiae vigilantiae debito urgere intendentes, motu proprio, ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione sancimus, decernimus et mandamus, ut

1 Const. ed. MDCCXXV, die 9 maii, pontif. I, praescriptum fuit Ordinariis Italiae insularumque adiacentium ut seminariorum erectionem promoveant, deque congruis redditibus provideant.

1 Edit. Main. legit *ignorantiam* (R. T.).

in cathedralibus quibuscumque Italiae insularumque adiacentium, in quibus praebenda theologalis hactenus instituta non fuerit, praebenda primo vacatura post eiusdem praesentis constitutionis publicationem, sive ad nos Sedemque Apostolicam, sive ad Ordinarium illius collatio atque provisio pertineat, ipso iure et absque ullâ aliâ declaratione sit ac esse censeatur praebenda theologalis constituta.

Nonnullae has super re ordinationes.

§ 2. Volumus insuper ut tam illa quam reliquae omnes aliae praebendae theologales hactenus constitutae et deputatae conferri semper debeant doctori in sacrâ theologiâ, vel qui infra annum doctoralem lauream in eâdem facultate suscipiat, et ceteroquin magis idoneo in formali concursu ab examinatoribus renunciato, eo plane modo quo parochiales ecclesiae conferuntur. Hunc porro in finem, quotiescumque eiusmodi praebenda theologalis conferenda erit, per edictum publicum vocentur quicumque concurrere et examini sese subiicere voluerint coram episcopo et quatuor examinatoribus, etiamsi synodales non sint, ab eodem episcopo actu eligendis ac deputandis, in theologali tamen facultate licentiatis et valde peritis, sive saecularibus, sive regularibus; et illi, qui in eiusmodi concursu probatus magisque idoneus renunciatus fuerit, praebenda conferatur. Quoties autem praebendae collatio ad Sanctam Sedem spectabit, episcopus ad Romanum Pontificem pro tempore existentem acta concursus transmittere teneatur, ut ipse vacantem praebendam illi assignare atque conferre possit, quem ceteris digniorem et magis idoneum in Domino iudicaverit. Quod si episcopus primo vacaturam praebendam contra formam in praesenti constitutionem praescriptam conferre praesumpserit, vel etiam in aliis occurrentibus casibus eamdem formam observare neglexerit, illius collatio atque provisio ipso iure nulla et irrita nulliusque prorsus roboris vel momenti sit ac esse debeat, eiusdemque praebendae dispositio statim devolvatur et pertineat ad Sanctam Sedem et Romanum Pontificem pro tempore existentem, a quo doctori in sacrâ theologiâ conferetur.

Consulitur executioni officii praebendae theologalis.

§ 3. Ceterum, ut fructus, quem Tridentina Synodus ex praebendae theologalis institutione perceptum iri speravit, omnino re ipsâ et cum effectu percipiatur, volumus, statuimus et mandamus tertiam partem proventuum dictae praebendae theologalis ab episcopo distribui et proportionaliter applicari singulis lectionibus Sacrae Scripturae, quae a praebendato praescriptis diebus et horis totius anni habendae erunt, itaut, si praebendatus universas lectiones habuerit, assignatas distributiones integras absque ullâ prorsus diminutione consequatur; si vero in aliquâ vel pluribus lectionibus defecerit, distributiones neglectis lectionibus respondentes amittat, quae in sacristiae ecclesiae beneficium cedant ac erogentur. In casu autem gravioris contumaciae praebendati, liceat episcopo deputare alium theologum sacerdotem saecularem vel regularem, qui, iugiter supplendo eiusdem praebendati vices, praefatis distributionibus potiatur.

Statuuntur quaedam pro conficiendo congruo annuo redditu huius praebendae.

§ 4. Quoniam vero nonnulli episcopi, sicut accepimus, ut propriae incuriae aliquod velamen obtendant, dilatae erectionis eiusmodi praebendae theologalis causam in tenuitatem ac insufficientiam praebendarum suarum ecclesiarum reiicere solent: nos, omnem de cetero praetextum sive excusationem e medio tollere ac penitus eliminare volentes, motu, scientiâ ac potestatis plenitudine similibus decernimus, sta-

tuimus atque praecipimus, quod, ubi praebenda theologalis, computatis etiam distributionibus quotidianis, ad annuum saltem redditum scutorum sexaginta monetae romanae non ascendat, pro summâ ad hanc taxam conficiendam deficiente iidem episcopi unire possint et debeant eidem praebendae aliquod simplex beneficium, cuius supplemento praedicta summa conficiatur, primo vacaturum in quocumque mense, et qualitercumque ac quomodocumque Sedi Apostolicae affectum et reservatum (ita tamen ut a tali unione illa omnia beneficia quae pro S. R. E. cardinalibus, Papae familiaribus, nunciis apostolicis, atque praelatis Congregationum, quibus iidem S. R. E. cardinales intersunt, secretariis in aliâ constitutione ad promovendam seminariorum erectionem novissime per nos conditâ peculiariter reservavimus, perpetuo reservata et excepta sint ac esse intelligantur); et quidquid secus fieri contigeret, ex nunc prorsus irritum ac inane, nulliusque roboris vel momenti esse ac fore decernimus et declaramus.

Idem quod supra sancitur pro institutione canonici poenitentiarii.

§ 5. Postremo quaecumque hactenus de praebendâ theologali et Sacrae Scripturae lectione sancivimus, extendimus etiam ac adamussim observari volumus et mandamus (congrua tamen congruis referendo) quoad institutionem canonici poenitentiarii in illis cathedralibus in quibus nondum fuerit institutus, eiusque honestam sûbstentationem, concursum, deputationem, omniaque alia ad illius officium pertinentia; ac, praeter illa, quae a nobis superius disposita sunt, ea insuper, quae Tridentina Synodus, cap. VIII sess. XXIV *De reformat.*, de huius ministri qualitate, aetate ac exemptione a servitio chori constituit, exacte observari decernimus, praecipimus et mandamus.

Clausulae.

§ 6. Decernentes etiam, praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, necnon praemissa omnia et singula in illis contenta per eos, ad quos spectat et in futurum quomodolibet spectabit, perpetuo inviolabiliter observari, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet quacumque potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatoriae peculiares.

§ 7. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostris et Cancellariae Apostolicae regulis quibuscumque, aliisque apostolicis etiam in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis ad favorem quarumcumque personarum editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quorumvis Ordinum, congregationum, societatum ac institutornm, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus, congregationibus, societatibus et institutis, et quibusvis aliis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, vel aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque

totis tenoribus specialis, specifica et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Mandatur publicatio praesentium litterarum.

§ 8. Ut autem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seu earum exempla, ad valvas ecclesiae Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum, necnon Cancellariae apostolicae Curiaeque generalis in Monte Citatorio, ac in acie Campiflorae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari, sicque publicatas et affixas, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent: utque eârumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem ubique fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Infliguntur poenae in contravenientes.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrarum sanctionis, institutionis, praecepti, voluntatis, mandati, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXV, XIV kalendas iunii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 19 maii 1725, pontif. anno I.

LXX.

Erigitur conventus Carmeli maioris Ordinis Carmelitarum provinciae Neapolitanae in collegium studii generalis pro provinciis regni Neapolitani eiusdem Ordinis cum quibusdam legibus[1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex commisso nobis divinitus pastoralis sollicitudinis munere, sacrarum litterarum ac laudabilium disciplinarum studia, praesertim inter christifideles divinis obsequiis sub suavi religionis iugo addictos, opportunis rationibus excitamus et promovemus, sicut, maturâ deliberatione adhibitâ, ad omnipotentis Dei gloriam, religionis decus et incrementum, ac catholicae fidei praesidium et propagationem salubriter expedire in Domino arbitramur.

Nuper conventus praedictus cum quibusdam aliis, a provinciâ Terrae Laboris dicti Ordinis dismembrati, in novam provinciam ab hoc Pontifice erecti fuere.

§ 1. Nuper siquidem, ad sedanda animorum dissidia, quae inter fratres provinciae Terrae Laboris in regno Neapolitano Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo intercedebant, conventum Carmeli maioris nuncupatum civitatis Neapolitanae, cum decem eius grangiis, nec non quinque alios conventus, scilicet de Pomisiliano, d'Arco, Castrimaris, S. Eliae et Suessanum, provinciae et Ordinis praedictorum, ab eâdem provinciâ Terrae Laboris perpetuo separavimus et dismembravimus, ipsosque conventus cum grangiis praedictis sic separatos et dismembratos, in novam provinciam dicti Ordinis, quae provin-

1 Constit. edit. MDCCXXV, die 18 maii, pontif. I, idem conventus cum aliis quibusdam erectus fuit in provinciam Neapolitanam dictam.

cia Neapolitana nuncupari deberet, cum omnibus privilegiis et praerogativis ad instar aliarum eiusdem Ordinis provinciarum, in perpetuum ereximus et instituimus, et aliàs, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis die XIX[1] currentis mensis expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Erectio eiusdem conventus in collegium studii generalis.

§ 2. Nunc autem, ut sacrarum eisque ancillantium bonarum litterarum studia non minus in praedictis duabus quam in reliquis quatuor fratrum eiusdem Ordinis provinciis in regno Neapolitano consistentibus, Apuliae nempe, Calabriae, Viti et Aprutii, in futurum vigeant, quantum cum Domino possumus, providere cupientes, memoratum conventum Carmeli maioris civitatis Neapolitanae in collegium studii generalis pro omnibus sex provinciis praefatis, illorumque fratribus, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, itidem perpetuo erigimus et instituimus, cum infrascriptis pro rectâ et felici ipsius collegii studii generalis constitutione et directione legibus, nimirum:

Leges pro directione eiusdem collegii.

I. Che d'ogni provincia siano affigliati al collegio tre maestri e tre padri semplici dei megliori che siano nelle suddette provincie; e di tutti questi, cioè dieciotto maestri e diecisette[2] padri semplici, si deve componere il consiglio del convento; dovranno aver voce in tutte le elezioni e conclusioni capitolari del medemo.

II. Che d'ogni provincia siano affigliati al collegio sei laici de' più capaci a servire.

III. Che le affigliazioni de' maestri, padri semplici, e laici si devono fare in questa forma. Per ognuno da affigliarsi, il definitorio della provincia congregato deve proponere[3] alli padri del consiglio, parimente *per vota secreta*, delli tre nominati ne devono eleggere uno per figlio del collegio. E questo si deve fare ogni volta che o per morte o per altra causa mancherà qualcheduno degli affigliati.

IV. Che per la prima volta abbia da eleggere li affigliati il generale, colla facoltà di eleggerne alcuni di quelli che attualmente sono figli del Carmine maggiore a nome delle provincie che giudicherà più conveniente: e ciò per usare equità colli suddetti figli ed in specie colli vecchi.

V. Che ognuna delle sei provincie vi debba mandare allo studio sei studenti dei più capaci, da nominarsi dal loro definitorio provinciale congregato, ai quali studenti le stesse provincie dovranno somministrare un vestiario competente, a fine di potersi mantenere senza interrompere lo studio con andare a predicare la Quaresima.

VI. Che terminato tutto il corso de' studi, li suddetti studenti dovranno ritornarsene alle loro provincie, ed essere preferiti agli altri nella provvisione delle cattedre.

VII. Che nel collegio vi debbano essere un prefetto di studi con obbligo di spiegare la Sagra Scrittura, un reggente per la teologia scolastica, uno per la polemica, un lettore per la morale, ed uno per la filosofia, e tutti saranno tenuti a leggere di continuo, e oltre le solite vacanze dell'estate, il prefetto ed il lettor morale due volte la settimana, gli altri ogni giorno, levate le feste e giovedì.

VIII. Che il prefetto, reggenti e lettori siano provvisti di vestiario sufficiente dallo stesso collegio, a fine di potersi mantenere senza interrompere le lezioni con andare a predicare la Quaresima.

IX. Che le elezioni del priore, sottopriore, sagrestano, procuratore, depositario, ed altri officiali del collegio si doveranno fare da due anni in due anni dalli trentasei padri del consiglio *per vota secreta*; con questo che vi sia il turno per li affigliati da tutte sei le provincie; in modo però che uno officiale sia delli affigliati da una provincia, un altro dall'altra, nè mai due delli sopradetti offici si dovranno trovare in due affi-

1 Supra, pag. 182 *a* legitur XVIII (R. T.).
2 Videtur legendum *dieciotto* (R. T.).
3 Videtur deesse *tre* (R. T.).

gliati dalla stessa provincia; tolto nella prima provisione da farsi dal padre generale sintanto che il collegio sia provvisto di soggetti capaci a tali cariche.

x. Che li sei clavari, sei discreti, si dovranno parimente eleggere da due anni in due anni nel tempo stesso che si eleggono gli altri officiali, e dovranno essere uno per provincia delli stessi affigliati.

xi. Che il generale deve presiedere, *sive per se, sive per alium*, in tutte le accennate elezioni; quali terminate, o il generale, o il presidente da lui destinato, deve immediatamente visitare il collegio, e fare rinnovare l'inventario di tutto, e ciò deve essere fra lo spazio di soli quindici giorni.

xii. Che il priore colli suoi officiali devono da tre mesi in tre mesi bilanciare lo stato del collegio in presenza degli altri affigliati che hanno voce, e mandarlo al generale sottoscritto da tutti li padri del consiglio.

xiii. Che li maestri affigliati al collegio possano intervenire colla voce attiva e passiva alli capitoli provinciali che si celebreranno nelle loro respettive provincie, e che non andando, anche assenti possano essere eletti provinciali.

xiv. Oltre anche i maestri e studenti siano obbligati intervenire agli atti communi et in specie andare al coro, non ostante qualsivoglia consuetudine in contrario, eccetto quelli che attualmente o leggono o predicano.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, praesentes litteras et in eis contenta semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter et exacte observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Cum derogatoriis.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ordinis, provinciarum et conventuum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxii maii MDCCXXV, pontificatus nostri anno i.

Dat. die 22 maii 1725, pontif. anno i.

LXXI.

Confirmatur constitutio Pii IV super erectione ecclesiae Urbinatensis in metropolitanam et eidem subiectione ecclesiae Eugubinae, quae iterum illi perpetuo subiecta declaratur[1].

Benedictus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Circumspecta Romani Pontificis providentia iis, quae rationabilibus suadentibus causis pro christifidelium utilitate salubrique et prosperâ ecclesiarum praesertim cathedralium ac metropolitanarum directione a praedecessoribus suis laudabiliter disposita et constituta fuisse dignoscuntur, ut eo firmius illi-

1 In huius Pontificis const. edit. MDCCXXVI, die 12 septembris, pontif. III, erigitur in sedem archiepiscopalem cathedralis Lucensis.

bata permaneant, quo saepius fuerint Apostolicae Sedis communita praesidio, libenter suae approbationis atque confirmationis robur adiicit; et, si quando, ob rerum ac temporum varietatem vel exorta dissidia, debitae executioni ex integro demandata non fuerint, et instaurat ac de novo decernit, excitatas controversias dirimit, interiecta impedimenta e medio tollit, et alias apostolicae auctoritatis partes desuper interponit, prout, omnibus circumstantiis mature perpensis, eorumdem fidelium saluti et commodis, ecclesiarumque praedictarum ac illis praepositorum sacrorum[1] antistitum pacifico et tranquillo statui conspicit in Domino salubriter expedire.

Aliàs a praefato Pio IV ecclesia Urbinatensis in metropolitanam erecta fuit, eique Eugubina ecclesia inter alias subiecta.

§ 1. Sane olim felicis recordationis Pius Papa IV praedecessor noster, secum reputans ecclesiam Urbinatensem Sedi Apostolicae immediate subiectam inter alias illarum partium cathedrales ecclesias insignem ac nobilem, necnon Urbini civitatem, ducatus titulo egregiarumque personarum multitudine et cleri populique frequentiâ decoratam, metropoliticâ praelatione merito dignam existere, habitâ prius desuper cum venerabilibus fratribus nostris, tunc suis, S. R. E. cardinalibus deliberatione maturâ, ac de eorum consilio, eamdem Urbinatensem ecclesiam in metropolitanam cum omnimodâ iurisdictione et superioritate, necnon pallii et crucis delatione, aliisque metropoliticis insigniis, perpetuo erexit ac instituit, illique Calliensem, Senogalliensem, Pisaurensem, Forosemproniensem, Feretranam et Eugubinam, Sedi praefatae similiter immediate subiectas et in ducatu Urbinatensi consistentes, ecclesias, cum earum civitatibus et dioecesibus, pro suâ provinciâ, illarumque praesules, pro tempore existentes, pro suis suffraganeis episcopis, necnon capitula, clerum et populum earumdem, pro suis provincialibus, videlicet Calliensem, Senogalliensem, Pisaurensem, Forosemproniensem et Feretranam ecclesias, ipsorum episcoporum ad hoc expresso accedente consensu, Eugubinam vero, postquam tunc existentis episcopi Eugubini et cardinalis Iacobi de Sabellis nuncupati, cui regressus seu accessus et ingressus ad ipsam Eugubinam ecclesiam in certos tunc expressos eventus apostolicâ auctoritate reservatus fuerat, accessisset assensus, aliàs eiusdem ecclesiae Eugubinae vacatione pro tempore occurrente, perpetuo concessit et assignavit, necnon universos praedictos praesules quoad omnia metropolitica iura existenti pro tempore archiepiscopo Urbinatensi subiectos esse et tamquam membra capiti obsequi, ac de archiepiscopalibus iuribus per eos responderi debere, voluit et mandavit, quemadmodum uberius continetur in litteris apostolicis a praedicto Pio praedecessore desuper editis, quarum tenor est qui sequitur, videlicet:

Constitutio praedicta Pii IV

Pius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Super universas orbis ecclesias, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXIII, pridie nonas iunii, pontificatus nostri anno V.

Narrantur ordine controversiae omnes hinc ortae Urbinatensem inter et Eugubinam ecclesiam.

§ 2. Expeditis itaque editisque a Pio praedecessore praeinsertis litteris apostolicis, ac Urbinatensi ecclesiâ ad metropolitanam dignitatem et praeeminentiam evectâ, omnes et singuli in eisdem litteris designati episcopi et suffraganei constituti, praeterquam episcopus Eugubinus et cardinalis de Sabellis Eugubinae ecclesiae reservatarius, huiusmodi erectioni ecclesiae Urbinatensis in metropolitanam per se vel procuratores

1 Edit. Main. legit *sacrarum* (R. T.).

1 Reliqua vide tom. VII, pag. 252 *b* (R. T.).

ad id ipsis specialiter deputatos expresse, sicut asseritur, consenserunt, et subinde archiepiscopum Urbinatensem, ut verum, proprium atque legitimum metropolitanum agnoverunt, debitamque subiectionem illi tamquam membra capiti praestiterunt, et adhuc quiete ac pacifice absque ullâ prorsus querelâ aut contradictione praestant; memoratus autem Eugubinae ecclesiae episcopus, tunc Marianus de Sabellis, non modo antedictae erectioni assensum, ut defertur, non praebuit, sed suae insuper ecclesiae libertatem et antiquam immediatam Sedi Apostolicae subiectionem tueri satagens, cum anno MDLXVIII iuxta sacri Tridentini Concilii dispositionem pro synodo provinciali Urbinatensem metropolim elegisset, eiusmodi electionem facere declaravit, ac solemniter protestatus fuit, salvâ in omnibus priscâ ecclesiae Eugubinae exemptione ac immediatâ Summo Pontifici subiectione, itaut per hunc actum eidem ecclesiae nullum unquam praeiudicium irrogetur[1], et non aliàs, aliter, nec alio modo.

Post obitum episcopi Eugubini et cardinalis de Sabellis Urbinatenses archiepiscopi ius metropoliticum in Eugubinâ dioecesi pacifice exercuerunt.

§ 3. Verumtamen, postquam praefati Marianus episcopus et cardinalis de Sabellis reservatarius ex hac mortali vitâ migrarunt, Urbinatenses archiepiscopi, existimantes ex praescripto memoratae Pianae constitutionis non amplius requiri consensum praesulis Eugubini, illico ius metropoliticum in Eugubinâ civitate eiusque dioecesi exercere coeperunt, atque multiplices tam voluntariae quam contentiosae iurisdictionis actus, ut expositum nobis fuit, utrobique pacifice exercuerunt, et causas praesertim appellationum a curiâ episcopali Eugubinâ pluries cognoverunt et iudicarunt; quin etiam ipsimet Eugubini praesules per ea tempora sese archiepiscopi Urbinatis suffraganeos aperte fassi[1] fuerunt, nam pluries, occasione provisionis eiusdem Eugubinae ecclesiae, a summo Romano Pontifice sibi expediri curarunt litteras commendatitias nuncupatas, quibus praefato archiepiscopo mandabatur ut eosdem praesules ecclesiamque illis commissam suffraganeam suam benigne respiceret, eosque pro Sedis Apostolicae reverentiâ propensius commendatos haberet, ac insuper unus ex eisdem episcopis, in binis relationibus status ecclesiae Eugubinae iuxta constitutionem piae itidem memoriae Sixti Papae V praedecessoris nostri Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum oblatis, eamdem ecclesiam memorato archiepiscopo Urbinatensi subiectam tam[2] esse diserte affirmavit.

Denuo anno MDCLX sub Alexandro Sperello episcopo Eugubino orta controversia, quae, Congregationis Concilii remissa, definita non est.

§ 8. Haec autem omnia, sicut accepimus, contigerunt ab obitu praedicti Mariani episcopi usque ad annum circiter MDCLX. Quo sane anno Alexander Sperellus, tunc episcopus Eugubinus, studiis indulgens illorum civium, qui Urbinatensi metropolitano subesse aegro animo patiebantur, debitam et usque ad illud tempus praestitam eidem metropolitano subiectionem detrectare constituit. Quocirca archiepiscopus Urbinas, tunc Iacobus de Angelis, postea S.R.E. cardinalis, ut suum ius metropoliticum tueretur, adito Camerae nostrae Apostolicae generalis auditoris tribunali, productisque in eo praeinsertis litteris apostolicis Pii praedecessoris, monitorium consuetum super earum observatione sibi concedi et Eugubino episcopo deinde praesentari curavit. Cumque idem episcopus circa initium sequentis anni MDCLXI praedicto monitorio se opposuis-

1 Forsan *irrogaretur* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *facti* (R. T.).

2 Vel partic. *tam* delenda, vel legendum *iam* aut *etiam* (R. T.).

set, archiepiscopus, intermissâ intentati iudicii prosecutione, recursum habuit ad recolendae memoriae Alexandrum Papam VII[1] praedecessorem pariter nostrum, a quo rescribi obtinuit praefatae Congregationi S. R. E. cardinalium Tridentini Concilii interpretum, ut huiusmodi causam summarie et sine figurâ iudicii prout de iure cognosceret ac terminaret. Propositâ igitur paulo post in eâdem Congregatione ac mature discussâ praefatâ controversiâ, cum plures et graves hinc inde fuissent excitatae difficultates, definita non fuit, et adhuc ibidem pendet indecisa.

Deinceps semper indecisa mansit.

§ 5. Intereà vero, etsi archiepiscopi Urbinatenses, ne suis iuribus cessisse viderentur, metropolitica omnia in Eugubinos exercere studuerint, hi tamen parere semper detrectarunt. Quamobrem in novissimâ ecclesiae Eugubinae propositione habitâ in consistorio die XI aprilis MDCCVII piae memoriae Clemens PP. XI praedecessor etiam noster, cui ceteroquin archiepiscopi Urbinatis iura satis nota atque conspecta erant, ne in patriam indulgentior videretur, pro eximiâ animi sui moderatione enunciari permisit praedictam ecclesiam esse Sedi Apostolicae immediate subiectam; simul tamen praefati Urbinatensis archiepiscopi rationibus consultum volens, aperte declaravit, et in litteris apostolicis exprimi voluit, se per hoc non intendere iuribus ecclesiae metropolitanae Urbinatensis circa praetensum ius metropoliticum quomodolibet competentibus in aliquo praeiudicare; et nos ipsi, huic inhaerentes exemplo, ac eâdem plane mente, venerabilem fratrem Fabium hodiernum episcopum Eugubinum ad Concilium Romanum, quod nunc maxime, benedicente Domino, celebramus, tamquam ecclesiae in Romanâ provinciâ constitutae praesulem evocari, eiusque sessionibus, atque etiam praesynodalibus congregationibus coram nobis pluries habitis interesse voluimus et mandavimus, tametsi ex iis quae hac eâdem occasione tam pro parte archiepiscopi Urbinatis, quam pro parte episcopi Eugubini, etiam scripto, prolixe nobis exposita fuerunt, archiepiscopi iura potiora solidioribusque fundamentis innixa viderentur.

Causae praesentis constitutionis.

§ 6. Nunc autem, pro eâ quam gerimus omnium ecclesiarum sollicitudine, attente considerantes incommoda, perturbationes atque dispendia, tum etiam offensiones et scandala, animarumque pretiosissimo Christi sanguine redemptarum detrimenta, quae ab huiusmodi inter sacros antistites excitatis dissidiis promanare solent, inter quos ceteroquin pacis tranquillitatem, charitatis fervorem et concordiae studium vigere maxime decet, necnon animo reputantes non modo congruere, verum etiam summopere aequum iustumque esse, ut ea, quae ab Apostolicae Sedis auctoritate ac providentiâ, maturo seduloque praemisso examine, semel sancita et constituta fuerunt, integrum omnimodumque consequantur effectum, ac insuper amplitudinem et praestantiam respicientes antedictae civitatis nostrae Urbinatensis, quae, praeter archiepiscopalem qua insignita refulget dignitatem, omni tempore totius Urbinatensis ducatus princeps et caput extitit, illustriumque virorum copiâ perpetuo floruit, quaeque nostris praesertim diebus antiqua sua decora et laudes maiorem in modum auxit, immo ad summum extulit culmen, cum felicem faustumque dederit ortum natalibus nedum memorati Clementis praedecessoris, qui catholicam Ecclesiam diu persancte gubernavit, sed duorum etiam illius ex germano fratre nepotum,

1 Male edit. Main. legit *VIII* (R. T.).

videlicet dilecti filii nostri Annibalis tituli S. Clementis presbyteri S. R. E. cardinalis Albani S. Clementis nuncupati, eiusdemque S. R. E. camerarii, et dilecti pariter filii nostri Alexandri S. Mariae in Cosmedin, diaconi S. R. E. itidem cardinalis Albani nuncupati, qui fidelem sedulamque operam in regimine universalis Ecclesiae nobis iugiter impendere non desistunt, suisque praeclaris virtutibus communi eorum patriae non modicum splendorem ac ornamentum adiiciunt (quibus plane conspicuis eiusdem civitatis nostrae Urbinatensis praerogativis adducti, non ita pridem illius metropolitanae ecclesiae quatuor dignitatibus et quindecim canonicis praesentibus et futuris, ut tam in civitate, quam in dioecesi Urbinatensi, absente vel praesente archiepiscopo, sive interveniente ditionis Urbinatensis S. R. E. praedictae de latere legato, in missis, vesperis et laudibus solemniter decantandis, ac etiam in processionibus ceterisque omnibus ecclesiasticis functionibus, in quibus sacra adhibentur paramenta, mitrâ, aliisque indumentis et paramentis tantum ad instar abbatum usum mitrae habentium uti libere ac licite possint, perpetuo concessimus et indulsimus; eisque praeterea, ut in eorum armis atque insigniis mitram apponi facere et addere valeant, licentiam pariter et facultatem benigne impertiti sumus, quemadmodum in litteris apostolicis anno Incarnationis dominicae MDCCXXIV, III idus augusti, a nobis desuper expeditis, plenius ac uberius continetur):

Praedicta controversia penitus aboletur.

§ 11. Hinc igitur est quod nos, praedictam inter venerabiles fratres archiepiscopum Urbinatensem et episcopum Eugubinum vigentem controversiam pro paternae nostrae vigilantiae debito prorsus evellere et submovere, ac ut nullis unquam futuris temporibus suscitari possit opportune providere cupientes, illiusque circumstantias, statum et merita, necnon dictorum praesulum et quorumcumque aliorum interesse habentium iura, actiones, rationes et praetensiones, earumdemque ecclesiarum qualitates, situationes et confinia, ceteraque omnia et singula in praemissis et circa ea necessario exprimenda, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, eamdem controversiam in statu et terminis, in quibus modo reperitur, a memoratâ Congregatione S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum, necnon ab auditoris generalis causarum Camerae nostrae Apostolicae et quibuscumque aliis tribunalibus, in quibus eam forsan agitari contingeret, cum omnibus et singulis eius incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, totoque negocio principali, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, ad nos avocamus, illamque penitus ac omnino supprimimus, extinguimus et abolemus, praefatisque archiepiscopo Urbinatensi et episcopo Eugubino, necnon capitulis et canonicis earumdem ecclesiarum, omnibusque aliis et singulis personis in lite et causâ praedictis interesse habentibus, seu quomodolibet habere praetendentibus, perpetuum ac inviolabile silentium imponimus.

Confirmatur relata Pii IV constitutio.

§ 12. Praeterea, motu proprio, ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione praeinsertas Pii praedecessoris litteras, ac omnia et singula in eis contenta atque disposita, amplissime confirmamus, approbamus ac innovamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis nostrae vim, robur atque munimen adiicimus, ac, quatenus opus sit, easdem litteras adversus quemcumque non usum seu contrarium usum, qui quoquo modo

praetendi posset, restituimus, pristinumque in statum reponimus ac plenarie reintegramus, easque ab omnibus et singulis, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, ac praesertim a moderno et pro tempore existente episcopo Eugubino, in posterum inconcusse ac irrefragabiliter observari volumus, praecipimus et mandamus.

Denuo Eugubina ecclesia archiepiscopo Urbinati subiecta declaratur cum quibusdam ordinationibus.

§ 13. Ad haec, ut omnis ansa et fomentum quibuscumque ulterioribus litibus et contentionibus de cetero praecidatur, ac prorsus e medio tollatur, praefatos episcopum Eugubinum eiusque clerum et populum (etiamsi praesulis Eugubini consensus erectioni praefatae metropolitanae Urbinatensis nunquam accesserit, et propter hunc vel alios quantumvis substantiales defectus Piana constitutio praedicta in civitate et dioecesi Eugubinâ nunquam usu recepta nec observata fuerit) archiepiscopo Urbinati pro tempore existenti subiectos esse, et tamquam membra capiti morem gerere, ac per eos de archiepiscopalibus iuribus responderi debere, motu, scientiâ ac potestatis plenitudine similibus volumus, decernimus, statuimus et declaramus. Quin etiam, ad maiorem et abundantiorem cautelam, praedicti consensus defectum, quatenus de iure necessario requireretur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, supplemus, et praefatum episcopum eiusque clerum et populum Urbinati archiepiscopo quoad omnia iura metropolitica supra enunciata motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus de novo subiicimus et subiectos esse volumus, et, quatenus opus sit, civitatem et dioecesim praedictas a provinciâ nostrâ Romanâ perpetuo separamus, avellimus et dismembramus, illasque praefatae metropolitanae Urbinatensi in perpetuum attribuimus, concedimus et assignamus, ac pro separatis, avulsis et dismembratis, ac respective attributis, concessis et assignatis, ut supra, haberi volumus et mandamus, ita ut modernus ac pro tempore existens archiepiscopus Urbinas de cetero in civitate et dioecesi Eugubinâ praedictis omnia et singula iura metropolitica pacifice exercere, ac episcopum Eugubinum ut suae ecclesiae suffraganeum consecrare, ad synodum provincialem evocare, ceteraque omnia ad archiepiscopi munus et officium de iure vel consuetudine aut aliàs quomodolibet spectantia et pertinentia facere, gerere, procurare, administrare et exequi libere ac licite valeat, et vicissim modernus ac pro tempore existens episcopus Eugubinus praedicto archiepiscopo tamquam membrum capiti obsequens[1] ad omnia et singula teneatur et obligatus sit, ad quae alii suffraganei suis ecclesiis metropoliticis et archiepiscopis metropolitanis de iure vel consuetudine aut aliàs quomodolibet tenentur et obligati existunt, quaeque ceteri omnes suffraganei, quos Pius praedecessor in antedictis litteris Urbinatensi metropolitano concessit et assignavit, hactenus pacifice praestiterunt et praestant, praedictamque Eugubinam ecclesiam deinceps et perpetuis futuris temporibus inter alias suffraganeas memoratae metropolitane Urbinatensis annumerandam et censendam, et sub ipsâ provinciâ Urbinatensi comprehensam, et nullatenus ab eâ exemptam, nec Sedi Apostolicae immediate, sed archiepiscopo praefato quoad archiepiscopalia, metropolitica et provincialia iura et iurisdictiones subiectam esse et fore, sancimus, praecipimus et mandamus.

Clausulae peculiares.

§ 14. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras semper et perpetuo validas, firmas ac efficaces existere et

1 Male edit. Main. legit *obsequentes* (R. T.).

fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, ac nullo usquam tempore ex quocumque capite vel qualibet causâ, quantumvis legitimâ et iuridicâ, etiam ex eo quod aliqua ex praemissis, narratis ac expositis non subsisterent, et episcopus, capitulum et canonici dictae ecclesiae Eugubinae, et quicumque alii, cuiuscumque gradus, dignitatis et conditionis existant, in praemissis omnibus et singulis et circa ea quomodolibet, et ex quavis causâ, ratione, titulo et occasione, ius vel interesse habentes seu habere praetendentes, illis non consenserint, aut ad ea vocati et auditi, et causae, propter quas eaedem praesentes emanarint, in consistorio nostro, vel alibi, vocatis vocandis, et praeviis debitis tractatibus, ac servatis et adhibitis solemnitatibus et aliis de iure vel consuetudine, vel iuxta constitutiones et ordinationes apostolicas, aut ecclesiae praedictae statuta, privilegia et indulta etiam confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roborata, aut aliàs quomodolibet requisitis et in similibus necessariis, examinatae, verificatae ac iustificatae non fuerint, de subreptionis aut nullitatis seu invaliditatis vitio, vel intentionis nostrae, aut ius vel interesse habentium consensûs, aut quolibet alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato et inexcogitabili, ac specificam et individuam mentionem ac expressionem requirente defectu, sive etiam ex eo quod in praemissis eorumque aliquo solemnitates et quaevis alia, de iure servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite a iure, statuto vel consuetudine aliquâ resultante, seu etiam enormis, enormissimae, totalisque laesionis, aut quocumque colore, praetextu, ratione vel causâ, etiam in corpore iuris clausâ, et quantumvis iustâ, rationabili, legitimâ, iuridicâ, piâ, privilegiatâ, et tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostrâ et aliis superius expressis nullibi appareat, nec aliàs probari possit[1], notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris vel facti, aut gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu simili concesso vel impetrato aut emanato uti seu se iuvare in iudicio vel extra posse, neque ipsas praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum et dispositionum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes et Sedem Apostolicam praedictam, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, et ex quibuslibet causis, et sub quibusvis verborum tenoribus et formis, ac cum quibuslibet clausulis et decretis, etiamsi in eis de eisdem praesentibus earumque toto tenore ac datâ specialis mentio fieret, pro tempore factis et concessis, ac faciendis et concedendis, comprehendi, sed, tamquam ad maius bonum et ecclesiasticarum personarum praedictarum quietem ac pacem tendentes, semper et omnino ab illis excipi, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum ac eum in quo antea quomodolibet erant statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo, etiam sub quacumque posteriori datâ

1 Edit. Main. legit *possint* (R. T.).

quandocumque eligendâ, concessas esse et fore, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac dictae S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos aut vicelegatos dictaeque Sedis nuncios, aut alios quoscumque quavis auctoritate, potestate, praerogativâ et privilegio fungentes, ac honore et praeeminentiâ fulgentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quocumque iudicio et quacumque instantiâ iudicari et definiri debere, et, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum ac inane decernimus et declaramus.

Contrariorum derogatio.

§ 15. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ, et Cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet editis vel edendis etiam in synodalibus, provincialibus, universalibusque conciliis, specialibus vel generalibus, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac praedictarum ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, eorumque reformationibus et novis additionibus, stylis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis ac locis quibuscumque, etiam specificâ et expressâ ac individuâ mentione dignis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, in genere vel in specie, etiam motu pari, ac consistorialiter, aut aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, in contrarium praemissorum concessis, approbatis, confirmatis et innovatis, etiamsi in eis caveatur expresse quod illis per quascumque litteras apostolicas, etiam motu simili pro tempore concessas, et quascumque etiam derogatoriarum derogatorias in se continentes clausulas, derogari non possit, neque censeatur eis derogatum; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut quaecumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et clausulas, etiam quantumvis praegnantes, pias, privilegiatas, praesentibus pro plene et sufficienter ac de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertis, expressis et specificatis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum omnium et singulorum validissimum effectum, hac vice dumtaxat, latissime et plenissime et sufficienter, necnon specialiter et expresse, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, harum serie derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Infliguntur poenae in contraventores.

§ 16. Nulli ergo omnino hominum liceat nostram hanc paginam avocationis, extinctionis, confirmationis, declarationis, voluntatis, subiectionis, mandati, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXV, x kalendas iunii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 23 maii 1725, pontif. anno I.

LXXII.

Statuit quaedam pro augendis redditibus seminarii ecclesiastici Caesenatensis[1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ad apostolicae dignitatis apicem, nullo licet nostrorum suffragio meritorum, per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam evecti, in his, per quae seminaria, ad rectam adolescentium in bonis moribus, ecclesiasticâ disciplinâ, litterarumque studiis instructionem provide instituta, nedum conserventur ac iugiter persistant, verum uberiora quoque in dies suscipiant incrementa, pastoralis muneris nostri partes libenter interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causae praesentis constitutionis, exigui nempe redditus seminarii praedicti.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, seminarium ecclesiasticum in civitate nostrâ Caesenatensi centum et ultra abhinc annis fundatum et erectum reperiatur cum modicâ dote seu assignatione annuorum dumtaxat centum quinquaginta trium scutorum monetae, quae ex fructibus mensae episcopalis et capitularis ac beneficiorum civitatis et dioecesis Caesenatensis ad sacri Concilii Tridentini decretorum praescriptum detrahuntur, et, ob cleri inopiam atque exiguas ac multiplices portiones quae hanc pecuniae summam constituunt, durae et difficilis, ut plurimum, exactionis redduntur, neque alia eidem seminario, integri et amplius ab eius fundatione aevi decursu, bona, quam parvi conventus suppressi, ac cuiusdem haereditatis cum onere alendi duos iuvenes ad quorumdam patronorum nominationem inibi admittendos et aliàs relictae, ex quibus centum circiter scuta paris[1] monetae annuatim retrahuntur, hucusque obvenerint aut quaesita fuerint, itaut seminarium praedictum, utpote congruis ac necessariis redditibus destitutum, in incerto semper statu ac periculo, ne sensim dilabatur, versetur, quandoquidem annui eius proventus vix mercedi praeceptoribus, ministris ac inservientibus solvendae, aliisque communibus sumptibus huiusmodi faciendis satis esse dignoscuntur:

Ordinationes quaedam pro augendis redditibus eiusdem seminarii.

§ 2. Nos, hoc sanctum et pium opus a memorato Concilio Tridentino tantopere commendatum, ac pro rectâ puerorum civitatis et dioecesis praedictarum educatione vel maxime necessarium, quod nullum ibi adsit collegium clericorum Societatis Iesu, nullaque domus clericorum regularium Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum nuncupatorum, qui eos erudiant ac instruant, quantum nobis ex alto conceditur providere cupientes, non absimili ratione quo[2] olim seminarii ecclesiastici civitatis Sypontinae, cum metropolitanae isti ecclesiae praeeramus, egestati, approbante Congregatione tunc existentium S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ, opportune prospeximus, ipsi seminario Caesenatensi subveniendum duximus. Idcirco, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, harum serie statuimus, decernimus et mandamus, ut deinceps perpetuis futuris temporibus confraternitas seu hospitale S. Tobiae, necnon confraternitates beatae Mariae de Suffragio, ac eiusdem beatae Mariae

1 Clementis XI const. ed. MDCCVIII, die 21 iulii, pontif. VIII, concessa fuit vinea quaedam collegio de Propagandâ Fide, et huius Pontificis const. ed. MDCCXXV, die 9 maii, pontif. I, mandatur Ordinariis Italiae et insularum adiacentium ut seminariorum erectionem promoveant.

1 Edit. Main. legit *partis* pro *paris* (R. T.).
2 Aptius lege *qua* (R. T.).

de Populo, respective nuncupatae, dictae civitatis Caesenatensis, eidem seminario Caesenatensi annua quinquaginta scuta paria pro earum qualibet contribuere ac realiter et cum effectu praestare teneantur et obligatae existant; ita tamen, quod unicuique ex tribus confraternitatibus eiusmodi nominare liceat singulis annis puerum civitatis praedictae in eodem seminario gratis alendum et educandum. Cuius nominatio hoc pacto fiat: nimirum, pro parte cuiuslibet dictarum confraternitatum earumve confratrum tres pueri de dictâ civitate venerabili fratri moderno ac pro tempore existenti episcopo Caesenatensi praesententur[1], ex quibus unus ab eodem episcopo, quem magis idoneum ac melioris[2] indolis in Domino iudicaverit, deligatur.

Parvus quidem conventus eremitarum sancti Augustini supprimitur ipsique seminario unitur.

§ 3. Praeterea parvum conventum de Casacarella Ordinis fratrum eremitarum sancti Augustini in dioecesi Caesenatensi ruri positum, in quo duo soli fratres eiusdem Ordinis de praesenti degunt, unâ cum illius conventualitate, titulo, essentiâ et denominatione, motu, scientiâ, deliberatione ac potestatis plenitudine similibus, tenore praesentium perpetuo extinguimus, supprimimus et abolemus, ipsique seminario in perpetuum unimus et incorporamus; ac tam dicti parvi conventus bona mobilia et immobilia sacra et profana, domos, vineas, praedia, canones, responsiones, fructus, ac iura quaecumque, quam alterius confraternitatis sub titulo SS. Rosarii eiusdem B. Mariae Virginis iuxta ecclesiam Patrum Ordinis Praedicatorum praefatae civitatis Caesenatensis (cuius bona, dum ecclesiam Caesenatensem regebamus, inanibus litibus et controversiis plerumque iniunctis adversus fratres Ordinis praedicti, necnon temere contra iurisdictionem episcopalem, per tunc existentes eiusdem confraternitatis confratres agitandis absumi dolenter videbamus) omnes annuos fructus, redditus et proventus cuiuscumque quantitatis[1], speciei et valoris[2] existant, eidem seminario itidem perpetuo applicamus et assignamus.

Clausulae peculiares.

§ 4. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras, etiam ex eo quod praedictarum confraternitatum officiales et confratres, ac dicti parvi conventus illiusque Ordinis fratres, et celeri quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarunt, adductae, verificatae aut iustificatae ullatenus fuerint, ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae aut alio quovis defectu etiam quantumvis magno, inexcogitato et substantiali, sive etiam ex eo quod in eisdem praemissis solemnitates et quaevis alia, servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, vel ex quocumque alio capite, a iure vel facto aut statuto vel consuetudine aliquâ resultante, etiam in corpore iuris clauso, sive etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, et quovis alio praetextu, occasione vel causâ, etiam quantumvis iustâ, rationabili[3] et privilegiatâ, etiam tali[4] quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari et impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quod-

1 Edit. Main. legit *praesentetur* (R. T.).
2 Ed. Main. legit *meliori* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *quantitati* (R. T.).
2 Eadem edit. habet *valori* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *rationabilis* (R. T.).
4 Edit. Main. legit *talis* (R. T.).

cumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, seu quomodolibet concesso aut impetrato quemquam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Committitur episcopo Caesenatensi executio harum litterarum.

§ 5. Quocirca eidem moderno ac pro tempore existenti episcopo Caesenatensi per praesentes motu pari committimus et mandamus, quatenus ipse, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, solemniter publicans, dictoque seminario in eisdem praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostrâ seminarium praefatum praesentium litterarum et in eis contentorum huiusmodi commodo et effectu pacifice frui et gaudere, non permittens illud desuper a quoquam quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari, perturbari vel inquietari, contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habentibus servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Ipsi moderno episcopo serio insuper iniungentes, ut, postquam ecclesiarum et locorum piorum civitatis et dioecesis praedictarum visitationem[1] peregerit, reliquorum locorum piorum earumdem civitatis et dioecesis statum in compendium redactum ad nos quamprimum diligenter transmittat, ut, singulorum redditibus perpensis, ratam portionem a quolibet eorum dicto seminario annuatim conferendam et solvendam, maturâ consultatione adhibitâ, definire et taxare valeamus, quemadmodum de supradictae Congregationis cardinalium assensu pro praedicto seminario Sypontino nos olim fecisse meminimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, de iure quaesito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in suppressionibus, unionibus seu applicationibus, illisque committendis ad partes, vocatis[2] quorum interest, et aliis nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, necnon Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis[3] editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon confraternitatum et conventûs huiusmodi illiusque Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem confraternitatibus, conventui et

1 Edit. Main. legit *visitationum* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *vocati* (R. T.).
3 Eadem edit. legit *collegiis* (R. T.).

Ordini, eorumque fratribus et personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX maii MDCCXXV, pontificatus nostri anno I[1].

Dat. die 30 maii 1725, pontif. anno II.

LXXIII.

Confirmatur, declaratur et ampliatur constitutio Gregorii XIV excipiens delicta et casus in quibus delinquentes laici ecclesiasticâ immunitate non gaudent[2].

1 Ab electione anno II (R. T.).

2 Laudatae Greg. XIV const. epitome hic extat. Clementis XI const. an. MDCCXVI, pontif. XVI, confirmatum fuit quoddam decretum contra coniectos in carceres, allegantes se a locis immunibus esse extractos.

Benedictus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Ex quo, divinâ disponente clementiâ, ad supremum universi christiani populi regimen assumpti fuimus, considerantes debitum, quo obstringebamur ecclesiarum sacrorumque locorum immunitatem sartam tectam inviolatamque ubique custodiendi, inter graviores suscepti apostolici ministerii curas merito recenseri, diu multumque rationes ac media nobiscum expendere non omisimus, quibus ipsa immunitas in pristinum venerationis et reverentiae locum restitui posset, ac in omnibus orbis catholici regionibus ita observaretur, quemadmodum prisca illa maiorum nostrorum disciplina et vetus canonicarum sanctionum norma praescripsit. Exordium.

§ 1. Dum haec sollicito animo revolveremus, in oculos primum incurrit celebris illa constitutio a felicis recordationis Gregorio Papa XIV praedecessore nostro edita, quae incipit *Cum aliàs*, qua quidem constitutione idem Gregorius praedecessor, pro pastorali zelo suo hunc ipsum in scopum intendens, facultates et indulta, a quibusdam Romanis Pontificibus, ac praesertim a S. Pio V et Sixto etiam V praedecessoribus itidem nostris, tunc suis, concessa aliquibus principibus eorumque officialibus et magistratibus extrahendi ac abducendi ab ecclesiis aliisque locis immunibus certorum criminum reos et delinquentes, reformavit, moderatusque fuit; simul autem, delictorum frequentiae, unde publica tranquillitas maxime perturbatur, occurrere volens, ac impedire, quantum licebat, ne aliqua graviora a pravis hominibus patrarentur sub certâ impunitatis spe quam ex confugio ad loca immunia sibi parabant, nonnulla expressit et explicavit crimina Epitome constitutionis Gregorianae.

et casus, in quibus laicos delinquentes ecclesiasticâ immunitate nequaquam gaudere voluit et decrevit; ac insuper iudices constituit, qui, in occurrentibus casibus, an delictum esset necne in eâdem Gregorianâ constitutione exceptum, cognoscere et declarare deberent; certamque demum formam in extractione praedictorum delinquentium a locis immunibus observandam stabilivit et inviolabiliter ab omnibus perpetuo observari mandavit, quemadmodum in praedictâ constitutione, anno Incarnationis dominicae MDXCI, IX kalendas iunii, promulgatâ, ulterius continetur.

Causae praesentis confirmationis et declarationis.

§ 2. Quoniam vero post editam huiusmodi constitutionem, ob varias doctorum eam interpretantium sententias et variam itidem curiarum ecclesiasticarum in illius executione praxim, multiplices contentiones super vero rectoque eius sensu inter ecclesiastica et saecularia tribunalia exortae fuerunt; quamplures Romani Pontifices, ac praesertim piae memoriae Clemens IX, Clemens X et Clemens XI, praedecessores similiter nostri, de praefatis contentionibus dilucidâ casuum exceptorum explicatione submovendis non semel, sicut accepimus, deliberarunt, facilioremque insuper eos probandi et declarandi methodum, ut eiusdem Gregorii praedecessoris mens plenius executioni demandaretur, curiis ecclesiasticis praescribere cogitabant; sed ab aliis distracti curis, ac interim morte praeventi, destinata perficere nequiverunt.

Confirmatio praedictae constitutionis ex motu proprio.

§ 3. Hinc igitur est quod nos, omnino expedire arbitrantes ut eiusmodi controversiis finis aliquando imponatur, eorumdemque praedecessorum pio atque salubri proposito inhaerentes, motu proprio, ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione imprimis providam memorati Gregorii praedecessoris constitutionem cum omnibus et singulis in eâ contentis atque dispositis amplissime confirmamus, approbamus et innovamus, et, quatenus opus sit, criminum in illâ exceptorum reis et delinquentibus immunitatem ecclesiasticam suffragari nequaquam debere iterum ac de novo decernimus et declaramus. Praeterea, non absque gravi animi nosri dolore animadvertentes, ob auctam atque in dies invalescentem perversorum hominum malitiam, saepe ac saepius nonnulla alia gravia crimina perpetrari, quae non minus, quam illa in Gregorianâ constitutione, ut praefertur, excepta, publicam quietem perturbant: proinde, ad delinquentium audaciam, ac eiusmodi delictorum frequentiam, quantum fieri poterit, coërcendam, pro apostolici muneris nostri debito ea, quae inferius explicabuntur, statuenda censuimus.

Declaratio et ampliatio eiusdem.

§ 4. Cum itaque praedictâ Gregorianâ constitutione cautum sit ut publicis latronibus, viarumque grassatoribus, qui itinera frequentata vel publicas stratas obsident, aut viatores ex insidiis aggrediuntur, immunitas ecclesiastica minime suffragetur, non levis autem inter doctores emerserit[1] controversia, an quis ex unico actu publicus latro et grassator dici possit, vel plures ad id actus requirantur: nos, eiusmodi controversiam dirimere intendentes, unicam tantum grassationem in viâ publicâ aut vicinali admissam sufficere ad hoc ut quis publicus latro et grassator dici valeat, dummodo tamen grassati mors aut membrorum mutilatio secuta fuerit, tenore praesentium definimus et declaramus. Insuper ab ecclesiasticae immunitatis beneficio excludimus atque re-

1 Edit. Main. legit *emersit* (R. T.).

pellimus, et pro exclusis atque repulsis haberi volumus, nedum eos, qui homicidia aut mutilationes membrorum in ecclesiis earumve coemeteriis committere audent, quemadmodum in Gregorianâ constitutione sancitum est, verum etiam eos, qui, stantes in ecclesiâ vel coemeterio, interficiunt stantes extra ecclesiam vel coemeterium, aut ipsis membrum mutilant, necnon eos, qui, stantes extra ecclesiam aut coemeterium, occidunt stantes intra ecclesiam vel coemeterium, aut iis membrum mutilant, ac eos tandem qui confugientibus vim inferunt, atque ipsos ab ecclesiâ aliove loco immuni violenter extrahunt et abducunt: declarantes in quatuor praemissis casibus eiusmodi reos non illius tantum ecclesiae, quam violarunt, sed cuiuscumque etiam alterius ecclesiae immunitate gaudere nequaquam posse aut debere. Ad haec in crimine assassinii non modo mandatarios, qui in ipsâmet Gregorianâ constitutione aperte excipiuntur, sed etiam mandantes, qui certum praemium aut mercedem sive in pecuniâ sive in aliis rebus tradiderint aut promiserint, quamvis promissio nullum habuerit effectum, dummodo assassinium re ipsâ patratum fuerit, ab ecclesiasticae immunitatis beneficio excludimus, ac pro exclusis perpetuo haberi volumus et mandamus. Excludimus pariter, repellimus atque privamus eiusdem immunitatis privilegio interficientes proximum suum animo praemeditato ac deliberato; falsificantes litteras apostolicas; ministros Montis Pietatis, vel alterius publici telonii, aut banci pro depositis principis privatarumque personarum destinati, furtum aut falsitatem in praedictis locis committentes, cuius ratione arca pecuniaria ita minuatur ut poenae ordinariae locus sit; conflantes, adulterantes vel tondentes quascumque monetas aureas vel argenteas, etiam principum exterorum, quotiescumque in loco aut provinciâ, ubi crimen admittitur, liberum habeant usum et commercium, vel ipsas monetas conflatas, adulteratas aut detonsas scienter ita expendere et erogare praesumentes ut fraudis conscii atque participes censeri possint; illos demum, qui sub nomine curiae sesè introducunt in alias domos animo ibidem perpetrandi rapinas, easque reipsâ committunt cum homicidio aut mutilatione membrorum alicuius ex domesticis earumdem aedium, vel etiam extranei quem ibi forte reperiri contigerit, dummodo homicidium vel membrorum mutilatio sequatur.

Omnes aliae declarationes abrogantur.

§ 5. Ceterum, cum diuturnâ experientiâ compertum fuerit curias ecclesiasticas in casibus, qui hactenus evenerunt, difficultates probare, et consequenter declarare potuisse delictum, pro quo quis ad ecclesiam confugerat, fuisse comprehensum in numero exceptorum, propter variam earumdem curiarum praxim et varias pariter opiniones doctorum qui antedicti Gregorii praedecessoris mentem, quoad normam ab ipso praescriptam recipiendi probationes et procedendi ad declarationem criminum exceptorum, interpretari voluerunt, statuimus, praecipimus et mandamus nullam in hoc de cetero haberi rationem cuiuscumque intepretationis eiusdem Gregorianae constitutionis, quae a quocumque doctore prodierit, neque praxis a quibuslibet curiis aut tribunalibus invectae, imo nec quarumcumque declarationum quae ab huius almae Urbis nostrae tribunalibus, sive etiam a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium immunitati ecclesiasticae praepositorum emanaverint, quatenus praesenti nostrae constitutioni adver-

sentur; sed in occurrentibus casibus normam hic a nobis praescribendam inviolabiliter ab omnibus observari volumus et sancimus.

Praescribitur forma extrahendi delinquentes ab ecclesiis.

§ 6. Quotiescumque igitur curia ecclesiastica a curiâ saeculari fuerit requisita ut laicum aliquem delinquentem e loco immuni extrahi ac illi consignari faciat, eaque super delicti excepti qualitate ac personae reiterate subministrata vel acquisita sint indicia[1] quae ad capturam decernendam sufficere videantur, tunc curia ecclesiastica ad eiusdem delinquentis extractionem ab ecclesiâ aliisque locis immunibus, ope ac medio suorum executorum, implorato etiam, quatenus opus sit, brachii saecularis auxilio, et cum interventu personae ecclesiasticae ab episcopo deputandae, procedere teneatur, extractumque ad suos carceres adsportari, ac ibi sub tutâ custodiâ detineri curet et faciat. Ubi vero ex processu informativo desuper conficiendo constet de crimine excepto ac insuper adversus eumdem extractum talia resultent indicia ut crimen ab eo fuisse patratum moraliter credi possit (quae quidem indicia iuxta regulas iuris vocantur ultra torturam), eo tandem casu praefatum extractum ministris et officialibus curiae saecularis tradere et consignare possit ac debeat, exactâ tamen receptâque prius ab ipsis obligatione in formâ iuris validâ restituendi extractum ecclesiae, sub poenâ excommunicationis latae sententiae nobis ac pro tempore existenti Romano Pontifici reservatae, quatenus idem extractus indicia contra ipsum acquisita in suis defensionibus purget ac diluat. Quod si ea minime purgaverit, et vere delinquens repertum fuerit, curiae saeculari in ipsum, tali casu, ut iuris esse censuerit, agere atque procedere liceat.

1 Edit. Main. legit *indicio* (R. T.).

Statuitur, iuxta constitutionem praefatam, et soli episcopi declarare valeant et delicta sint de numero exceptorum.

§ 7. Praeterea, considerantes saepedictum Gregorium praedecessorem in suâ constitutione optimo quidem iure sanxisse ut soli episcopi, et non alii episcopis inferiores, etiamsi locorum Ordinarii sint, aut nullius dioecesis, aut conservatores a Sede Apostolicâ specialiter vel generaliter deputati, cognoscere et declarare valeant an delicta, pro quibus inquisiti ad loca immunia confugerunt et in eis se receperunt, sint necne de genere ac numero exceptorum: nos, providam eiusmodi dispositionem approbantes et confirmantes, eique inhaerentes, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, tenore praesentium, quibuscumque magistratibus, officialibus et ministris saecularibus, necnon quibusvis aliis personis, cuiuscumque gradus et conditionis existant, etiamsi imperiali, regiâ, ducali, aut aliâ quavis mundanâ dignitate aut auctoritate praefulgeant, districte interdicimus ac inhibemus, ne huiusmodi causis, vel conficiendo processus, vel inquisito extrahendo a locis immunibus, vel declarando crimina, ab eis admissa, esse de exceptis in Gregorianâ aut in praesenti nostrâ constitutione, ullo pacto sese ingerant aut immisceant. Quod si secus quidquam attentare praesumpserint, ex nunc omnia, in contrarium praemissorum gerenda, irrita et inania, nulliusque roboris vel momenti perpetuo fore, ipsosque attentantes in censuras et alias poenas, a sacris canonibus et constitutionibus apostolicis adversus eos qui iurisdictionem ecclesiasticam quoquomodo laedunt ac violant inflictas, incurrere decernimus et declaramus; volentes, intendentes ac expresse mandantes quod omnimoda cognitio atque iudicium de criminibus in Gregorianâ constitutione exceptis et a nobis superius explicatis, tum etiam de aliis quae in praesenti

nostrâ constitutione adiicienda et similiter excipienda duximus, quemadmodum ut praefertur adiecimus et excepimus, ad episcopos tantum, privative quoad omnes alios, perpetuo spectet atque spectare debeat, et, donec ipsi in occurrentibus casibus declaraverint delictum esse de exceptis, et cetera omnia a nobis superius constituta adimpleverint, inquisitos ecclesiae, vel alterius loci sacri ad quem confugerunt, immunitate gaudere tuto debere, ac in eâ conservandos et manutenendos esse statuimus, praecipimus et mandamus.

Exhortatio ad episcopos super praedictis.

§ 8. Universos demum et singulos venerabiles fratres nostros patriarchas, primates, archiepiscopos et episcopos, quos huius nostrae constitutionis executores deputamus, in visceribus domini nostri Iesu Christi hortamur, et paternâ charitate admonemus, ut, quanti momenti sit hoc negotium serio cogitantes, in occurrentibus casibus qualitatem testium et probationum pondus summo studio ac vigilantiâ scrutentur, omnemque fraudem, dolum procul arceri satagant; quin etiam sacerdotali pectore, quotiescumque opus fuerit, iis omnibus obsistant, qui eiusdem praesentis constitutionis executionem ac observantiam quomodocumque temerario ausu impedire praesumerent. In reliquis porro casibus tam in hac nostrâ quam in Gregorianâ constitutione non exceptis, memores quam acriter semper et qua eximiâ ac prorsus singulari animi fortitudine maiores nostri pro ecclesiasticâ libertate ac immunitate pugnaverint, nihil de illâ imminui permittant, neque sacris iuribus labem ullam irrogari patiantur, sed ea pari sane zelo atque constanti tueri curent: ab omni tamen tumultu ac perturbatione caventes, ne, iactantiae causâ potius, quam miserationis et iustitiae titulo, ecclesiastica privilegia asserere velle videantur.

Clausulae.

§ 9. Decernentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque semper valida, firma et efficacia existere ac fore, suosque integros atque plenarios effectus ubique sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolicis auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quavis praeeminentiâ et potestate fungentes ac functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio.

§ 10. Non obstantibus Cancellariae nostrae Apostolicae regulis, necnon quorumcumque praedecessorum nostrorum litteris apostolicis, privilegiis, indultis et facultatibus, quibusvis personis, etiam speciali mentione dignis et quavis quantumcumque sublimi dignitate et auctoritate fulgentibus, et ex quibusvis etiam gravibus et urgentissimis causis, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, et consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas gene-

rales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones, ac alia etiam speciali expressione digna, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis ac reservatis respective habentes, hac vice dumtaxat, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Mandatur habenda fides transumptis.

§ 11. Ut autem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas seu earum exempla ad valvas ecclesiae Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum, necnon Cancellariae Apostolicae, Curiaeque generalis in Monte Citatorio, ac in acie Campiflorae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari, sicque publicatas et affixas, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent; utque ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrae voluntatis, sanctionis, praecepti, decreti, mandati, prohibitionis et derogationis infringere, aut ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXV, VI idus iunii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 8 iunii 1725, pontif. anno II.

LXXIV.

Confirmatur decretum magistri generalis Minorum de Observantiâ approbans bipartitam quamdam alternativam officiorum provinciae S. Saturnini martyris dicti Ordinis [1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio facti.

§ 1. Nuper, pro parte dilecti filii Antonii Mula, procuratoris provinciae S. Saturnini martyris Ordinis Minorum S. Francisci de Observantiâ ab illius definitorio specialiter deputati, nobis exposito, quod aliàs, nempe die XIX februarii MDCCVI, ad pacem in praefatâ provinciâ perpetuo servandam, ac seditiones exterminandas, quae in distribuendis officiis et muneribus ipsius provinciae oriri poterant, omnium voto et consensu stabilita fuerat alternativa inter fratres montanos ex unâ et campesinos ex alterâ partibus, scilicet quod, quando minister provincialis cum duobus definitoribus erit ex unâ parte, custos cum aliis duobus definitoribus fiat ex aliâ, et sic viceversâ, eligendo in primo capitulo, celebrando post huiusmodi concordiae confirmationem, ministrum provincialem ex parte montanorum; item ex undecim guardianis eligendis in praefatâ provinciâ, quinque quidem ex parte eiusdem ministri

1 De alternativâ officiorum pro provinciâ S. Antonii in Lusitaniâ Minorum de Observantiâ Discalceatorum, vide Innocentii XIII constit. edit. MDCCXXI, die 16 iunii, pontif. I; et huius Pontificis constit. edit. MDCCXXV, die 25 iunii, pontif. II, agitur de alternativâ officiorum Minorum de Observantiâ provinciae Siciliae.

provincialis, reliqui vero sex ex parte custodiae; ac insuper convenerant quod confessarius monialium monasterii sanctae Luciae assumendus sit ex parte ex qua assumptus fuerit idem provincialis; et quod lectores tum philosophiae tum sacrae theologiae et verbi Dei praedicatores, qui conventuales dicuntur, aequaliter utrique parti distribuantur; et, in casu vacationis ex quacumque causâ provenientis, subrogatio fiat, iuxta formam constitutionum generalium dicti Ordinis auctoritate apostolicâ confirmatarum, [1] ubi vacatio acciderit; in admittendis autem ad habitum, nova [2] alternativa servanda erit, sed, probatâ idoneitate, servatisque iuxta statuta generalia Ordinis praedicti servandis, indifferenter admittantur, dummodo in regno Sardiniae sint nati; et haec omnia, a praefatâ provinciâ concordata, a definitorio generali die XXII maii MDCCXXIII speciali decreto sub nullitatis poenâ confirmata fuerant: ideoque pro parte dicti Antonii etiam totius provinciae huiusmodi nomine nobis supplicato ut concordiam et alternativam praedictam approbare et sub eâdem poenâ observari mandaremus:

A Pontifice remissa illius approbatio ad Congregationem episcoporum et regularium, quae commisit ministro generali.

§ 2. Nos supplicem libellum, super praemissis nobis porrectum, ad Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositam remisimus; quae quidem Congregatio per suum decretum die XX aprilis proxime praeteriti editum, attentâ relatione dilecti filii moderni commissarii generalis Curiae eiusdem Ordinis, benigne commisit dilecto pariter filio illius ministro generali, ut, veris existentibus narratis, et quatenus ita in Domino expedire censuisset, suprascriptas concordiam et alternativam pro suo arbitrio et conscientiâ approbaret atque confirmaret, et in posterum ab omnibus sub poenâ nullitatis servari mandaret. Unde dictus minister generalis, in vim facultatis sibi sic attributae, edidit decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

A quo decretum hoc emanavit.

Cum, sicut accepimus ex retroscripto decreto sacrae Congregationis negotiis episcoporum et regularium praepositae, provincia nostra S. Saturnini martyris in regno Sardiniae ad eamdem sacram Congregationem supplici libello recurrerit pro confirmatione cuiusdam concordiae et alternativae communi voto et consensu decisae stabilitae et die XIX februarii anni MDCCVI approbatae, necnon a definitorio generali in capitulo ultimo Romae celebrato, decreto speciali emanato die XXII maii MDCCXXIII, atque eadem Congregatio, audito patre commissario generali curiae pro familiâ ultramontanâ, attentâque eiusdem relatione, arbitrio et conscientiae nostrae, prout in Domino expedire censuerimus, convenerit [1] praenarratam concordiam seu alternativam approbare et confirmare, atque ad eius firmiorem observationem omne robur opportunum adiicere: nos propterea, huiusmodi facultate et commissione, quam reverenter accepimus, utentes, certiores effecti de veritate narratorum, Deum ac bonum commune praefatae nostrae provinciae prae oculis habentes, dicimus, censemus ac declaramus, praefatam concordiam seu alternativam opportunam, quin et necessariam fore ad eliminandas discordias quae ex distributione officiorum tam maiorum quam inferiorum in capitulis tam provincialibus quam intermediis oriri contingunt, pacemque communem perpetuo firmandam, eamque propterea approbamus et confirmamus, atque futuris temporibus perpetuo [2] sub poenâ nullitatis cuiuscumque attentati contra ipsam. Sic nimirum, ut, bipartitâ provinciâ inter montanos et campe-

1 Videtur deesse *ex illâ parte* (R. T.).
2 Videtur legendum *nulla* pro *nova* (R. T.).

1 Videtur legendum *commiserit* (R. T.).
2 Videtur deesse *servandam esse decernimus* aut similia (R. T.).

stres alternativa in posterum inviolabiliter servetur in provincialatu, custodiatu et definitoriatibus et guardianatibus, adeout unâ vice ex parte montanorum eligatur minister provincialis et duo definitores, et ex parte campesinorum creetur custos et duo alii definitores; deinde ex undecim conventibus quibus constat praefata provincia, quinque adscribantur parti ex qua assumendus est provincialis, et reliqui sex parti ex qua eligendus est custos; item confessarius sanctimonialium S. Luciae deputabitur ex parte provincialis; ac tandem lectores tam philosophiae quam theologiae, sicuti praedicatores conventuales, instituantur ad aequalitatem utriusque partis; et in casu vacantiae unius vel alterius, substitutio fieri debebit ex illâ parte in quâ vacantia contigerit; in reliquis autem officiis et ministeriis, sicut in receptione novitiorum ad habitum, nulla alternativa servabitur, sed omnia iuxta statuta generalia Ordinis, atque praxim hucusque servatam distribuentur. Praecipimusque per sanctam obedientiam, sub poenâ privationis officiorum ac perpetuae inhabilitatis ad illa, omnibus et singulis tam patribus quam fratribus praefatae nostrae provinciae, ut hanc concordiam, seu alternativam, a nobis, auctoritate apostolicâ, approbatam, declaratam et confirmatam, admittere, exequi et servari teneantur. Datum Romae, die v maii anni MDCCXXV. — G. LAURENTIUS A S. LAURENTIO minister generalis. De mandato suae paternitatis reverendissimae, frater EMMANUEL FERNANDEZ DEL RIO, secret. gener. Ordinis. *Loco † sigilli*. Registr. tit. provinciae.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Antonius nobis subinde exponi fecit, ipse praemissa, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsum Antonium specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub

annulo Piscatoris, die IX iunii MDCCXXV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 9 iunii 1724, pontif. anno II.

LXXV.

Confirmatur decretum Congregationis Rituum in gratiam canonicorum Praemonstratensium Congregationis Hispaniae super indulto recitandi officia Sanctorum dicti Ordinis [1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Decretum refertur.

§ 1. Aliàs emanavit a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum, ad reiteratas preces dilectorum filiorum canonicorum regularium Congregationis Hispaniae Ordinis Praemonstratensium, decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Ordinis canonicorum Praemonstratensium Congregationis Hispaniae. Humillimis reiteratisque precibus nomine canonicorum Ordinis Praemonstratensium Congregationis Hispaniae porrectis, et ab eminentissimo et reverendissimo domino cardinali de Belluga in sacrâ Rituum Congregatione [2] benigne indulsit, ut ipsi, quamvis a gubernio et officio aliarum Congregationum praefati Ordinis sint divisi, in posterum officium omnium sanctorum dicti Ordinis iuxta ritum breviarii et missalis romani recitare et missas celebrare possint et valeant. Die XXIII septembris MDCCXXIV. — F. card. PAULUTIUS praefectus. N. M. TEDESCHI archiep. Apamenus, sacr. Rit. Congreg. secretarius.

Confirmatur.

§ 2. Cum autem [3], sicut pro parte eorumdem canonicorum nobis subinde expositum fuit, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII iunii MDCCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 18 iunii 1725, pontif. anno II.

---

1 Simile decretum pro iisdem confirmatum fuit ab Innocentio XIII, const. edit. MDCCXXIV, die 9 februarii, pontif. III; et huius Pontificis const. edit. MDCCXXVIII, die 8 martii, pontif. IV, confirmatur aliud decretum pro recitatione officiorum nonnullorum Sanctorum dicti Ordinis.

2 Viderentur quaedam deesse, ex. g. *relatis, eadem S. Congregatio* (R. T.).

3 Vocem *autem* nos addimus (R. T.).

LXXVI.

***Conceditur gymnasiis seu collegiis Societatis Iesu facultas eligendi sibi in specialem patronum beatum Aloysium Gonzaga* [1].**

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a debito promovendi cultum sanctorum.

Apostolicae servitutis officium, quod inscrutabilis divinae sapientiae atque bonitatis altitudo humilitati atque infirmitati nostrae credere dignata [2] est, ad spiritualium fidelium aedificationem salubriter exequi, adspirante superni favoris auxilio, iugiter satagentes, beatorum Christi servorum, qui, despectis saeculi vanitatibus, iugum Domini in sanctâ humilitate assumpserunt, et virtutum omnium coronâ redimiti, decurso feliciter mortalis vitae stadio, immarcescibilem gloriae coronam in caelis accipere meruerunt, cultum et venerationem in terris libenter promovemus, sicut Dei honori et laudi populorumque pietati convenire conspicimus.

Causae praesentis constitutionis.

§ 1. Gloriosa itaque beati Aloysii Gonzaga, Societatis Iesu, virginitate in primis ac vitae innocentiâ et principatus contemptu clarissimi, merita devotâ consideratione ingentique animi nostri gaudio recolentes, ac iuvenes, qui dilectorum filiorum clericorum regularium ipsius Societatis Iesu scholas frequentant, quique, sicut accepimus, eumdem beatum Aloysium uti peculiarem patronum iam a saeculo et ultra suâ sponte privatâque auctoritate colere coeperunt, ad eius vestigia et virtutum, quibus mirifice enituit, exempla sectanda, et opem, crebris illius intercessione ab omnipotenti Deo patratis miraculis testatam, in eorum necessitatibus et animarum periculis ferventius exposcendam, excitare cupientes, omnibus et singulis universitatibus, gymnasiis vel collegiis generalium publicorum vel studiorum [3], tam erectis quam erigendis, quae a clericis regularibus praedictae Societatis Iesu de praesenti reguntur aut in posterum regentur, ubicumque terrarum existentibus, ac scholaribus ibidem litterarum studiis operam nunc et pro tempore navantibus, ut de cetero perpetuis futuris temporibus memoratum beatum Aloysium, tamquam suorum liberalium studiorum atque innocentiae et castitatis in lubricâ praesertim iuvenili aetate diligentius custodiendae specialem patronum sibi deligere, habere, colere et venerari, illiusque festum quotannis die XXI mensis iunii celebrare, necnon iis ex praedictis scholaribus, qui ad horas canonicas tenentur, eâdem die in honorem dicti beati Aloysii officium recitare de communi confessoris non pontificis, sub ritu duplici minore, et, si qui pariter ex illis in sacro presbyteratus ordine constituti fuerint, missam etiam sub eodem ritu et de communi itidem confessoris non pontificis, in universitatum tamen, gymnasiorum seu collegiorum eiusmodi ecclesiis dumtaxat, die praedictâ celebrare iuxta rubricas breviarii ac missalis romani libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus. — Concessio ut in rubricis.

Clausulae.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Mandatur fidem adhibendam transumptis.

§ 3. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius superioris

1 Innocentii XI const. edit. MDCLXXXII, die 7 septembris, pontif. VI, confirmata fuit electio S. Ignatii in patronum regionis Cantabriae; et huius Pontificis const. edit. MDCCXXIV, die 3 iunii, pontif. I, publicata fuit canonizatio S. Francisci Borgia.

2 Edit. Main. legit *digna* (R. T.).

3 Forsan *vel particularium studiorum* (R. T.).

seu secretarii dictae Societatis subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae, vel praepositi, aut vicarii generalis eiusdem Societatis, pro tempore existentis, munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI iunii MDCCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 21 iunii 1725, pontif. anno II.

LXXVII.

Confirmatur concessio privilegiorum Congregationis Theatinorum Congregationi Clericorum regularium Minorum a Gregorio XIV facta [1].

Benedictus Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Sacrosanctum apostolatus officium, quod humilitatem nostram nullo licet meritorum suffragio gerere voluit Altissimus, iugiter postulat, ut, paternam sacrarum religionum et congregationum in militanti Ecclesiâ suaves et uberes fructus assidue praestantium curam exercentes, privilegia, gratias et indulta illis a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessa, quo solidiori robore perennent, cum id a nobis petitur, libenter constabiliamus [2].

A Gregorio XIV privilegia omnia Congregationis Theatinorum dictae Congregationi Clericorum Regularium Minorum concessa. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Didacus Zuiz, praepositus generalis Congregationis clericorum regularium Minorum, quod aliàs, postquam felicis recordationis Sixtus Papa V praedecessor noster eamdem Congregationem per quasdam suas litteras desuper in simili formâ Brevis die I iulii MDLXXXVIII expeditas approbaverat ac privilegiis decoraverat, subinde vero Gregorius XIV, praedecessor pariter noster, omnia et singula privilegia, praerogativas, concessiones, facultates, exemptiones, immunitates, indulta, indulgentias et peccatorum remissiones, ceterasque gratias spirituales et temporales, ac tam coniunctim quam divisim, etiam per viam communicationis vel extensionis, aut aliàs quomodolibet Congregationi presbyterorum Theatinorum nuncupatorum, illiusque generali, aliisque superioribus, officialibus, ministris et personis, eorumque domibus regularibus quibuscumque concessa, ac quibus dicta Congregatio Theatinorum eiusque domus regulares, necnon generalis, superiores, officiales, ministri, et aliae quaecumque illius personae, de iure, usu, consuetudine, privilegio, aut concessione apostolicâ, vel aliàs quomodolibet per viam communicationis et extensionis utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, eidem Congregationi clericorum regularium Minorum, illiusque domibus regularibus, necnon praeposito generali, aliisque superioribus, officialibus et ministris, ac aliis quibuscumque illius personis tunc et pro tempore existentibus, apostolicâ auctoritate perpetuo concessit, illaque omnia et singula ad dictam Congregationem clericorum regularium Minorum, illiusque domos regulares, necnon praepositum generalem, superiores, officiales, ministros et personas praedictas, itaut eadem Congregatio clericorum regularium Minorum, eiusque regulares domus [1], illorumque generalis,

[1] Laudata Gregorii XIV constit. edit. fuit MDXCI, die 18 februarii, pontif. I, et confirmata a Clemente VIII constit. edit. MDXCII, die 1 iulii, pontif. I.

[2] Ed. Main. legit *constabilimus* (R. T.).

[1] Edit. Main. legit *domos* (R. T.).

superiores, officiales, ministri et personae tunc et pro tempore existentes, praemissis omnibus et singulis aeque et pariformiter ac sine aliquâ differentiâ uti, potiri et gaudere libere et licite possent, perinde ac si singula praemissa illis specialiter et expresse ac principaliter, non autem ad instar, concessa, et suis litteris expressa, ac de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, inserta fuissent, dictâ auctoritate extendit, illaque omnia et singula Congregationi clericorum regularium Minorum huiusmodi illiusque domibus regularibus et personis praedictis communicavit; et aliàs, prout in ipsius Gregorii praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die XVIII februarii MDXCI expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri. Et postmodum piae memoriae Clemens Papa VIII, pariter praedecessor noster, per suas itidem litteras I iulii MDXCII expeditas, omnia et singula privilegia et gratias, eidem Congregationi clericorum regularium, sicut praemittitur, concessa, pari auctoritate confirmavit.

Confirmatio praedictae constitutionis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Didacus praepositus generalis praedictas[1] Gregorii praedecessoris litteras apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, specialem ipsi Didaco praeposito generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, concessionem et elargitionem Congregationi clericorum regularium Minorum huiusmodi omnium gratiarum et privilegiorum memoratae Congregationis Theatinorum etiam per viam communicationis et extensionis a praedicto Gregorio praedecessore per eius litteras supradictas factas, ut praefertur, eâdem auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus ac innovamus, necnon, quatenus opus sit, ea omnia et singula de novo concedimus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae dictus Gregorius praedecessor in suis litteris praedictis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides adhibenda transumptis.

§ 5. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, etc.[1].

Datum Romae, apud S. Petrum, sub

1 Male edit. Main. legit *praedictus* (R. T.).

1 Vide ut supra pag. 66 *b* (R. T.).

annulo Piscatoris, die XXIII iunii MDCCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 23 iunii 1725, pontif. anno II.

LXXVIII.

Erigitur oppidum Pontiscurvi provinciae Romanae in civitatem, eiusque collegiata ecclesia in cathedralem[1].

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a curâ Romani Pontificis omnium ecclesiarum, praesertim quae eius temporali dominio subiecta sunt.

In excelsâ Sedis Apostolicae speculâ, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, per ineffabilem Illius, cuius est terra et plenitudo eius, clementiam constituti, levamus iugiter in circuitu agri dominici mentis nostrae oculos, pervigilis more pastoris inspecturi quid provinciarum et locorum quorumlibet statui conveniat, quidque operis ad promovendum ubique spirituale christifidelium bonum impendi debeat. Dignum vero pontificiâ nostrâ sollicitudine in primis arbitramur et iustum, ut ad ea, quae ecclesiarum quarumcumque decorem et amplitudinem divinique cultus incrementum respiciunt, quaeque simul oppidorum illustrium, ac eorum praesertim quae Romani Pontificis etiam temporali dominio subiecta sunt, splendidiori ornamento conducere, et populis erga nos eamdemque Sedem fide ac devotione praestantibus peculiarem consolationem afferre possunt, studia curasque nostras libenter convertamus, nostrique pastoralis officii partes propensâ charitate desuper interponamus, prout pia eorumdem populorum vota postulant, et nos, maturâ adhibitâ consultatione, cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Causae praesentis erectionis et praedicti oppidi laudes.

§ 1. Cum itaque, sicuti pro parte dilectorum filiorum capituli et canonicorum saecularis et collegiatae ecclesiae S. Bartholomaei, necnon universitatis et populi oppidi nostri Pontiscurvi, Aquinatis dioecesis in provinciâ Romanâ, nuper expositum nobis fuit, idem oppidum inter alia illarum partium insigne et antiquitatis gloriâ percelebre, quippe quod ex ruinis veterum Fregellarum (clarae olim in Latio urbis) fuisse conditum existimatur, conspicuâ habitatorum incolarumque multitudine, benedicente Domino, refertum existat, ac septem parochialibus ecclesiis, quarum tres sunt collegiatae congruo canonicorum numero instructae, pluribus diversorum Ordinum virorum atque mulierum coenobiis, quatuor confraternitatibus laicorum, duobus hospitalibus, Monte pietatis pro subsidio pauperum, commendâ equitum Ordinis S. Ioannis Hierosolymitani, multis nobilibus aedificiis et non paucis familiis honestissimis decoretur, ac, ultra pagum S. Olivae nuncupatum sibi suppositum, amplum atque fructiferum habeat territorium, quod ad triginta circiter milliaria protenditur; retroactis vero temporibus plures in lucem ediderit sacros praesules, et alios vitae sanctimoniâ, optimarum disciplinarum cultu, et militari etiam laude illustres viros, adeoque a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris non specialibus modo gratiis et beneficiis ornari, sed civitatis quoque titulo aliquando appellari meruit: praeterea, cum episcopi Aquinates, ob caeli insalubritatem et domus episcopalis defectum, apud suam cathedralem ecclesiam, quae ceteroquin unum archipresbyterum cum sex tantum canonicis habet, residere non possint, ab antiquo tempore iugiter in antedicto

[1] Const. edit. MDCCXXV, die 16 iulii, pontificatus II, erigitur cathedralis Setina, et const. edit. MDCCXXV, die 23 maii, pontif. I, confirmata fuit erectio ecclesiae Urbinatensis in metropolitanam.

oppido Pontiscurvi resideant, et in memoratâ ecclesiâ S. Bartholomaei nobilis et amplae structurae, ubi archipresbyter, qui est unica dignitas, canonicus theologus, et decem alii adsunt canonici divinis officiis more cathedralium inservientes, cathedram fixam tenere, sacra olea conficere, ordines et functiones pontificales, quae Concilii Tridentini praescripto in cathedralibus ecclesiis peragi debent, decenter exercere ab antiquo etiam tempore consueverint; in eâdem insuper collegiatâ ecclesiâ honorifice asservetur et peculiari fidelium veneratione colatur sacrum corpus S. Frimoaldi confessoris, ipsius ecclesiae olim archipresbyteri et concivis, cuius nomen in martyrologio romano descriptum est: ad haec in praefato oppido speciosum extet episcopium a moderno episcopo propriis sumptibus cum curiâ et archivio constructum, ubi episcopus et illius vicarius in spiritualibus generalis habitare possunt et solent, eidemque palatio coniuncta conspiciantur duo satis ampla aedificia, quorum alterum pro Monte pietatis distinatum est, alterum vero usui seminarii inservit, in quo plures alumni ex universâ dioecesi delecti et convictores etiam non pauci probe educantur et ab idoneis praeceptoribus iis accurate instituuntur disciplinis, quas Tridentinum Concilium in seminariis ecclesiasticis tradi mandat: ac propterea capitulum et canonici, universitas et populus antedicti, oppidum Pontis et collegiatam ecclesiam S. Bartholomaei huiusmodi dignioribus titulis augeri, summopere exoptent, nobisque humiliter supplicaverint ut dictum oppidum in civitatem et dictam collegiatam ecclesiam in cathedralem erigere de benignitate apostolicâ dignaremur:

Erigitur prae-

§ 2. Nos igitur, praemissorum omnium et singulorum plenam certamque notitiam habentes, et capitulo, canonicis, universitati et populo praedictis, quos ob spectatam in nos ac Sanctam Sedem devotionem et fidem paternâ charitate diligimus, specialem gratiam facere, necnon venerabilem fratrem Iosephum modernum episcopum Aquinatem dictumque oppidum (promerita[1], et signanter quod ibidem palatium episcopale, ut praefertur, ac seminarium et Montem pietatis, novamque etiam cathedralem Aquini loco veteris collapsae, quam in minoribus constituti iam collabentem propriis oculis dolenter inspeximus, aedificia[2] curaverit, ac insuper episcopalis mensae proventus multipliciter auxerit, archiepiscopi Tyanensis titulo nuperrime insignivimus) benigno et grato favore prosequi volentes, omnibusque et singulis praemissis, nobis ut praefertur expositis[3], pro verificatis et iustificatis habentes, motu proprio, ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, oppidum praefatum in civitatem Pontiscurvi deinceps nuncupandam, cum omnibus iuribus, praerogativis, honoribus et praeeminentiis, quibus aliae civitates earumque cives utuntur, potiuntur et gaudent, ac[4] uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, et saecularem collegiatam ecclesiam S. Bartholomaei huiusmodi in cathedralem, sub eâdem invocatione, et in eâ sedem episcopalem pro episcopo Aquini et Pontiscurvi seu Fregellarum coniunctim etiam nuncupando, qui in illâ et civitate praedictâ omnia et sin-

dictum oppidum in civitatem, eiusque collegiata in cathedralem; Sedi Apostolicae immediate subiicitur.

1 Videretur legendum *quem pro meritis*, nempe episcopum (R. T.).

2 Potius lege *aedificari* (R. T.).

3 Potius lege *omniaque et singula praemissa, nobis ut praefertur exposita*, (R. T.).

4 Edit. Main. legit *ut* pro *ac* (R. T.).

gula, quae ordinis et iurisdictionis ac cuiuscumque alterius muneris episcopalis sunt, exerceat; necnon cum omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, indultis et gratiis, quibus aliae cathedrales ecclesiae, earumque praesules, de iure vel consuetudine, aut aliàs quomodolibet, utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, ad omnipotentis Dei laudem et gloriam, ac ipsius S. Bartholomaei honorem, et christifidelium devotionis augmentum, tenore praesentium perpetuo erigimus et instituimus; illasque sic erectas et institutas, necnon episcopum pro tempore existentem, ac ipsius ecclesiae capitulum, Sedi Apostolicae immediate etiam perpetuo subiicimus, et sub peculiari beatorum Petri et Pauli apostolorum protectione suscipimus.

Ecclesia praedicta in cathedralem erecta ecclesiae Aquinati unitur cum quibusdam ordinationibus sede episcopali vacante.

§ 4. Praeterea, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, cathedralem ecclesiam S. Bartholomaei Pontiscurvi huiusmodi antiquae cathedrali ecclesiae Aquinati aeque principaliter perpetuo unimus, itaut in posterum eadem ecclesia S. Bartholomaei Pontiscurvi cathedralis cum ecclesiâ Aquinate sit ac esse debeat, et episcopus, pro tempore existens, episcopus Aquinas et Pontiscurvi seu Fregellanus coniunctim esse et nominari debeat, necnon in actibus consistorialibus ac in litteris apostolicis super promotione novi episcopi ad praedictas Aquinatem et Pontiscurvi, seu Fregellarum, ut concathedralis[1] eiusdem ecclesiae Aquinatis: conditione tamen adiectâ, quod, eveniente sedis episcopalis vacatione, capitulum ecclesiae Aquinatis, uti antiquius, inconsulto et minime audito capitulo dictae cathedralis ecclesiae Pontiscurvi seu Fregellanae, ad electionem vicarii capitularis procedere valeat, et, qui ab eodem capitulo Aquinate canonice electus et deputatus fuerit vicarius capitularis, suam iurisdictionem etiam in ecclesiâ Pontiscurvi seu Fregellanâ, ut hactenus consuevit, exercere libere possit, eâ plane ratione quam nos observari decrevimus atque mandavimus, tam in electione vicarii capitularis, quam etiam in omnibus aliis actibus consimilem concathedralitatem respicientibus, cum nuper ecclesiam Setinam declaravimus cathedralem et unitam a felicis recordationis Honorio Papa III aeque principaliter ecclesiae Tarracinensi, et, quatenus post eiusmodi unionem cathedralis esse desiisset vel nunquam cathedralis extitisset, eam denuo in cathedralem ereximus, eidemque Terracinensi; ecclesiae aeque principaliter in perpetuum univimus; quemadmodum in litteris apostolicis hoc eodem anno Incarnationis dominicae MDCCXXV, III kalendas maii, a nobis in simili formâ sub plumbo desuper expeditis, uberius continetur.

Promittitur canonicis eiusdem cathedralis concessio rocchetti et cappae magnae.

§ 5. Ceterum, cum expositum nobis fuerit archipresbyterum et canonicos cathedralis ecclesiae Aquinatis ex antiquo apostolico privilegio in omnibus ecclesiasticis functionibus deferre solitos esse rocchettum cum cappâ magnâ, aequum vero iustumque arbitremur ut inter illos et archipresbyterum atque canonicos cathedralis ecclesiae Pontiscurvi seu Fregellanae praedictae nullum prorsus intercedat discrimen, sed utrique iisdem omnino canonicalibus indumentis utantur: ipsis modernis ac pro tempore existentibus archipresbytero et canonicis eiusdem ecclesiae S. Bartholomaei Pontiscurvi seu Fregellanae per alias nostras ab ipsis per cancellariam, ut moris est, expediendas litteras apostolicas benigne indulgebimus, ut rocchettum et cappam magnam eo prorsus modo iisque

[1] Potius legerem *cathedralem* (R. T.).

temporibus, quibus praedicti archipresbyter et canonici antiquae cathedralis ecclesiae Aquinatis eiusmodi indumenta gestare hactenus consueverunt, [1] in eorum ecclesiâ quam in capitulo vel extra, ac in processionibus etiam funeralibus et aliis quibuscumque functionibus, postquam tamen litteras nostras indultis eiusmodi per cancellariam ut praefertur expediendas obtinuerint, et non ante, deferre possint et valeant.

Clausulae peculiares.

§ 6. Decernentes, easdem praesentes litteras semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, ac nullo unquam tempore ex quocumque capite vel qualibet causâ, quantumvis legitimâ et iuridicâ, etiam ex eo quod capitulum, archipresbyter et canonici dictae ecclesiae Aquinatis, seu quicumque alii, cuiuscumque dignitatis, gradus et praeeminentiae sint, in praemissis omnibus et singulis et circa ea quomodolibet et ex quavis causâ, ratione, actione vel occasione ius vel interesse habentes seu habere praetendentes, illis non consenserint, aut ad id vocati et auditi, et causae, propter quas eaedem praesentes emanaverint, adductae, verificatae ac iustificatae non fuerint, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis seu invaliditatis vitio, vel intentionis nostrae, aut ius vel interesse habentium consensûs, aut quolibet alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato et inexcogitabili, ac specificam et individuam mentionem ac expressionem requirente defectu, sive etiam ex eo quod in praemissis eorumque aliquo solemnitates, et quaevis alia, servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite a iure vel facto aut statuto vel consuetudine aliquâ resultante, seu enormis, enormissimae, totalisque laesionis, aut quocumque colore, praetextu, ratione vel causâ, etiam in corpore iuris clausâ, occasione, aliave causâ, etiam quantumvis iustâ, rationabili, legitimâ, iuridicâ, piâ, privilegiatâ, etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostrâ et aliis superius expressis nullibi appareret, nec aliàs probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris vel facti aut gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu simili concesso vel impetrato aut emanato uti seu se iuvare in iudicio vel extra posse, neque ipsas praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes et Sedem Apostolicam praedictam, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, et ex quibuslibet causis, et sub quibusvis verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiamsi in eis de eisdem praesentibus earumque toto tenore ac datâ specialis mentio fiat, pro tempore factis et concessis ac faciendis et concedendis comprehendi, sed, tamquam ad maius bonum tendentes, semper et omnino ab illis excipi, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum, ac eum in quo antea quomodolibet erant, statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacum-

1 Videtur deesse *tam* (R. T.).

que posteriori datâ quandocumque eligendâ concessas esse et fore, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, aut vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, aut alios quoscumque quavis auctoritate, potestate, praerogativâ et privilegio fungentes, ac honore et praeeminentiâ fulgentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quocumque iudicio et quacumque instantiâ iudicari et definiri debere, ac, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Derogatoriae amplae.

§ 7. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet editis vel edendis etiam in synodalibus, provincialibus, universalibusque conciliis, specialibus vel generalibus, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac praedictarum ecclesiarum Aquinatis et Pontiscurvi seu Fregellarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, eorumque reformationibus et novis additionibus, stylis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis ac locis quibuscumque, etiam specificâ et expressâ ac individuâ mentione dignis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu pari, ac consistorialiter, aut aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, in contrarium praemissorum concessis, approbatis, confirmatis et innovatis, etiamsi in eis caveatur expresse quod illis per quascumque litteras apostolicas, etiam motu simili pro tempore concessas, et quascumque etiam derogatoriarum derogatorias in se continentes, derogari non possit, neque censeatur eis derogatum; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut quaecumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et clausulas, etiam quantumvis praegnantes, pias, privilegiatas, praesentibus pro plene et sufficienter ac de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertis, expressis et specificatis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum omnium et singulorum validissimum effectum, hac vice dumtaxat, latissime et plenissime et sufficienter, necnon specialiter et expresse, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, harum serie derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum erectionis, institutionis, unionis, concessionis, indulti, praecepti, mandati, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani, anno Incarnationis dominicae MDCCXXV, IX kalendas iulii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 23 iunii 1725, pontif. anno II.

LXXIX.

Confirmantur quaedam litterae patentes ministri generalis Ordinis Minorum de Observantiâ circa alternativam officiorum provinciae Siciliae eiusdem Ordinis, cum deputatione provincialis et definitoris [1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Pastoralis officii nobis divinitus commissi sollicitudo nos admonet, ut, paternam religiosorum virorum, qui, spretis mundi illecebris, Altissimi obsequiis sese sub suavi arctioris vitae iugo devoverunt, curam gerentes, ea quae pro [2] tollendis animorum dissidiis, stabiliendâque inter eos fraternâ concordiâ, provide constituta esse noscuntur, quo firma semper atque illibata persistant, apostolici muniminis nostri praesidio roboremus.

Expositio facti.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Laurentius a S. Laurentio minister generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, quod ipse, in vim facultatis sibi a nobis attributae in provinciâ Siciliae dicti Ordinis ternativam, sive officiorum distributionem in tres partes, inter fratres nempe Messanensis, Catanensis et Pactensis respective conventuum eiusdem provinciae per viginti septem annos servandam, quae pro primâ vice a fratribus Messanensibus inchoare debeat, decrevit per quasdam suas patentes litteras tenoris qui sequitur, videlicet:

Litterae patentes praedictae.

Frater Laurentius a S. Laurentio lector iubilatus, sacrae Congregationis Indicis consultor, supremae et universalis Inquisitionis qualificator, examinator cleri romani, sacri Montis Sion exguardianus, et totius Ordinis sancti patris nostri Francisci minister generalis, nostrae observantiae provinciae Siciliae salutem.

Sanctissimus dominus noster dominus Benedictus Papa XIII, pacifico tranquilloque provinciarum omnium curae nostrae concreditarum regimini, unde fraterna concordia et suavior solidiorque in singulis conventibus regularis disciplinae promotio pendere dignoscitur, per opportuna in dies remedia, maxime vero per leges iustitiae distributivae, pro speciali suo erga seraphicum Ordinem vigilantiae pastoralis affectu, proinde consulturus, cum sedulo animadvertisset perantiquam istam et olim florentissimam Observantem provinciam Siciliae viginti septem conventibus in praesentiarum instructam esse, quorum plerique, ob exiguum religiosorum in totâ eâdem provinciâ numerum, magnamque cellarum et necessariarum aliarum rerum angustiam, vix possunt qualitercumque manuteneri, ideoque praesentaneo iustitiae distributivae remedio ad eorumdem instaurationem connaturalius certiusque promovendam potissimum indigere: propterea nobis, ut opportunam, iuxta modum infra explicandum, ferremus opem, sub die XXII mensis martii nuper elapsi, necessariam omnem atque idoneam contulit facultatem. Cuius proinde vigore, maturâ deliberatione perhabitâ, ad infrascriptum decretum desuper edendum devenimus.

Provincia Siciliae praedicta in tres districtus dividitur.

1. Ac primo provinciam ipsam totam, salvâ eius unitate, in tres districtus numero conventuum sibi ferme cohaerentium pares commissâ nobis antedictâ pontificiâ facultate distinguimus, videlicet in Messanensem, Catanensem et Pactensem, sic in posterum charitatis atque ordinis servandi gratiâ nuncupandos. Ad quorum primum novem hosce conventus decernimus pertinere, nimirum: 1. S. Mariae Iesu superioris ut vocant, et 2. S. Mariae Iesu inferioris, utrumque in Messanâ civitate; necnon 3. S. Catharinae Fortalitii, 4. SS. Trinitatis Venetici, 5. Sanctae Mariae Iesu S. Luciae, 6. S. Mariae Iesu Castriregalis, et 7. S. Antonii Bavellonae, quibus aggregamus, servandae aequa-

[1] Const. edit. MDCCXXV, die 9 iunii, pontif. II, confirmatum fuit aliud decretum ministri generalis de bipartitâ alternativâ officiorum provinciae S. Saturnini eiusdem Ordinis.

[2] Praeposit. *pro* nos addimus (R. T.).

litatis intuitu, 8. S. Nicolai Cephaladii, et 9. S. Francisci Castrilucii. Ad secundum vero seu Catanensem districtum novem hos alios: 1. S. Agathae Veteris in urbe Catanâ, 2. S. Blasii Terrae Aci, 3. S. Antonii abbatis Paternionis, 4. S. Mariae Iesu Randatii....[1], et 7. S. Mariae Iesu Tauromeniis, quibus aggregatos pariter volumus, 8. S. Mariae Iesu Laupatii, et 9. S. Antonini martyris Castriboni. Similiter ad tertium in ordine districtum seu Pactensem, vulgo dictum *della Costa*, sequentes novem alios pertinere decernimus: 1. S. Antonii civitatis Pactarensis, 2. S. Antonii Montisalbani, 3. Sanctae Mariae Iesu Terrae S. Petri, 4. SS. Annunciatae Raccudiae, 5. S. Francisci S. Angeli, 6. S. Francisci Pilaini, 7. S. Mariae Iesu Ficazzae, 8. S. Mariae Iesu Nasi, et 9. SS. Annunciatae Galatensis. Atque ita distinctos et coordinatos tres huiusmodi districtus pro tempore infra declarando haberi volumus et iubemus.

Decernitur praedicta ternativa seu officiorum distributio in tres partes.

II. Eâdem deinde auctoritate sancimus ut in provinciali capitulo proxime celebrando minister et unus definitor ex primo, seu Messanensi districtu; custos vero et unus item definitor ex secundo, seu Catanensi; duo autem reliqui definitores ex tertio seu Pactensi districtu sint assumendi per totum capitulare triennium ex more ac regulariter duraturi. In capitulo vero subsequenti, minister quidem unusque definitor ex secundo districtu Catanensi, custos et definitor alius ex tertio districtu Pactensi, duoque definitores reliqui ex primo Messanensi. Pariterque in alio subsequuturo capitulo, minister et unus definitor ex tertio districtu Pactensi, custos aliusque definitor ex Messanensi, reliqui vero bini definitores ex Catanensi districtu assumi omnino debeant. Et eo turno per tres capitulares electiones, ut praefertur, absoluto, rursus a capite incipiendum sit, ut eodem ordine eâdemque methodo capitulares electiones peragantur, donec turnus istiusmodi per tres vices incboetur et absolvatur. Porro, si intra tempus ad id necessarium, quod viginti septem annorum cursum complecti dignoscitur, fortasse contigerit commissarium, vicarium, seu quovis alio titulo provincialem superiorem, quacumque de causâ designandum, eligendum sive instituendum esse, non ex alio districtu assumi ullatenus possit, quam ex eodem, unde minister eius triennii iuxta turnum praememoratum assumptus fuit, sive assumi debuit. Quod etiam de custode, si quando iuxta Ordinis constitutiones reeligendus in capitulo ipso vel extra capitulum fuerit, observari decernimus et declaramus. Eaque omnia sub electionum aliter factarum nullitate, absque declaratione aliâ, seu[1] facti ipsius notorietate inspectâ, sancita ac decreta esse intelligantur; salvo ceteroqui, in casu vacantiae unius vel plurium definitorum, eo subrogationis iure et ordine, quem idem sanctissimus dominus noster summus Pontifex in constitutione, cuius initium *Universalis Ecclesiae regimini*, non ita pridem editâ aut[2] promulgatâ, servari in posterum praecepit: sic videlicet in locum defuncti, seu quomodolibet vacantis definitoris, ille omnino subrogetur, cui subrogatio, ex praedictae constitutionis dispositione, deferenda fuerit, cuiuscumque districtus extiterit.

Declarantur nonnulla avertentiae litis causa.

III. Declaramus autem, antevertendae litis et perplexitatis gratiâ, ad eum districtum praedictae provinciae singulos religiosos tam praesentes quam futuros pertinere, in quo natus quisque fuerit respective. In casu autem dubio utrum locus nativitatis religiosi alicuius ad conventus primi, secundi vel tertii districtus pertinere censendus sit, necnon in casu certo quod religiosus extra provinciae confinia natus ad nullum eorum nativitatis suae iure pertineat, liberum sit eidem, ad quem districtum aggregari maluerit, patribus definitorii, post praesentiis decreti publicationem primo congregandis, exponere et declarare; nec amplius ei liceat semel factam districtus electionem quacumque de causâ rescindere, sublatâ etiam patribus definitorii rescissionis seu variationis huiusmodi facultate: salvâ tamen tam super hac re quam super dubiis aliis quae circa reliqua praesenti decreto sancita fortassis

1 Desunt 5 et 6 (R. T.).

1 Videtur *sed* pro *seu* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *ut* pro *aut* (R. T.).

emerserint declarandis nostrâ et pro tempore existentium superiorum generalium auctoritate.

Praescribitur omnibus praesens decretum servandum.

IV. Praecipimus ergo, apostolicâ eâdem auctoritate suffulti, vobis omnibus et singulis ministro, custodi, definitoribus, ceterisque patribus et fratribus Observantis istius provinciae nostrae Siciliae, nunc et pro antedicto vigintiseptem annorum tempore existentibus et extituris, in virtute Spiritus Sancti, et sub electionum aliter factarum seu faciendarum nullitate ipso facto ut praemisimus incurrendâ, necnon sub privationis vocis activae et passivae, perpetuaeque inhabilitatis ad officia et praelaturas Ordinis, pariter ipso facto, aliisque nostro et successorum nostrorum arbitrio pro modo culpae infligendis poenis, ut praesens decretum, quoad omnes eius partes, eiusdemque seriem, continentiam et tenorem, tamquam filii obedientiae omnino exacteque servetis, ac servari et exequi respective satagatis. Mandantes propterea, mox ubi vobis definitorii patribus, seu ministro vel custodi praesentatum fuerit, ut, convocato definitorio primum, deinde per totam provinciam transmissis eius exemplaribus, publicetur, atque in singulis postea capitulis et congregationibus, antequam suffragia ex more ferantur, vocalibus sive electoribus intimetur, reposito in protocollo provinciae hoc ipso authographo nostro, nobisque desuper monitis, per authenticum documentum praesentis totius definitorii subscriptione ac sigillo firmatum, de illius publicatione exactaeque observantiae sponsione. Et ita decernimus, praecipimus et mandamus, hoc et omni alio meliori modo. Datum Romae, XVI aprilis MDCCXXV. — G. LAURENTIUS A S. LAURENTIO minister generalis. — De mandato reverendissimi nostri in Christo patris, frater ANTONIUS A MAZARIA segretarius generalis Ordinis. *Loco † sigilli.*

Confirmatio relatarum litterarum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ut litterae praeinsertae firmius subsistant et in partibus executioni demandentur et serventur exactius, idem Laurentius minister generalis illas apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsius Laurentii ministri generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas patentes litteras cum omnibus et singulis in eis contentis et expressis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Deputatur minister provincialis et definitor dictae provinciae.

§ 3. Praeterea, ad hoc ut dicta ternativa sive distributio officiorum suum sortiatur effectum, eidem provinciae Siciliae de idoneis ministro provinciali et definitore ex commisso nobis divinitus dispensationis munere providere cupientes, ac de dilectorum filiorum Ioannis a Messanâ, lectoris iubilati et actualis definitoris, ac Leonardi pariter a Messanâ fide, prudentiâ, doctrinâ, pietate et religionis zelo plenam habentes in Domino fiduciam, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, praedictum Ioannem in ministrum provincialem, ac Leonardum in definitorem provinciae Siciliae huiusmodi, cum omnibus et singulis praerogativis, praeeminentiis, facultatibus, auctoritate, privilegiis, gratiis et indultis, ac honoribus et oneribus solitis et consuetis, dictâ auctoritate constituimus et deputamus. Mandantes propterea in vir-

tute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae aliisque arbitrio nostro imponendis poenis, omnibus et singulis praedictae provinciae superioribus, fratribus et personis, ceterisque ad quos spectat et spectabit in futurum, ut supradictos Ioannem et Leonardum ad officia eis respective per easdem praesentes demandata illorumque liberum exercitium recipiant et admittant, illosque recognoscant, eisque, in omnibus quae ad officia praedicta pertinent, pareant et obediant, faveantque et assistant respective.

Clausulae.

§ 4. Ac decernentes, ipsas praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictisque Ioanni et Leonardo, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio quibuscumque obstantibus.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis et provinciae ac conventuum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides adhibenda transumptis.

§ 6. Volumus autem ut[1] earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, etc. [2].

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXV iunii MDCCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 25 iunii 1725, pontif. anno II.

LXXX.

Declaratur Ordo B. M. V. de Mercede redemptionis captivorum ut unus ex Ordinum Mendicantium[3].

Benedictus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Æternus aeterni Patris filius Iesus Christus redemptor noster, et pro nobis a vetustate peccati servitutis iugo redimendis pretiosissimum divini sui cruoris thesaurum in arâ crucis effundere, et captivam in caelum nostram ducere dignatus captivitatem, quos ipse super tantae suae charitatis constituens opus, praecipuo honore et gloriâ coronatos in caelis, coronari voluit et in terris, ut mundus intelligeret operis dignitatem, eamque per condignam mercedis copiositatem prosequeretur in illo. Hinc est quod nos, qui tam amantissimi Redemptoris, summâ eius sic disponente bonitate, vices gerimus in eisdem terris, ad promovendam hominum redemptionem, quo nostrae ex alto conceditur infirmitati, suo assidue in corde nostro provocamur exemplo (attendentes quod, postquam plurimi Romani Pontifices praedecessores nostri in dilectos filios fra-

1 Particulam *ut* nos addimus (R. T.).
2 Reliqua ut pag. 72 *b* (R. T.).
3 De privilegiis huius Ordinis vide Alexandri VIII const. edit. MDCXC, die 26 (21 ?) iulii, pontif. I.

tres Ordinis B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum nuncupati, ob innumera pietatis incrementa quae eorumdem fratrum opere et sermone iuxta eorum laudabile et caelitus ad redimendos captivos fideles infidelibus misere inservientes emissum institutum efflorebant, eaque admirati, innumeras propemodum gratias et privilegia ex inexhausto Ecclesiae thesauro providâ apostolicae libertatis[1] manu depromptas debite contulerant, fratres praedicti, opportuno gratiarum et privilegiorum huiusmodi adiuti subsidio, uberiores[2] ad redemptionis huiusmodi foecunditatem divinique nominis gloriam propagandam magis magisque efferre non desinunt in dies), aequum, quin debitum reputamus gratias et privilegia huiusmodi non solum approbare, verum etiam approbata ex benignitate nostrâ ampliare, ut, ampliatis sibi a nobis et Sede Apostolicâ favoribus, ampliores militanti Ecclesiae, Dei sponsae, referant triumphos.

A pluribus Romanis Pontificibus concessa fuere privilegia dicto Ordini.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, aliâs, et postquam felicis recordationis Innocentius IV, Alexander IV, Paulus V, Gregorius XV, Urbanus VIII, aliique Romani Pontifices praedecessores nostri, insignem, et per B. Petrum Nolasco, Raymundum de Pennafort, et clarae memoriae Iacobum I, dum viveret, Aragoniae regem (quibus et eorum cuilibet ipsamet beatissima Virgo serenâ fronte se conspiciendam dedit, et acceptissimum sibi et unigenito filio suo fore dixit si suum in honorem institueretur Ordo religiosorum, quibus cura incumberet captivos a Turcarum tyrannide liberandi) fundatum, et apostolicâ auctoritate approbatum, Ordinem fratrum B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum nuncupatum (cuius quidem Ordinis fratres huiusmodi, ex piissimo eiusdem eorum Ordinis instituto, non solum mundi illecebras eorumque propriam voluntatem abnegare, verum etiam pro christifidelibus captivis sub barbarâ infidelium potestate gementibus eisque[1] ab huiusmodi durâ servitute redimendis assidue in Domino elaborare, ac etiam pro unius redemptione captivi paganorum captivitati se tradere, ac, si opus fuerit, mortem et tormenta quaelibet generoso et constanti animo subire, Altissimo devovent et profitentur), ad enutriendum tam laudabile praedicti Ordinis propositum, ac exhibendum debitum erga Ordinem ipsum eorum paterni amoris affectum, eumdem Ordinem quampluribus laudibus, privilegiis, gratiis et indultis merito decoraverunt ac insigniverunt, prout in Innocentii, Alexandri, Pauli, Gregorii, Urbani, aliorumque praedecessorum praedictorum respective litteris desuper expeditis plenius continetur,

Item ab Alexandro VIII privilegia omnia aliorum regularium.

§ 2. Eiusdem recordationis Alexander Papa VIII, etiam praedecessor noster[2], qui, dum cardinalatus honore fulgeret, dicti Ordinis protector auctoritate deputatus extitit, mature per eum perpensis gravissimis discriminibus et periculis quae eiusdem Ordinis fratres seu religiosi in procurandâ captivorum redemptione subire coguntur, ad tam pium opus per eos eo alacrius continuandum et utilius exequendum, praedicto Ordini illiusque domibus et regularibus locis sub illo comprehensis, necnon magistro generali pro tempore existenti, definitoribus et procuratoribus generalibus, visitatori, consultoribus, assessori, superioribus, provincialibus et conventualibus, aliisque cuiuscumque nominis officialibus, superioribus et religiosis omnibus et singu-

1 Forsan *liberalitatis* (R. T.).
2 Deest verbum *fructus* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *eosque* (R. T.).
2 Alexander VIII const. leg. in tom. XX, pagina 62 (R. T.).

lis in eo professis fratribus pro tempore ad captivos redimendos transmissis, et capitulis generalibus, personis regularibus, novitiis, conversis, donatis, oblatis, ministris, famulis quibuscumque, tam officiariis quam domesticis, et eorum domibus inservientibus, et ceteris dicti Ordinis ac illius domorum et regularium locorum personis quibuscumque pro tempore existentibus, necnon quibusvis aliis personis ac christifidelibus illorum ecclesias seu capellas pro tempore visitantibus, ut omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, praeeminentiis, antelationibus, concessionibus, indultis, favoribus, indulgentiis, aliisque praerogativis et gratiis universis et singulis, tam spiritualibus quam temporalibus, singulis domibus, conventibus et aliis regularibus locis ac personis tam canonicorum quam clericorum regularium ubivis existentium institutis, et non solum Ordinibus, monasteriis, sed etiam regularibus Mendicantium et non Mendicantium, tam pro redimendis captivis quam aliàs quomodolibet Ordini SS. Trinitatis redemptionis captivorum, illiusque domibus, conventibus et fratribus, necnon omnibus et quibuscumque congregationibus regularibus, et praecipue clericorum regularium Infirmis Ministrantium, et canonicorum Congregationis SS. Salvatoris Lateranensis, et S. Salvatoris de Bononià, ac etiam S. Ruffi Valentiae et S. Crucis Colimbriae, clericorum regularium de Somasca, et Pauperum Matris Dei et Scholarum Piarum, ipsisque monasticis congregationibus, etiam Cassinensi, aliisque monachis et monasteriis S. Benedicti, S. Hieronymi, Carmelitis Discalceatis, conventui B. Mariae de Guadalupe, necnon Societati Iesu, ipsisque Carthusiensium, Praemonstratensium et Reformatorum Cisterciensium, Servitarum, Olivetanorum Ordinibus, aliisque familiis et societatibus regularibus, militiis, hospitalibus quibuscumque et piis locis regularibus, ac quibuscumque personis pro tempore existentibus praedictorum et quorumlibet Ordinum, societatum et congregationum regularium, per Sedem praedictam ac quoscumque Romanos Pontifices, necnon eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et quosvis Sedis praedictae nuncios, vel etiam tam apostolicà praedictà quam ordinarià et regià vel imperiali auctoritatibus respective, aut aliàs quomodolibet, quibuscumque verborum expressionibus et tenoribus, in genere vel in specie, ac particulariter, tam per modum communicationis et ampliationis, quam simplicis, et individuae, particularis et specialis concessionis, ac etiam motu proprio et ex certà scientià, et de apostolicae potestatis plenitudine, etiam iteratis vicibus, concessis vel confirmatis aut approbatis, et quibus illi tam in vità quam in mortis articulo, etiam circa peccatorum remissiones et iniunctarum poenitentiarum relaxationes, aut aliàs quomodolibet de iure, usu aut privilegio vel consuetudine quomodolibet utebantur et gaudebant, ac uti et gaudere poterant, quamvis illa essent specialis notae digna, difficilisque concessionis, et quae in generali concessione non venirent, non solum per participationem, communionem, illarum extensionem, et ad aliorum instar, sed specialim et nominatim, pariformiter et aeque principaliter in omnibus et per omnia absque ullà prorsus differentià, perinde ac si illa dicto Ordini B. Mariae de Mercede, illiusque capitulis generalibus, magistro generali pro tempore existenti, illiusque superioribus et personis praedictis specialiter et expresse et nominatim, etiam per viam et modum simplicis et indivi-

duae ac particularis et specialis concessionis, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ et de apostolicae potestatis plenitudine, aut communicationis et ampliationis concessa [1], quatenus tamen essent in usu et non revocata nec sub aliquâ revocatione comprehensa, uti et gaudere libere et licite possent et valerent (itaut omnes et singuli dicti Ordinis B. Mariae de Mercede et illius domorum locorumque regularium superiores et ministri, quocumque nomine appellati, eosdem favores, gratias apostolicas et privilegia, quae aliarum religionum, Ordinum, congregationum, societatum, etiam Societatis Iesu, monasteriorum, conventuum, domorum, aut locorum regularium et familiarum generales, superiores, praepositi, provinciales, rectores, priores conventuales aut claustrales, visitatores, guardiani, custodes, et alio quocumque nomine, titulo aut dignitate insigniti, habebant, similiter ut supra haberent, fratres et personae [2] regulares dicti Ordinis B. Mariae de Mercede [3], cum privilegiis, gratiis et favoribus apostolicis Ordinum et congregationum huiusmodi, perpetuo secundum observantiam regularium [4] et canonicum institutum dicti eorum Ordinis B. Mariae de Mercede regere et gubernare et respective visitare valerent, neque dictus Ordo B. Mariae de Mercede super praedictis omnibus et singulis a quoquam quavis auctoritate vel nomine molestari, perturbari, inquietari, aut aliàs quomodolibet in iudicio et extra impediri posset), apostolicâ auctoritate perpetuo concesserit et indulserit, prout in eiusdem Alexandri VIII praedecessoris litteris, desuper in formâ Brevis sub annulo Piscatoris die XXVI [1] mensis iulii anni Domini MDCXC pontificatus sui anno I expeditis, plenius quoque continetur;

Et a Clemente XI idem Ordo alio honore decoratus.

§ 3. Et subinde felicis etiam recordationis Clemens Papa XI pariter praedecessor noster, eiusdem Ordinis B. Mariae Virginis de Mercede redemptionis captivorum magistro ac illius procuratoribus generalibus tunc et pro tempore existentibus praedictis locum in capellâ pontificiâ nostrâ, tunc suâ, unâ cum aliis Ordinum Mendicantium magistris et procuratoris generalis [2], etiam perpetuo habere decreverit et assignaverit, prout dicti Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis captivorum huiusmodi magister et procurator generales habent de praesenti:

Causae praesentis constitutionis.

§ 4. Hinc est quod nos, Ordinem B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum huiusmodi, in quo vitae sanctimonia, litterarum scientia, et laudabilis erga proximos pietas semper floruerunt et florescere non desinunt in dies, ac illius fratres, qui per sollicitas eorum actuosae vitae partes illa in agro militantis Ecclesiae componunt christianae charitatis serta quibus redimita triumphat Ecclesia, paternâ quoque nostrâ benevolentiâ prosequentes, attendentesque quod [3] (licet Ordo B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum huiusmodi, illiusque fratres praedicti, ex praemissis sibi, ut praefertur, concessis et indultis, tum quia non minus quam ceteri fratres Mendicantes in excolendâ

1 Deest verbum *fuissent* (R. T.).
2 Potius legerem *fratresque et personas* (R. T.).
3 In loc. parall. tom. XX, p. 64 *a* haec adduntur: *magistri generales, superiores, ministri et ceteri alii cuiuscumque appellationis, praepositi et praefecti in dicto Ordine B. Mariae de Mercede expresse professi et in eius gremio et observantiâ viventes fratres et personas regulares dicti Ordinis B. Mariae de Mercede*; at syntaxis perplexa est (R. T.).
4 Aptius in l. parall. legitur *regularem* (R. T.).

1 In tom. XX, p. 65 *b* legitur *21* (R. T.).
2 Forsan *procuratoribus generalibus* (R. T.).
3 Deinceps syntaxis confunditur (R. T.).

vineâ Domini assidue laborant ac ingentes afferunt fructus, et ad procurandam semper copiosiorem captivorum huiusmodi, qui ab eis usque nunc redempti ad septuaginta mille sexcentorum, et septuaginta novem, et forsan ultra, numerum ascendunt, redemptionem, ad consulendum dicti Ordinis B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum fratrum praedictorum longinquas regiones pro redimendis captivis ipsis adeuntium manutentione[1], qui eleemosynas piasque fidelium largitiones et subventionem ab eisdem fidelibus mendicare coguntur, ac quoties, iuxta ea quae Deo voverunt, pro alicuius captivi redemptione se pro illo in servitutem tradunt, ac duro tribulationis pane et amarâ angustiae aquâ substentantur, propterea Ordo B. Mariae de Mercede Redemptionis captivorum huiusmodi vere unus ex Ordinibus Mendicantium, illiusque fratres vere Mendicantes merito habendi sint et haberi debeant, ac omnibus et singulis privilegiis, gratiis et indultis, quibus Mendicantium quatuor Ordines illorumque fratres utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, aeque pariter uti, frui, potiri et gaudere possint ac etiam debeant) cum tamen id aliquando, ac forsan etiam ex eo quod Ordo B. Mariae de Mercede Redemptionis captivorum huiusmodi bona stabilia ex ipsius instituto et constitutionibus apostolicâ auctoritate confirmatis possidet[2], in dubium seu controversiam aliquam deduci vel revocari posset:

Declaratio ut in rubrica. § 5. Nos, omnem et quamcumque ambiguitatem et controversiam, quandocumque, quomodocumque, et ex quovis capite vel praetextu desuper orituram, omnino penitusque amputare volentes, necnon fratres praedicti Ordinis B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum huiusmodi, eorumque singulares personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, ac dicti Ordinis B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum, ac instituti, constitutionum et dispositionum, necnon privilegiorum, immunitatum, indulgentiarum et gratiarum, Mendicantium fratribus huiusmodi quomodolibet concessarum, ac litterarum desuper confectarum, tenores praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ merâque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, et ex voto Congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium decretorum Concilii Tridentini interpretum, Ordinem B. Mariae de Mercede Redemptionis captivorum huiusmodi, illiusque magistrum generalem, ac fratres, illorumque singulas personas, vere et non ficte Mendicantes fuisse, esse et fore, et inter aliorum fratrum et religiosorum Mendicantium Ordines, aliosque fratres et religiosos Mendicantes (prout illos nos connumeramus) connumerari debere, ac omnes et singulas dispositiones, in favorem religiosorum seu fratrum Mendicantium hactenus emanatas, etiam in Ordine B. Mariae de Mercede Redemptionis captivorum huiusmodi, illiusque domibus, conventibus, magistro generali, aliisque religiosis locum habere, necnon omnia et singula, quaecumque, quotcumque et qualiacumque sint, etiam speciali notâ digna, privilegia, immunitates, exemptiones, fa-

1 Videtur legendum *manutentioni* (R. T.).
2 Edit. Main legit *possident* (R. T.).

cultates, concessiones, indulta, indulgentias, peccatorum remissiones, et gratias tam spirituales quam temporales, litterasque apostolicas, etiam iustitiam sive mixtim concernentia, hactenus per nos et quoscumque alios Romanos Pontifices tam praedecessores quam successores nostros, et denique Sedem Apostolicam praedictam, et illius legatos de latere, sive nuncios, et quavis auctoritate fungentes, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, tam in genere quam in specie, et tam communiter et coniunctim, quam particulariter et divisim, etiam per modum extensionis seu communicationis, et aliàs quomodolibet, quibusvis Ordinibus fratrum et sororum Mendicantium, quocumque nomine nuncupentur, illorumque congregationibus, conventibus et capitulis, ac utriusque sexus personis, ac illorum monasteriis, domibus, ecclesiis, hospitalibus et aliis piis locis hactenus concessa et in posterum concedenda, quorum omnium et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent, pro expressis et insertis haberi volumus, eidem Ordini B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum huiusmodi, illiusque patribus praedictis, ac omnibus illius personis ac conventibus ubique terrarum sitis (ita quod Ordo B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum huiusmodi illiusque fratres et personae praedictae omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, concessionibus, indultis, indulgentiis, remissionibus, gratiis et litteris, eisdem fratrum et sororum Mendicantium Ordinibus, congregationibus, conventibus, capitulis, personis, monasteriis, domibus, ecclesiis, hospitalibus et aliis piis locis, ut praefertur, hactenus concessis et in posterum concedendis, dummodo instituto Ordinis B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum huiusmodi, illiusque fratrum seu deputatorum personarum huiusmodi voluntati et beneplacito non refragentur, uti, frui, potiri et gaudere libere et licite possint in omnibus et per omnia, non solum ad illorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter absque ullâ prorsus differentiâ, perinde ac si Ordini B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum huiusmodi illiusque fratribus et conventibus praedictis nominatim et specialiter ac generaliter concessa fuissent)[1] apostolicâ auctoritate perpetuo sancimus, volumus et declaramus, ac pariter concedimus et indulgemus.

Clausulae particulares et amplissimae.

§ 6. Praesentes quoque litteras nullo unquam tempore per nos et Sedem praedictam revocari aut limitari vel illis derogari posse, neque sub ullis similium vel dissimilium gratiarum, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, nunc et pro tempore emanatis et in posterum emanandis, comprehendi, sed semper ab illis excipi, et, quoties eas revocari, suspendi, limitari vel eis derogari contigerit, toties in pristinum et eum in quo antea quomodolibet erant statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, et denuo, etiam sub quacumque posteriori datâ, per pro tempore existentes Ordinis B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum huiusmodi magistrum generalem illiusque fratres praedictos eligendâ, concessas esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et, ut perpetuo subsistant, vim validi et efficacis contractus inter Sedem Apostolicam praedictam et dictum Ordinem B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum huiusmodi illiusque fratres prae-

1 Desunt verba *concessa esse et fore* (R. T.).

dictos habere debere, sicque et non aliàs per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, necnon praedictae S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, sublatà eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, definiendi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, et, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Omnibus iniungitur executio praedictorum.

§ 7. Quocirca dilecto filio nostro pro tempore existenti praedictae S. R. E. cardinali Ordinis B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum huiusmodi protectori, ac venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis, episcopis, ac dilectis etiam filiis eorum vicariis in spiritualibus, aut officialibus generalibus, et causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori, necnon abbatibus, prioribus, praepositis, decanis, archidiaconis, canonicis et capitulis, ac aliis, ad quos id quomodolibet spectat et spectabit, motu simili per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum pro tempore existentium Ordinis B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum huiusmodi magistri generalis illiusque fratrum vel alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, faciant eos praemissis omnibus et singulis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis tamen ad formam decretorum Concilii huiusmodi processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus declarando, aggravando, reaggravando, invocando etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio quibuscumque obstantibus.

§ 8. Non obstante nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de non expediendis litteris super indulgentiis ad instar, ac recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII de unâ, et Concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas quis vigore earumdem praesentium ad iudicium non trahatur, ac Calisti III, Romanorum Pontificum similiter praedecessorum nostrorum, quae incipit *Super gregem dominicum*, per quas fratres Ordinis B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum huiusmodi ad Ordines Mendicantium transire prohibentur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem praedictam, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac cum quibusvis irritativis, annullativis, cassativis, revocativis, modificativis, praeservativis, exceptivis, declarativis, attestativis, et derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi in eis caveatur expresse quod illis nullatenus derogari possit, ac[1] pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque tenoribus specialis, specifica et expressa mentio

[1] Particulam *ac* non addimus (R. T.).

habenda seu aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse motu pari derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter aut divisim ab eàdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint[1] per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Sanctio poenalis.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, sanctionis, voluntatis, declarationis, concessionis, indulti, elargitionis, decreti ac derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXXV, VII idus iulii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 8 iulii 1725, pontif. anno II.

LXXXI.

Confirmatur et innovatur erectio ecclesiae Setinae in cathedralem, eiusdemque unio cum ecclesiâ Terracinensi[2].

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Regis pacifici vices quamquam immeriti gerentes in terris, inter cetera cordis nostri desiderabilia, illud sinceris semper exoptamus affectibus, ut personae ecclesiasticae, praesertim capitulis cathedralium ecclesiarum addictae divinisque obsequiis famulantes, vota sua in pacis amoenitate Altissimo reddant, ac unanimes et uno ore Deum glorificent. Quapropter, si quae pro litibus et controversiis inter eas superseminante zizania humani generis hoste exortis evellendis penitusque extirpandis aliàs concessimus et indulsimus, illa, ne in recidivae contentionis vitium denuo prolabantur, apostolicae nostrae confirmationis, declarationis, ac novae concessionis munimine roboramus, ac alias desuper pastoralis officii nostri partes, quantum nobis divinâ dispositione conceditur, sedulo impendimus, ut personae ipsae ecclesiasticae in pacis et quietis dulcedine tranquillis mentibus gratum Altissimo impendere valeant famulatum.

Ab hoc Pontifice declaratum fuit ecclesiam Setinam esse cathedralem et ecclesiae Terracinensi unitam.

§ 1. Cum itaque nos nuper, per alias nostras litteras sub datum videlicet Laterani anno Incarnationis dominicae MDCCXXV, tertio kalendas maii, pontificatus nostri anno I expeditas[1], motu proprio nostro inter cetera declaraverimus ecclesiam Setinam cathedralem extitisse tam antequam eadem ecclesia Setina a felicis recordationis Honorio Papa III praedecessore nostro unita fuisset ecclesiae Terracinensi, quam postquam eadem ecclesia Setina a praedicto Honorio praedecessore eidem ecclesiae Terracinensi unita fuerat, ac demum, etiamsi praedicta ecclesia Setina nunquam cathedralis extitisset, nihilominus eamdem ecclesiam Setinam de novo in cathedralem erexerimus, eamque dictae ecclesiae Terracinensi aeque principaliter perpetuo univerimus, prout latius dictis litteris continetur:

Causae prae-

§ 2. Cumque ex nonnullis supplicibus

1 Edit. Main. legit *possit* (R. T.).

2 Constit. edit. MDCCXXV, die 23 iunii, pontif. II, erectum fuit oppidum Pontiscurvi in civitatem, eiusque collegiata in cathedralem; et const. edit. MDCCXXVIII, die 15 novembris, pontif. V, erigitur terra Fabriani in civitatem, eiusque collegiata S. Venantii in cathedralem.

1 Litterae huiusmodi desunt (R. T.).

sentis confirmationis.

libellis nobis porrectis nuper acceperimus, modernos capitulum et canonicos praedictae ecclesiae Terracinensis aliosque eis adhaerentes indebite praetendere litteras praedictas de subreptionis vel obreptionis vitio notari posse ex eo quia praedicta ecclesia Setina, ut ipsi asserunt, nunquam cathedralis extiterit, et in praedictis litteris indebite expressum fuerit quod pro tempore existentes episcopi in eâdem ecclesiâ Setinâ plerumque sacra olea conficere aliasque functiones episcopales exercere consueverint, ac nonnulla alia, a venerabili fratre nostro moderno episcopo Terracinensi et Setino nobis exposita, viribus non subsistere, necnon omissum fuerit in praedictis litteris etiam modernos seu tunc existentes capitulum et canonicos saeculares in insigni collegiatâ ecclesiâ B. Mariae oppidi civitatis nuncupati Piperni liti, quae in causarum palatii nostri apostolici auditorio pendebat inter capitulum et canonicos ecclesiarum Terracinensis et Setinae per nos in eisdem litteris extinctae, interfuisse et adhaesisse;

Confirmatio erectionis dictae ecclesiae in cathedralem et unionis ecclesiae Terracinensi, cum nonnullis declarationibus.

§ 3. Nos, inviolabili dictarum litterarum subsistentiae, firmitati et validitati, quantum in Domino possumus, consulere, ac litteras praedictas, sic ut praefertur expeditas, suum plenarium effectum obtinere ac perpetuis futuris temporibus ab omnibus et singulis personis tam ecclesiasticis quam saecularibus observari debere ac nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio notari posse volentes, motu simili, et ex certâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine merâque deliberatione nostris, firmis et illaesis remanentibus avocatione causae, extinctione litis, impositione silentii, gratiis, indultis, concessionibus, clausulis et decretis, omnibusque aliis et singulis in dictis litteris contentis et expressis, ac, quatenus opus sit, litem et causam huiusmodi de novo avocantes, ac penitus et omnino extinguentes, ac perpetuum silentium lite et causâ praedictis etiam de novo super imponentes, litteras praedictas, sic ut praefertur expeditas, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos, tam iuris quam facti, ac quosvis alios quantumvis substantiales defectus, etiam ex aliquâ erroneâ expressione provenientes, si qui in praemissis aut eorum aliquo quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici, censeri vel praetendi possit, tollimus et abrogamus ac supplemus et sanamus, et eisdem modernis capitulo et canonicis, ac personis quibuscumque, etiam saecularibus, ecclesiae et respective civitatis et dioecesis Terracinensis huiusmodi, ac quibuslibet aliis personis cuiuscumque alterius civitatis loci vel dioecesis, etiam ecclesiasticis vel saecularibus, perpetuum super praemissis et infrascriptis omnibus silentium pariter imponimus, et, pro maiori tam praedictarum quam praesentium litterarum nostrarum validitate et subsistentiâ, dicimus, decernimus et respective declaramus nostrae mentis et intentionis fuisse delarare dictam ecclesiam Setinam a praedicto Honorio praedecessore unitam extitisse aeque principali praedictae ecclesiae Terracinensi ob alias causas a praedicto moderno episcopo Terracinensi nobis expressas nullo habito respectu ad unam, duas vel plures functiones sacrorum oleorum in dictâ ecclesiâ Setinâ factas, aut ad unum vel plura sepulchra episcoporum, quae in eâdem ecclesiâ Setinâ reperiantur, in quorum aliquo aderat inscriptio *Episcopus Terracinen-*

sis et Setinus, aut quod ibidem episcopi nunquam olea sacra confecissent.

Causae novae erectionis.

§ 4. Denique certam notitiam habentes quod episcopi Terracinenses pro tempore existentes, ob aëris insalubritatem civitatis Terracinensis, apud eam aliquibus tantum mensibus hyemalibus residere possunt, ibique nec decens palatium episcopale, nec carceres, nec tribunal, minusque seminarium reperitur, et eadem civitas Terracinensis vix ad bismille animas ascendit (quapropter episcopi ab antiquissimo tempore in civitate Setinâ retinuerunt curiam, cancellariam episcopalem, tribunal, carceres, cathedram fixam, quamvis ligneam, decens palatium et seminarium, et, ab antiquissimo etiam tempore maiori anni parte in civitate Setiae, quae septem millibus circiter animabus constat, residentiam habuerunt), ac sedulo considerantes quod pro tempore existentes episcopi cum maiori decore et commodo, etiam ob aëris salubritatem, in praedictâ civitate Setiae residere possunt, aliisque etiam de causis nobis ut praefertur notis et animum nostrum moventibus, motu simili, nullâ aliâ causâ aut expressione seu consideratione habitâ, ex nostrâ plenâ, liberâ et omnimodâ apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, eamdem ecclesiam S. Mariae Setinae, etiamsi nunquam cathedralis extiterit, et etiamsi de dictâ unione factâ a dicto Honorio praedecessore non constet, quatenus opus sit, in cathedralem de novo erigimus, praedictaeque ecclesiae Terracinensi aeque principali etiam perpetuo unimus.

Nova erectio praedicta.

Clausulae peculiares.

§ 5. Ac erectionem et unionem praedictas, sic de novo etiam vigore earumdem praesentium a nobis ut praefertur factas, semper et perpetuo firmas, validas et efficaces esse et fore, et nihil imposterum contra praedictas ac praesentes nostras litteras quovis modo et ex quavis causâ opponi posse, motu pari etiam decernimus et declaramus; praesentes quoque et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, ac nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causâ, quantumvis legitimâ et iuridicâ, etiam ex eo quod iidem moderni, capitulum et canonici dictae ecclesiae Terracinensis, aut alterius cuiuscumque ecclesiae, seu quicumque alii, cuiuscumque dignitatis, gradus, conditionis et praeeminentiae sint, in praemissis omnibus et singulis, et circa ea quomodolibet, et ex quavis causâ, ratione, actione vel occasione ius vel interesse habentes seu habere praetendentes, illis non consenserint, aut ad id vocati et auditi, et causae, propter quas eaedem praesentes emanarint, adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis seu invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut ius vel interesse habentium consensûs, aut quolibet alio quantumvis magno et substantiali inexcogitato et inexcogitabili ac specificam et individuam mentionem et expressionem requirente defectu, sive etiam ex eo quod in praemissis eorumque aliquo[1] solemnitates et quaevis alia, servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite a iure vel facto aut statuto vel consuetudine aliquâ resultante, seu etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, aut quocumque alio colore, praetextu, ratione vel causâ, etiam in corpore iuris clausâ, occasione, aliâve causâ, etiam quantumvis iustâ, rationabili, legitimâ, iuridicâ, piâ, privilegiatâ, etiam tali quae ad effectum validitatis prae-

1 Edit. Main. legit *alio* pro *aliquo* (R. T.).

missorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostrâ et aliis superius expressis nullibi appareret seu aliàs probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris vel facti. aut gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu simili concesso vel impetrato aut emanato uti seu se iuvare in iudicio vel extra posse, neque ipsas praesentes litteras sub quibusvis similium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes et Sedem Apostolicam praedictam, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ex quibuslibet causis, et sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiamsi in eisdem[1] praesentibus earumque toto tenore ac datâ specialis mentio fiat, pro tempore factis et concessis, ac faciendis et concedendis, comprehendi, sed, tanquam ad maius bonum tendentes, semper et omnino ab illis excipi, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum, ac eum in quo antea quomodolibet erant, statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ quandocumque eligendâ concessas esse et fore, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos dictaeque Sedis nuncios, et alios quoscumque quavis auctoritate, potestate, praerogativâ et privilegio fungentes ac honore et praeeminentiâ fulgentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quocumque iudicio et in quacumque instantiâ iudicari et definiri debere, et, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane pariter decernimus.

§ 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet editis vel edendis, etiam in synodalibus, provincialibus, universalibusque conciliis, specialibus vel generalibus, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac praedictarum[1] Terracinensis et Setinae, aliarumque[2] ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, eorumque reformationibus et novis additionibus, stiylis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis ac locis quibuscumque, etiam specificâ, expressâ et individuâ mentione dignis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu pari, ac consistorialiter, aut aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus in contrarium praemissorum con-

Derogatio ampla contrariorum.

1 Prorsus interiicienda hic est praepos. *de*, ut legatur *etiamsi in eisdem de praesentibus... specialis mentio fiat* (R. T.).

1 Edit Main. legit *praedictorum* (R. T.).

2 Edit Main. legit *aliorumque* (R. T.).

cessis, approbatis, confirmatis et innovatis, etiamsi in eis caveatur expresse quod illis per quascumque litteras apostolicas, etiam motu simili pro tempore concessas, quascumque etiam derogatoriarum derogatorias in se continentes, derogari non possit, neque censeatur eis derogatum; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut quaecumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et causas, etiam quantumvis praegnantes, pias et privilegiatas, praesentibus pro plene et sufficienter, ac de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertis, expressis et specificatis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum omnium et singulorum validissimum effectum, hac vice dumtaxat, latissime et plenissime ac sufficienter, necnon specialiter[1] et expresse, motu, scientià et potestatis plenitudine similibus, harum serie derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae extinctionis, avocationis, approbationis, confirmationis, roboris, adiectionis defectuum, abrogationis, suppletionis, sanationis, silentii impositionis, decreti, declarationis, erectionis, unionis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXXV, XVII kalendas augusti, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 16 iulii 1725, pontif. anno II.

1 Edit. Main. legit *speciali* (R. T.).

LXXXII.

Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium pro perpetuâ pace in provinciâ Polonâ Carmelitarum servandâ[1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Expositio facti.

§ 1. Nuper emanavit a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ, in causâ Polonâ praetensae concordiae inter dilectos filios fratres antiquae observantiae, ex unâ, et fratres Reformatos Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo, ex alterâ partibus, vertente de et super validitate dictae assertae concordiae, occasione capituli provincialis in civitate Cracoviensi die XXIII iunii MDCCXIII celebrati, decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum praedictum.

« In causâ Polonâ praetensae concordiae vertente inter patres Carmelitas antiquae observantiae, ex unâ, et patres assertos Reformatos eiusdem Ordinis et provinciae Polonae, ex alterâ partibus, de et super validitate seu invaliditate dictae assertae concordiae inter ipsos patres firmatae occasione capituli provincialis in civitate Cracoviensi celebrati sub die XXIII iunii MDCCXIII, et ex quo pro illius confirmatione et executione die XXIV septembris MDCCXIX sub falsâ narrativâ et expositione Breve a sanctae memoriae Clemente XI subreptive et obreptive fuerit extortum, rebusque aliis non bene compositis. — Commissâ igitur cognitione

1 Aliâ const. ed. MDCCXXIV, die 27 iulii, pontif. I, confirmatum fuit decretum Congregationis disciplinae super reformatione in duobus conventibus Carmelitarum in regno Siciliae.

huiusmodi causae ac illius finali decisione, ex speciali commissione manu sanctissimi signatâ, ad hanc sacram Congregationem, proposita fuerunt infrascripta dubia, nempe: An intret arbitrium pro aperitione [1] oris: et, quatenus affirmative: An Breve Clementinum sit exequendum in casu, etc.: Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, iuribus hinc inde distributis mature perpensis, partibus auditis et informantibus, referente eminentissimo Francisco cardinali Barberino ponente: Ad primum affirmative: Ad secundum negative respondit. — Romae, XXII iunii MDCCXXV. — F. card. PAULUTIUS. *Loco † sigilli.* P. A. archiepiscopus Larissae secretarius.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dicti fratres antiquae observantiae nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praedictae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dictis exponentibus in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis, ad quos spectat et pro tempore expectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI iulii MDCCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 21 iulii 1725, pontif. anno II

LXXXIII.

Confirmantur litterae apostolicae Sixti V, Urbani VIII et Innocentii XI, necnon decretum iudicum querelarum et controversiarum sacri Concilii Romani in favorem abbatialis ecclesiae

1 Edit. Main. legit *aperitionis* (R. T.).

et abbatis Montis Cassini Ordinis sancti Benedicti[1].

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad futuram rei memoriam.

Exordium a curâ Ordinum regularium.

Quod inscrutabilis divinae sapientiae atque bonitatis altitudo humilitati nostrae, meritis licet ac viribus longe impari, committere dignata est, sacrosancti apostolatus officium a nobis exigit, ut omnium quidem Ordinum regularium, quorum in numero nos ipsi iamdudum sacrum Praedicatorum institutum professi fuimus, paternam geramus curam, sed eos potissimum pontificiae dilectionis brachiis complectamur, foveamus et traditae nobis caelitus auctoritatis praesidio tueamur, unde uberes atque suaves in militantem Ecclesiam fructus iugiter profluxisse quotidieque profluere compertum est. Hos inter praecipuus sane locus iure debetur Ordini, quem magnus ille occidentalium monachorum parens catholicaeque Ecclesiae lumen splendidissimum Benedictus instituit, et per alumnos suos a mari usque ad mare et usque ad terminos orbis terrarum mirifice propagavit. Cuius quidem sacri et religiosissimi Ordinis professores quam eximio universam Ecclesiam cunctarum christianarum virtutum fulgore illustraverint[2], quamque praeclare de orthodoxâ religione, deque hac ipsâ Sanctâ Sede omni tempore meriti fuerint, illustria Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum praeconia et monumenta testantur. Quamobrem et charitatis stimulo urgemur et iustitiae lege compellimur praedicti Ordinis, et Congregationis praesertim Cassinensis, ac monasteriorum illi subiectorum felicem prosperumque statum omni curâ et vigilantiâ provehere, eorumque bona, iura et privilegia quaecumque sarta tecta et illibata custodire, ac iis etiam, quae pro illorum indemnitate et quiete recte ac provide constituta fuisse comperimus, ut firmius subsistant et perpetuis futuris temporibus observentur exactius, apostolicae confirmationis robur atque munimen adiicere, quatenus eorumdem coenobiorum monachi nullâ re, quae eos a religioso proposito divinoque cultu avocet, praedicti[1], secundum regularia praefati Ordinis instituta tranquillis mentibus gratum Altissimo impendere possint famulatum.

Ecclesia abbatialis monasterii Cassinensis praerogativa cathedralis gavisa est ab immemorabili, et eius abbas iurisdictione quasi episcopali.

§ 1. Expositum siquidem nobis nuper fuit pro parte dilecti filii procuratoris generalis antedictae Congregationis Cassinensis, quod licet[2] ecclesia abbatialis sacri et celeberrimi monasterii a S. Benedicto in Monte Cassino fundati in provinciâ Romanâ ab antiquissimo ac immemorabili tempore cathedralis, vel quasi, denominatione et praerogativâ gavisa sit, eiusdemque monasterii abbas pro tempore existens in eâ et aliis finitimis ecclesiis et locis iurisdictionem episcopalem, vel quasi, exercere consueverit: quam sane iurisdictionem felicis recordationis Sixtus Papa V praedecessor noster prae caeteris amplissime confirmavit per suas litteras apostolicas sub plumbo expeditas tenoris sequentis, videlicet:

Constitutio Sixti V de abbatis monasterii Cassinensis iurisdictione quasi episcopali.

Sixtus episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Benignitas Apostolicae Sedis consueta, ea quae per Romanos Pontifices pro tempore

1 Laudatae constit. hic insertae, editae sunt, illa Sixti V, ann. MDLXXXVI, die 28 (20) februarii, pontif. V, altera Urbani VIII, ann. MDCXXXIX, die 30 maii, pontif. XVI, demum illa Innocentii XI, ann. MDCLXXXVII, die 22 martii, pontif. XI.

2 Edit. Main. *illustraverunt* (R. T.).

1 Videtur legendum *praepediti* (R. T.).

2 Syntaxis absolvetur infra pag. 235 *b* ad verbum *Nihilominus* (R. T.).

pro[1] religionis incremento et decore facta fuisse noscuntur, libenter approbat, eisque apostolici muniminis robur adiicit, illaque de novo concedit, prout conspicit in Domino salubriter expedire. Sane pro parte dilectorum filiorum abbatis et conventus monasterii in Monte Cassino Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis nullius dioecesis exhibita nobis petitio continebat, quod dictum monasterium per diversos Romanos Pontifices praedecessores nostros multis et variis gratiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus et indultis cumulatum et decoratum fuit, illiusque abbas pro tempore existens nemini subest, sed omnimodam iurisdictionem, episcopalem ac proprium territorium ac ius congregandi synodum habeat, prout illam congregasse et in eâ examinatores elegisse, ac posse concursum instituere, examinare, approbare, oeconomos deputare, necnon sacramentum Chrismatis contulisse, et commissiones gratiarum apostolicarum debitae executioni demandasse constat, iuxta declarationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilio Tridentino interpretando praefectorum desuper factam. Cum autem ea, quibus dictae Sedis intercedit[2] auctoritas, melius observentur, ac proinde, sicut eadem petitio subiungebat, ipse abbas et conventus cupiant praemissa dictae Sedis patrocinio communiri: pro parte eorumdem abbatis et conventus nobis fuit humiliter supplicatum quatenus eorum desiderio in praemissis annuere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, abbatem et singulares personas conventûs huiusmodi a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon tenores omnium et singulorum privilegiorum praedictorum praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula privilegia, immunitates, gratias, facultates et indulta, praesertim conferendi sacramentum Chrismatis, dummodo illud sit prius per catholicum antistitem gratiam et communionem dictae Sedis habentem consecratum, concursum pro conferendis beneficiis ecclesiasticis curatis in mensibus apostolicis faciendi, ac commissiones gratiarum tam iustitiam quam gratiam etiam quoad dispensationes matrimoniales concernentes, abbati monasterii Cassinensis praesenti sive suo vicario generali pro tempore directarum, debitae executioni demandandi, aliaque desuper necessaria et opportuna faciendi, iuxta decreta dicti Concilii, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus; necnon, pro potiori cautelâ, moderno et pro tempore existenti abbati dicti monasterii, vel suo generali vicario, ut, cum parochiales ecclesias[1] iurisdictionis dicti monasterii vacare contigerit, concursum instituere, examinare, approbare, et magis idoneos eligere, et ecclesias huiusmodi legitime conferre, ac, in mensibus nostris[2] et successorum nostrorum Romanorum Pontificum collationi reser-

1 Praeposit. *pro* nos addimus (R. T.).
2 Aptius forsan *accedit* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *ecclesiae* (R. T.).
2 Forsan *nostri* aut *nostrae* (R. T.).

valis, personas in concursu electas nobis et dictae Sedi pro collatione obtinendâ significare, necnon sacramentum Chrismatis, dummodo illud prius sit per antistitem praedictum consecratum, ut praefertur, conferre, ac quascumque litteras apostolicas tam iustitiam quam gratiam etiam quoad dispensationes matrimoniales personarum dictae iurisdictionis concernentes, sibi tamen et nulli alteri dirigendas, debitae executioni demandare libere et licite valeat, iuxta decreta eiusdem Concilii, dictâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus. Decernentes ex nunc irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, et aliis[1] in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi de illis specialis mentio habenda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, approbationis, confirmationis, adiectionis, suppletionis, concessionis, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXXXIX, X kalendas martii, pontificatus nostri anno V.

Epitome sequentis constitutionis Urbani VIII.

Ac, eiusmodi iurisdictionis quasi episcopalis intuitu, recolendae memoriae Urbanus Papa VIII, praedecessor etiam

1 Potius lege *aliàs* pro *aliis* (R. T.).

noster, decrevit et statuit, ut quaecumque litterae apostolicae gratiam vel iustitiam concernentes et aliae consimiles expeditiones ab officialibus ac administris pontificiis dirigi semper deberent abbati pro tempore existenti praedicti monasterii Cassinensis, sive eius vicario in spiritualibus generali, et non alteri, prout in eiusdem Urbani praedecessoris litteris in formâ Brevis expeditis uberius continetur, quorum tenor est qui sequitur, videlicet:

Constitutio praedicta Urbani VIII qua statuitur ut litterae apostolicae abbati monasterii praedicti dirigi deberent.

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius abbas monasterii Cassinensis, nullius dioecesis, provinciae Capuanae, Ordinis sancti Benedicti (quod aliàs[1] felicis recordationis Sixto Papae V praedecessori nostro pro parte tunc existentis[2] abbatis et conventus monasterii huiusmodi expositum fuit quod dictum monasterium per diversos Romanos Pontifices etiam nostros tunc suos praedecessores multis et variis gratiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus et indultis cumulatum et decoratum fuerat, illiusque abbas pro tempore existens nemini suberat, sed omnimodam iurisdictionem episcopalem ac proprium territorium et ius congregandi synodum habebat, prout illam congregasse et in eâ examinatores elegisse, ac posse concursum instituere, examinare, approbare oeconomos deputare, necnon sacramentum Chrismatis contulisse, ac commissiones gratiarum apostolicarum executioni demandasse constabat, iuxta declarationem tunc existentium S. R. E. cardinalium Concilio Tridentino interpretando praefectorum desuper factam) idem Sixtus praedecessor, supplicationibus abbatis et conventus praedictorum inclinatus, omnia et singula privi-

1 Potius *cum aliàs... expositum fuerit* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *existenti* (R. T.).

legia, immunitates, gratias, facultates et indulta praesertim conferendi sacramentum Chrismatis, dummodo illud foret prius per catholicum antistitem gratiam et communionem Apostolicae Sedis habentem consecratum, concursum pro conferendis beneficiis ecclesiasticis curatis in mensibus apostolicis faciendi, ac commissiones gratiarum apostolicarum tam iustitiam quam gratiam etiam quoad dispensationes matrimoniales concernentes, abbati monasterii Cassinensis praedicti, sive suo vicario generali, pro tempore directarum, debitae executioni demandandi, aliaque desuper necessaria et opportuna faciendi, iuxta decreta dicti Concilii, approbavit et confirmavit; necnon, pro potiori cautelâ, tunc et pro tempore existenti abbati dicti monasterii, vel suo generali vicario, ut, cum parochialis ecclesiae iurisdictionis dicti monasterii vacatio contingeret, concursum instituere, examinare, approbare et magis idoneos eligere, ac ecclesiam huiusmodi legitime conferre, et in mensibus Romanorum Pontificum collationi reservatis personas in concursu electas Romano Pontifici et Sedi praedictae pro collatione obtinendâ significare, necnon sacramentum Chrismatis, dummodo illud prius sit per antistitem praedictum consecratum, ut praefertur, conferre, ac quascumque litteras apostolicas tam iustitiam quam gratiam etiam quoad matrimoniales dispensationes personarum dictae iurisdictionis concernentes, sibi tamen et nulli alteri dirigendas, debitae executioni demandare libere et licite valeret, iuxta decreta dicti Concilii, concessit; decernens[1] irritum et inane ex tunc si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari: et aliàs, prout in eiusdem Sixti praedecessoris litteris, quarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, dicitur uberius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, iuxta litterarum huiusmodi tenorem fuerint retroactis temporibus commissiones gratiarum apostolicarum praedictarum abbati dicti monasterii, seu vicario generali, a Datariae, Secretariae Brevium, Cancellariae, Poenitentiariae et Camerae Apostolicae nostrarum officialibus directae, et illae, quae, propter subditorum iurisdictioni dicti monasterii vel expeditionum similium gratiarum ignorantiam, a dictis officialibus, praedictae iurisdictionis ignaris, interdum directae fuerunt episcopis vicinioribus, correctae fuerint, et abbati seu eius vicario huiusmodi directae, non absque tamen abbatis et conventûs praedictorum incommodo, quos de titulo eiusque observantiâ docere, ac subditorum praedictorum dispendio, quos novas propterea expeditiones solvere oportuerit: quare, ut similia incommoda et dispendia in posterum evitentur, nobis abbas praedictus humiliter supplicari fecit ut[1] desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur: nos igitur, abbatem praedictum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac praedictarum Sixti praedecessoris litterarum tenorem praesentibus pro expresso habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, dilectis filiis magistro Ægidio Ursino de Vivariis ac Marco Aurelio Maraldo, nunc et

1 Male ed. Main. legit *decernentes* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *et* pro *ut* (R. T.).

pro tempore existentibus nostris et Romanorum Pontificum successorum nostrorum datariis et Brevium nostrorum secretorum secretariis, nec non Cancellariam apostolicam regentibus, ac omnibus et singulis aliis Datariae, Secretariae Brevium praedictorum, Cancellariae, Poenitentiariae et Camerae Apostolicae nostrarum officialibus, ceterisque, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, pro potiori cautelâ, et in executionem dictarum Sixti praedecessoris litterarum, districte praecipiendo mandamus, ut ipsi posthac quascumque tam iustitiam quam gratiam etiam quoad dispensationes matrimoniales concernentes, etiam in formâ Brevis ac in formâ *significavit*, et collationum beneficiorum in formâ *dignum et gratiosa,* ac commissionum *si in evidentem* respective nuncupatarum, et absolutionum aliarumque similium gratiarum litteras apostolicas, personarum infrascriptorum locorum, videlicet civitatis S. Germani, casalis S. Basilii de Chaira, necnon S. Eliae, S. Victoris, S. Petri in Fine, S. Apollinaris, S. Andreae, S. Ambrosii, S. Georgii, S. Petri in Curulis, S. Angeli in Theodice, S. Salvatoris de Cucurutio, S. Petri de Avellana respective nuncupatorum, ac Vallisrotundae, Bellimontis, Cerbarii, Teroculi, Rocchae Evandri, Pignatarii, Vallisfrigidae, Castrinovi, Pescularum prope Iserniam, Vallisregiae, Civitellae, Pesculi Constantii, Serrae Monaceschae, Farae Filiorum Petri, et Citrarii, castrorum seu terrarum, quae, ut dictus, ut supra, abbas asserit, eius et praedicti monasterii Cassinensis iurisdictionis ac dioecesis existunt, eidem moderno et pro tempore existenti monasterii huiusmodi abbati sive eius vicario in spiritualibus generali et non alteri dirigant. Decernentes ex nunc irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus apostolicis, et in conciliis universalibus, provincialibus et synodalibus editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et igillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX maii MDCXXXIX, pontificatus nostri anno XVI.

Narrantur controversiae hac super re exortae inter collegiatam ecclesiam S. Germani et abbatialem praedictam

Nihilominus capitulum et canonici collegiatae ecclesiae oppidi seu civitatis S. Germani, antedictam abbatialem ecclesiam Montis Cassini antiquis suis praerogativis exuere atque spoliare contendentes, illique ut cathedrali, vel quasi, subesse detrectantes, anno MDCLXXVI hoc et alia dubia proponi curarunt in Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ. Quae, iisdem dubiis ad Rotae nostrae Romanae auditorium pro voto remissis, ibique diu accurate discussis et ad favorem abbatialis ecclesiae resolutis, anno tandem MDCLXXXI, ecclesiam collegiatam S. Germani esse subiectam ecclesiae

Decretum S. Congregationis episcoporum et regularium in favorem abbatialis ecclesiae praedictae.

abbatiali Montis Cassini, eidemque ecclesiae S. Germani ac illius capitulo et canonicis super praemissis dubiis et controversiis imponendum fore et esse perpetuum silentium censuit et declaravit. Decretum vero, a praedictâ Congregatione desuper editum, subinde a piae memoriae Innocentio Papa XI praedecessore itidem nostro approbatum confirmatumque fuit per suas litteras apostolicas in formâ Brevis tenoris sequentis, videlicet:

Constitutio Innocentii XI qua praedictum decretum Congregationis episcoporum et regularium refertur et confirmatur.

Innocentius Papa XI ad futuram rei memoriam. Aliàs[1] in causâ iurisdictionis, quae inter dilectos filios abbatem et monachos monasterii Montis Cassini Ordinis S. Benedicti, ex unâ, et dilectos etiam filios capitulum et canonicos collegiatae ecclesiae S. Germani, ex alterâ partibus, pendebat indecisa, emanavit a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

In causâ Montis Cassini iurisdictionis vertente inter patrem abbatem et monachos Montis Cassini, ex unâ, et capitulum et canonicos collegiatae ecclesiae S. Germani, partibus ex alterâ, de et super dubiis et controversiis per hanc sacram Congregationem eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositam, partibus hinc inde in facto et in iure informantibus, sub die XII martii MDCLXXVI, referente eminentissimo Castaldo, remissis ad sacrum auditorium Rotae pro eius voto, eadem sacra Congregatio, visis tribus decisionibus per sacram Rotam, utrâque parte informante, coram R. P. D. Albergato editis sub diebus XXX aprilis MDCLXXVII, XIV aprilis MDCLXXIX, et XXVII ianuarii MDCLXXXI, visoque eiusdem sacrae Rotae voto registrato in calce ultimae decisionis emanatae, omnibus auditoribus votantibus, reque mature discussâ, necnon pluries citato et intimato procuratore capituli et canonicorum S. Germani, referente eminentissimo Casanate in locum eminentissimi Castaldi absentis subrogato, censuit et declaravit, ecclesiam collegiatam S. Germani esse subiectam ecclesiae abbatiali Montis Cassini, eidemque ecclesiae S. Germani illiusque capitulo et canonicis super praemissis dubiis et controversiis imponendum fore et esse perpetuum silentium, prout praesentis decreti imponitur. Romae, XIV novembris MDCLXXXI. — G. cardinalis CARPINEUS — *Loco † sigilli* — B. PANCIATICUS secret.

Sequitur constitutio Innocentii XI.

Cum autem, sicut dilectus filius procurator generalis Congregationis Cassinensis dicti Ordinis nobis nuper exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri plurimum desideret: nos, ipsius procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique[1] inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore

1 Vide tom. XIX, pag. 728 *b* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *illisque* (R. T.).

spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII martii MDCLXXXVII, pontificatus nostri anno XI.

Nunc exhibita denuo controversia iudicibus querelarum et controversiarum Concilii Romani, ab eis aliud in favorem eiusdem abbatialis ecclesiae decretum emanavit.

§ 2. Verum decisionibus rotalibus, decreto Congregationis, eiusque confirmationi apostolicae huiusmodi minime acquiescentes praedicti capitulum et canonici, necnon quidam alii turbulenti incolae S. Germani, cleri et populi nomine, rursus et quidem acrius instaurandam susceperunt in diebus nostris reiectam petitionem. Nam, occasione Concilii Romani, quod, benedicente Domino proxime celebravimus, nobis et venerabilibus fratribus nostris eiusdem S.R.E. cardinalibus, necnon venerabilibus itidem fratribus Ioanni Baptistae archiepiscopo Nisibeno et Francisco episcopo Elusino iudicibus querelarum et controversiarum eiusdem Concilii exhibuerunt, ac deinde etiam palam spargi curarunt, nonnullos libellos typis impressos, pluribus refertos contumeliis, quibus enixe summâque cum impudentiâ flagitabant, ut iura quasi episcopalia abbati Montis Cassini in dioecesi Cassinensi competentia supprimerentur, iisque ab ipso in perpetuum avulsis, sedes episcopalis propriusque episcopus in oppido seu civitate et ecclesiâ S. Germani institueretur, vel, ut aiebant, restitueretur. Eorumdem vero libellorum examine iussu nostro a memoratis praesulibus iudicibus deputatis diligenter peracto, rebusque expositis qua par erat maturitate discussis, iidem iudices suum desuper protulerunt decretum, cuius tenor est qui sequitur, videlicet:

Cùm sacrum Cassinense monasterium, auctoris sui et monachorum sanctimoniâ atque Romanorum Pontificum beneficiis celebre, per quosdam oppidi civitatis nuncupati sancti Germani incolas, cleri et populi nomine, libellis pluribus contumeliis refertis ac palam sparsis, et exhibitis sanctissimo domino nostro occasione sacri Concilii Romani ac nobis uti iudicibus querelarum et controversiarum in eodem Concilio, in eum finem impetitum fuerit ut supprimerentur iura quasi episcopalia abbati Montis Cassini in dioecesi Cassinensi competentia, iisque perpetuo ab eodem avulsis, sedes episcopalis institueretur, sive, ut praetendunt, restitueretur, ac proprius episcopus in civitate et ecclesiâ S. Germani crearetur: nos iudices praedicti, maturo desuper pro rei gravitate habito examine, comperimus querelas expositas contra abbatem Cassinensem eiusque monachos fuisse et esse insubsistentes et contumeliosas, et tamquam tales reiiciendas et proscribendas; perpetuumque silentium quoad episcopatûs erectionem, sive, ut praetendunt, restitutionem, aliaque in eisdem libellis contenta, clero et populo ac particularibus S. Germani praesenti nostro decreto imponimus ac impositum esse volumus, prout latius in litteris apostolicis in calce huius Concilii apponendis constabit. Romae, in ecclesiâ Lateranensi, XVIII maii MDCCXXV. — IOANNES BAPTISTA archiepiscopus Nisibenus, iudex querelarum et controversiarum sacri Concilii Romani. — FRANCISCUS episcopus Elusinus, iudex querelarum et controversiarum sacri Concilii Romani.

Ab hoc Pontifice animadversum in S. Germani incolas ob contumelias monasterio praedicto illatas.

§ 3. Post huiusmodi decreti publicationem, etsi praefati S. Germani incolae ab iniustâ ac plane audaci petitione destiterint, et nos in novissimâ praesynodali Congregatione eorum impudentiam palam arguere et improbare simulque Ordinem maxime venerabilem et tanti nominis monasterium dignâ laude

prosequi non omiserimus, contumelias tamen, quibus eiusdem monasterii abbatem et monachos proscindere, eorumque existimationem ac honorem laedere ausi fuerant, impunitas dimittendas non esse censuimus, cum res ad exemplum pertinere videtur, et oporteat, quemadmodum beatus Gregorius admonet, *canonicâ ultione, quando quid tale committitur, coërceri, ne facinus, cum aliorum peccato parcitur, vires ex dissimulatione percipiat.* Iussimus itaque et curavimus, ut eiusmodi criminis participes et conscii meritâ plecterentur poenâ ad emendationem; pari[1] tamen congruo tempore apostolicam lenitatem et mansuetudinem exhibere correctis, cum, ut idem beatus Gregorius advertit, *plus misericordiae, quam districtae nos conveniat operum dare iustitiae.*

Laudes monasterii Cassinensis recensentur.

§ 4. Nunc autem, considerantes praefatum Cassinense monasterium nullius dioecesis provinciae nostrae Romanae, utpote diuturno fundatoris sui usque ad obitum incolatu consecratum, et ab ipso promulgatione regulae, miraculorum splendore, suique tandem sacri corporis deposito decoratum, et caput Ordinis constitutum, magno semper in honore ac pretio apud omnes, praesertim vero apud Romanos Pontifices praedecessores nostros (qui non semel ad benedicendum abbatem in proprio monasterio personaliter accesserunt, eorumque exemplo nos ipsi nuper dilecto filio Sebastiano Gadaleta electo eiusdem monasterii abbati stato ritu in ecclesiâ S. Calixti de Urbe benedictionis munus solemniter impertivimus) extitisse, atque meruisse ut ab eis conspicuis augeretur beneficiis et privilegiis, ac sub immediatâ Sedis Apostolicae superioritate et patrocinio susciperetur; ac insuper compertum habentes a monachis ibidem degentibus omnia, quae ad eorum regularia instituta pertinent, laudabiliter observari, sacrarum litterarum studia sedulo exerceri, divinumque in primis cultum summâ cum religione peragi, quemadmodum propriis inspeximus oculis dum in minoribus constituti illuc sanctuarium adeo celebre devotionis gratiâ visitaturi perreximus; et propterea, eorumdem praedecessorum nostrorum exemplo, antedicti monasterii Cassinensis, eiusque abbatibus[1] ecclesiae et abbatis pro tempore existentis praerogativas, praeeminentias et iura quaecumque inconcussa ac inviolata perpetuis futuris temporibus servari atque custodiri cupientes; et procuratoris generalis ipsius Congregationis Cassinensis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine super hoc nobis humiliter porrectis inclinati: praeinsertas Sixti, Urbani ac Innocentii praedecessorum litteras apostolicas, et in illis contenta quaecumque, necnon praeinsertum iudicum querelarum et controversiarum praedicti Concilii Romani decretum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, amplissime approbamus et confirmamus, ac ipsis perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis vim, robur atque munimen adiicimus; illasque et illud iis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, ac ab omnibus aliis respective perpetuis futu-

1 Videtur legendum *parati* (R. T.).

1 Videtur legendum *abbatialis* (R. T.).

ris temporibus inconcusse et inviolabiliter observari debere, praecipimus, decernimus et mandamus.

Declaratur praefatam ecclesiam abbatialem fuisse et esse quasi cathedralem, eiusque abbati competiisse et competere iura quasi episcopalia.

§ 5. Praeterea, aequum iustumque arbitrantes ut antedictum Cassinense monasterium, eiusque abbas et monachi, nunc et pro tempore existentes, ab ulterioribus in posterum litibus, molestiis et vexationibus penitus eximantur, eorumque statui, paci et tranquillitati plenius atque uberius consultum sit, motu proprio, ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ecclesiam abbatialem praefati monasterii fuisse et esse quasi cathedralem dioecesis Cassinensis, eique ceteras omnes tum S. Germani tum etiam aliorum locorum Cassinensis dioecesis ecclesias tamquam membra capiti subiectas fuisse et esse; necnon antedicti monasterii pro tempore abbati competiisse et competere iura quasi episcopalia, non modo in omnibus memoratis ecclesiis, verum etiam in universo clero et populo et locis quibuscumque praedictae dioecesis, iuxta memoratas Sixti, Urbani ac Innocentii praedecessorum constitutiones, tenore praesentium statuimus, decernimus et declaramus; et, quatenus opus sit, et non aliàs, praefatam abbatialem ecclesiam de novo quasi cathedralem constituimus, illique omnes et singulas supradictas ecclesias omnimode subiicimus, ac ipsius abbati pro tempore existenti quasi episcopalem in universas ecclesias, clerum et populum et loca quaecumque universae dioecesis Cassinensis iurisdictionem etiam de novo in perpetuum concedimus, attribuimus et assignamus, et pro concessâ, attributâ et assignatâ ab omnibus haberi volumus et mandamus. Quo vero ad solemnem benedictionem abbatum futurorum eiusdem Cassinensis monasterii, decretum antedicti nostri Concilii Romani, et legem a nobis inibi praescriptam servari volumus.

Praecipitur sub poenis clero et populo praedicto civitatis S. Germani, ne amplius abbatem praedictum molestare audeant.

§ 6. Ad haec, ut omnis ansa atque fomentum quibuscumque ulterioribus dissidiis et contentionibus praecidatur, capitulo et canonicis praedictae collegiatae ecclesiae, necnon reliquo clero, universitati, hominibus et populo praefati oppidi seu civitatis S. Germani, quoad petitam, ac, ut praefertur, reiectam episcopatus et cathedralis erectionem seu restitutionem in eàdem collegiatâ ecclesiâ S. Germani, perpetuum silentium apostolicâ auctoritate, tenore praesentium imponimus et impositum esse volumus; illis omnibus districte praecipientes ac inhibentes, ne de cetero memoratos abbatem et monachos super huiusmodi praetensâ erectione seu restitutione vexare, inquietare, perturbare, ullâve amplius molestiâ afficere audeant seu praesumant, sub poenis nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio infligendis; ac ita perpetuis futuris temporibus observari debere, sancimus, decernimus et mandamus.

Clausulae amplissimae

§ 7. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, ac nullo unquam tempore ex quocumque capite vel qualibet causâ, quantumvis legitimâ et iuridicâ, etiam ex eo quod aliqua ex praemissis, narratis ac expositis non subsisterent, et capitulum et canonici dictae collegiatae ecclesiae S. Germani, et quicumque alii, cuiuscumque gradus et conditionis existant, in praemissis omnibus et singulis et circa ea quomodolibet et ex quavis causâ, ratione, titulo et occasione ius vel interesse habentes seu habere praetendentes, illis non consenserint, aut ad ea vocati et auditi, et causae, propter quas eaedem

abbatiali Montis Cassini, eidemque ecclesiae S. Germani ac illius capitulo et canonicis super praemissis dubiis et controversiis imponendum fore et esse perpetuum silentium censuit et declaravit. Decretum vero, a praedictâ Congregatione desuper editum, subinde a piae memoriae Innocentio Papa XI praedecessore itidem nostro approbatum confirmatumque fuit per suas litteras apostolicas in formâ Brevis tenoris sequentis, videlicet:

Constitutio Innocentii XI qua praedictum decretum Congregationis episcoporum et regularium refertur et confirmatur.

Innocentius Papa XI ad futuram rei memoriam. Aliàs [1] in causâ iurisdictionis, quae inter dilectos filios abbatem et monachos monasterii Montis Cassini Ordinis S. Benedicti, ex unâ, et dilectos etiam filios capitulum et canonicos collegiatae ecclesiae S. Germani, ex alterâ partibus, pendebat indecisa, emanavit a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

In causâ Montis Cassini iurisdictionis vertente inter patrem abbatem et monachos Montis Cassini, ex unâ, et capitulum et canonicos collegiatae ecclesiae S. Germani, partibus ex alterâ, de et super dubiis et controversiis per hanc sacram Congregationem eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositam, partibus hinc inde in facto et in iure informantibus, sub die XII martii MDCLXXVI, referente eminentissimo Castaldo, remissis ad sacrum auditorium Rotae pro eius voto, eadem sacra Congregatio, visis tribus decisionibus per sacram Rotam, utrâque parte informante, coram R. P. D. Albergato editis sub diebus XXX aprilis MDCLXXVII, XIV aprilis MDCLXXIX, et XXVII ianuarii MDCLXXXI, visoque eiusdem sacrae Rotae voto registrato in calce ultimae decisionis emanatae, omnibus auditoribus votantibus, reque mature discussâ, necnon pluries citato et intimato procuratore capituli et canonicorum S. Germani, referente eminentissimo Casanate in locum eminentissimi Castaldi absentis subrogato, censuit et declaravit, ecclesiam collegiatam S. Germani esse subiectam ecclesiae abbatiali Montis Cassini, eidemque ecclesiae S. Germani illiusque capitulo et canonicis super praemissis dubiis et controversiis imponendum fore et esse perpetuum silentium, prout praesentis decreti imponitur. Romae, XIV novembris MDCLXXXI. — G. cardinalis CARPINEUS — *Loco † sigilli* — B. PANCIATICUS secret.

Sequitur constitutio Innocentii XI.

Cum autem, sicut dilectus filius procurator generalis Congregationis Cassinensis dicti Ordinis nobis nuper exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri plurimum desideret: nos, ipsius procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique [1] inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore

1 Vide tom. XIX, pag. 728 *b* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *illisque* (R. T.).

spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII martii MDCLXXXVII, pontificatus nostri anno XI.

Nunc exhibità denuo controversià iudicibus querelarum et controversiarum Concilii Romani, ab eis aliud in favorem eiusdem abbatialis ecclesiae decretum emanavit.

§ 2. Verum decisionibus rotalibus, decreto Congregationis, eiusque confirmationi apostolicae huiusmodi minime acquiescentes praedicti capitulum et canonici, necnon quidam alii turbulenti incolae S. Germani, cleri et populi nomine, rursus et quidem acrius instaurandam susceperunt in diebus nostris reiectam petitionem. Nam, occasione Concilii Romani, quod, benedicente Domino proxime celebravimus, nobis et venerabilibus fratribus nostris eiusdem S.R.E. cardinalibus, necnon venerabilibus itidem fratribus Ioanni Baptistae archiepiscopo Nisibeno et Francisco episcopo Elusino iudicibus querelarum et controversiarum eiusdem Concilii exhibuerunt, ac deinde etiam palam spargi curarunt, nonnullos libellos typis impressos, pluribus refertos contumeliis, quibus enixe summâque cum impudentiâ flagitabant, ut iura quasi episcopalia abbati Montis Cassini in dioecesi Cassinensi competentia supprimerentur, iisque ab ipso in perpetuum avulsis, sedes episcopalis propriusque episcopus in oppido seu civitate et ecclesiâ S. Germani institueretur, vel, ut aiebant, restitueretur. Eorumdem vero libellorum examine iussu nostro a memoratis praesulibus iudicibus deputatis diligenter peracto, rebusque expositis qua par erat maturitate discussis, iidem iudices suum desuper protulerunt decretum, cuius tenor est qui sequitur, videlicet:

Cum sacrum Cassinense monasterium, auctoris sui et monachorum sanctimoniâ atque Romanorum Pontificum beneficiis celebre, per quosdam oppidi civitatis nuncupati sancti Germani incolas, cleri et populi nomine, libellis pluribus contumeliis refertis ac palam sparsis, et exhibitis sanctissimo domino nostro occasione sacri Concilii Romani ac nobis uti iudicibus querelarum et controversiarum in eodem Concilio, in eum finem impetitum fuerit ut supprimerentur iura quasi episcopalia abbati Montis Cassini in dioecesi Cassinensi competentia, iisque perpetuo ab eodem avulsis, sedes episcopalis institueretur, sive, ut praetendunt, restitueretur, ac proprius episcopus in civitate et ecclesiâ S. Germani crearetur: nos iudices praedicti, maturo desuper pro rei gravitate habito examine, comperimus querelas expositas contra abbatem Cassinensem eiusque monachos fuisse et esse insubsistentes et contumeliosas, et tamquam tales reiiciendas et proscribendas; perpetuumque silentium, quoad episcopatûs erectionem, sive, ut praetendunt, restitutionem, aliaque in eisdem libellis contenta, clero et populo ac particularibus S. Germani praesenti nostro decreto imponimus ac impositum esse volumus, prout latius in litteris apostolicis in calce huius Concilii apponendis constabit. Romae, in ecclesiâ Lateranensi, XVIII maii MDCCXXV. — IOANNES BAPTISTA archiepiscopus Nisibenus, iudex querelarum et controversiarum sacri Concilii Romani. — FRANCISCUS episcopus Elusinus, iudex querelarum et controversiarum sacri Concilii Romani.

Ab hoc Pontifice animadversum in S. Germani incolas ob contumelias monasterio praedicto illatas.

§ 3. Post huiusmodi decreti publicationem, etsi praefati S. Germani incolae ab iniustâ ac plane audaci petitione destiterint, et nos in novissimâ praesynodali Congregatione eorum impudentiam palam arguere et improbare simulque Ordinem maxime venerabilem et tanti nominis monasterium dignâ laude

prosequi non omiserimus, contumelias tamen, quibus eiusdem monasterii abbatem et monachos proscindere, eorumque existimationem ac honorem laedere ausi fuerant, impunitas dimittendas non esse censuimus, cum res ad exemplum pertinere videtur, et oporteat, quemadmodum beatus Gregorius admonet, *canonicâ ultione, quando quid tale committitur, coërceri, ne facinus, cum aliorum peccato parcitur, vires ex dissimulatione percipiat.* Iussimus itaque et curavimus, ut eiusmodi criminis participes et conscii meritâ plecterentur poenâ ad emendationem; pari[1] tamen congruo tempore apostolicam lenitatem et mansuetudinem exhibere correctis, cum, ut idem beatus Gregorius advertit, *plus misericordiae, quam districtae nos conveniat operam dare iustitiae.*

Laudes monasterii Cassinensis recensentur.

§ 4. Nunc autem, considerantes praefatum Cassinense monasterium nullius dioecesis provinciae nostrae Romanae, utpote diuturno fundatoris sui usque ad obitum incolatu consecratum, et ab ipso promulgatione regulae, miraculorum splendore, suique tandem sacri corporis deposito decoratum, et caput Ordinis constitutum, magno semper in honore ac pretio apud omnes, praesertim vero apud Romanos Pontifices praedecessores nostros (qui non semel ad benedicendum abbatem in proprio monasterio personaliter accesserunt, eorumque exemplo nos ipsi nuper dilecto filio Sebastiano Gadaleta electo eiusdem monasterii abbati stato ritu in ecclesiâ S. Calixti de Urbe benedictionis munus solemniter impertivimus) extitisse, atque meruisse ut ab eis conspicuis augeretur beneficiis et privilegiis, ac sub immediatâ Sedis Apostolicae superioritate et patrocinio susciperetur; ac insuper compertum habentes a monachis ibidem degentibus omnia, quae ad eorum regularia instituta pertinent, laudabiliter observari, sacrarum litterarum studia sedulo exerceri, divinumque in primis cultum summâ cum religione peragi, quemadmodum propriis inspeximus oculis dum in minoribus constituti illuc sanctuarium adeo celebre devotionis gratiâ visitaturi perreximus; et propterea, eorumdem praedecessorum nostrorum exemplo, antedicti monasterii Cassinensis, eiusque abbatibus[1] ecclesiae et abbatis pro tempore existentis praerogativas, praeeminentias et iura quaecumque inconcussa ac inviolata perpetuis futuris temporibus servari atque custodiri cupientes; et procuratoris generalis ipsius Congregationis Cassinensis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine super hoc nobis humiliter porrectis inclinati: praeinsertas Sixti, Urbani ac Innocentii praedecessorum litteras apostolicas, et in illis contenta quaecumque, necnon praeinsertum iudicum querelarum et controversiarum praedicti Concilii Romani decretum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, amplissime approbamus et confirmamus, ac ipsis perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis vim, robur atque munimen adiicimus; illasque et illud iis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, ac ab omnibus aliis respective perpetuis futu-

1 Videtur legendum *parati* (R. T.).

1 Videtur legendum *abbatialis* (R. T.).

ris temporibus inconcusse et inviolabiliter observari debere, praecipimus, decernimus et mandamus.

Declaratur praefatam ecclesiam abbatialem fuisse et esse quasi cathedralem, eiusque abbati competiisse et competere iura quasi episcopalia.

§ 5. Praeterea, aequum iustumque arbitrantes ut antedictum Cassinense monasterium, eiusque abbas et monachi, nunc et pro tempore existentes, ab ulterioribus in posterum litibus, molestiis et vexationibus penitus eximantur, eorumque statui, paci et tranquillitati plenius atque uberius consultum sit, motu proprio, ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ecclesiam abbatialem praefati monasterii fuisse et esse quasi cathedralem dioecesis Cassinensis, eique ceteras omnes tum S. Germani tum etiam aliorum locorum Cassinensis dioecesis ecclesias tamquam membra capiti subiectas fuisse et esse; necnon antedicti monasterii pro tempore abbati competiisse et competere iura quasi episcopalia, non modo in omnibus memoratis ecclesiis, verum etiam in universo clero et populo et locis quibuscumque praedictae dioecesis, iuxta memoratas Sixti, Urbani ac Innocentii praedecessorum constitutiones, tenore praesentium statuimus, decernimus et declaramus; et, quatenus opus sit, et non aliàs, praefatam abbatialem ecclesiam de novo quasi cathedralem constituimus, illique omnes et singulas supradictas ecclesias omnimode subiicimus, ac ipsius abbati pro tempore existenti quasi episcopalem in universas ecclesias, clerum et populum et loca quaecumque universae dioecesis Cassinensis iurisdictionem etiam de novo in perpetuum concedimus, attribuimus et assignamus, et pro concessâ, attributâ et assignatâ ab omnibus haberi volumus et mandamus. Quo vero ad solemnem benedictionem abbatum futurorum eiusdem Cassinensis monasterii, decretum antedicti nostri Concilii Romani, et legem a nobis inibi praescriptam servari volumus.

Praecipitur sub poenis clero et populo praedictae civitatis S. Germani, ne amplius abbatem praedictum molestare audeant.

§ 6. Ad haec, ut omnis ansa atque fomentum quibuscumque ulterioribus dissidiis et contentionibus praecidatur, capitulo et canonicis praedictae collegiatae ecclesiae, necnon reliquo clero, universitati, hominibus et populo praefati oppidi seu civitatis S. Germani, quoad petitam, ac, ut praefertur, reiectam episcopatus et cathedralis erectionem seu restitutionem in eâdem collegiatâ ecclesiâ S. Germani, perpetuum silentium apostolicâ auctoritate, tenore praesentium imponimus et impositum esse volumus; illis omnibus districte praecipientes ac inhibentes, ne de cetero memoratos abbatem et monachos super huiusmodi praetensâ erectione seu restitutione vexare, inquietare, perturbare, ullâve amplius molestiâ afficere audeant seu praesumant, sub poenis nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio infligendis; ac ita perpetuis futuris temporibus observari debere, sancimus, decernimus et mandamus.

Clausulae amplissimae.

§ 7. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, ac nullo unquam tempore ex quocumque capite vel qualibet causâ, quantumvis legitimâ et iuridicâ, etiam ex eo quod aliqua ex praemissis, narratis ac expositis non subsisterent, et capitulum et canonici dictae collegiatae ecclesiae S. Germani, et quicumque alii, cuiuscumque gradus et conditionis existant, in praemissis omnibus et singulis et circa ea quomodolibet et ex quavis causâ, ratione, titulo et occasione ius vel interesse habentes seu habere praetendentes, illis non consenserint, aut ad ea vocati et auditi, et causae, propter quas eaedem

praesentes emanarint, in concistorio nostro, vel alibi, vocatis vocandis, et praeviis debitis tractatibus, ac servatis et adhibitis solemnitatibus et aliis de iure vel consuetudine, vel iuxta constitutiones et ordinationes apostolicas, aut ecclesiae praedictae statuta, privilegia et indulta, etiam confirmatione apostolicâ vel aliâ quavis firmitate roborata, aut aliàs quomodolibet requisitis et in similibus necessariis, examinatae, verificatae ac iustificatae non fuerint, de subreptionis aut nullitatis seu invaliditatis vitio, vel intentionis nostrae, aut ius vel interesse habentium consensûs, aut quolibet alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato et inexcogitabili, ac specificam et individuam mentionem aut expressionem requirente defectu, sive etiam ex eo quod in praemissis eorumque aliquo solemnitates et quaevis alia de iure servanda et adimplenda servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite a iure, statuto vel consuetudine aliquâ resultante, seu etiam enormis, enormissimae, totalisque laesionis, aut quocumque colore, praetextu, ratione vel causâ, etiam in corpore iuris clausâ, et quantumvis iustâ, rationabili, legitimâ, iuridicâ, piâ, privilegiatâ, et tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostrâ et aliis superius expressis nullibi appareat, nec aliàs probari possint, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, vel facti aut gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet etia motu simili concesso vel impetrato aut emanato uti seu se iuvare in iudicio vel extra posse, neque ipsas praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum et dispositionum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes et Sedem Apostolicam praedictam, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ex quibuslibet causis, et sub quibuslibet verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiamsi in eis de eisdem praesentibus earumque toto tenore ac datâ specialis mentio fieret, pro tempore factis et concessis, ac faciendis et concedendis, comprehendi, sed, tamquam ad maius bonum et ecclesiasticarum personarum praedictarum quietem ac pacem tendentes, semper et omnino ab illis excipi, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum ac eum in quo antea quomodolibet erant statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ quandocumque eligendâ concessas esse et fore, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac praedictae S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos aut vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, aut alios quoscumque quavis auctoritate, potestate, praerogativâ et privilegio fungentes, ac honore et praeeminentiâ fulgentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quocumque iudicio et quacumque instantiâ iudicari et definiri debere, et, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum ac inane decernimus et declaramus.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet editis vel edendis etiam in synodalibus, provincialibus, universalibusque conciliis, specialibus vel generalibus, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac praedictarum ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, eorumque reformationibus et novis additionibus, stylis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis earumque superioribus et personis ac locis quibuscumque, etiam specificâ et expressâ ac individuâ mentione dignis, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu pari ac consistorialiter aut aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus in contrarium praemissorum concessis, approbatis, confirmatis et innovatis, etiamsi in eis caveatur expresse quod illis per quascumque litteras apostolicas, etiam motu simili pro tempore concessas, et quascumque etiam derogatoriarum derogatorias in se continentes clausulas, derogari non possit, neque censeatur eis derogatum; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda aut quaecumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et clausulas, etiam quantumvis praegnantes, pias et privilegiatas, praesentibus pro plene et sufficienter ac de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertis, expressis et specificatis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum omnium et singulorum validissimum effectum, hac vice dumtaxat, latissime et plenissime, ac sufficienter, necnon specialiter et expresse, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, harum serie derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat nostram hanc paginam approbationis, confirmationis, declarationis, subiectionis, mandati, decreti, voluntatis, praecepti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXXV, pridie nonas augusti, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 4 augusti 1725, pontif. anno II.

LXXXIV.

Declaratur nulla electio[1] *Cornelii Berckman in archiepiscopum Ultraiectinum*[2].

Benedictus Papa XIII,
dilecti filii,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Novis istic in dies per paucorum clericorum contumaciam erumpentibus scandalis, novisque saluti vestrae intentatis

1 Edit. Main. legit *erectio* (R. T.).

2 Aliâ const. huius Pontificis, ed. MDCCXXV, die 21 februarii, pontif. I, declarata fuit irrita electio Cornelii Steenoven in archiepiscopum etiam Ultraiectinum.

periculis, iterum ad vos paterni doloris et sollicitudinis voces gemitusque convertimus, ne remissior ad custodiendum gregem esse videatur vigilantia pastoris, quam diabolica malignitas ad perdendum. Eo autem acriori sensu acerbitatis ruinam caecitatemque factiosorum defiemus ac detestamur, quo pugnacius pergunt non modo apostolicis, sed divinis etiam animadversionibus obluctari.

Aliàs ab hoc Pontifice electio et consecratio Cornelii Steenoven in archiepiscopum Ultraiectinum nulla declarata fuit.

§ 1. Non enim vobis[1] latet quidquid ad evertenda et emendanda perversitatis exempla contra sanam doctrinam disciplinamque canonicam istic suborta edizimus ac gessimus, irritam praesertim electionem et sacrilegam consecrationem Cornelii Steenoven declarantes ac reiicientes, eumque ecclesiasticis censuris per datas die XXI mensis februarii proxime elapsi in formâ Brevis litteras ab omni iurisdictione arripiendâ et pontificalibus exercendis prohibentes ac deterrentes. Filiis tamen dissensionis obturantibus aures suas, Deus terribilis et fortis, quem illi per nos, licet immeritos, loquentem audire noluerunt, et quem, spretâ nostrâ auctoritate, spreverunt, extendit manum suam, ut errantes per ostensionem virtutis suae a viis pessimis revocaret; nam, litteris nostris die XVII mensis martii apud vos evulgatis, cum idem Cornelius in suâ pervicaciâ obfirmatus sacrilegâ manu sacramentum Confirmationis palam administrare Ordinesque conferre non formidasset, lethali morbo correptus, brevique consumptus, ad tremendum Christi iudicium, reddendamque tot malorum turbarumque rationem, die III mensis aprilis evocatus est. Eo quidem metu concussos damnatae factionis clericos ad cor redituros sperabamus, cum praesertim anni spatio nondum exacto, tam antedictus Cornelius quam presbyter Iacobus Kriis, qui vehementior prae ceteris auctor fuerat sacrilegae consecrationis, et laicus Donkers, in cuius aedibus illa peracta erat, nullo edito salutaris poenitentiae signo, in suâ vere damnabili inobedientiâ mortem obiissent.

Refertur altera electio Cornelii Berckman ad archiepiscopatum eumdem mortuo Cornelio Steenoven.

§ 2. Sed poenalis illorum caecitas conceptam a nobis fiduciam elusit, et Domino etiam visitante in virgâ iniquitates eorum, apposuerunt adhuc peccare ei. Etenim (quod non sine intimo paterni cordis dolore nuper accepimus) iidem incredulitatis filii a tot vere orthodoxis, nobisque et S. R. E. in unitate fidei per Foederatum Belgium obsequentibus dissidentes, Lugduni Batavorum iterum convenerunt, atque inani canonicorum Ultraiectinorum titulo temere assumpto, die XVI eiusdem mensis aprilis, clericum suarum partium suaeque pertinaciae consortem Cornelium Berckman archiepiscopum Ultraiectinum pari temeritate concilii ac iudicii perversitate eligere non erubuerunt.

Quae nulla declaratur.

§ 3. Nos proinde, adversus iteratam praeposterae invalidaeque electionis audaciam apostolicae auctoritatis officium renovantes, quemadmodum per superiores ad vos litteras nostras electionem antedicti pseudo-episcopi Cornelii Steenoven reiecimus, ita novam quoque electionem memorati Berckman eâdem auctoritate apostolicâ reiicimus, irritamque ac prorsus nullam fuisse et esse declaramus; eidemque perperam ac temere electo sub poenâ excommunicationis latae sententiae interdicimus, ne a quocumque episcopo, etiamsi aliàs legitimâ auctoritate suffulto, ordinem seu consecrationem episcopalem suscipere, neve ullo modo se pro episcopo gerere, aut Ultraiectensis vel alterius cuiusvis cathedralis ecclesiae antistitis titulo nominare praesumat. Atque insuper sub simili excommunicationis poenâ

1 Videtur legendum *vos* (R. T.).

eidem inhibemus, ne iurisdictionem ullam, proque animarum regimine auctoritatem facultatemve sibi arroget, aut pro suscipiendis ordinibus dimissorias litteras dare, aut pastores ac missionarios pro sacramentis administrandis gerendâque animarum curâ deputare et constituere audeat; quas nos litteras et deputationes, si quae datae factaeque sint, aut in posterum dari fierique contingat, nullas et inanes esse ac fore decernimus.

Admonitio ad episcopos et populum.

§ 4. Praeterea venerabiles fratres archiepiscopos et episcopos universos, aliosque ecclesiarum superiores praelatos quoscumque serio admonemus, iisque sub canonicis poenis gravissime interdicimus, ne eidem Berckman ad episcopalem consecrationem sacrilegas manus imponant. Vobis denique, dilecti filii, praecipimus et mandamus, ne ullâ ratione pseudo-electum eiusmodi pro vero archiepiscopo et animarum pastore habeatis, quem potius ut alienum declinare, et tamquam huic Sanctae Sedi contumacem et sacris canonibus mandatisque apostolicis refragantem aversari et vitare debeatis. Paternis interea nostris monitis ac praeceptis vos ultro et alacriter audituros esse confidimus, cum animarum vestrarum pericula, quae nos discruciant, nulli debeant quam vobis maiorem curam et sollicitudinem afferre. Deum autem rogantes, ut respiciat de caelo, et visitet vineam istam, atque operarios iniquitatis, qui eam demoliri contendunt, compescat et arceat, vobis, dilecti filii, apostolicam benedictionem peramanter impartimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII[1] augusti MDCCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 13 augusti 1725, pontif. anno II.

1 Male edit. Main. legit 23 (R. T.).

LXXXV.

Restituitur primaevo suo cathedralis honoris fastigio ecclesia Cingulana, necnon aeque principaliter Auximati unitur et privilegiis ornatur [1].

Benedictus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a consuetudine Romanae Ecclesiae custodiendi ecclesias episcopales.

Romana Ecclesia, quae supra ceteras totius orbis a Christo Domino primatum obtinuit, interdum, ob ingruentes calamitates, plurium ecclesiarum episcopalium custodiam et regimen unius vigilantiae committere et simul eas iungere consuevit, ne oves dominicae, pastoribus suis viduatae, lupo veniente, mortis discrimen incurrerent. Cessantibus vero peculiaribus causis et necessitatibus, ob quas eiusmodi ecclesiae cum suis mensis, dioecesibus et territoriis simul coaluerant, illisque iterum cleri populique frequentiâ et pietate florentibus, Romani Pontificis, ut communis parentis de filiorum gaudio solliciti, providentiâ, honoris episcopalis elogium, quod culpâ non suâ pridem amiserant, eis post saeculorum memoriam seorsum indulgere et postliminio restituere non dedignatur.

Demonstratur Cingulum, Piceni civitatem, olim episcopi cathedra claruisse.

§ 1. Haec animo revolventes, accepimus, Cingulum, Piceni civitatem, veterum magistratuum famâ percelebrem, inter ecclesias speciali provinciâ Romani Pontificis comprehensas, cathedrae pontificalis gloriâ claruisse, ubi Exsuperantius, praecipuus eius patronus, cuius sacrae exuviae ibidem coluntur, aliique Cingulani antistites sedisse memorantur, et praesertim Iulianus felicis recordationis Vigilii antecessoris nostri laborum et itinerum comes, quem, unâ

1 Const. ed. MDCCXXV, die 16 iulii, pontif. II, confirmata et innovata fuit erectio ecclesiae Setinae in cathedralem et eius unio cum ecclesiâ Terracinensi.

cum aliis collegis suis comprovincialibus episcopis, ex veteris disciplinae ecclesiasticae regulâ, Constantinopolim sequutus est, cumque iis[1], post Valentinum Silvaecandidae episcopum, Vigilii Constituto adversus tria Capitula in urbe regiâ subscripsit, et semel iterumque ab eodem Vigilio laudatur in sententiâ contra Rusticum et Sebastianum S.R.E. diaconos, eidem Vigilio rebelles, Constantinopoli similiter editâ. Ad haec Pelagius, pariter S. R. E. diaconus, qui et ipse praedicti Pontificis Constituto unâ cum Iuliano ceterisque subscripserat, in Petri cathedrâ Vigilio, Syracusis defuncto, successor datus, eidem Iuliano, ad Cinguli episcopalem ecclesiam reverso, non unas litteras exaravit, quaedam iniungens Cingulani episcopatus immunitatem et patrimonium respicientia. At postmodum, barbaris Italiae incumbentibus, Cingulana ecclesia cum totâ suâ dioecesi et territorio Auximatis episcopi tamquam proximi curae commissa est. Signa tamen et testimonia luculenta primaevi episcopatus Cinguli nihilominus superfuerunt ac etiam supersunt. Ibi enim, ab antiquis temporibus, praepositi et archipresbyteri dignitates cum insigni collegio decem canonicorum sacras laudes Deo assidue canentium hactenus remanent. Praeterea Cingulanam civitatem, suo episcopio ornatam, ubi earumdem Auximatis et Cingulanae ecclesiarum antistites saepe et diu moram traxerunt et pro libitu suo trahunt, intra et extra, decem millia hominum circiter colunt, pluresque aedes sacrae ex[2] videlicet religiosorum Ordinum, una preshyterorum Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii, tres virginum Deo sacrarum, praeter quinque piorum hominum sodalitates, duo xenodochia et mons pietatis spectabilem reddunt: quae quidem omnia singularem totius civitatis Cingulanae pietatem et Dei cultum egregie patefaciunt.

§ 2. Cuius etiam civitatis magna laus est, ex eâ non paucos strenuos et praenobiles viros sacris ordinibus militaribus hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, S. Iacobi a Calatrava, sanctique Stephani, pro christianâ religione contra infideles tuendâ institutis, nomen dedisse, et hoc ipso tempore etiam dare. Igitur ob praemissa (quibus etiam recolendae memoriae Innocentius Papa XIII antecessor noster, qui, dum cardinalatus honore fulgebat, ecclesiae Auximati ex concessione et dispensatione apostolicis praefuit, permotus, ex paternae charitatis instinctu, Cingulanam civitatem eiusdemque ecclesiam antiquo episcopalis cathedrae nomini, non superveniente obitu, restituisset) nos utrique nomen huiusmodi restituere, et aequis dilectorum filiorum eiusdem Cinguli civium votis (accedente ad ea consensu dilecti filii nostri Augustini S. R. E. tituli sancti Sixti presbyteri cardinalis Pipiae nuncupati, ecclesiae Auximatis ex similibus concessione et dispensatione nunc praesulis existentis) annuere volentes, eosque, necnon dilectos etiam filios praepositum, archipresbyterum et canonicos praedictos, illosque et illorum quemlibet, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ meràque deliberatione deque apostolicae potestatis plenitudine nostris, Cingulum veteri episcopali dignitate

Causae praesentis constitutionis.

Restitutio ut in rubricâ.

1 Male edit. Main. legit *is* pro *iis* (R. T.).
2 Videtur legendum *sex* (R. T.).

praestantem civitatem, necnon eius ecclesiam Deo dicatam in honorem Assumptionis B. Mariae Virginis, in qua praepositura prima et archipresbyteratus secunda dignitates, necnon decem canonicatus, totidemque praebendae erectae reperiuntur) eius cathedralem fuisse, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo declaramus: eamdemque primaevo et pristino suo cathedralis honoris fastigio, cum omnibus et singulis privilegiis, indultis, facultatibus, praeeminentiis, gratiis et immunitatibus suis restituimus, in antiquum et pristinum statum reponimus et plenarie reintegramus, cumque eius territorio, clero, populo et dioecesi, ecclesiae Auximati coëpiscopalem et concathedralem aeque principaliter, ac per unum et eumdem illarum praesulem aeque principaliter regi et gubernari, illique praeesse debere, eâdem apostolicâ auctoritate, earumdem tenore praesentium, decernimus et statuimus: ac insuper, si fortasse opus sit, idem Cingulum in civitatem, illiusque incolas in cives, et ecclesiam Assumptionis B. Mariae Virginis in cathedralem erigimus sub invocatione eiusdem Assumptionis B. Mariae Virginis, et in eâ dignitatem, sedem et mensam episcopalem, cum omnibus et singulis privilegiis, honoribus, iuribus et insignibus debitis, quibus aliae civitates illarumque cives, ac aliae cathedrales ecclesiae illarumque praesules, capitula et canonici, de iure, usu, stylo, consuetudine aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, aut uti, frui, potiri et gaudere quomodolibet poterunt in futurum.

Ordinationes quaedam

§ 3. Cum obligatione, quod civitas Cingulana, taliter decorata, suis sumptibus erigat in ecclesiâ praedictâ Assumptionis B. Mariae Virginis condecentem cathedram pontificalem, umbraculo seu baldachino tectam, ad quam per gradus, iuxta caeremoniale episcoporum, ascendi possit. Praeposituram vero in eâdem ecclesiâ maiorem post pontificalem, ac archipresbyteratum secundam illius dignitates, ac canonicatus et praebendas, in dignitates, canonicatus et praebendas, auctoritate et tenore praemissis, de novo similiter perpetuo erigimus. Dictamque ecclesiam Cingulanam, sic de novo per nos erectam, eidem ecclesiae Auximati perpetuo et aeque principaliter unimus, itaut unus idemque episcopus eis aeque principaliter praesit, ac deinceps in quibuslibet scriptis publicis et privatis, in actis consistorialibus, apostolicis diplomatibus, constitutionibus synodalibus, decretis et edictis áb eo pro tempore emanaturis et subscribendis, non tantum Auximas, sed aeque etiam Cingulanus episcopus appellari et se subscribere debeat, et, ne clerus ac populus Cingulanus Auximum usque, quod ad decimum et octavum inde lapidem abest, ad forum episcopale quascumque ob causas, etiam levissimas, iugi incommodo amplius pertrahantur, vicarium sibi in spiritualibus generalem in civitate Cingulanâ eiusque territorio et dioecesi residentem arbitrio suo deputet.

Nonnullis eadem et eius capitulum privilegiis ornatur.

§ 4. Praeterea dilectis filiis praeposito, archipresbytero et canonicis praedictis, nunc et pro tempore existentibus, ut ipsi in posterum, dimisso veteri indumento si quod gerunt, praepositus et archipresbyter, videlicet, mozzettam violaceam supra rocchettum, canonici vero praedicti almutiam, tam in ecclesiâ Cingulanâ huiusmodi, illiusque choro et capitulo, etiam in missarum et horarum canonicarum diurnarum [1] et nocturnarum, necnon vesperarum et aliorum

[1] Pessime edit. Main. legit *divinarum* pro *diurnarum* (R. T.).

divinorum officiorum celebratione, quam in processionibus et sacris functionibus, aliisque actibus publicis et privatis, ubicumque locorum, gestare valeant, postmodum aliis nostris apostolicis litteris, ob ipsos, ut moris est, per Cancellariam seorsum expediendis, benigne concedimus atque indulgemus.

Clausulae amplissimae.

§ 5. Decernimus insuper, has ipsas nostras apostolicas litteras semper et perpetuo validas fore, suumque plenarium effectum et robur habituras, nullo eas tempore, occasione et causâ, quantumvis legitimâ et iuridicâ, irritas, invalidas, obreptitias et subreptitias dici unquam posse, etiamsi capitulum et canonici ecclesiae Auximatis, seu quicumque alii, cuiuscumque dignitatis, gradus, conditionis et praeeminentiae, in praemissis omnibus et singulis, et circa ea quomodolibet, et quavis ex causâ, ratione, actione vel occasione, ius vel rem habentes vel se habere putantes, ad id nequaquam vocati essent, neque illis consensissent, nec causae, ob quas hae nostrae litterae prodiissent, adductae aut comprobatae haberentur, vel intentionis nostrae [1] aut ius et rem habentium consensus deesset, aut quilibet [2] aliud, quantumvis magnum, non excogitatum neque excogitabile, ac specialem propriamque mentionem et expressionem requirens, etiam propterea quod in praemissis, eorumve aliquo, solemnitates, et quaevis alia, servanda atque adimplenda, servata et adimpleta revera non essent, aut denique ex quocumque alio capite, a iure vel facto, statuto aut consuetudine aliquâ procedente, sive etiam enormis maximaeque laesionis colore, praetextu, ratione vel causâ in ipso etiam corpore iuris expressâ, licet iustâ, rationabili, legitimâ, iuridicâ, piâ, ex privilegio ortâ, ac etiamsi talis esset quae ad robur et vim praemissorum omnino exprimi necessario deberet, fortasse propterea quod de voluntate nostrâ ceterisque superius enarratis nusquam appareret aut nihil probari posset, easdem has nostras litteras notari, impugnari, invalidas reddi, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, vel facti aut gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu simili concesso vel impetrato aut edito uti seu se iuvare in iudicio vel extra unquam [1] posse, decernimus atque iubemus: universis litibus et controversiis hac de re, si quae fortasse sunt aut fuerunt, perpetuum silentium imponentes. Hasque easdem litteras nostras sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, et per Sedem Apostolicam, motu pari, scientiâ et plenitudine potestatis, consistorii decreto, ex quibuslibet causis, et sub quocumque verborum tenore et formâ, ac cum quibusvis clausulis et decretis, licet in eis de his nostris litteris earumque toto tenore et datâ specialis mentio fieret, pro tempore factis et concessis, ac faciendis et concedendis, non posse aut debere comprehendi statuimus; sed, tamquam ad maius bonum tendentes, semper et omnino ab illis excipi, et, quoties illae prodierint, toties in pristinum et validissimum, atque in eum in quo antea quomodolibet erant, sta-

1 Videtur legendum *intentio nostra* (R. T.).

2 Potius *quodlibet*; ceterum syntaxis pluribus mendis laborare sentitur (R. T.).

1 Forsan legendum *quemquam* (R. T.).

tum [1] restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac denuo etiam sub quacumque posteriori datâ, quandocumque eligendâ, concessas esse et fore; sicque et non aliàs in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, prolegatos, eiusdemque Sedis nuncios, et alios quoscumque quavis auctoritate, potestate praerogativâ et privilegio fulgentes, sublatâ eis et eorum cuilibet qualibet facultate et auctoritate aliter iudicandi et interpretandi, in quocumque foro et iudicio et in quacumque instantiâ iudicari et definiri debere; sique secus ac nos sancimus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, hoc totum irritum et inane habendum esse statuimus.

Derogatio specifica contrariorum.

§ 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostris [2] et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet editis vel edendis constitutionibus, synodalibus, provincialibus, oecumenicisque conciliis, ordinationibus quoque apostolicis, et earumdem ecclesiarum Auximatis et Cingulanae iureiurando, confirmatione apostolicâ, vel statutis quavis firmitate roboratis [3], eorumque reformationibus, novis additamentis, stylo, usu, consuetudinibus, quamvis immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, litteris apostolicis, quae eisdem eorumque maioribus concessa fuissent, seu personis ac locis quibuscumque, licet speciali et expressâ mentione dignis, sub quocumque tenore, formâ, ac quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque decretis, generatim vel specialim, motu quoque huic simili, et in consistorio, aut aliàs quomodolibet, saepe etiam, in contrarium praemissorum concessis, approbatis, confirmatis et renovatis; quamquam diserte in eis caveretur, ne iisdem his nostris litteris apostolicis [1] per quascumque alias motu quoque simili pro tempore editas quascumque etiam derogatoriarum derogatorias in se continentes derogari unquam possit, nec censeatur eis derogatum; quibus omnibus et singulis, quamvis de illis et eorum tenore specialis et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis expressio habenda aut quaelibet alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenorem, formam et causas quascumque pias et ex privilegio deductas his nostris litteris pro plene et sufficienter insertis, ac de verbo ad verbum, nullo prorsus omisso, expressis habentes, illis in suo robore aliàs permansuris, ad praemissorum omnium et singulorum validissimam vim et effectum, hac vice dumtaxat, latissime, plenissime ac sufficienter, necnon specialim et expresse, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, harum serie derogamus; ceterisque contrariis quibuscumqe.

Sanctio poenalis contrariorum.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam restitutionis, declarationis, erectionis, sanctionis, concessionis, indulti, decreti et derogationis infringere, vel ei temerario ausu contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum apostolorum eius Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Ma-

1 Perperam edit. Main. legit *statutum* (R.T.).
2 Potius lege *nostrâ* (R. T.).
3 Deest *statutis* (R. T.).

1 Saltem interiicienda heic particula *aut* (R.T).

iorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXXV, XIII kalendas septembris[1], pontificatus nostri anno II.

Dat. die 20 augusti 1725, pontif. anno II.

LXXXVI.

Statuitur ne quis monachus Ordinis Carthusiensis quodvis officium seu gratiam, absque superiorum consensu, a Sede Apostolicâ impetrare possit [2].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Causae praesentis constitutionis. § 1. Cum, sicut dilectus filius Vincentius Dinelli, procurator generalis monachorum Ordinis Carthusiensis, nobis nuper exponi fecit, aliqui ipsius Ordinis monachi, ambitionis spiritu ducti, officia dicti Ordinis ab hac Sanctâ Sede per importunas preces impetrare non erubescant, cum maximo regularis disciplinae detrimento: nobis propterea dictus Vincentius procurator generalis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Statutum praedictum. § 2. Nos igitur, incommodis, quibus eâ de causâ Ordo praefatus afficitur, obviam ire, ipsumque Vincentium procuratorem generalem specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ne de cetero perpetuis futuris temporibus quicumque dicti Ordinis monachus a praedictâ Sede quodvis officium seu gratiam, absque speciali sive prioris maioris Carthusiae vel procuratoris generalis pro tempore existentis eiusdem Ordinis licentiâ et consensu, quoquo modo impetrare possit, audeat vel praesumat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, statuimus et ordinamus.

Clausulae. § 3. Decernentes irritum, nullum et inane si quid secus a quoquam contra tenorem praesentium contigerit attentari vel impetrari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX augusti MDCCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 20 augusti 1725, pontif. anno II.

LXXXVII.

Conceditur provinciali provinciae Aragoniae Ordinis B. M. de Monte Carmelo facultas conferendi gradus doctoratus in tribus primariis conventibus regnorum Caesaraugustani, Valentini et Pampilonensis [1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Exponuntur causae huius concessionis. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni prior provincialis et defi-

1 Male edit. Main. legit *iunii*, nam ad marginem notat *20 augusti* (R. T.).

2 Haec constitutio confirmatur a Clemente XII constit. edit. MDCCXXXII, die 31 iulii, pontif. III.

1 Similis facultas facta fuit ab Innocentio XIII provinciali eiusdem Ordinis provinciae Fluminis Ianuarii in Brasiliâ, constit. edit. MDCCXXIII, die 23 decembris, pontif. II.

nitores provinciae Aragoniae Ordinis B. M. de Monte Carmelo, quod, cum in dicta provincia lex vigeat, iuxta constitutiones ipsius Ordinis auctoritate apostolicâ confirmatas, quod omnes magistri doctoratus gradum in aliquâ publicâ studii generalis universitate suscipere teneantur, ne ipsis in eorum antiquitate et praecedentiâ praeiudicium inferatur; expensae vero in universitatibus studiorum generalium trium illorum regnorum, in quibus dicta provincia divisa reperitur, pro consequendis dictis gradibus adeo adauctae sint, ut eadem provincia magnum detrimentum pecuniae, quae ad hunc finem ab illâ exit, experiatur: ipsi exponentes, quo haec damna ac etiam expensae et itinerum incommoditates evitentur, opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri plurimum desiderent.

Concessio praedicta.

§ 2. Nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eidem moderno et pro tempore existenti priori provinciali praedictae provinciae Aragoniae, ut ipse dictos gradus doctoratus in tribus primariis dictorum trium regnorum, nempe Caesaraugustani, Valentini et Pampilonensis, conventibus cum assistentiâ praefecti studiorum aliorumque trium magistrorum cuiuslibet respective ex ipsis conventibus huiusmodi, servatis aliàs de iure servandis, conferre libere et licite possit et valeat, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, facultatem concedimus et impertimur.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX augusti MDCCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 30 augusti 1725, pontif. anno II.

LXXXVIII.

Erigitur hospitium Matritense fratrum Praedicatorum, vulgo de la Passion, *in regularem eiusdem Ordinis conven-*

tum, cum omnibus ceterorum conventuum privilegiis [1].

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a cura Ordinum regularium, Praedicatorum praecipue, cui nomen dederat.

Pastoralis officii, quod, meritis licet imparibus, divina providentia humilitati nostrae committere dignata est, ratio postulat, ut omnium regularium Ordinum vineam Domini excolentium praecipuam sollicitudinem geramus, quaeque ad divini cultus amplificationem, regularis disciplinae custodiam et augmentum conferre dignoscimus, ea iugi studio et conatu provehere, statuere et vehementer urgere non desinamus. Peculiari tamen curâ et vigilantiâ oculos nostrae mentis ad Ordinem fratrum Praedicatorum. in quo solemnem professionem regularem emisimus et diu versati sumus, nos decet convertere, ut, ubi uberiores fructus in vineam ipsam profluere et bonorum operum messem exurgere aspicimus, illuc, quantum in Domino possumus, providâ cogitatione et maximâ sedulitate incumbamus.

Refertur erectio praedicti hospitii tempore idem peracta.

§ 1. Itaque, cum aliàs, et usque de anno Domini MDCXXXVII, tunc existentes fratres dicti Ordinis, provinciae Hispaniae, hospitale vulgo *de la Passion* nuncupatum, in oppido seu civitate nuncupato Matriti Toletanae dioecesis intra limites parochialis [2] ecclesiae Ss. Iusti et Pastoris dicti oppidi situm, cum eiusdem hospitalis sine curâ existente minusque collativâ ecclesiâ, ac omnibus et singulis mansionibus, aliisque membris et aedificiis ad usum habitationis ab eodem hospitali quomodolibet dependentibus eique annexis, in eorumdem fratrum, oppidum praedictum pro eorum dictaeque provinciae negotiis pertractandis pro tempore adeuntium, hospitium iam convertendum [1] (a tunc existentibus [2] dicti hospitalis illiusque ecclesiae mansionum, membrorum et aedificiorum praedictorum possessione per tunc existentes fratres praedictos adeptâ), eodemque hospitali in eorum hospitium converso, dictae ecclesiae in divinis iuxta laudabile dicti Ordinis institutum deservire, ac in eâ sanctissimae Eucharistiae sacramentum asservare, illudque christifidelibus, excepto paschali tempore, ministrare, defunctorum corpora tumulare, missas, praeviâ campanarum pulsatione, aliaque divina officia celebrare, et christianae pietatis opera exercere consuevissent:

Pro qua erectione lis exorta indeque dictum hospitium in privatam domum redactum.

§ 2. Lite postea et causâ in patribus [3] inter tunc existentes rectorem dictae parochialis ecclesiae ac in eo clericos seu presbyteros perpetuos beneficiatos, ex unâ, et tunc existentes fratres praedictos, ex alterâ partibus, coram Ordinario loci, et deinde coram aliis earumdem partium iudicibus competentibus, ac demum in Romanâ Curiâ, et in causarum palatii apostolici auditorio, super praemissis, et praesertim super eo quod dictum hospitale in hospitium eiusmodi, nullâ desuper dicti Ordinarii loci ad id interveniente licentiâ, minusque servatâ felicis recordationis Clementis VIII, Gregorii XV et Urbani etiam VIII Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutionum desuper respective editarum et Concilii Tridentini decretorum respective formâ, conversum seu erectum et institutum fuerat, rebusque aliis in actis causae et causarum eius-

1 Aliâ huius Pontificis constit. edit. MDCCXXV, die 10 aprilis, pontif. 1, iisdem fratribus nonnullarum provinciarum facta fuit facultas peragendi processionem SS. Rosarii absque licentiâ episcopi et parochi interventu.

2 Male edit. Main. legit *parochiales* (R. T.).

1 Potius lege *iam convertissent* (R. T.).

2 Deesse videtur *rectoribus* (R. T.).

3 Verba *in patribus* praeter rem (R. T.).

modi latius deductis, introductâ, prosequutâ, ac demùm per tres sententias conformes ad tunc existentis dictae parochialis ecclesiae rectoris et in eâ beneficiatorum praedictorum favorem desuper emanatas et in rem iudicatam transactas terminatâ, fratres tunc existentes praedicti, in earumdem sententiarum exequutionem, a praemissis omnibus et singulis in dictâ ecclesiâ ulterius exequendis et exercendis sese abstinere, dictae ecclesiae ianuas claudere, et ab eâdem ecclesiâ illius campanas amovere coacti fuerunt; propterea que dictum hospitium velut in privatam domum redactum extitit et existit de praesenti.

Causae praesentis constitutionis.

§ 3. Cum autem, sicut accepimus, ad oppidum praedictum, in quo pro tempore existentis Hispaniarum regis residet aula, frequens Ordinis et provinciae praedictorum fratrum pro eorum ibi discutiendis negotiis accedat consuetudo, et absonum sit, quod in tam insigni oppido, ubi regalis aulae huiusmodi per commendabilem saecularium morum honestatem refulget decor et religionis cultus, fratres illuc pro tempore accedentes praedicti in hospitio huiusmodi nullâ[1] septo clausurâ, et veluti in privatâ domo, cum libero saecularium utriusque sexus personarum accessu, non sine regularis disciplinae discrimine animique dolore, commorari cogantur, hospitium vero praedictum, nunc, ut praefertur, veluti in domum privatam redactum, mansionibus aliisque aedificiis pro futuro dicti Ordinis per nos ut infra erigendo conventu necessariis opportunisque refertum existat, et in ecclesiâ praedictâ, quae eidem hospitio contigua, eique proxima, nec angusta, minusque rudis structurae existit, maius et sex alia altaria sacris utensilibus ad missas etiam conventuales celebrandas satis decenter dotata et ornata, chorus pro divinis laudibus Altissimo depromendis accommode instructus, et sacristia cum eius sacrâ suppellectili locupletata reperiantur:

Lis praedicta extinguitur, et praefati hospitii erectio confirmatur.

§ 4. Nos igitur, ad maiori eiusdem Ordinis stabilitati in praedicto oppido consulendum, et ne illa ulterioribus litium prematur incommodis, sed ut Ordo ipse, cuius in dicto oppido tres conventus perpetuo erecti et instituti reperiuntur, pluribus in oppido huiusmodi abundans stationibus, semper gratior validiorque in pacis amoenitate efflorescat coram Domino, prout sincero exoptamus affectu, litis et causae praedictarum, et aliarum, si quae sint et desuper quomodolibet exoriri poterunt in futurum, statum et merita universa, nominaque et cognomina iudicum et collitigantium, praesentibus pro plene expressis habentes, et causam praedictam, quatenus opus sit, ad nos avocantes, litemque huiusmodi ad infrascriptorum effectum omnino penitusque extinguentes, necnon dationem et concessionem hospitalis, illiusque ecclesiae aedificiorum, aliorumque annexorum membrorum et dependentiarum praedictorum, per tunc existentes dicti hospitalis rectores tunc existentibus fratribus praedictis quocumque cuiusvis alienationis titulo ac quocumque desuper forsan tunc soluto pretio quomodolibet factas, apostolicâ auctoritate perpetuo approbantes et confirmantes, eisque inviolabile apostolicae firmitatis robur adiicientes, necnon omnes et singulos tam iuris quam facti aut aliarum quarumcumque circumstantiarum et solemnitatum defectus, si qui et si quae tam super datione et concessione quam dicti hospitalis erectione seu fundatione praedictis quomodolibet respective intervenerint seu intervenisse praetendantur, plenarie, perinde ac si datio et concessio ac erectio seu fun-

1 Edit. Main. legit *nullo* (R. T.).

datio praedictae respective factae fuissent, supplentes, motu proprio, non ad alicuius super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ merâque voluntate et deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hospitium praedictum cum omnibus et singulis illius aedificiis, aedibus, mansionibus, officinis et hortis in eo existentibus quibuscumque, praeviâ ab eis cuiuscumque saecularitatis, si qua inesse dignoscatur seu praetendatur, status et essentiae abdicatione, suppressione et extinctione, in reliquum regularem dicti Ordinis in dicto oppido conventum, cum omnibus et singulis privilegiis, indultis, facultatibus gratiarum, indulgentiarum largitionibus, immunitatibus ac exemptionibus, quibus ceteri dicti Ordinis conventus de iure, stylo et et consuetudine, ac participatione, aut aliàs quomodolibet nunc utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt in futurum, pro duodecim saltem nunc et pro tempore existentibus Ordinis et provinciae praedictorum fratribus Ordinem ipsum expresse professis, qui in conventu per praesentes ut infra erigendo huiusmodi, ac intra illius claustra, servatâ regulari eorum disciplinâ, unâ cùm uno ex eis future eorum priore ab eiusdem Ordinis fratribus canonice pro tempore eligendo, qui eos necnon conventum per presentes ut infra erigendum iuxta dicti Ordinis leges et constitutiones per debitas eorum regularis disciplinae semitas regere, dirigere, corrigere et gubernare eisque praeesse debeat, vivere, et qui ex conventus per praesentes ut infra erigendi huiusmodi annuis redditibus seu eleemosynis, si quos aut si quas habeat eorum alimoniae et manutentioni sufficientes, sin minus; ac donec conventus per praesentes erigendus huiusmodi ex redditibus et eleemosynis praedictis habuerit unde congruae alimoniae et manutentioni praedictis consulere valeat, ex aliorum provinciae praedictae conventuum, iuxta providam ab eiusdem provinciae provincialibus superioribus desuper pro ratâ redditiuum seu eleemosynarum deficientium[1] huiusmodi faciendam servandamque distributionem, ac aliàs quoad illorum numerum, alimoniam et manutentionem huiusmodi iuxta constitutionum et decretorum apostolicorum aliàs desuper editorum formam et tenorem, ali et manutenere debeant, necnon sine curâ minusque collativam existentem ecclesiam praedictam, abdicatâ pariter ab eâ quacumque eius saecularitate, in regularem dicti Ordinis ecclesiam, cum omnibus quoque et singulis libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, privilegiis, indultis, indulgentiis, gratiis, praeeminentiis et antelationibus, quibus reliquae dicti Ordinis regulares ecclesiae nunc quomodolibet fruuntur, utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere poterunt in futurum, ita quod liceat fratribus dicti Ordinis pro tempore existentibus praedictis illam illasque[2] ianuas publice aperire, campanas denuo apponere ac pulsare, et in eâ missas etiam conventuales aliaque divina officia celebrare, sacramentales christifidelium confessiones audire, venerabile SS. Eucharistiae sacramentum decenter asservare, illudque eisdem christifidelibus singulis anni[3], non tamen paschali[4], temporibus et diebus ministrare, conciones habere, defunctorum cadavera sepelire, B. Mariae Virginis rosarium recitare, divinas laudes nocte et die assidue choraliter decantare, aliaque

1 Edit. Main. legit *deficientiam* (R. T.).
2 Potius legerem *illiusque* (R. T.).
3 Male edit. Main. legit *annis* (R. T.).
4 Male edit. Main. legit *paschalis* (R. T.).

christianae pietatis opera et functiones ecclesiasticas, iuxta eorum Ordinis laudabile institutum, et quae religiosa eorum charitas ad promovendam aeternam proximorum salutem sibi suaserit exercenda, exercere, cuiusvis licentiâ desuper minime requisitâ, sine tamen praeiudicio iurium parochialium dictae parochialis ecclesiae illiusque nunc et pro tempore existentis rectoris, apostolicâ auctoritate perpetuo erigimus et instituimus.

Clausulae.

§ 5. Decernentes, easdem praesentes, etiam ex eo quod dilecti filii moderni dictae parochialis ecclesiae illiusque nunc et pro tempore existentes rector ac beneficiati in eâ existentes praedicti, Ordinarius loci, regulares cuiuscumque Ordinis, societatis vel instituti, vel quicumque alii in praemissis quomodolibet interesse habentes seu habere praetendentes, vel alii, ad quos forsan spectat et pertinet seu pro tempore spectabit et pertinebit, ad hoc vocati et auditi non fuerint, neque praemissis consenserint, imo forsan illis contradicturi sint, seu quibusvis aliis quantumvis iustis, iustissimis et rationabilibus causis, de nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu cogitato vel inexcogitato notari, impugnari, retractari, annullari, in ius vel controversiam revocari, aut adversus eas quodcumque iuris vel facti aut gratiae remedium impetrari, vel sub quibuscumque constitutionibus et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum, etiam motu pari et consistorialiter emanatis vel emanandis, aut quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus nullatenus unquam comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum ac eum in quo ante praemissa[1] quomodolibet erant statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ per pro tempore existentes dicti conventus per nos, ut praefertur, erecti priorem et fratres eligendâ concessas, semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, firmiter et inviolabiliter observari, sicque et non aliàs per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos etiam causarum palatii praedicti auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et vicelegatos ac Sedis Apostolicae nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in qualibet instantiâ iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Deputatio executorum.

§ 6. Quocirca dilectis filiis nostro et dictae Sedis nuncio in regnis Hispaniarum pro tempore commoranti ac causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori per apostolica scripta motu proprio simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, quando et quoties pro parte pro tempore existentium fratrum conventus per nos ut praefertur erecti huiusmodi, seu pro eis agentium, requisiti fuerint, easdem praesentes et in eis[2] contenta quaecumque, ubi, quando et quoties opus fuerit, faciant integraliter ac inviolabiliter observari, non permittentes priorem et fratres dicti conventus per nos ut praefertur erecti, vel pro eis agentes pro tempore

1 Male edit. Main. legit *permissa* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *ea* pro *eis* (R. T.).

existentes praedictos, desuper quomodolibet indebite molestari, perturbari aut inquietari, contradictores et rebelles quoslibet per censuras ecclesiasticas aliaque iuris et facti remedia compescendo, invocato etiam, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio.

Derogatoriae. § 7. Non obstantibus nostrâ et Cancellariae Apostolicae clausulâ[1] de iure quaesito non tollendo, ac eiusdem recordationis Bonifacii similiter Papae VIII etiam praedecessoris nostri, quatenus opus sit, de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo aliquis extra suam civitatem et dioecesim ultra tres dietas ad iudicium non trahatur, necnon praedictis Clementis, Gregorii et Urbani praedecessorum nostrorum praedictorum, necnon piae memoriae Innocentii Papae X similiter praedecessoris nostri desuper editâ, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinis praedicti, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, aut quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis illi illiusque superioribus aliisque personis, etiam derogatoriarum derogatoriis, efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, in contrarium praemissorum forsan quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specifica et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, latissime et plenissime ac specialiter et expresse hac vice dumtaxat harum serie motu pari derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis. § 8. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrae approbationis, confirmationis, roboris adiectionis, defectuum suppletionis, erectionis, institutionis, decreti, mandati et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXXV, nonis septembris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 5 septembris 1725, pontif. anno II.

1 De more legitur *regulâ* (R. T.).

LXXXIX.

Confirmatur ordinatio quaedam capituli generalis Ordinis Carthusiensis, ne monachi eiusdem Ordinis missarum eleemosynas in privatos usus convertant[1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Vincentius Dinelli procurator generalis Ordinis Carthusiensis, quod, cum, nonnullis ab hinc annis, inter aliquot eiusdem Ordinis monachos per se sive per interpositas personas missarum eleemosynas procurandi illarumque lucrum contra eorum regulam et paupertatis votum, non obstante quod abunde de rebus necessariis provisi sint, sibi attribuendi abusus irrepsisset, per quam- Expositio facti.

1 Clementis XI const. edit. MDCCXII, die 11 maii, pontif. XII, prohibitum fuit monachis dicti Ordinis, ne esum carnium alicui in suis monasteriis permittant; et huius Pontificis constit. edit. MDCCXXV, die 20 augusti, pontif. II, statutum fuit ut nullus impetrare posset gratiam aliquam a S. Sede sine superiorum maiorum licentiâ; quae constitutio confirmatur a Clemente XII const. edit. MDCCXXXII, die 31 iulii, pontif. III.

dam ordinationem capituli generalis dicti Ordinis anno MDCLXXXIV celebrati expresse prohibitum fuit, ne unquam talium stipendiorum lucra, sive palam sive secreto, sibi procurarent, aut reciperent, vel in proprios usus applicarent, prout fusius continetur in eadem ordinatione tenoris qui sequitur, videlicet:

Ordinatio praedicti capituli generalis anno MDCLXXXIV.

Anno MDCLXXXIV. *Ordinatio pro missis eleemosynariis.* Quia experientiâ teste didicimus, quae et qualia damna Ordini evenerunt in quibusdam locis ex celebratione quarumdam missarum, quarum stipendia a celebrantibus in proprios aut amicorum vel parentum usus convertebantur, et partim per superiorum pusillanimitatem, partim per subditorum astutias, qui per varias praetextuum et rationum excogitationes [1] id sibi quasi licitum usurpabant; qui quidem abusus iam extirpatus esse videtur, sed ne unquam tale malum in voti paupertatis perniciem et cupiditatis nutrimentum, quae propositi Carthusiensis pestis merito vocari mereretur, quamcumque domum Ordinis sub quolibet praetextu iterum ingredi valeat, aut in qualibet personâ Ordinis tolerari; declaramus, quascumque rationes, super hac re hucusque allegatas aut allegandas, frivolas esse et nullas, sed meras esse corruptelas a seminatore zizaniorum in animarum perniciem superseminatas (cum personis Ordinis necessaria, iuxta propositi Carthusiensis tenorem, utique ministrari per statuta nostra praescribantur, et de facto ubique per superiores sufficienter ministrentur); et prohibemus omnibus personis Ordinis in virtute sanctae obedientiae, ne unquam talium dispendiorum [2] lucra sive palam sive secreto sibi procurent aut recipiant vel in proprios usus applicent, sive per se sive per interpositas personas, sub poenis contra inobedientes et proprietarios per statuta ordinatis; prioribus vero interdicimus, ne unquam id permittant aut tolerent, sub poenâ absolutionis; si quae autem devotae personae missas pro se celebrari postulent, ad iussum prioris, cui omnes monachi ex vi voti sui in his sicut in aliis obedire tenentur, per ordinem tabulae, sicut consuetum est apud nos, reddantur, et stipendia inde oblata aliis conventus bonis incorporentur, iuxta mentem sacri Concilii Tridentini, sess. XXV, cap. II. *De reformat.*, et iuxta cap. XIX part. II statutorum nostrorum, atque administrationi [1] superiorum subiaceant. Nec visitatoribus ordinariis aut commissariis liceat ullo modo super hac re dispensare; sed insuper ea omnia, quae in locis specialibus super hac re fuerunt iam per capitulum generale disposita, volumus in suo robore permanere [2]:

Et subinde eiusmodi ordinatio in capitulis generalibus annorum MDCLXXXV, MDCCXI, et currenti anno confirmata fuit.

Preces procuratoris generalis pro confirmatione.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, his minime attentis, praesenti [3] abusus etiam nunc perseverent, ac proinde ut capituli generalis ordinatio praeinserta inviolabiliter observetur, dictus Vincentius procurator generalis, ordinationem huiusmodi apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret:

Confirmatio ut in rubrica.

§ 3. Nos, ipsius Vincentii procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertam

1 Edit. Main. legit *excogitationis* (R. T.).
2 Legerem *stipendiorum* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *administrationis* (R. T.).
2 Verba *insuper ... permanere* bis leguntur in edit. Main. (R. T.).
3 Potius lege *praedicti* (R. T.).

capituli generalis ordinationem, confirmatam ut praefertur, cum omnibus et singulis in eâ contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, ipsamque ordinationem, sub suspensionis a divinis aliisque arbitrio nostro imponendis poenis, eo ipso per contrafacientes absque ullâ declaratione incurrendis, servari mandamus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 6. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII septembris MDCCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 7 septembris 1725, pontif. anno II.

XC.

Statuuntur variae ordinationes pro bono regimine fratrum Ordinis S. Ioannis Dei[1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a cura praestantia Ordini S Ioannis Dei.

In supremo militantis Ecclesiae solio divinâ dispositione constituti, ad sacrum S. Ioannis Dei Ordinem, qui multiplicia atque praeclara pietatis et christianae charitatis opera erga pauperes et infirmos suis hospitalibus decumbentes, magno cum reipublicae christianae spirituali commodo et utilitate nec minore fidelium aedificatione, in dies exercere non desinit, mentis nostrae aciem convertentes, nonnullos, quos in eodem Ordine sensim gliscere intelleximus abusus de medio tollere, utque regularis in eo disciplina, ubi labefactata fuerit, opportunis rationibus restituatur, et, ubi viget, firmius perseveret, providere studemus; in eumque finem ex iniuncto nobis divinitus pastoralis sollicitudinis munere, maturâ deliberatione praeha-

1 De confirmatione privilegiorum eiusdem Ordinis vide huius Pontif. constit. edit. MDCCXXIV, die 13 septembris, pontif. I.

bità, quae infra sequuntur statuenda, ordinanda ac declaranda duximus.

Ordinationes praedictas de libertate votorum in congregationibus conventualibus.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, ubi congregationes conventuales in domibus pro novitiatibus destinatis eiusdem Ordinis habentur, religiosis, qui iure illas ingrediendi potiuntur, liberum esse deceat quidquid opportunum eis videtur inibi proponere ac respondere, multoties vero contingat id a pluribus ob iniustum timorem eis a suis superioribus incussum praetermitti: quibuscumque superioribus districte ac sub poenà privationis vocis activae et passivae eo ipso absque alià declaratione incurrendà prohibemus, ne eorum subditos quoquo modo impediant aut deterreant quominus in praedictis congregationibus quidquid proponendum vel respondendum expedire censuerint libere proponere ac respondere valeant, praesertim in iis quae spectant ad receptionem novitiorum; volentes etiam ut relationes de novitiis praedictis, quas fratres de more Ordinis praefati ad eas colligendas deputati adferent, in eisdem congregationibus palam legantur.

De novitiorum probatione exactius perficienda.

§ 2. Quo autem probatio iuvenum in ipsum Ordinem admittendorum exactius perficiatur quam hactenus fieri consuevit, cum per eiusdem Ordinis constitutiones dumtaxat praecipiatur, quod sub fine anni probationis congressus a fratribus habeatur, in quo novitii mores, vitae consuetudo, instructio in rebus Ordinis praefati ac spiritualis progressus discutiuntur, et vota demum pro illius admissione vel dimissione conferantur, mandamus ut eiusmodi congressus ac discussio singulis quatuor mensibus deinceps fiant, idque sub eàdem poenà privationis vocis activae et passivae per priores locales illa facere negligentes similiter incurrendà, et, quatenus post peractum examen novitius, uti inventus dicti Ordini minime aptus et utilis in primo, secundo vel tertio congressu a professione emittendà per pluralitatem suffragiorum exclusus fuerit, dicti priores eum statim a religione et novitiatu dimittant ad propria reversurum, nec ullus ex dictis fratribus dimissionem novitii sic exclusi, directe vel indirecte, sub simili poenà, impedire[1] vel morari audeat; ipsis[2] prioribus sub eàdem poenà insuper iniungentes, ne quovis praetextu vel colore ullum novitium ad annum professionis vel professionem admittant, nisi prius exercitia spiritualia rite peregerit, super quibus nullatenus cum eo dispensari[3] valeat.

De recenter professis in professoriis per annum collocandis.

§ 3. Recenter autem professi, per totum immediate insequentem annum collocentur in domibus seu conventibus, quibus adsunt professoria, vel in futurum erigentur, ut ibi segregati, ac sub disciplinà magistri ad eos regendos et instruendos specialiter deputandi degentes, regulas novitiatus omnino servent, quo in suscepto religionis spiritu magis confirmentur, quin integro illo anno durante ex quavis dispensatione aut alio praetextu extra eadem professoria collocari possint, sed ad summum, ob aliquam eorum necessitatem, si eorum priori generali vel provinciali convenire videbitur, de uno ad aliud professorium, donec annum praedictum exegerint, transferri valeant.

De muneribus non committendis religiosis ante triennium a professione emissa.

§ 4. Quamvis vero in eisdem constitutionibus expresse non caveatur, quod per tres annos continuos a professione emissà computandos nemini demandentur officia illa quae non conferuntur per canonicam electionem sed ad libitum priorum conventualium, quia tamen plurimum interest ut religiosi illi, du-

1 Edit. Main. legit *impediri* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *ipsi* (R. T.).
3 Ed. Main. legit *dispensare* (R. T.).

rante dicto triennio, hospitalitatis iuxta eiusdem Ordinis institutum exercenda[1] incumbant et assuescant, nec immaturâ adhuc aetate protinus muniis illis admoveantur quae cum libertate saepius coniuncta sunt: eisdem prioribus conventuum et aliis superioribus quibuscumque sub enarratâ poenâ interdicimus, ne religiosis praedictis eiusmodi officia committant, et, si aliquando contingat superiores locales aliis religiosis ultra triennium iam professis, quibus dicta officia conferre possint, destitutos esse, tunc demum illos requirent a dicto priore generali vel provinciali, qui eos mittere teneantur.

De hospitalium et aegrotorum servitio omnibus religiosis indiscriminatim demandando.

§ 5. Porro omnes et singuli fratres Ordinis praedicti, in quibuscumque conventibus existentes, exercitiis spiritualibus quotannis ac tempore eis arbitrio prioris generalis vel provincialis designando vacent, ut exinde in viâ Domini magis dirigantur. Et quia cura aegrotorum omnibus religiosis dicti Ordinis aeque iniuncta reperitur, prioribus localibus sub poenâ suspensionis ab officiis suis mandamus, ut, posthabitis quibuscumque mundanis affectibus, respectibus ac saecularium commendationibus, imo et quibusvis vel in Ordine vel extra Ordinem impetratis dispensationibus, omnes indiscriminatim religiosos sibi subiectos ad consuetas in hospitalibus nocturnas vigilias seu excubias faciendas[2] cogant, et, quatenus aliquis impedimento, quo ab istis nocturnis custodiis rationabiliter excusetur, detineatur, reiecto quocumque praetextu, eum per totam diem hospitalium et aegrotorum servitio addicere et quocumque alio officio eximere debeant.

De exponendis bis quolibet mense duobus capitulis constitutionum Ordinis.

§ 6. Licet autem ex laudabili eiusdem Ordinis usu in singulis conventibus non modo regula, quam dicti religiosi profitentur, sed etiam adiectae illi constitutiones legantur; ut id maiori cum utilitate et fructu de cetero fiat, eisdem prioribus localibus sub simili poenâ suspensionis praecipimus, ut per religiosum idoneum exponi curent bis quolibet mense duo capitula constitutionum praedictarum, quo nimirum religiosi de obligationibus sibi incumbentibus melius instruantur, ipsos vero religiosos, exceptis quaestuatoribus, procuratore, obsonatore, e conventibus absque socio egredi non sinant.

De non impediendâ mutatione domorum a priore generali praescriptâ, et obedientiâ a religiosis praestandâ litteris obedientialibus.

§ 7. Ad haec autem, priori generali ipsius Ordinis, cui omnes domus novitiatui destinatae subiectae existunt, religiosos, etiam officiales, quandocumque sive ad alterius cuiuscumque domus sive ad eiusdem etiam domus ordinatius regimen pro sui libito mutandi competentem confirmantes, ac gravem abusum radicitus evellere cupientes, priori locali sub pari privationis vocis activae et passivae poenâ, necnon perpetuae inhabilitatis ad quaecumque officia Ordinis obtinenda, interdicimus, ne mutationes huiusmodi directe vel indirecte impedire aut in controversiam revocare, sicut ceteris religiosis, sub eâdem poenâ, ne litteras obedientiales dicti prioris generalis seu visitatorum aut priorum provincialium quoquo modo impugnare aut aliâs non exequi praesumant.

De residentiâ prioris localis et provincialis, ac de litteris obedientialibus non concedendis neque petendis per saecularium favorem.

§ 8. Alium quoque abusum praecedenti non absimilem submovere volentes, quod scilicet quemadmodum fratres eò saepe ire recusent, quò a suis superioribus destinantur, ita quoque illos per interpositos favores ac officia magnatum et procerum vexent ad hoc ut ab uno conventu ad alium sibi benevisum commutentur, quinimo non raro eveniat, ipsosmet priores tam locales quam

1 Prorsus lege *hospitalitatis officiis ... exercendis* (R. T.).

2 Ed. Main. legit *faciendis* (R. T.).

provinciales, nullâ iustâ de causâ ductos, sed ut suo ingenio morem gerant, per tempus etiam notabile a suis conventibus aut provinciis respective abesse, poenam privationis officiorum et vocis activae et passivae eo ipso incurrendam indicimus non modo adversus priores locales et provinciales ultra unius hebdomadae spatium a suis conventibus vel provinciis absque urgente et ad servitium suorum conventuum aut provinciarum spectante necessitate abessent, verum etiam adversus omnes tum superiores tum subditos concedentes aut petentes per interpositas quarumcumque personarum saecularium preces litteras obedientiales aut ad commorandum alicubi vel aliquò evagandum.

De religiosis qui in huius almae Urbis conventum moram ducere possunt.

§ 9. Et ne in huius almae Urbis conventu fratres inutiles moram[1] ducant, ac in eorum substentationem insumatur quod aegrotorum levamini debetur, statuimus, istiusmodi fratres in eodem conventu nusquam degere posse, aut ulli fratri licere, exceptis discretis Ordinis, memoratum conventum adire nisi obtentâ prius in scriptis a priore generali ob necessitatem ab eo approbandam opportunâ facultate, idque sub apostasiae a religione aliisque ipsius prioris generalis arbitrio in quemcumque aliter accedentem infligendis poenis. Ne autem fratres praedicti a priore generali praefato facultatem eiusmodi favoribus extorquere adnitantur, poenam privationis vocis activae et passivae necnon officiorum obtentorum, et inhabilitatis ad alia similia vel dissimilia in posterum obtinenda, fratribus, qui per favores vim inferunt superioribus ad litteras obedientiales impetrandas, irrogamus.

De saecularium favoribus non requirendis nec admittendis pro dignitatibus in dicto Ordine assequendis.

§ 10. Excommunicationis vero latae sententiae poenâ innodamus fratres ad quarumcumque saecularium personarum favores pro dignitatibus et officiis in dicto Ordine assequendis recurrentes, illosque insuper eo ipso inhabiles ad officia et dignitates, quae ambiunt seu sibi concedi postulant, declaramus, sive procuraverint, sive tantum huiusmodi favores admiserint; eamdemque poenam sancimus in omnes illos fratres, qui, praedictis favoribus lacessiti seu pulsati, palam electores de illis non edocuerint, necnon in singulos electores, qui, postquam de hac re certiorati fuerint, nihilominus fratres favores praedictos procurantes seu admittentes eligere non dubitaverint.

De praecedentia inter dignitates obtinentes.

§ 11. Sed, et quasdam controversias super praecedentiâ inter illos et qui officia et dignitates in Ordine obtinent obortas dirimere volentes, mandamus quatenus primus vocalis, in provinciis eligi solitus pro negotiis et electionibus capituli generalis, post priorem conventualem, exprovinciales et sacerdotes omnes, praecedat quoscumque alios, quamdiu primus vocalis erit, utque priores locales omnes vicarios conventuales in quibuscumque conventibus pariter praecedant.

De administratione redditum singulorum conventuum et hospitalium.

§ 12. Insuper, ut tutiori redditum singulorum conventuum et[1] hospitalium administrationi cautum sit, iniungimus prioribus conventualibus, ut, quotidianis comestibilibus et aliis expensis, quae summam duorum scutorum monetae non excedent, dumtaxat exceptis, nullam aliam rem penitus emere vel etiam vendere valeant, nisi obtentâ prius a priore generali, quoad conventus ipsis subiectos, seu a priore provinciali, quoad reliquos conventus, emptionem venditionemve huiusmodi faciendi licentiâ, ad quam petendam iidem priores consultationem, approbationem et subscriptionem adhibere debeant plenae congre-

1 Forsan *moras* (R. T.).

1 Particulam *et* nos addimus (R. T.).

gationis suorum religiosorum, qui singuli testentur cum iuramento expedire fieri emptionem aut venditionem, prout petitio priorum pro licentiâ obtinendâ praesefert. Quod si dicti priores conventuales a loco ubi priores generalis vel provincialis commorantur longius distent, et occasio utilis se se offerat ad emptionem seu venditionem praedictam deveniendi, quae per meram petendi et praestolandi ab eis licentiam praedictam dilabi posset, tunc de consilio et assensu congregationis suorum religiosorum ad eam procedere valeant ex priorum generalis vel provincialis praesumptâ tantum ac tacitâ licentiâ, quibus tamen rationem confestim reddant emptionis seu venditionis per eos factae, subscribente cum iuramento eâdem congregatione religiosorum, non modo quod utiliter ac de ipsorum consilio et assensu facta fuerit, ut praefertur, verum etiam quod[1] expressa licentia a prioribus generali vel provinciali antea peti et obtineri nequaquam potuerit, ne[2] occasio proficua, quae raptim prioribus localibus occurrat[3], amitteretur. Priores autem conventuum, etiamsi immediate priori generali subsint, hanc licentiam nonnisi a suis prioribus provincialibus modo praedicto exquirere teneantur; atque generaliter priores omnes locales hanc methodum servent quotiescumque aliquid in beneficium conventuum seu hospitalium, quod decem aureorum impensam excedat, facere meditantur. Qui vero praemissa non adimpleverint, in perpetuum voce activâ et passivâ careant.

De conservatione supellectilium eorumdem deque fratrum habitu.

§ 13. Conservationi quoque supellectilium conventuum, eorumque sacrariorum, et hospitalium intendentes, tam superioribus quam eorum subditis prohibemus, ne quaecumque supellectilia huiusmodi extraneis commodent, idque sub poenâ privationis vocis activae et passivae quoad subditos, si id fecerint absque expressâ superiorum suorum licentiâ; qui sciant vetitam sibi a nobis esse in hac licentiâ concedendâ inconsultam nimiamve facilitatem. Stricteque omnibus iniungimus observantiam constitutionum eiusdem Ordinis quantum ad humilem simplicemque habitum in dicto Ordine deferri solitum, qui videlicet a saeculari cultu et omni mundanâ vanitate et novitate plane alienus sit, poenâ privationis et inhabilitatis ad officia ipsius Ordinis eos coërcentes, qui, aliquâ ex parte hac in re culpabiles, non se protinus emendaverint, adversus quos superiores ad alias etiam poenas, quatenus opus sit, procedere possint et debeant.

De rebus in Ordine contingentibus, necnon negotiis in Congregationibus resolutis minime evulgandis.

§ 14. Cumque experientiâ ipsâ compertum sit, oblocutiones in superiores, rerum in Ordine contingentium extra claustra delationes seu evulgationes, necnon negotiorum in congregationibus resolutorum revelationes imprimis noxias ac perniciosas esse, nedum quia recto guhernio plurimum officiunt, verum etiam quod totius Ordinis honori et decori non parum detrahunt: privationem vocis activae et passivae ipso facto incurrendam indicimus in eos qui apud saeculares praesertim aliquem ex enarratis excessibus admiserint, qui, si sufficientia adversus eos de praemissis indicia habeantur, etiam in carcerem detrudi, et, quatenus de eis eorumve aliquo convicti fuerint, extra provinciam suae professionis relegari valeant.

De appellationibus et recursis.

§ 15. Demum, cum non raro eveniat, religiosos, ut[1] superiorum suorum iudicium effugiant melioremque praetensionum suarum successum experiantur,

1 Edit. Main. legit *quo* pro *quod* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *nec* (R. T.).
3 Aptius legendum *occurrit* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *et* pro *ut* (R. T.).

apud alios, nec eorum meritorum, quinimo saepe nec legum et consuetudinum Ordinis praedicti gnaros, per appellationes seu recursus ita inordinate agere, ut eosdem superiores multoties interrogari contingat de rebus ad subditos suos imo et Ordinem ipsum pertinentibus, de quibus nullam notitiam habeant[1], aut partes suas nondum adimpleverant: ideo in dicto Ordine id ipsum quod in aliis Ordinibus per Sedem Apostolicam dispositum reperitur exacte observari praecipimus, quod nimirum appellationes et recursus praefati primum intra Ordinem ipsum gradatim fiant, ut etiam extra eumdem Ordinem deferri possint si quis non rite impensam sibi existimet a superioribus Ordinis iustitiam.

Clausulae

§ 16. Decernentes, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque semper valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et spectabit in futurum, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuntios, et alios quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatoriae.

§ 17. Non obstantibus praemissis, ac nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, illiusque provinciarum, conventuum, hospitalium, domorum, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordini, provinciis, conventibus, hospitalibus, domibus, ac illorum superioribus, prioribus, fratribus et personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et quantiscumque vicibus innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur et insererentur, iisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides adhibenda transumptis.

§ 18. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

[1] Aptius forsan *habebant* (R. T.).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII septembris MDCCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 17 septembris 1725, pontif. anno II.

XCI.

Reintegratur ad cathedralitatem ecclesia Privernensis, et Terracinensi unâ cum Setinâ aeque principaliter unitur [1].

Benedictus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Super universas orbis ecclesias, meritis licet imparibus, divinâ dispositione constituti, ad ea libenter intendimus, per quae ecclesias ipsas, praesertim beatissimae Virginis Mariae nomine decoratas et in civitatibus insignibus consistentes nostraeque ditioni subiectas, ad pristinam earum cathedralitatem, si illa in desuetudinem abiisse dicatur, libenti animo restituamus, ac, quatenus opus sit, eas de novo in cathedrales erigamus, earum dignitatibus et canonicis nova privilegia et indulta concedamus, prout, pensatis circumstantiis universis, ad Dei omnipotentis[2], eiusdemque Virginis Mariae laudem et honorem, ac populorum in eis degentium quietem et tranquillitatem conspicimus in Domino salubriter expedire.

Recensentur praerogativae civitatis praedictae, eiusque ecclesiae maioris. § 1. Cum itaque, sicut accepimus a dilectis filiis capitulo et clero civitatis Priverni in Latio sitae et ditioni Sedis Apostolicae immediate subiectae, eadem civitas, ob originis antiquitatem, rerum omnium ad humanae vitae usum necessariarum[1] ubertatem, aedificiorum amplitudinem, ac habitatorum et incolarum numerum quatuor mille animas excedentem, aliasque infrascriptas praerogativas, inter principaliora loca Latii huiusmodi adscribitur, et ibi divus Thomas Aquinas nuncupatus, dum viveret, Ordinis fratrum S. Dominici Praedicatorum nuncupatorum expresse professus, et a pluribus annis eiusdem civitatis patronus, dum ad Lugdunense concilium proficiscebatur, in monasterio Fossae Novae nuncupato Cisterciensis Ordinis moram fecit, ibique lethali morbo correptus, aegrotans sacra *Cantica Canticorum* explanavit, et obdormivit in Domino, illiusque domicilium in capellam cum altari redactum fuit, plures in eâdem civitate adsunt familiae tam generis nobilitate quam litteris et armis conspicuae et propriis redditibus decore viventes, ultra infrascriptam maiorem, quinque numerantur parochiales ecclesiae, in quibus animarum cura debitâ qua par est vigilantiâ promptâque et assiduâ sacramentorum administratione exercetur, quatuor religiosorum virorum conventus ibi reperiuntur, necnon collegium clericorum regularium Doctrinae Christianae ibidem diversarum scientiarum scholas habentium, unum existit sanctimonialium monasterium, quae voti solemnis religioni consecratae monastico sanctioris vitae instituto illibatam servant virginitatem, quinque etiam reperiuntur laicorum confraternitates, ac tria oratoria aliaque loca pia huiusmodi canonice erecta, in quibus divini cultus promoventur officia, ac plura pietatis et misericordiae opera exercentur, illud vero quod ad maiorem praefatae civitatis cedit honorificentiam et praerogativam, venustissima est, et decora propemodum ecclesiae maioris eiusdem ci-

1 De confirmatione et innovatione erectionis ecclesiae Setinae in cathedralem, et eius unione cum ecclesiâ Terracinensi, vide huius Pontificis constit. edit. MDCCXXV, die 16 iulii, pontif. II.

2 Videtur deesse *gloriam* (R. T.)

1 Male Edit. Main. legit *necessarium* (R. T.).

vitatis nobilis et antiquae structurae ac beatissimae Virginis Mariae dicatae[1] maiestas, et ministrorum inibi divino cultui incumbentium pietas, ac sacrarum reliquiarum ac rerum omnium pro divinis officiis obeundis inibi existentium ubertas, necnon pro ecclesiasticis functionibus decenter exercendis sacrisque utensilibus opulenter ornata, egregiâ insignitatis laude perfulgens, illius capitulum archipresbytero, dignitate unicâ, et quatuordecim canonicis decoratur, qui, ecclesiasticis caeremoniis instructi, sacrisque actibus imbuti, illa, quam domus Dei exposcit, maiestate et decentiâ sacris laudibus vacant, et divinae servitutis obsequio horas canonicas persolvunt:

Demonstratur ecclesiam Privernensem olim cathedralem extitisse, eiusque episcopi enumerantur.

§ 2. Ob praefatas aliasque civitatis et maioris ecclesiae huiusmodi praerogativas, etiam antiquis temporibus in eis praefulgentes, praefata maior ecclesia S. Mariae ecclesia cathedralis extitit, ac quinque prae ceteris Privernenses episcopi in eâ extiterunt (quorum primus Eleutherius episcopus Privernas, qui anno Domini DCCCXXIV interfuit synodo sexaginta trium episcoporum ab Eugenio Papa III praedecessore nostro Romae celebratae, in qua subscriptus legitur *Eleutherius episcopus Privernas;* secundus fuit Maius episcopus, qui in aliâ synodo celebratâ sub Leone IV etiam praedecessore nostro, anno eiusdem Domini DCCCLIII in basilicâ Principis Apostolorum de Urbe cum interventu sexaginta trium episcoporum subscriptus legitur *Maius episcopus Privernas;* tertius fuit Benedictus episcopus, qui interfuit synodo Romae celebratae anno eiusdem Domini DCCCCXCII; quartus fuit Martinus episcopus, qui legitur vixisse ante annum eiusdem Domini millesimum; ac quintus denique Petrus episcopus, qui interfuit Concilio Romano anno eiusdem Domini MLXVI sub Benedicto Papa IX, pariter praedecessore nostro, similiter celebrato); postmodum vero praefata ecclesia Privernensis ecclesiae Terracinensi ab Honorio Papa III etiam praedecessore nostro unita fuit, ac, stante unione huiusmodi, decursu temporis qualitas cathedralitatis dictae ecclesiae Privernensis in desuetudinem abiisse dicitur, et super cathedralitate huiusmodi inter Terracinensem, Setinam et Privernensem ecclesias plures lites et controversiae extiterunt, quae tamen inter praefatas ecclesias Terracinensem et Setinam per nos extinctae fuerunt, super cathedralitate tamen ecclesiae Privernensis forsan adhuc pendent indecisae:

Causae praesentis reintegrationis.

§ 3. Nos, considerantes quod praefata maior ecclesia Priverni ob praefatas qualitates et praerogativas digna videtur ut ad pristinam qualitatem cathedralis restituatur, motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine merâque deliberatione nostris, lites et causas super cathedralitate dictae maioris ecclesiae Privernensis inter praefatam maiorem ecclesiam Privernensem et ecclesiam Terracinensem adhuc forsan pendentes indecisas ad nos avocamus, easque penitus et omnino extinguimus, ac omnibus et singulis personis in causis et litibus huiusmodi existentibus ac interesse quomodolibet habentibus seu habere praetendentibus perpetuum silentium imponimus; et ecclesiam praefatam S. Mariae Priverni ad cathedralitatem reintegramus, et, quatenus opus sit, de novo in cathedralem erigimus, et dictae ecclesiae Terracinensi, unâ cum dictâ ecclesiâ Setinâ, aeque principaliter etiam de novo unimus, itaut in posterum ecclesia Privernensis, Setina et Terracinen-

1 Male Edit. Main. legit *dictae* pro *dicatae* (R. T.).

sis tres cathedrales insimul unitae sint et esse debeant, et in actibus consistorialibus et in litteris apostolicis super promotione novi episcopi ad praefatas ecclesias Terracinensem, Setinam et Privernensem, sic, ut praefertur, aeque principaliter unitas, semper fieri debeat mentio praefatae ecclesiae Privernensis uti concathedralis.

Nonnullis privilegiis capitulum dictae ecclesiae ornatur.

§ 4. Ad hoc autem ut capitulum et canonici praefatae maioris ecclesiae Privernensis in praefatâ maiori ecclesiâ Privernensi horas canonicas canere et ecclesiasticas functiones maiori cum honorificentiâ et decore divinique cultus splendore exercere valeant, modernis et pro tempore existentibus archipresbytero et canonicis praefatae maioris ecclesiae Privernensis, ut ipsi perpetuis futuris temporibus mozzettam violacei coloris supra rocchettum tam in dictâ maiori ecclesiâ Privernensi, illiusque capitulo, quam extra eam, ac in processionibus, funeralibus, et aliis quibuscumque functionibus et actibus capitularibus, publicis et privatis, quibuslibet anni temporibus et diebus, etiam in praesentiâ quorumcumque archiepiscoporum vel episcoporum et Sedis Apostolicae nunciorum, necnon S. R. E. cardinalium, etiam de latere legatorum, et aliorum quorumcumque quavis auctoritate et potestate fungentium ac honore et praeeminentiâ fulgentium, deferre libere et licite possint et valeant, ac super gestatione mozzettae et rocchetti huiusmodi a quoquam, quavis auctoritate, directe vel indirecte, impediri, molestari, inquietari vel perturbari nullatenus possint, etiam perpetuo concedimus et indulgemus.

Clausulae amplissimae.

§ 5. Decernentes insuper, easdem praesentes semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos quomodolibet nunc spectat et pro tempore spectabit, firmiter et inviolabiliter observari debere, ac nullo unquam tempore, ex quocumque capite vel qualibet causâ, quantumvis legitimâ et iuridicâ, etiam ex eo quod capitulum et canonici ecclesiarum Terracinensis et Setinae, aut quicumque alii in praemissis et circa ea quomodolibet et ex quavis causâ, ratione, actione vel occasione ius vel interesse habentes seu habere praetendentes, illis non consenserint, nec ad id vocati, citati et auditi fuerint, et causae, propter quas eaedem praesentes emanaverint, adductae, verificatae ac iustificatae non fuerint, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vel invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut ius vel interesse habentium consensûs, aut quolibet alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato et inexcogitabili, ac specificam et individuam mentionem ac expressionem requirente defectu, sive etiam ex eo quod in praemissis eorumque aliquo solemnitates et quaevis alia, servanda et adimplenda, servata et adimplcta non fuerint, aut ex quocumque alio capite a iure vel facto aut statuto vel consuetudine aliquâ resultante, seu enormis, enormissimae, totalisque laesionis, aut quocumque alio colore, praetextu, ratione vel causâ, etiam in corpore iuris clausâ, occasione, aliâve causâ, etiam quantumvis iustâ, rationabili, legitimâ, iuridicâ, piâ, privilegiatâ, etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostrâ et aliis superius expressis nullibi appareret seu aliàs probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas

restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, vel facti, aut gratiae, vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu simili concesso vel impetrato aut emanato uti seu se iuvare [1] in iudicio vel extra posse, neque ipsas praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes et Sedem Apostolicam praedictam, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, et ex quibuslibet causis, et sub quibusvis verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiamsi in eis de eisdem praesentibus earumque toto tenore ac datâ specialis mentio fiat, pro tempore factis et concessis, ac faciendis et concedendis, nisi capitulorum et canonicorum praefatarum ecclesiarum Terracinensis et Setinae aut quarumcumque aliarum personarum ad id interesse habentium seu habere praetendentium expressus accesserit assensus, comprehendi, sed, tamquam ad maius divini cultus augmentum, personarumque ecclesiasticarum pacem et tranquillitatem, uberioremque etiam laicorum spiritualem consolationem et utilitatem tendentes, semper et omino ab illis exceptas, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum ac eum in quo antea quomodolibet erant statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ per pro tempore existentes capitulum et canonicos dictae maioris ecclesiae Privernensis quandocumque eligendâ concessas esse et fore, sicque et non aliâs per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac praefatae S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, dictae Sedis nuncios, ac aliâs quomodolibet quavis auctoritate potestate, praerogativâ et privilegio fungentes, ac honore et praeeminentiâ fulgentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quocumque iudicio et quacumque instantiâ iudicari et definiri debere; et, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

§ 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostris et Cancellariae Apostolicae de iure quaesito non tollendo et de unionibus ad partes committendis, vocatis quorum interest, aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet editis et edendis regulis, aliisque quibusvis, etiam in synodalibus, provincialibus et universalibus conciliis editis et edendis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictarumque ecclesiarum Terracinensis, Setinae et Privernensis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, eorumque reformationibus et novis additionibus, stylis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque personis ac locis quibuscumque, etiam specificâ et expressâ ac individuâ mentione dignis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu simili, ac consisto- Derogatoriae specificae.

1 Deest vox *quemquam* (R. T.).

rialiter, aut aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus in contrarium praemissorum concessis, approbatis, confirmatis et innovatis, etiamsi in eis caveatur expresse quod illis per quascumque litteras apostolicas, etiam motu pari pro tempore concessas, et quascumque etiam derogatoriarum derogatorias in se continentes, derogari non possit, neque censeatur eis derogatum; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut quaecumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et causas, etiam quantumvis praegnantes, pias, privilegiatas, praesentibus pro plene et sufficienter, ac de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertis, expressis et specificatis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum omnium et singulorum validissimum effectum, hac vice dumtaxat, latissime et plenissime et sufficienter, necnon specialiter et expresse, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, harum serie derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Ordinationes nonnullas ad controversias quascumque tollendas.

§ 7. Volumus autem quod per praesentem reintegrationem dictae maioris ecclesiae Privernensis ad cathedralitatem seu illius novam erectionem in cathedralem, a nobis sic, ut praefertur, factas, episcopi Terracinenses pro tempore existentes possint in praefatâ civitate Priverni residere, aut retinere vicarium generalem aut specialem, functionesque episcopales temporibus et diebus eis benevisis ibidem peragere, semper tamen eorum arbitrio; sede autem episcopali vacante, capitulum ecclesiae Terracinensis, iuxta hactenus observatam consuetudinem, etiam inconsulto et minime audito capitulo ecclesiae Privernensis, vicarium capitularem eligere valeat, qui, postquam a dicto capitulo Terracinensi canonice electus et deputatus fuerit, suam iurisdictionem etiam in ecclesiâ Privernensi exercere valeat; quodque, ad tollendas futuris temporibus controversias quascumque inter Privernensem et Setinam ecclesias, praecipue in casibus et functionibus, in quibus capitula Privernensis et Setinae ecclesiarum praefatarum insimul adesse contigerit, ac etiam in actibus consistorialibus, alternativa inter eos praecedentiae exerceatur. Volumus denique quod communitas, capitulum et clerus Privernensis obligati sint et teneantur eorum expensis emere seu construere aliquod decens palatium, in quo praefatus episcopus ad eius arbitrium commode et decenter habitare valeat, eique solvere debeant procurationem, quando tempore inceptae visitationis in civitate Privernensi non resederit: decernentes etiam, quoad posteriorem voluntatem nostram huiusmodi, ex nunc irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Sanctio poenalis.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae avocationis, extinctionis, reintegrationis, erectionis, indulti, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXV, IV idus septembris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 10 septembris 1725, pontif. anno II.

XCII.

Declaratur superiores presbyterorum saecularium Congregationis Missionis habere facultatem concedendi litteras dimissorias subditis suis[1].

Benedictus Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Refertur origo moris concedendi litteras dimissoriales praedictas.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes Bonnet, superior generalis presbyterorum saecularium Congregationis Missionis, quod superiores pro tempore existentes eiusdem Congregationis, in vim constitutionum apostolicarum felicis recordationis Urbani VIII et Alexandri VII Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, per quas dicta Congregatio ab Ordinariorum iurisdictione, exceptis pertinentibus ad missiones dumtaxat, exempta reperitur, litteras dimissorias concesserunt suis subditis, qui, post emissa solita vota, tam in hac almâ Urbe nostrâ, quam in aliis locis, ubi domus dictae Congregationis erectae et fundatae sunt, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines promoti fuerunt. Verum, quia, cum anno MDCLVII, tempore quo bonae memoriae Martius, dum vixit, S. R. E. cardinalis Ginettus nuncupatus munus vicarii dicti Alexandri praedecessoris in eâdem Urbe in spiritualibus generalis exercebat, ab illius auditore difficultas super hoc puncto proposita fuisset, de mandato eiusdem Martii cardinalis et vicarii habita fuit particularis Congregatio, coram qua, proposito dubio in formâ, scripturisque tunc exhibitis, ad eorumdem missionariorum favorem capta fuit resolutio; et ita ab eo tempore praxis concedendi litteras dimissorias huiusmodi firmata et hactenus confirmata fuit.

Causae et preces pro dicta declaratione obtinendâ.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, nonnulli transmontani episcopi, quibus vel non bene resolutio praedicta innotescit, vel, tametsi ab oraculo pontificio per organum tunc existentis Brevium secretorum a secretis, nonnullis litteris in formâ Brevis desuper expeditis, per quas clerici memoratae Congregationis extra tempora a iure statuta ad dictos sacros ordines promoveri possent, confirmata, nullius efficaciae penes ipsos existat, nihilominus praedictam facultatem admittere recusent; ac propterea dictus Ioannes superior generalis, ad removendas de cetero hac in re quascumque difficultates, de opportunâ in praemissis declaratione a nobis provideri summopere desideret:

Declaratio praedicta.

§ 3. Nos igitur, ipsum Ioannem specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, facultatem superioribus praedictae Congregationis Missionis concedendi litteras dimissorias suis subditis ubicumque existentibus, prout illis competisse resolutum fuit, ut praefertur, adhuc de praesenti competere, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, ipsas praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore

1 Alexandri VIII constit. edit. MDCXC, die 5 decembris, pontif. I, fit facultas presbyteris dictae Congregationis absolvendi a casibus reservatis, et Clementis XI constit. edit. MDCCIII, die 9 iulii, pontif. III, necnon huius Pontificis constit. edit. MDCCXXVII, die 15 iulii, pontif. IV, agitur de iure assistentium eiusdem Congregationis.

spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis contrariis quibuscumque.

Praecipitur, ut fides habeatur transumptis.

§ 6. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII septembris MDCCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 17 septembris 1725, pontif. anno II.

XCIII.

Conceditur priori generali carthusiae maioris indultum egrediendi ex eâdemmet carthusiâ, et monasteria tam monachorum quam monialium in provinciis Galliae visitandi [1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Expositio facti.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Vincentius Dinelli, prior carthusiae de Urbe et procurator generalis Ordinis Carthusiensis in Romanâ Curiâ, tam suo quam dilecti pariter filii Antonii de Mogesond prioris maioris carthusiae Gratianopolitanae dioecesis et generalis eiusdem Ordinis nomine, quod per statutum dicti Ordinis, II parte, cap. XXIV, § 5, confirmatum, expresse cavetur ne priores praedictae carthusiae maioris pro tempore existentes, e limitibus carthusiae maioris huiusmodi egredi valeant. Vigor vero dicti statuti in aliquâ eius parte, non solum pro levamine eiusdem Antonii prioris generalis, qui propter sua merita in maiori Ordinis huiusmodi dignitate constitutus, attentâ eiusmodi prohibitione, in perpetuo quamvis religioso et sacro carcere detentus reperitur, in quo usque ad extremum vitae suae spiritum permanere debet, verum etiam pro utilitate et profectu tam spirituali quam temporali Ordinis praedicti de praesenti mitigari posset, si aliquando idem prior generalis ex eâdem carthusiâ maiori egrediendo tam monachorum quam monialium monasteria personaliter visitaret, eisque per hanc visitationem magnum solamen afferret. Nobis propterea dicti Antonius prior generalis et Vincentius procurator generalis humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio praedicti indulti.

§ 2. Nos igitur, illorum votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut perpetuis futuris temporibus dictus Antonius et pro tempore existens prior generalis prae-

1 Innocentii XII constit. edit. MDCXCII, die 4 novembris, pontif. II, declaratum fuit statutum eidem priori a suo Ordine iniunctum non egrediendi a suâ carthusiâ.

dictae carthusiae maioris saltem duabus vicibus quolibet anno, et per mensem qualibet vice, ex eâdem carthusiâ maiori egredi, et per seipsum memorata monasteria, in provinciis Galliae dumtaxat consistentia, tam in capite quam in membris visitare, et circa eorum vitam, mores et regularem observantiam, necnon eorumdem monasteriorum statum et administrationem tam in spiritualibus quam in temporalibus diligenter inquirere, atque omnia ad primaevam instituti rationem ac sacrorum canonum et Concilii Tridentini praescriptum, prout in Domino expedire arbitramur [1], reformare libere et licite possit et valeat, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis et monasteriorum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI septembris MDCCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 26 septembris 1725, pontif. anno II.

1 Potius *arbitrabitur* vel *arbitratur* (R. T.).

XCIV.

Statuitur quibus ecclesiis calices et cerei a senatu populoque Romano in in posterum offerantur.

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Licet omnibus universi orbis ecclesiis divinâ dispositione praesidemus, [illegible] prius tamen ecclesiarum almae [illegible] nostrae cura nos tangit, earumque decori ac necessitatibus, quantum cum Domino possumus, sedulo providemus.

Refertur consuetudo senatoris et conservatorum Urbis offerendi quotannis calices et cereos quibusdam ecclesiis.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, pia ac laudabilis [1] in ipsâ Urbe vigeat consuetudo, quod dilecti filii eiusdem Urbis senator et conservatores ad diversas de dictâ Urbe ecclesias, ubi festivitates celebrantur, singulis annis solemniter accedant, ac illis calices argenteos et cereos sanctos [2] populique Romani nomine offerant, isque mos, qui ante saeculum quoad nonnullas ecclesias huiusmodi servari coepit, tum per Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum in simili formâ Brevis litteras seu chirographa eorum manu signata, tum per resolutiones conciliorum seu sessionum Capitolii, aut rescripta supplicibus libellis a dictis conservatoribus apposita, ad quadraginta octo nunc Urbis praedictae

1 Edit. Main. legit *laudabili* (R. T.).
2 Deest *suo* (R. T.).

ecclesias, in tabellà, quae in eodem Capitolio asservatur, descriptas, extensus et ampliatus reperiatur, sumptus vero calicum et cereorum huiusmodi, qui ex Camerae Capitolinae redditibus fiunt, ad bis mille scuta monetae quotannis ascendant; et, sicut nobis etiam innotuit, pro parte aliarum tam saecularium quam regularium virorum et mulierum Urbis praefatae ecclesiarum diversis temporibus eisdem praedecessoribus supplicatum, necnon apud conservatores praedictos institum fuerit, quatenus calices et cerei praefati eis quoque impertirentur; verum, quia dictae Camerae proventus satis tenues existunt, et aliàs a memoratis praedecessoribus vetitum fuit ne expensae in eàdem Camerà augerentur, precibus nomine ecclesiarum praedictarum porrectis annui nequiverit:

Causae praesentis constitutionis.

[illegible] Nos, considerantes ultra quadraginta ecclesias praedictas, quae dictis calicibus et cereis donantur, plurimas alias in eàdem Urbe extare ecclesias, quae hanc senatus populique Romani largitionem promerentur; ac proinde, quo plures quam fieri potest ecclesiae eiusmodi muneris fiant participes, formam hac in re in posterum servandam praescribere volentes, motu proprio, ac ex certà scientià et maturà deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis

Statuit ut in rubricà.

plenitudine, harum serie statuimus ac praecipimus et mandamus, ut de cetero perpetuis futuris temporibus e dictis quadraginta octo, quibus calices et cerei praedicti offerri consueverunt, viginti octo tantum ecclesiis, erga quas dictus senatus populusque Romanus ad id praestandum, vel ex publico voto aliàs emisso, vel peculiari devotione aut obligatione, obstringitur, calices et cerei huiusmodi singulis annis, statutisque temporibus et festivis diebus, et eo[1] plane modo quo hactenus factum est, absque ullà mutatione aut variatione, per senatorem[1] ac conservatores praedictos offerantur et dispensentur, ac nova tabella, in dicto Capitolio pariter asservanda, et a venerabili fratre nostro Fabritio episcopo Portuensi et S. Ruffinae S. R. E. cardinali Paulutio nuncupato, nostro in eàdem Urbe vicario in spiritualibus generali, prius recognoscenda et obliganda, conficiatur, in qua istae viginti octo ecclesiae primo loco adnotentur; reliquae autem viginti ecclesiae praedictae, pro quibus speciales illae rationes, quae viginti octo supradictis suffragantur, minime concurrunt aut urgent, quolibet tamen[2] biennio, alternis[3] nempe annis, calices et cereos praedictos consequantur, et in tabellà sicut praemittitur conficiendà secundo loco post dictas scilicet viginti octo ecclesias describantur; in locum vero viginti ecclesiarum praedictarum, quae altero anno eiusmodi largitione carebunt, aliae[4] quadraginta eiusdem Urbis ecclesiae subrogentur, et in dictà tabellà tertio et ultimo loco referantur, quibus singulis trienniis calices et cerei praedicti distribuantur, ita nimirum, ut anno proxime futuro MDCCXXVI illos obtineant viginti primae ex dictis quadraginta ecclesiis subrogandis in tabellà praefatà descriptae, anno subsequenti MDCCXXVII viginti illae, quae alternativà, sicut praemittitur, potiri debent, ac postmodum anno MDCCXXVIII reliquae viginti ex praedictis quadraginta ecclesiis subrogandis, et demum anno MDCCXXIX rursus praedictae viginti ecclesiae quae alternativà gaudent: isque ordo deinceps

1 Vocem *eo* nos addimus (R. T.).

1 Edit. Main. legit *senatorum* (R. T.).
2 Forsan *tantum* pro *tamen* legend. (R. T.).
3 Pessime edit. Main. legit *alterius* pro *alternis* (R. T).
4 Edit. Main. legit *alia pro aliae* (R. T.).

perpetuo servetur. Ipsisque conservatoribus iniungimus ut in praefatâ tabellâ adnotent festivos dies, quibus unicuique ex dictis quadraginta ecclesiis subrogandis calicum et cereorum huiusmodi oblatio facienda veniet.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac supradictis ecclesiis in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, aliosve quoslibet quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatoriae. § 4. Non obstantibus praemissis, ac nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, chirographis et rescriptis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in contrarium praemissorum editis, seu factis, concessis, confirmatis et pluries innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII septembris MDCCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 28 septembris 1725, pontif. anno II.

CXV.

Unitur Congregatio Doctrinae Cristianae regni Neapolis alteri Avenoniensi cum quibusdam ordinationibus et concessionibus [1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Illius, cuius ineffabili bonitate et providentiâ stant et reguntur universa, vices, licet immeriti, gerentes in terris, ad ea peculiares vigilantiae nostrae curas propensissimâ charitate convertimus, quae felici prosperoque statui et regimini Congregationum piorum virorum propriae alienaeque saluti laudabiliter

1 Aliâ huius Pontificis const. edit. MDCCXXIV, die 24 novembris pontif. I, reservata fuit Romano Pontifici dispensatio super voto perseverantiae in dictâ Congregatione Neapolitanâ, et constit. edit. MDCCXXVIII, die 1 iunii, pontif. IV, nonnulla ordinantur pro bono regimine dictae Congregationis Avenionensis.

incumbentium, ac uberes bonorum operum fructus, adspirante divinâ gratiâ, proferre iugiter satagentium, conducibilia fore in Domino arbitramur.

Causae praesentis constitutionis.

§ 1. Cum itaque, dum cardinalatus honore fungebamur, saepius nobiscum animo reputaremus, quod, si Congregatio clericorum regularium Doctrinae Christianae, quae in regno Neapolis consistit, nec[1] mediocriter aliquot abhinc annis aucta et propagata dignoscitur, alteri eiusdem nominis et instituti Congregationi in civitate Avenionensi existenti uniretur, ambaeque Congregationes huiusmodi in unum corpus coniungerentur, non modicum inde utraque Congregatio illiusque commune institutum susciperet incrementum, et inter ipsarum Congregationum professores charitatis aliarumque virtutum studia magis magisque in dies florerent et vigerent; ac proinde, ubi primum apostolatus apicem conscendimus, hanc unionem, quam etiam reipublicae christianae proficuam fore non immerito speramus, promovendum duxerimus:

Unio praedictae Congregationis cum eiusdem provinciarum divisione.

§ 2. Hinc est quod nos, ex pastoralis officii nostri debito, earumdem Congregationum (quarum etiam expressus ad id accessit consensus) felici statui et commodis salubriter, quantum nobis ex alto conceditur, providere cupientes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, dictam Congregationem clericorum saecularium Doctrinae Christianae, in regno Neapolis consistentem, alteri eorumdem clericorum saecularium Congregationi in praefatâ civitate Avenionensi institutae, harum serie, perpetuo unimus et incorporamus, itaut ex nunc et in posterum unica sit ac esse censeatur Congregatio, quae clericorum saecularium Doctrinae Christianae Avenionensis nuncupetur, unumque corpus efficiat, ac regulas et constitutiones Congregationis in dictâ civitate Avenionensi institutae, a Sede Apostolicâ approbatas, exacte observet; volentes ut haec unica Congregatio ex provinciis Romanâ, Avenionensi, Tolosanâ et Parisiensi constituatur: ipsique provinciae Romanae, ultra seminaria Spoletanum et Mevaniae, subsint collegia Civitatisvetulae, Roncilionis, S. Martini, Ferentilli, Neapolitanum, Lauretanum, Sorbi, S. Ioannis in Galdo et Casertae, necnon Sospitelli et Ipporegiae in ducatu Sabaudiae seu principatu Pedemontii, quae a provinciâ Avenionensi in perpetuum dismembramus, ac illa, et si quae alia citra montes quandocumque erigentur, dictae provinciae Romanae attribuimus: cetera autem collegia in civitatibus, oppidis, terris, castris, villis et locis universi Status nostri Avenionensis et comitatus Venayssini ac regni Galliarum, seu alibi ultra montes, erecta seu erigenda, praefatis provinciis Avenionensi, Tolosanae et Parisiensi respective subiaceant.

Statuuntur nonnulla pro recto et utili eiusdem regimine.

§ 3. Quoniam vero praepositus generalis dictae Congregationis Avenionensis in civitate Avenionensi vel Parisiensi, ut plurimum residebit, in capitulo generali semper eligatur unus de provinciâ Romanâ in vicarium generalem eiusdem provinciae Romanae, qui vocem activam et passivam in capitulis tum generalibus tum provincialibus obtineat, cuique nova collegia instituendi, aliaque pro bono dictae provinciae regimine faciendi ac gerendi opportuna, a praedicto praeposito generali facultates attribuantur. Statuentes quod provincialia quolibet triennio, mense septembri vel octobri, generalia vero capitula de sexennio in sexennium, mense maio vel iunio, in locis et collegiis per praepo-

1 Edit. Main. legit *ne* pro *nec* (R. T.).

situm generalem pro tempore existentem discrete ac rationabiliter indicendis, celebrentur. Ad parcendum autem sumptibus, quibus praefata provincia Romana modo impar esse noscitur, dilectos filios Caietanum Cioffum, qui praedictae Congregationis regni Neapolis praepositus generalis existebat, in vicarium generalem dictae provinciae Romanae, ac Dominicum Boriglionum, modernum supradicti collegii Sospitelli rectorem, in assistentem generalem ipsius Congregationis Avenionensis usque ad mensem maium aut iunium anni MDCCXXIX, quo capitulum generale celebrari debebit, necnon Ioannem Massieram, qui munere procuratoris generalis praefatae Congregationis in civitate Avenionensi institutae hactenus functus fuit, in superiorem provincialem eiusdem provinciae Romanae usque ad mensem septembrem vel octobrem praedicti anni MDCCXXIX, quo tempore capitulum provinciale celebrandum erit, ex nunc constituimus ac deputamus. Ipsisque Caietano et Ioanni, eorumque in vicariatu generali et provincialatu huiusmodi successoribus, duplex votum seu suffragium in capitulis generalibus concedimus, donec tamen dicta provincia Romana expensas pro discretis ad huiusmodi capitula mittendis facere possit, in quibus tunc vicarius generalis et superior provincialis unicum suffragium ferent; ac dicto Dominico similiter votum in proxime futuro capitulo generali, ad instar aliorum dictae Congregationis Avenionensis assistentium generalium, competat. Mandamus quoque eisdem Caietano, Ioanni et Dominico, quatenus ipsi, et, altero eorum deficiente vel impedito, alius clericus saecularis eiusdem provinciae Romanae, per superstites ex eis, aut minime impeditos, in illius locum subrogandus, ac duo consiliarii, de dictâ provinciâ per eos assumendi, infra biennium insimul conveniant, et per secreta suffragia eligant superiores locales collegiorum dictae provinciae, rectores nuncupandos, qui in officio durare debebunt usque ad proxime futurum capitulum provinciale anno MDCCXXIX, sicut praemittitur, celebrandum, ad quod rectores dictorum collegiorum Sospitelli et Ipporegiae, propter nimiam eorum a reliquis eiusdem provinciae collegiis distantiam, accedere minime teneantur, sed sua suffragia alicui ex eis qui praefato capitulo provinciali intervenient, aut etiam, si ita eis videbitur, pro tempore existenti vicario generali committere ipsis licebit.

Nonnulla privilegia eidem confirmantur et conceduntur.

§ 4. Porro eidem Congregationi per praesentem unionem ex duabus in unam coalescenti, eiusque domibus, collegiis et locis, ac superioribus, clericis saecularibus et personis quibuscumque, ut omnibus et singulis privilegiis, gratiis, immunitatibus, exemptionibus, indultis, tam temporalibus quam spiritualibus, praeeminentiis, praerogativis, honoribus et favoribus hactenus a Romanis Pontificibus praedecessoribus et Sede Apostolicâ cuilibet ex memoratis duabus Congregationibus quovis modo et qualitercumque concessis, quae, quatenus opus sit, per praesentes approbamus et confirmamus, ac denuo concedimus, uti, frui, potiri et gaudere, illius vero clericis ut eorum pium ac laudabile institutum exercere, sacras missiones peragere, congregationes, scholas et academias aperire, iuventutem in litterarum studiis ac disciplinis praesertim iuxta S. Thomae Aquinatis doctrinam instruere, de Ordinariorum licentiâ christifidelium confessiones excipere, aliaque Ecclesiae sacramenta administrare, verbum Dei praedicare, nova collegia novasque ecclesias, ubi requisiti ac re-

cepti fuerint, extruere, instituere, et in eorum ecclesiis, quas de praesenti habent ac in posterum eos habere contigerit, defunctorum cadavera sepelire et funera celebrare, sine tamen iurium parochialium praeiudicio, libere et licite possint et valeant, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, earumdem tenore praesentium, concedimus et indulgemus. Praeterea in eorumdem clericorum saecularium domibus et collegiis unum vel plura oratoria privata seu interiores capellas, tam ad eorum, quam domesticorum, convictorum, scholarium, aliarumque personarum, etiam ad congregationes et conferentias spirituales convenientium, usum, erigendi, inibique sacrosanctum missae sacrificium, etiam in festis solemnibus celebrandi, ac Poenitentiae et Eucharistiae sacramenta eisdem clericis, domesticis, convictoribus, scholaribus, aliisque personis praefatis administrandi, excepto[1] tamen, quoad scholares et ad congregationes et conferentias huiusmodi convenientes, communione paschali), necnon clericis praedictis, ubicumque eiusdem Congregationis collegia de praesenti instituta reperiuntur et deinceps instituentur, etiam absque aliâ Ordinariorum locorum licentiâ libere quaestuandi, dummodo a suis praeposito vel vicario generali seu superioribus provincialibus aut rectoribus respective ad id missi seu destinati fuerint, ipsisque praeposito et vicario generalibus, superioribus provincialibus, et rectoribus, aliquot ex dictâ Congregatione presbyteros, viros probos, prudentes et idoneos, ad audiendas presbyterorum clericorum et aliarum personarum praedictae Congregationis, domesticorum quoque familiarium et inservientium, ac convictorum, scholarium et in eisdem domibus vel collegiis commorantium confessiones deputandi, cum facultate eos etiam a censuris ecclesiasticis, occultis tamen et Romano Pontifici aut Sedi Apostolicae minime reservatis, in foro conscientiae tantum, absolvendi; atque eisdem praeposito et[1] vicario generalibus, superioribus provincialibus, ac etiam rectoribus in illis collegiis seu domibus in quibus superiores maiores non aderunt, quaecumque vasa, vestimenta, paramenta et ornamenta ecclesiastica, aliaque ad divinum cultum pro servitio ecclesiarum eiusdem Congregationis dumtaxat necessaria et pertinentia, exceptis tamen iis in quibus sacra unctio adhibenda erit, benedicendi, simplicibusque clericis, quos sacrariis ecclesiarum, oratoriorum, seu capellarum dictae Congregationis praefici contigerit, vasa sacra absque ullo conscientiae scrupulo contrectandi, licentiam et facultatem tribuimus et impertimur.

§ 5. Adhuc, volentes ecclesias dictae Congregationis nunc erectas ac imposterum erigendas speciali dono illustrare, quod quandocumque sacerdos aliquis eiusdem Congregationis, seu alius saecularis vel cuiusvis Ordinis regularis, missam defunctorum pro animâ cuiuscumque christifidelis, quae Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit, ad altare maius alicuius ex dictis ecclesiis celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur, itaut Domini nostri Iesu Christi, beatissimae Virginis Mariae, Sanctorumque meritis sibi suffragantibus[2] a purgatorii poenis liberetur; ac tam ipsis clericis saecularibus, aliisque dictae Congregationis personis, quam universis christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communione

Indulgentiae peculiares in eiusdem ecclesiis conceduntur, aliaeque clericis praedictae Congregationis tribuuntur.

1 Aptius lege *exceptâ* (R. T.).

1 Particulam *et* nos addimus (R. T.).

2 Edit. Main. legit *suffragari* (R. T.).

refectis, qui aliquam ex praedictis ecclesiis die festo illius sancti titularis sive patroni a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam; dictisque clericis saecularibus nunc et pro tempore existentibus, similiter poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis, qui in aliquâ ex dictis ecclesiis die xv aprilis cuiuslibet anni, qua die vota sua renovare consueverunt, ut praefertur oraverint, pariter plenariam: insuper eisdem clericis saecularibus, qui exercitia spiritualia et sacras missiones per aliquot dierum spatium peregerint, necnon christifidelibus qui dictis exercitiis spiritualibus vacaverint, et ad quos dicti clerici missionarii accesserint, et interea vere quoque poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, et sicut praemittitur oraverint, similiter plenariam, unâ vice dumtaxat durante tempore exercitiorum et uniuscuiusque missionis huiusmodi, omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Ipsisque clericis in actu missionum vota quaecumque simplicia (castitatis, ingressus religionis, visitationis Sepulchri Dominici, Liminum Apostolorum, ac S. Iacobi Compostellae exceptis) commutandi, et in fine cuiuslibet missionis christifidelibus, ad quos accesserint, nostram et apostolicam benedictionem impertiendi, potestatem tribuimus et facultatem. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Clausulae peculiares.

§ 6. Decernentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet in praemissis seu eorum aliquo ius vel interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, praeeminentiae, superioritatis, ordinis, conditionis vel dignitatis existant, etiamsi cardinalatus honore fulgeant, aut aliâ quavis ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate praediti, seu aliàs speciali et individuâ mentione et expressione digni sint, illis non consenserint, aut ad ea vocati, citati et auditi, seu causae, propter quas praesentes emanarunt, adductae, verificatae et sufficienter aut nullo modo iustificatae fuerint, vel ex aliâ quacumque quantumvis iustâ, iuridicâ, piâ et privilegiatâ causâ, occasione, colore, ingenio, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae, seu ius vel interesse habentium seu habere praetendentium consensûs, alioque quovis quantumlibet magno, formali, substantiali ac incogitato et inexcogitabili, necessarioque[1] et specificam expressionem requirente defectu notari, infringi, impugnari, retractari, limitari, modificari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu, adversus illas et illa, aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari vel intentari, aut impetrato, vel etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus concesso vel emanato quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, neque ipsas praesentes litteras sub quibusvis similium vel dissimilium unionum, coniunctionum, statutorum, ordinationum, concessionum et indultorum revocationibus, restrictionibus, limitationibus, derogationibus, aliisve contrariis dispositionibus, etiam per nos et quos-

1 Legendum *necessariamque* (R. T.).

cumque Romanos Pontifices successores nostros, Sedemque praedictam, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, et aliàs quomodocumque et quandocumque faciendis, unquam comprehendi et comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac etiam de novo sub quacumque posteriori datâ per eos ad quos spectat et pro tempore spectabit quandocumque eligendâ concessas intelligi, semperque et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis censeri, atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et dictae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatoriae. § 7. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, de iure quaesito non tollendo, deque unionibus perpetuis committendis ad partes, vocatis quorum interest, et de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, necnon Lateranensis Concilii uniones perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, ac felicis recordationis Bonifacii PP. VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac praedictarum Congregationum et provinciarum, illarumque[1] domuum, collegiorum et locorum quorumvis, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, stylis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Congregationibus, seu earum alteri, illarumque seu alterius earum superioribus, clericis saecularibus, personis, domibus, collegiis et locis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, causas, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertis, expressis, reservatis et specificatis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum,

1 Edit. Main. legit *illorumque* (R. T.).

specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 8. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII septembris MDCCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 28 septembris 1725, pontif. anno II.

XCVI.

Statuuntur nonnulla ad bonum annonae regimen et in rei agrariae beneficium [1].

Benedictus Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ad summum Pontificem, ut communem omnium pastorem[2] atque parentem, non solum pertinet generalem totius rei christianae, sed etiam specialem populorum S. R. E. ditioni in temporalibus subiectorum curam suscipere, eorumdemque optimo statui et felicitati propriâ quadam et peculiari vigilantiâ providere. Hoc, Deo favente, eventurum speramus, si ad annonam urbanam artemque agrariam, in quo tutius reipublicae vigor et incrementum constituta esse noscuntur, mentis nostrae oculos convertamus. Antecessores quidem nostri Romani Pontifices, pro eâ quam gerebant erga populos sibi commissos paternâ sollicitudine, saluberrimis legibus et institutis tanto negocio consulère studuerunt. Attamen quia vicissitudine temporum res salubriter institutae identidem in deterius mutantur, e dignitate nostrâ esse duximus, ut, si quid hac in re collapsum est, id pro viribus reparemus, ut ex studio et sollicitudine nostris uberem fructum populi Sedis Apostolicae imperio immediate subiecti percipiant.

Causae praesentis constitutionis.

§ 1. Itaque, cum nos gravissimum rei agrariae incommodum imminere non sine ingenti totius reipublicae detrimento, ob magna assiduaque dispendia atque onera quae mercatores cultoresque agrorum ac pistores huius nostrae almae Urbis eiusque districtus in dies subire ac pati coguntur, ex ipsorum clamoribus ad aures nostras perlatis acceperimus: mercatoribus agrorumque cultoribus unâ voce conquerentibus, ex publicae annonae et rei frumentariae licitationibus mercaturisque, quas eius ministri hucusque exercere consueverunt, praecipuum laborum suorum fructum sibi eripi; romanos agros spe uberioris messis excolendi sibi potestatem et commodum adimi; maximam lucri partem, quam sibi ex propriâ in rebus agrariis industriâ ad vitae sustentationem comparari possent, in urbanae annonae, ut aiebant, commoda cedere, sine ullo publicae rei emolumento: clamantibus etiam pistoribus, se plus aequo annonae causâ opprimi, et, ob magnam frumenti vim supra vires eis distributam, utpote nimis gravi pretio emendam, se impares fieri oneri sustinendo, atque ad artem suam deserendam impelli, et, quandoquidem semper eiusdem ponderis panem conficere debent, se ex eâdem arte suâ vix posse vitae suae necessaria percipere, suppetente praesertim tantâ farinae cuiuscumque generis copiâ in publicis hor-

[1] Aliâ huius Pontificis const. ed. MDCCXXXVI, die 28 martii, pontif. II, nonnulla decernuntur pro sublevamine artis agrariae et securitate annonae in mutuationibus.

[2] Male edit. Main. legit *pastorum* (R. T.).

reis ad Thermas Diocletiani, ut quamplurimi ex infimo populo eam certatim ad conficiendum domi panem capturi illuc confluent, unde difficillima iisdem pistoribus reddatur furfuris et purgamentorum tritici venundatio, aliàs a vulgo et plebe magnopere expetita, atque hinc fieri ut pistores damno sibi illato perterriti animoque de claudendis furnis suis cogitarent: pervulgatum est etiam, ex tot malis et incommodis, nisi eis opportune occurratur, metuendum esse, ne saluberrima et laudatissima omnium artium agricultura, quae superioribus saeculis huic nostrae almae Urbi ingentem opum vim attulit, quaeque non solum populis imperio nostro subiectis tritici ubertatem suppeditavit, sed extranearum etiam nationum penuriae atque egestati levandae sufficit[1], magnâ quâ publicâ quâ privatâ nostrarum regionum felicitate ex hac tritici venundatione emergente, iam tandem penitus labefactata corruat aut maiori ex parte destituta intereat: urgente propterea interitus periculo, quod pauci admodum in Agro Romano inque Urbis districtu campi aratro ad sementem scissi reperiantur, qui fundorum dominis agrorumque cultoribus aliquam afferant utilitatem, ob graves impensas hac in re necessarias summamque vendendae ac distribuendae frumentariae messis difficultatem: unde factum ut brevi paucorum annorum spatio subditi nostri, quos in sinu paternae charitatis foventes singulari amore prosequimur, saepenumero tritici inopiâ concussi, ab extraneis provinciis non sine gravissimis sumptibus illud subsidium emendicare coacti sint, quod antea facillime poterant, et nunc etiam possent, ex propriis suis agris abunde percipere: quare nos de populorum nostrorum, praecipue pauperum et egentium, quorum saluti consulere semper nobis in animo fuit, tot tantisque malis ac periculis vehementer solliciti, eam rationem inire tandem statuimus, qua publicam privatamque iacturam reparare, praesentibus incommodis occurrere, ac deinceps praesidiis communi bono opportunis atque agrariae artis augmento prospicere valeremus.

Decreta primum est a Pontifice Congregatio S. R. E. cardinalium super ubertate annonae et rei agrariae securitate.

§ 2. Nos, ex quo certiores facti fuimus, annonae urbanae patrimonium unâ cum emolumentis et lucris ex frumenti licitatione, negociatione et mercaturâ perceptis ad magnam et notabilem sortem in praesentiâ auctum esse annuatimque augeri, non modo sine ullo reipublicae commodo, sed contra cum eiusdem agrariae artis immodico detrimento, haec eadem inutilia lucra in publicam utilitatem convertere atque hinc solidum rei agrariae munimen et fulcimentum petere cogitavimus. Hoc ut maturiori discussione felicius utiliusque exequeremur, paternique animi nostri consilium plenius perficeremus, specialem hac de re Congregationem habendam iussimus S. R. E. cardinalium, cui, cum aliis praelatis viris, unus quoque interesset ex Romanis patriciis laicus, ut patet ex nostro chirographo subsignato XXX ianuarii currentis anni MDCCXXV: cuius quidem Congregationis prudentiae ac vigilantiae iniunximus, ut prius per idoneos et peritos viros ipsius annonae statum passivum et activum sedulo examinandum describendumque curaret, mox de illis remediis aeque sedulo cogitaret, quae facto opus esse intelligeret, eas deliberationes suscipiens quae ad praesentia mala tollenda futuramque agrariae rei securitatem stabiliendam magis expedire arbitraretur. Postquam vero in eâdem Congregatione, cum primum facta fuit deputatio eius viri cui onus huius-

[1] Videtur legendum *suffecit* (R. T.).

modi commissum fuit, publicae annonae statum accurate descripsit et ob oculos posuit, eo completo atque in subsequenti Congregatione per eumdem ad id deputatum relato, compertum est, eiusdem annonae lucra a die XVII iulii MDCCXVIII pro toto mense iunii anni MDCCXXIV ad summam pervenisse tercentorum nonaginta quinque millium tercentorum quadraginta novem scutorum romanorum, et obulorum seu baioccorum sexaginta, non comprehensis hac summâ capitalibus seu fundis quae prius ab ipso annonae magistratu possidebantur.

Quaedam a praedictâ Congregatione sancita fuere, quae referuntur.

§ 3. Hinc factum fuit ut in eâdem Congregatione unis omnium calculis subsequentia sancirentur:

I. Quod deinceps in publicis annonae horreis serventur mensurae, sive ut vulgo dicimus *rubra* triginta millia frumenti, ut inde cuilibet futurae Urbis necessitati commode consulatur;

II. Quod annonae ministri se abstineant imposterum ab emendo vendendoque frumento, proque eo servando fiat eiusdem tritici renovatio per pistores Urbis hoc pacto: 1° quod tempore sterilitatis, renovatio fiat arbitrio annonae praefecti; extra sterilitatem, per annum, omnium rubrorum triginta millium renovatio fiat de trimestri in trimestre in quartâ parte per eosdem pistores uno tenore ad formam chirographi recolendae memoriae Alexandri VIII antecessoris nostri; 2° quod ipsi pistores per suos consules qualibet hebdomadâ visitare debeant dictum frumentum in ipsis horreis annonae, sique illud invenerint peiorare seu deteriorare posse in parte sive in toto, statim id praefecto denunciare teneantur, ut frumentum ad formam dicti chirographi renovari mandet, ut supra.

III. Quod in renovatione, qualibet vice ut supra faciendâ, frumentum per pistores reportandum cribretur in horreis mercatorum ad libitum annonae praefecti, non autem in horreis eiusdem annonae.

Quae quidem a Pontifice approbata sunt.

Huiusmodi sanctiones, ad nos per Congregationis secretarium perlatas, dignas duximus, quae nostrâ approbatione fulcirentur, ideoque illas auctoritatis nostrae robore firmavimus et approbavimus.

Nova dubia proposita.

§ 4. Coacta deinde iterum est eadem Congregatio deliberandi causâ aliis de rebus, nondum discussis, haec dubia respicientibus:

I. An ad servandum perpetuo liberum commercium in emptione et venditione frumenti sit in posterum omittenda facultas praefecti, cui sufficiat notitia copiae frumentorum vendendorum, emendorumque, ad eum per caporales perferenda?

II. An mutuationes in pecuniâ vel frumento[1] faciendae sint agricolis et terrarum cultoribus? In quanam vero quantitate, quibus personis quibusque cautelis?

Quae dubia ad marchionis Hieronymi Theodoli sententiam remissa sunt.

Quaedam aliae deliberationes eiusdem Congregationis pariter relatae confirmantur.

His dubiis, aequas resolutiones[2], bonum[3] annonae regimen ac artis agrariae beneficium respicientibus, cum opportuna maturaque responsio parari non posset ob defectum notitiae status eiusdem annonae totius mensis iunii anni MDCCXXV, congruum iudicavimus praecipere ne ulla deliberatio prius approbaretur, quam postremus annonae urbanae status a iam dicto deputato describeretur. Quo mox confecto, eoque nobis ex decreti nostri auctoritate speciatim exhibito, statim ex relatione no-

1 Male ed. Main. legit *frumenti* (R. T.).

2 Peric. *aequas resolutiones* non congruit (R. T.).

3 Male edit Main. legit *bonorum* (R. T.).

bis super id porrectâ animadvertimus, eumdem statum ad summam scutorum romanorum quingentorum sexaginta duorum millium quadringentorum quinquaginta septem, et obulorum novem, ascendere: ex qua summâ, detractis scutis centum sexaginta octo millibus ducentis quinquaginta quatuor, et obulis octoginta quinque, consistentibus in horreis tam Romae quam Centumcellis pro frumenti conservatione constructis, et in uno furno sub eiusdem annonae dominio, atque ex residuâ utilium summâ, perveniente ad numerum scutorum tercentorum nonaginta quatuor millium ducentorum duorum, et obulorum viginti quatuor, demptis viginti duobus millibus sexcentis quatuordecim, et obulis octuaginta quatuor, in fructiferâ sorte collocatis, reliquam pecuniae summam liberam et immunem, nostrae dispositioni et arbitrio remanentem, ad numerum scutorum tercentorum septuaginta unius millium quingentorum octoginta septem, et obulos quadraginta, ascendisse comperimus. Quam summam in agrariae artis subsidium et augmentum inque populorum sub iure S. Petri existentium beneficium providâ dispositione impendere cupientes, in primis omnes et singulas deliberationes et provisiones susceptas stabilitasque in Congregatione habitâ die XVIII aprilis anni MDCCXXIV a nobis speciatim indictâ approbamus et confirmamus, quemadmodum etiam alias provisiones ac resolutiones, praescriptas et editas ab eâdem Congregatione die XII iulii anni MDCCXXV, similiter approbatione nostrâ firmamus, omologamus, et firmatas approbatasque esse volumus et mandamus, ac speciatim illas in quibus decernitur:

I. Quod mutuationes agricolis fieri debeant in pecuniâ non in frumento;

II. Quod eaedem mutuationes sint faciendae tam agricolis, fundorum dominis et conductoribus agri romani, quam districtualibus;

III. Quod districtualibus mutuationes fiant sub tenui censu scutorum duorum pro quolibet centenario ad solvenda stipendia commissariis locorum ex causâ obligationis, quam ipsi assumere debent super nominibus debitorum exactorum et non exactorum;

IV. Quod annonae praefectus incumbat ad curandam restitutionem scutorum viginti millium, quae praefectus grasciae reddere debet ex mutuo ei dato die XXII martii anni MDCCXXV;

V. Quod, ad tollenda mercimonia pistorum et eorum qui bellaria, placentas atque alia eiusmodi esculenta conficiunt et vicatim vendunt, vulgoque dicuntur *vermicellari o ciambellari*, renovari debeant edicta aliaque etiam publicari prohibentia tritici emptionem in acie Campiflorae, ex eo quod propterea congeritur, ut pluris vendatur, et vulgo dicitur *incettare*. Praesertim vero edicta vulgentur in areis Agri Romani ac districtus tempore collectionis tritici interdicentia eiusmodi frumentariis exercitium artis agrariae, ne hoc praetextu frumentum viliori[1] pretio emant, atque hinc impediantur agricolis venundationes;

VI. Quod eadem edicta prohibitiva ad ponderatores aliosque annonae ministros extendi debeant.

Quoniam omnia, quo fieri potest utiliori modo ac formâ, eiusmodi annonae lucra in beneficium agrariae artis impendi ac distribui cupimus, etiam quoad dubia quinto et sexto loco in memoratâ Congregatione proposita die XVIII aprilis anni MDCCXXIV, super quibus, quia iam certi sumus de integro et accurato

1 Pessime edit. Main. legit *violari* pro *viliori* (R. T.).

eiusdem annonae statu, specialim et magis praecipue tantae rei providere volumus.

Indicitur motu proprio altera specialis Congregatio, quae statui annonae consulat, firmâ tamen remanente prima in rebus arduis.

§ 5. Ideo nos, motu proprio, certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione nostris, deque nostrae potestatis plenitudine, ut plenius, uberius atque omni meliori modo voluntas et provida nostra intentio impleantur, deputamus, indicimus et instituimus specialem Congregationem, quam constare volumus dilectis filiis nostro thesaurario generali et praefecto eiusdem annonae pro urbe Româ, eiusque districtu, Alexandro de Abbatibus in utrâque signaturâ referendario, Hieronymo marchione Theodolo et Tiberio Cincio, pro Umbriâ et Marchiâ venerabili fratre Marco Antonio archiepiscopo Damiatae, pro Bononiâ Alexandro Tanario in utrâque signaturâ referendario, pro Ferrariâ Carolo Calcagnino causarum nostri palatii apostolici iudice, pro Romandiolâ Anselmo Dandino in utrâque signaturâ referendario cum adsessore Pontiano Fargna iuris pontificii et caesarei consulto, in Romanae Curiae foro causarum patrono per auditorium nostri palatii approbato et superius ab eâdem Congregatione selecto et deputato. Hi vero omnes per se ipsos intersint, et quintodecimo quoque ab eis statuendo die omnes simul conveniant, deque arte agriculturae restituendâ, instaurandâ augendâque, et de ulteriori statu annonae rebusque universis illam spectantibus sermones invicem conferant, pertractent et diligenter perpendant; quodque ab eis, sive a maiori eorum parte, maturâ collatione fuerit consultum, nobis referant, ut serio, quod pro publicâ utilitate statuendum sit, decernere possimus, firmâ tamen remanente in rebus arduis Congregatione S. R. E. cardinalium super ubertate eiusdem annonae urbanae a nobis in laudato nostro chirographo indictâ iuxta constitutionem felicis recordationis Pauli V praedecessoris nostri incipientem *Pastoralis officii* sub datum XIX octobris MDCXI.

Praeterea, dum paterna nostra charitas aeque in omnes nostro temporali dominio subiectos diffunditur quos uno eodemque amoris gradu complectimur, volumus et praecipimus ut eadem Congregatio occurrat provideatque indigentiis, quae contingunt, aut unquam futuris temporibus contingere possunt in universis terris et provinciis S. Petri, omnesque ex iisdem provinciis subditorum instantias et petitiones, quae ab eis praesentari unquam poterunt, agnoscat deque illis deliberet.

Iniungitur superioribus ut exequantur mandata quae praefata Congregatio decreverit.

§ 6. Mandamus insuper et auctoritate nostrâ praecipimus universis et singulis tam locorum gubernatoribus quam praesidentibus provinciarum, ut in [1] omnibus et quibuscumque quomodolibet ad agrariae artis statum, dispositionem et augmentum pertinentibus subsint praedictae Congregationi a nobis erectae, cuius regimini omnes necessarias facultates concedimus publicandi edicta, bannimenta, atque omnia alia exequendi, quae ad agriculturae tam Agri Romani et districtus, quam ipsarum provinciarum perfectiorem statum et consistentiam iudicaverit expedire. Eiusdemque Congregationis solertiae et vigilantiae serio iniungimus, ut, quantâ valet efficaciâ ac sollicitudine, pro viribus studeat curetque ut mercatura necessariaque reipublicae negociatio instauretur pro distractione et venundatione frumenti quod populorum nostrorum substentationi superabundet, quoque indigere possunt extraneae nationes; quibuscum in nostrâ ditione universoque dominio negociationem publicumque commercium in-

1 Praeposit. in nos addimus (R. T.).

duci, institui, utilibus contractibus ac stabilimentis servari, opportunisque legibus roborari cupimus.

Item quae in hoc motu proprio iniunguntur.

§ 7. Iniungimus insuper exactam accuratamque omnium earum dispositionum et provisionum executionem, quae a nobis in hoc nostro motu proprio observandae et debitae executioni mandandae iniunguntur. Quoniam vero paterni nostri amoris instinctus, qui vehementer fertur in subditorum nostrorum utilitatem quae maxime in omni principatu ex re agrariâ et assiduis crebrisque commerciis expectanda est, moras[1] non patitur, et citam expeditamque eorum executionem, quae huic fini assequendo[2], retardari non sustinet: propterea volumus ut omni celeritate plene ac perfecte impleantur quaecumque resolutiones et deliberationes, quas saepedicta Congregatio in manum[3] subditorum nostrorum beneficium cessuras iudicaverit.

Denuo confirmatur quidquid decretum fuit a primâ Congregatione.

§ 8. Inhaerentes igitur determinationibus ab ipsâ iam editis, et a nobis superius enunciatis, volumus eas omnes ad perfectam observantiam et plenarium effectum omnino deduci; proptereaque eas iterum speciatim et praecipue confirmamus et approbamus, volentes ut irrefragabile robur et vim perpetuo habeant, et undequaque observentur, cum, eas inviolabiliter observari suumque plenum effectum sortiri, sit nostra specialis et absoluta voluntas. Illas vero deliberationes, quae a nobis speciatim approbatae non sunt, approbare intendimus, easdemque praesentis nostrae paginae tenore in formâ speciali approbamus et confirmamus.

Determinatio cuiusdam dubii remittitur ad hanc secundam Congregationem.

§ 9. Declarantes (relative ad propositionem seu dubium quinto loco in eâdem Congregatione propositum die XII iulii mensis elapsi huiusce anni MDCCXXV, videlicet: *Quomodo, qua ratione et quibus cautionibus pro annonae securitate debeant fieri mutuationes agricolis, fundorum dominis, et conductoribus [u]rbis romani ac eius districtus)* quod[1] huiusmodi determinatio unice pertineat ac pertinere debeat ad Congregationem praelatorum aliorumque a nobis in hoc nostro motu proprio super eâ re deputatam: ad quam unice etiam spectare declaramus cognitionem idoneitatis eorum quibus erogandum erit dictum mutuum, et cautionem etiam suscipiendorum et exigendorum[2] iuxta qualitatem mutuatarii.

Quoddam aliud dubium ab eodem Pontifice dissolvitur ac quaedam statuuntur.

§ 10. Quantum vero ad sextam propositionem, seu propositum dubium in eâdem Congregatione, eâdem die, mense et anno, videlicet: *In quonam quantitate et summâ faciendae sint praedictis agricolis mutuationes:* considerantes nos, iuxta postremum statum annonae superius constabilitum, pecuniam, de qua libere[3] disponere possumus, ad notabilem et conspicuam summam ascendere scutorum romanorum tercentorum septuaginta unius millium quingentorum octoginta septem, et obulorum quadraginta, qua quidem summâ abundantius pleniusque agricolis subvenire possumus, volumus, praecipimus atque mandamus ut ex hac pecuniâ, post parata triginta millia rubra frumenti in publicis horreis servanda, appretiata in scutis ducentis decem millibus, ut superius decretum fuit, eoque frumento collato cum summâ ducentorum et decem millium scutorum romanorum, ex reliquis scutis centum sexaginta uno millibus quingen-

1 Male ed. Main. legit *mores* pro *moras* (R. T.).
2 Supple *congruunt*, aut simile (R. T.).
3 Videtur legendum *magnum* (R. T.).

1 Particula *quod* nos addimus (R. T.).
2 Forsan *cautionum etiam suscipiendarum et exigendarum* (R. T.).
3 Pessime edit. Main. legit *de qualibet re* pro *de qua libere* (R. T.).

tis octoginta septem, et obulis quadraginta, fieri debeant perpetuo singulis annis mutuationes, scilicet in portione scutorum sexaginta millium, agricolis, fundorum dominis, et conductoribus Agri Romani; nec tamen magistratus annonae ob dictum mutuum quicquam praetendere aut sperare valeat in genere census, usurae aut alterius generis lucri; de summâ autem aliorum scutorum quinquaginta millium disponi volumus, quemadmodum auctoritate nostrâ disponimus, in commodum et favorem agricolarum, dominorum et conductorum agrorum in districtu romano, eâ tamen conditione, ut, cum ad annonam pertineat in nonnullis locis eiusdem districtus ministros stipendio conducere, iidem agricolae districtuales pro reparatione ac reintegratione eorumdem stipendiorum solvere debeant publico annonae magistratui scuta duo pro quolibet centenario ex mutuo accepto; reliquum vero totius sortis scutorum quinquaginta unius millium quingentorum octoginta septem, et obulorum quadraginta, seu quidquid ad aliam maiorem et certiorem summam ascenderit, volumus et mandamus, ut eâ qua par est diligentiâ et sollicitudine (exactis nominibus debitorum annonae, retractoque pretio ex venditione frumenti superexcedentis quantitatem rubrorum triginta millium tritici perpetuo ad publicae annonae commodata servandum) debeat constabiliri atque investiri in tot locis montium cameralibus non vacabilibus. Horum insuper locorum fructus, unâ cum omnibus aliis lucris quae ad eamdem annonam, tam ex firmis quotidianisque redditibus, quam ex omni alio fortuito proventu, pertinere unquam poterunt, volumus ut semper et in perpetuum uniri debeant, et quolibet anno investiri in aliis locis montium, ex eis constitui augmentum sive multiplicum, ut hac promptâ et paratâ pecuniâ cuicumque necessitati huius nostrae almae Urbis, eiusque districtus, et praecipue tempore sterilitatis aut penuriae, a quibus subditos nostros divina clementia immunes custodiat, opportune subveniri ac provideri possit.

Statuitur, et praedicta Congregatio bis in mense habeatur.

§ 11. Circa vero praemissorum et omnium a nobis statutorum et dispositorum plenam executionem et integrum adimplementum, camdem Congregationem praelatorum aliorumque ut supra a nobis nominatorum et deputatorum sedulo incumbere et invigilare iubemus. Quam Congregationem bis in mense superius haberi mandavimus ut crebrioribus congressibus melius celeriusque tam regimini oeconomico annonae quam politico agrariae artis consulatur in utriusque beneficium et incrementum, audiendo, si qui fient, mercatorum pistorumque recursus, iisque opportunis determinationibus providendo, mercaturam, venditionem et pretium tritici, tam Agri Romani et districtus eius, quam totius nostri dominii, curando et moderando, ac demum super observantiâ omnium et singulorum in hoc nostro motuproprio contentorum ac praeceptorum solerter invigilando atque insistendo.

Facultates quaedam eidem conceduntur et iniungitur executio praedictorum.

§ 12. Praecipimus etiam Congregationi et deputatis praedictis, et eorum singulis, ut praesentes nostras litteras, inque eis contenta quaecumque, observent et exequantur, ac firmiter et inviolabiliter executioni mandari et observari faciant ab universis et singulis personis tam ecclesiasticis, saecularibus et regularibus, quam laicis, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existant, dantes nos eidem Congregationi in praemissis et circa ea plenam et omnimodam atque eam quam nos ipsi

habemus facultatem et potestatem declarandi et decidendi quidquid in praesenti nostro motuproprio opus esse videbitur, necnon quaecumque edicta seu bannimenta, etiam poenalia, quae[1] pro praemissorum observatione et executione necessaria et opportuna fuerint, faciendi et publicandi.

Clausulae derogatoriae.

§ 13. Haec omnia fieri et servari statuimus, non obstantibus quibuscumque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam speciali notâ dignis, huic nostrae constitutioni quomodolibet fortasse adversantibus, eâque praesertim, quatenus opus sit, quam felicis recordationis Pius IV antecessor vulgavit *De registrandis*, itaut praesentes litterae nostrae absque aliâ in Camerâ nostrâ admissione et registratione validae sint suumque sortiantur effectum, non obstantibus quoque Urbis, civitatum, terrarum, oppidorum, villarum et locorum quorumcumque, iuramento, confirmatione apostolicâ, et quavis aliâ firmitate roboratis, statutis, consuetudinibus, reformationibus, decretis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, communitatibus, universitatibus, baronibus, aliisque praedictis, et quibusvis a Sede Apostolicâ vel a nobis forsan concessis, ac etiam confirmatis, approbatis et renovatis, quae eis, quoad praemissa, volumus non suffragari, etiamsi talia essent quae sub generali expressione non venirent, sed de illis specialis et individua mentio habenda foret, in genere vel in specie, et sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in contrarium praemissorum, quae praesentibus quomodolibet obstare possent;[2] etiamsi de illis eorumque totis tenoribus, specialis et expressa ac individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores pro plene et sufficienter praesentibus expressis et totaliter insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialim et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Vocem *quae* nos addimus (R. T.).

2 Supple *quibus omnibus et singulis* (R. T.).

Sola signatura sufficiat.

§ 14. Volumus etiam solam praesentium signaturam nostram sufficere, etiam absque datâ et registraturâ; regulâ quacumque contrariâ pariter non obstante.

Fides transumptorum.

§ 15. Insuper hae nostrae litterae in quavis formâ expediri possint cum clausulis opportunis; earumdemque litterarum transumptis et typis impressis, manu unius Camerae nostrae Apostolicae notarii subscriptis, et sigillo alicuius ex Congregatione praedictâ obsignatis, in iudicio et extra plene fides adhibeatur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, idibus octobris MDCCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 15 octobris 1725, pontif. anno II.

XCVII.

Publicatur Concilium Romanum [1].

Benedictus Papa XIII,

Venerabilibus fratribus dilectisque filiis, archiepiscopis, episcopis et abbatibus, ceterisque qui Concilio nostro Romano, nuper a nobis coacto et Dei gratiâ solemniter absoluto, interfuerunt, vel interesse debuerant, salutem et apostolicam benedictionem.

Concilii Romani acta in lucem prodiisse significatur.

§ 1. Quatuor cum supra centum Romani nostri Concilii decreta sub duobus et triginta titulis, decretalium more, dis-

1 Hoc Romanum Concilium indictum fuit huius Pontificis constit. edit. MDCCXXIV, die 24 decembris, pontif. I; et aliâ const. edit. MDCCXXV,

posita, octo inter solemnes sessiones, mensibus proxime praeteritis aprili et maio, sacrosanctâ in basilica nostrâ Lateranensi a nobis cum vestrum omnium conventu celebratas, unanimi consensu lecta, lata et promulgata fuerint, atque in unum inde collecta volumen, illarum etiam appendicem referens sanctionum et constitutionum quas eiusdem Concilii occasione statuendas iudicavimus, cum originalibus iam collata, typis almâ in hac Urbe nostrâ sollicite imprimenda curaverimus: illamet tandem, post quatuor plane menses in ipsis diligenter emendateque cudendis insumptos, decurrente hoc mense in lucem publicam prodiisse significamus.

Praescribitur dies, a qua omnes Concilii decretis obligentur.

§ 2. Ne vero aliquam super iis, quibus, ut evitentur vel executioni mandentur, certa ibi tempora praestituuntur, quandonam scilicet eos, ad quos pertinent, obligare coeperint, dubitationem suboriri contingat, omnes et singuli, praesentium vigore, volumus a die inferius signandâ decretis ipsis Concilii universisque aliis sanctionibus et constitutionibus ibidem relatis obligari coepisse sciant, prout eos obligatos esse denunciamus.

Harum publicatio.

§ 3. Ut hoc autem ad omnium notitiam perveniat, nostras has litteras de more in almae eiusdem nostrae Urbis locis solitis legi, publicari et affigi iubemus; ac inde cuiuspiam excusationem, quod ea ignoraverit, ullatenus non admitti, auctoritate apostolicâ statuimus ac declaramus; quibuscumque in contrarium non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV octobris MDCCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 25 octobris 1725, pontif. anno II.

die 24 martii, pontif. I, prorogata fuit celebratio ad diem XV aprilis eiusdem anni MDCCXXV.

XCVIII.

Confirmantur Ordini universo Tertiariorum S. Francisci privilegia omnia aliàs concessa; necnon idem iurisdictioni et regimini ministri generalis totius Ordinis Minorum denuo subiicitur cum quibusdam ordinationibus[1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Paterna Sedis Apostolicae providentia erga pios homines sub habitu humilitatis et poenitentiae Deo famulantes saepe Romanos Pontifices antecessores nostros impulit pro eorum solatio et commodo pridem concessa approbare et renovare, etiam approbata rursus apostolicâ auctoritate munire, ut eo firmiora persisterent, quo saepius essent eiusdem Sedis auctoritate suffulta. Hinc, ut Ordinis Tertiariorum beati Francisci *de Poenitentiâ* nuncupati, qui in tres status divisus (saecularium scilicet, collegialiter viventium, et regularium) magnos pietatis et doctrinae fructus in Ecclesiâ Dei semper protulit et quotidie proferre satagit, quieti, regimini atque incremento probe consuleretur, ab iisdem Romanis Pontificibus antecessoribus nostris complures litterae diversis temporibus iamdudum vulgatae fuerunt, in quibus variae gratiae, favores, immunitates, exemptiones, indulgentiae, declarationes, facultates, privilegia et indulta, eisdem immediate et directe vel etiam per communicationem cum aliis Ordinibus praesertim fratrum Minorum, concessa, ampliata, extensa et confirmata fuere, prout in ipsis apostolicis litteris plenius et uberius continetur.

1 Aliâ huius Pontificis const. MDCCXXV, die 2 maii, pontif. I, confirmata fuit quaedam Gregorii XV constit. de non recipiendis fratribus Tertii Ordinis S. Francisci provinciae S. Ioannis Galliae

Causae praesentis confirmationis.

§ 1. Cum autem, sicut accepimus, per huiusmodi concessiones, ampliationes, declarationes, extensiones, communicationes et confirmationes, adhuc omnimodae eiusdem Ordinis et illius professorum tranquillitati plene, ut decet, non consulatur, asserentibus nonnullis gratias et indulta huiusmodi non esse in usu vel revocata aut restricta fuisse, nec eâ parte subsistere quae directionem, curam et regimen eorumdem Tertiariorum concernit, sive Tertiarios tantum regulares, seu sub clausurâ, vel collegialiter dumtaxat viventes respicere, non autem alios in saeculo commorantes (cum tamen idem Ordo, pro utriusque sexus christifidelibus in ipso saeculo et in coniugio propriisque domibus manentibus a beato Francisco institutus, nonnisi quartodecimo labente saeculo in Italiâ praesertim ad statum religionis fuerit evectus) et propterea Tertiarios huiusmodi ab Ordinariis locorum alicubi controversiis et litibus in dies molestari ac perturbari contingat non sine eiusdem instituti et fratrum ipsorum detrimento et quietis iacturâ:

Aboleatur motu proprio controversiae hac super re excitatae.

§ 2. Ideo nos, attentâ consideratione pensantes quantum utilitatis catholicae religioni morumque instaurationi per humilitatis suique abiectionis exempla, Ordinis praedicti professores hactenus attulerint, et in posterum, iuvante Domino, afferre valeant, ac proinde volentes, ut decet, eorum conservationi, incremento et tranquillitati uberius providere: motu proprio, non ad ipsorum fratrum aut sororum nec alterius pro his nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostrâ merâ liberalitate et ex certâ nostrâ scientiâ (ratione eorum, quam profitemur, altissimae paupertatis[1]) omnes et singulas lites ac controversias tum in primâ tum etiam in secundâ et ultimâ instantiâ actu pendentes, ac coram quibuscumque iudicibus et tribunalibus, quantumvis exemptis et privilegiatis, etiam praeviâ commissione manu nostrâ signatâ, vel coram palatii apostolici causarum auditoribus, aut sacris congregationibus, necnon nostris et Sanctae Sedis de latere legatis actas, ipsasque, eorumque[1] status, nomina et cognomina iudicum et conlitigantium, aliorumque necessario exprimendorum qualitates et circumstantias, praesentibus litteris pro sufficienter expressis habentes et ad nos advocantes, harum serie extinguimus, cassamus et abolemus, perpetuumque silentium de cetero eis imponi volumus et mandamus.

Confirmatio praedicta gratiarum omnium et privilegiorum.

§ 3. Quascumque insuper litteràs et gratias tam spirituales quam temporales, concessiones, indulgentias, exemptiones, indulta, privilegia, communicationes, extensiones, libertates, praerogativas, favores, peccatorum remissiones, et similia, tam in genere quam in specie, fratribus et sororibus praedictis de Poenitentiâ, eorumque monasteriis, domibus, conservatoriis, aut aliis quovis nomine nuncupatis habitationibus, ecclesiis etiam, oratoriis et capellis, vel immediate et directe, aut etiam per communicationem cum aliis Ordinibus et praesertim fratrum Minorum, a Romanis Pontificibus antecessoribus nostris quomodolibet concessa (quorum tenorem, ac si de verbo ad verbum his nostris litteris insereretur, haberi volumus pro expresso) harum serie approbamus et confirmamus, ac, pro potiori cautelâ, apostolicâ auctoritate singula de novo concedimus et largimur.

Declaratur praedictus Ordo Tertiariorum verus et pro-

§ 4. Ut vero detractorum calumniis adversus hunc Ordinem, quantum nobis ex alto conceditur, occurramus, anteces-

1 Pericopes ista parenthesi inclusa, non satis clara (R. T.).

1 Potius lege *earumque* (R. T.).

prius Ordo regularis.

sorum nostrorum vestigiis inhaerentes, qui hunc vivendi modum et formam approbarunt vel confirmarunt aut etiam summis laudibus extulerunt, nos eumdem sanctum, meritorium et christianae perfectioni conformem, necnon verum et proprium Ordinem, unum in toto orbe, ex saecularibus aliisque collegialiter viventibus et regularibus promiscue compositum, ut[1] a quacumque confraternitate ex comprehensis in Bullâ recolendae memoriae Clementis Papae VIII omnimode distinctum, utpote qui sub propriâ regulâ ab hac Romanâ Sede approbatâ, cum novitiatu, professione et habitu, sub certis modo et formâ, prout ceteri Ordines tum regulares tum militares et alii huiusmodi consueverunt, dispositus reperitur, fuisse semper et esse decernimus et declaramus. Atque motu simili regulam praedictam (a felicis recordationis antecessoribus nostris Romanis Pontificibus Nicolao IV pro Tertiariis utriusque sexus et cuiuscumque status, sive ecclesiastici sive laicalis, quomodocumque in saeculo sub proprio tecto ac in coniugio ipso degentibus, XVI kalendas septembris MCCLXXXIX approbatam, a Clemente V, III kalendas septembris MCCCVIII, atque a Gregorio XI, VIII idus februarii MCCCLXXII, aliisque in formâ specificâ confirmatam, nec non per Leonem X, pro personis tria substantialia vota emittentibus, accommodatam et appropriatam per quasdam suas litteras incipientes *Inter ceteras, etc.* sub datum Romae XX ianuarii MDXXI) nos denuo approbamus et confirmamus, atque[2] apostolicâ auctoritate perpetuum firmitatis robur adiicimus.

Confirmantur et renovantur litterae quaecumque apostolicae, quibus

§ 5. Sed quia accidit olim, et non sine animi nostri dolore in dies etiam dicimus evenire, ut fratres dicti Ordinis, saeculares praesertim, ministri generalis totius Ordinis Minorum, et provincialium respective, quorum curae et iurisdictioni haec Sancta Sedes eos subesse voluit, obedientiam et regimen detrectantes, et non parere, ut debent, sed imperare, quod non possunt, saepius affectantes, omnia susque deque vertant, regulamque praedictam ac statuta, atque adeo nostrorum etiam antecessorum constitutiones, quamvis contraria intendentes atque praecipientes, inflectunt in sensus suos, et multoties Ordinariis locorum, aut suâ sponte, aut ad eorum fratrum Tertiariorum instantiam, mittentibus et quò prohibiti sunt extendentibus manum in non suam hanc messem, pro bonâ fruge, quae, ut desideranda est, etiam expectanda esset, zizania tantummodo producantur: nos, memoriâ recolentes primum hunc Tertii Ordinis statum, saecularium nempe sub proprio tecto degentium, dum institutis suis obedienter insisteret, non tantum pravos populorum mores in melius reformasse, sed etiam sanctitatis egregiae fructus uberrimos protulisse, cupientesque ipsum ad pristinae observantiae quem tenuit apicem revocare, motu simili deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes et quascumque litteras apostolicas, per quas aliqua superioritas, praeeminentia et auctoritas in eiusdem instituti fratres et sorores primario ministro generali praedicto totius Ordinis Minorum aliisque secundariis superioribus conceditur et tribuitur, praesentium tenore non solum approbamus et confirmamus, verum et concessa revocamus[1], ac robur perpetuae firmitatis obtinere debere decernimus et mandamus, speciatim vero quae in litteris Innocentii Papae IV incipientibus *Vota devotorum, etc.*, sub datum Lu-

Tertiarii praedicti iurisdictioni et regimini ministri generalis totius Ordinis Minorum subiiciuntur.

1 Forsan legendum *et* pro *ut* (R. T.).
2 Potius lege *eique* pro *atque* (R. T.).

1 Nempe *renovamus* (R. T.).

gduni idibus iunii MCCXLVI, in aliis Nicolai IV incipientibus *Unigenitus Dei filius*, *etc.*, sub datum apud Urbemveterem VI idus augusti MCCXC, in aliis Martini V incipientibus *Licet inter cetera*; *etc.*, sub datum Romae IX decembris MCDXXVII, in aliis Sixti IV incipientibus *Romani Pontificis providentia, etc.*, sub datum Romae XVIII kalendas ianuarii MCDLXXI, in aliis Alexandri Papae VI incipientibus *Exponi nobis, etc.*, sub datum Romae XVI maii MD, in aliis Iulii II incipientibus *Exponi nobis fecistis, etc.*, sub datum Romae XV octobris MDVII, in aliis Leonis X incipientibus *Superioribus diebus, etc.*, sub datum Romae, XIV maii MDXVII, in aliis denique beati Pii Papae V incipientibus *Ea est officii nostri, etc.*, sub datum Romae V nonas iulii MDLXVIII, continentur, auctoritate et tenore praemissis de novo confirmamus et renovamus.

Extenduntur ad universum Tertiariorum Ordinem quaecumque indulta respicientia huiusmodi regimen, pro una vel alterà congregatione vulgata.

§ 6. Extendimus deinde ad universum Tertii Ordinis gregem quaecumque apostolica indulta aut privilegia regimen et directionem huiusmodi respicientia, pro unâ vel alterâ congregatione in particulari aliàs vulgata, et speciatim quae pro Tertiariis Ferrariae in quibusdam Ioannis in suâ obedientiâ nuncupati XXIII, incipientibus *Cum privilegiis et litteris apostolicis ambigitur,* sub datum Bononiae XVI kalendas Iulii MCDXIV, et aliis [1] Pii II pro Tertiariis regnorum Castellae incipientibus *Pia Deo et Ecclesiae desideria, etc.*, sub datum apud abbatiam S. Salvatoris Clurii III idus iulii MCDLXII, aliis etiam Pauli III pro Tertiariis universae Hispaniae incipientibus *Exponi nobis*, *etc.*, sub datum Romae XIV septembris MDXXXVII, aliisque eiusdem Pauli III similiter pro [2] Hispaniis, incipientibus *Exponi nobis*, *etc.*, sub datum Romae XXVIII iulii MDCLVII, sicuti et aliis Innocentii XIII pro Brasiliis, incipientibus *Ordines et Congregationes, etc.*, sub datum Romae XXIII ianuarii MDCCXXIV, edita et publicata fuere, omnia, et similia directionem et regimen Ordinis fratrum Minorum attribuentia, apostolicâ auctoritate confirmantes, ad gregem ipsum universum extendimus et ampliamus.

Praescribitur universis Tertiariis ut observent et recognoscant in ipsorum Ordinis caput ministrum generalem totius Ordinis Minorum.

§ 7. Mandamus propterea universis et singulis huiusmodi instituti professoribus, per universum mundum existentibus, praesentibus et futuris, cuiuscumque status, gradus et conditionis existant, ac tam in saeculo sub proprio tecto vel in coniugio ipso, quam collegialiter congregatis, aut etiam sub clausurâ subtribus votis essentialibus degentibus, ut, sicuti cum primo et secundo Ordine, Minorum scilicet et Clarissarum, unum et eumdem institutorem, auctorem et patriarcham habent, ita unum et eumdem ipsiusmet fundatoris legitimum successorem veluti patrem et caput totius seraphici gregis, atque trium Ordinum beati Francisci primarium generalem honorent, observent et recognoscant, eiusque secundarios delegatos, sive provinciales, sive guardianos, aut etiam commissarios visitatores, tamquam suos legitimos et veros superiores venerentur, itaut ipsorum iudicio in dubiis et controversiis circa regulam et statuta se conforment, atque in iis omnibus, quae concernunt Ordinem ipsum, nec regulae sunt contraria, illis pareant et obediant: quod si secus fecerint, ab eisdem cassari atque habitu spoliari possint, imo nullis proinde Tertiariorum gratiis et privilegiis gaudere decernimus et iubemus. Non intendimus tamen per hoc Tertiariis regularibus Italiae praeiudicium aliquod inferre, aut in aliquo derogare constitutioni

1 Edit. Main. legit *alias* (R. T.).

2 Praeposit. *pro* nos addimus (R. T.).

felicis memoriae Sixti Papae V antecessoris nostri incipienti *Romani Pontificis providentia, etc.*, sub datum Romae XXIX martii MDLXXXVI, sed eam in suo robore permanere decernimus, imo, pro potiori cautelâ, ipsam denuo confirmamus, idem omnino statuentes circa moniales tria vota essentialia emittentes aut etiam Tertiarias alias in conservatoriis communiter tantum viventes, ut scilicet, pleno iure, visitationi, correctioni et directioni fratrum Minorum subiaceant, nisi aliter ab hac Sede reperiatur specialiter ordinatum.

Conceditur praedicto ministro generali auctoritas et iurisdictio super Ordine praefato.

§ 8. Iniungimus autem eidem generali ministro totius Ordinis, ut, beati Francisci patris sui vestigiis inhaerendo, ubilibet, intra provincias per universum Orbem eisdem commissas, huiusmodi Tertii Ordinis congregationes saeculares, tam fratrum quam sororum, per patentes litteras suas vel sui commissarii generalis erigere, ipsasque sic erectas, iuxta constitutiones seu statuta a felicis recordationis Paulo Papa III antecessore nostro approbata, vel secundum alia in *speculo seraphico* contenta atque directorio trium Ordinum inserta, necnon per recolendae memoriae Innocentios Papas XI, XII et XIII confirmata, quae etiam praesentium tenore renovamus et approbamus, confovere et moderari curet studeatque, nisi tamen eidem generali ministro et capituli generalis patribus aliud in Domino videbitur expedire: quibus propterea plenum ius ac libere auctoritatem ea innovandi, immutandi, augendi aut minuendi, ac alia de cetero statuendi quae bonum dicti gregis regimen concernere possunt, dummodo tamen regulae praefatae sacrisque canonibus non adversentur, ad tenorem litterarum Clementis Papae VII incipientium *Dum uberes fructus, etc.*, sub datum XV martii MDXXVI, perpetuis futuris temporibus facultatem facimus atque largimur. Insuper, dicti Ordinis profectum et incrementum prae oculis habentes, ac praedictis praedecessorum nostrorum constitutionibus inhaerentes, eidem generali ministro, privative quoad alios quoscumque, concedimus, ut per secundarios superiores, ad id opportunâ et necessariâ facultate suffultos, utriusque sexus christifideles iuxta morem dicti Ordinis recipere, commissarium etiam visitatorem seu confessarium, moribus, vitae sanctimoniâ et aetate idoneum, qui ipsis ecclesiastica sacramenta ministret, ac de praeceptis regulae instruat, congregationes seu congressus convocet, et in ipsis ac aliis quibuscumque actibus et functionibus praesideat, duplex etiam in paritate suffragium ferat, assignare[1] valeat, necnon easdem congregationes et earum domos, conservatoria, hospitalia, capellas et oratoria, opportunis temporibus, vel per seipsum, vel per ministros provinciales aut etiam commissarios visitatores, seclusis locorum Ordinariis et aliis quibuscumque personis cuiusvis status, gradus vel conditionis existant et quacumque auctoritate fungantur, visitare ac instruere, et paterne corrigere ac reformare, tam in capite quam in membris, ad cassationem usque mantelli et habitus, quae correctionis aut reformationis officio congruerit[2] indigere, aliaque ad bonum dicti Ordinis, iuxta eius constitutiones, ordinare et exequi, sicuti in Domino expedire animadvertit[3], et speciatim, ut[4], quoties sibi placuerit, per visitatores suos, libros et rationes redituum ac bonorum ipsarum congregationum examinare et recognoscere po-

1 Particula *ac* delemus (R. T.).
2 Forsan *censuerit* vel *cognoverit* (R. T.).
3 Potius *animadverterit* (R. T.).
4 Male edit. Main. legit *aut* pro *ut* (R. T.).

terit[1], quin in eorum administratione aut eleemosynarum receptione vel distributione se ingerant, sed tantum, an videlicet deputati et officiales piis operibus ac legatis, oneribusque praefatae congregationi iniunctis atque impositis, debitis modo et formâ et opportuno tempore satisfaciant, concedimus et indulgemus; et, pro potiori cautelâ, piae memoriae Innocentii Papae XI dispositionem per suas litteras in formâ Brevis incipientes *Exponi nobis*, *etc.*, sub datum Romae x februarii MDCLXXXVIII, circa rationem reddituum per omnia monasteria monialium eorumque exactores superioribus Ordinis Minorum reddendam, expresse confirmamus, et ad universas Tertii Ordinis congregationes, sive fratrum saecularium sub proprio tecto, sive etiam sororum collegialiter viventium, extendimus et renovamus.

Ordinationes nonnullae pro [illegible]cto eorumdem [illegible]imiae.

§ 9. Volumus proinde, ut Tertiarii ipsi sub proprio tecto viventes in omnibus se praebeant huius saeculi contemptores, atque eorum exemplo celeri alliciantur et ad humilitatem incitentur, ut sub propriâ cruce fratrum Minorum ad publicas processiones et ad associanda cadavera aliasque ecclesiasticas functiones se conferre, et sub proprio habitu per Ordinis constitutiones designato incedere valeant ac possint, tenore praesentium concedimus et largimus, praecipientes pariter, ad evitanda iurgia et contentiones, omnibus et singulis, etiam inter subditos praedicti generalis ministri comprehensis, et facultate pro fundandis Tertiis Ordinibus saecularibus praedictis per Sedem Apostolicam concessâ gaudentibus, ne, quocumque praetextu, audeant uti huiusmodi privilegio ubicumque Tertium Ordinem repererint iam fundatum, eoque minus iam fundatas Tertii Ordinis congregationes ad se recipere, si a conventu recedere, apud quem et sub cuius directione ac gubernio erecti prius inveniuntur, recedere voluerint. Propterea declaramus omnia irrita, et mera attentata, quaecumque ab aliis, praeter voluntatem antedictorum superiorum Ordinis Minorum, circa Tertios Ordines istos aut innovari aut mandari contigerit contra hanc nostram constitutionem, Tertiosque Ordines memoratos in posterum erigendos, ubi iam alii erecti et fundati sunt, aut a conventu, apud quem existunt, transferendos ad alium, praesertim eidem generali ministro nequaquam subiectum, inter Tertios Ordines approbatos ab Apostolicâ Sede habendos non esse, minusque gaudere indulgentiis et privilegiis Tertio huic Ordini per eamdem Sedem Apostolicam impertitis.

Confirmantur, ac denuo conceduntur Ordini universo indulgentiae omnes et gratiae concessae antea uni vel alteri eiusdem Congregationi.

§ 10. Ut autem christifideles sacrum hoc institutum ferventius quaerant, et inventum non dimittant, libentiusque vacent exercitiis pietatis et humilitatis a beato Francisco in regulâ suâ praescriptis, omnes et singulas concessiones et gratias, tam spirituales quam temporales, indulgentias praesertim, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros uni vel alteri congregationi Tertii Ordinis huiusmodi, sive saecularium, sive collegialiter viventium, sive etiam religiosorum, eorumque personis atque monasteriis, domibus, conservatoriis, ecclesiis, hospitalibus, capellis et locis quibuscumque, tam directe et specifice, quam etiam per communicationem cum aliis Ordinibus, Minorum scilicet, S. Clarae, Praedicatorum, Augustinianorum, Carmelitarum, aliorumque Mendicantium, necnon cum archiconfraternitatibus Cordigerorum et Gonfalonis de Urbe, sub quacumque formâ et expressione verborum conces-

1 Videtur legendum *possit* (R. T.).

sas, approbamus et confirmamus, atque de novo concedimus et largimur; singulatim vero illas quae leguntur in litteris felicis memoriae antecessorum nostrorum Clementis Papae V incipientibus *Cum illuminatum sit*, *etc.*, sub datum VIII maii MCCCV, et aliis Sixti Papae IV incipientibus *Sacri Praedicatorum et Minorum fratrum Ordines, etc.*, sub datum kalendis augusti MCDLXXIX, in aliis Leonis X incipientibus *Dubium per nos accepto*, *etc.*, sub datum X decembris MDXIX, atque aliis Clementis VII[1] incipientibus *Ad uberes*, *etc.*, sub datum MDXXVI, sicut et aliis Pauli Papae III incipientibus pariter *Ad uberes fructus*, *etc.*, sub datum VIII novembris MDCLXXXIV[2] aliis etiam Clementis Papae VIII incipientibus *Ratio pastoralis officii.*, *etc.*, sub datum XX decembris MDXCVII, atque aliis Pauli Papae V incipientibus *Cum certas, etc.*, sub datum XI martii MDCVII; eas praeterea, quae aliis quamplurimis continentur, ut Innocentii Papae XI incipientibus *Universis*, *etc.*, sub datum XXX septembris MDCLXXXI, et *Ecclesiae catholicae, etc.*, XXVIII iunii MDCLXXXVI, atque etiam *Exponi nobis*, *etc.*, V septembris, et *Aliás emanavit*, *etc.*, X octobris eiusdem anni, necnon *Exponi nobis, etc.*, XV maii MDCLXXXVIII[3], sicuti et aliis Innocentii Papae XII incipientibus *Ad ea*, *etc.*, sub datum XXIV decembris MDCXCII, *Et debitum*, *etc.*, sub datum XIX maii MDCXCIV, necnon *Sua nobis, etc.*, XVII kalendas ianuarii MDCXCVII, sicuti *Ex debito pastoralis*, *etc.*, quaeque aliis aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum litteris in favorem dicti Ordinis expeditis continentur, auctoritate et tenore praemissis renovamus et confirmamus.

1 Male edit Main. legit *Clemens VIII* (R. T.).
2 Fors. *1534*; Paul. III sed. an. *1534-1549* (R. T.).
3 Male edit. Main. legit *1588* (R. T.)

Clausulae speciales.

§ 11. Decernentes, has nostras litteras apostolicas semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque tutos[1], plenarios et integros effectus sortiri debere, ac[2] omnibus et singulis, ad quos quomodolibet nunc spectat et in futurum spectabit, firmiter et inviolabiliter observandas, ac nullo unquam tempore ex quocumque capite et qualibet causâ quantumvis piâ, legitimâ et iuridicâ, etiam ex eo quod Tertii Ordinis[3] praedicti, et quicumque in praemissis et circa ea quomodolibet et ex quavis causâ, ratione vel occasione ius vel rem habentes aut habere praetendentes, illis non consenserint, nec ad id vocati, citati et auditi fuerint, et causae, propter quas eaedem praesentes litterae prodierint, adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis seu invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut quolibet alio, quantumvis magno, substantiali, inexcogitato et inexcogitabili, ac specificam et individuam mentionem ac expressionem requirente defectu, sive etiam ex eo quod in praemissis, eorumque aliquo, solemnitates et quaevis alia, servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite, a iure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliquâ resultante, aut quocumque alio colore, praetextu, ratione vel causâ, etiam in corpore iuris clausâ, occasione, aliâve causâ quantumvis iustâ, rationabili, legitimâ, iuridicâ, piâ, privilegiatâ, etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostrâ et aliis superius expressis nusquam appareret, seu aliàs probari pos-

1 Forsan *totos* (R. T.).
2 Vel lege *ab* pro *ac*, vel adde (R. T.).
3 Forsan *ordines* (R. T.).

set, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu proprio et ex certâ scientiâ ac de apostolicae potestatis plenitudine concesso, impetrato seu vulgato uti vel se iuvare in iudicio vel extra posse, neque ipsas praesentes litteras apostolicas sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore extituros, et Sedem Apostolicam praedictam, etiam in crastinum assumptionis eorumdem successorum ad summi apostolatus apicem, vel aliàs motu proprio et ex certâ scientiâ, ac consistorialiter, et ex quibusvis casibus, et sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiamsi de eisdem praesentibus litteris eorumque toto tenore ac datâ specialis mentio fiat, pro tempore factis et concessis ac faciendis et concedendis, comprehensas, sed semper et omnino ab illis exceptas, et, quoties illae prodierint, toties in pristinum et validissimum ac eum in quo antea quomodolibet erant statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ concessas esse et fore, sicque et non aliàs in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, ac alios quomodolibet quavis auctoritate, potestate, praerogativâ et privilegio fungentes, ac honore et praeeminentiâ fulgentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et autoritate, in quovis iudicio et quavis instantiâ iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane decernimus si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Deputantur executores harum litterarum.

§ 12. Quocirca dilecto filio actuali ministro totius Ordinis Minorum, eiusque successoribus pro tempore extituris, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse, vel per se, vel per suum commissarium generalem, sive per iudices conservatores ipsius Ordinis, aut etiam per alios quoscumque sibi benevisos et ab ipso delegatos, praesentes litteras, in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties fuerit, solemniter publicans, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostrâ, tamquam commissarius apostolicus ad hunc effectum speciatim delegatus, easdem praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi ab illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, inviolabiliter et inconcusse observari, omnesque et singulos, quos ipsae praesentes litterae concernunt, praemissorum omnium et singulorum commodo et effectu pacifice frui et gaudere; non permittens[1] illos super his a locorum Ordinariis, aut ab alio quocumque quavis auctoritate fungente, quomodolibet et indebite molestari, perturbari vel inquietari; nullum et insubsistens declarans quidquid sit aut fuerit in contrarium factum; divisiones, obstacula et perturbationes inter praefatum Tertium Ordinem, praesertim saecularium, et contra ipsos tertiarios,

1 Edit. Main. legit *permittentes* (R. T.).

praedicto Ordini Minorum, ut praemisimus, subiectos, insimulque rebelliones ac sublevationes adversus superiores et religiosos primi Ordinis, eorumque in praedictum Tertium Ordinem superioritatem, correctionem, iurisdictionem et privilegia, sub quocumque praetextu, ratione vel causâ exortas, latas et deductas non permittens; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis viribus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio omnium amplissima.

§ 13. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ[1], et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque quibusdam forsan in contrarium praemissorum quomodolibet editis vel edendis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Tertii Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis eorumque reformationibus et novis additionibus, stylis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibusque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac etiam consistorialiter, aut aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, in contrarium eorumdem praemissorum concessis, approbatis, innovatis et confirmatis, etiamsi in illis caveatur expresse quod per quascumque litteras apostolicas, etiam motu proprio ac consistorialiter, et ex certâ scientiâ deque apostolicae potestatis plenitudine pro tempore concessas, quascumque etiam derogatoriarum derogatorias in se continentes, derogari non possit, neque censeatur eis derogatum, nisi huiusmodi derogationes consistorialiter factae et per diversas litteras intimatae fuerint; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et causas, etiam quantumvis praegnantes, pias et privilegiatas, praesentibus pro plene et sufficienter ac de verbo ad verbum, nihil omisso, insertis, expressis ac specificatis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum omnium et singulorum validissimum effectum, hac vice dumtaxat, latissime et plenissime, ac sufficienter, necnon specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 14. Volumus praeterea ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius ex secretariis ministri vel commissarii generalis dicti Ordinis sive notarii publici subscriptis, et sigillo officii eiusdem ministri vel commissarii aut procuratoris generalis ipsius Ordinis vel alterius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

1 Voces *de unâ* nos addimus (R. T.).

Sanctio poenalis. § 15. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, innovationis, approbationis, concessionis, extensionis, ordinationis, largitionis, decreti, voluntatis, mandati et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXV, quarto idus decembris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 10 decembris 1725, pontif. anno II.

XCIX.

Conceduntur Minoribus regularis observantiae privilegia in constitutione Pii V pro Ordinibus Mendicantium contenta, aliaque nonnulla[1].

Benedictus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Sollicitudo Ecclesiae universalis per bonorum omnium largitorem nobis iniuncta exigit, ut religiosos Dei famulos, eique placentes Ordines regulares, praesertim Mendicantium, qui, relictis mundi illecebris, et arctam viam, quae ducit ad vitam, ingressi, sequuti sunt dominum Redemptorem, gratiis apostolicis fovere, et modis omnibus propugnare studeamus.

Constitutio praedicta Pii V qua Ordines Mendicantium ab omnibus vectigalibus eximuntur. § 1. EApropter antecessor noster beatus Pius PP. V erga eosdem Ordines Mendicantes pontificiam benevolentiam ostensurus, eis litteras tenoris sequentis indulsit:

Pius PP. V, ad perpetuam rei memoriam. Dum ad uberes, quos sacri Mendicantium Ordines, etc[1].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX iulii MDLXVI, pontificatus nostri anno I.

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, fratres Minores regularis observantiae S. Francisci nuncupati, licet[2] contextum regulae sub uno et eodem ministro generali totius Ordinis ad litteram profitentes, non solum inter quatuor praecipuos Mendicantium Ordines connumerentur, verum etiam, ob perfectissimam quam profitentur paupertatem et in particulari ac in communi, summâ et peculiari ratione prae aliis habendi sint, propatereaque omnibus et singulis libertatibus, exemptionibus et facultatibus, privilegiis et indultis in vim praeinsertarum litterarum omnibus Mendicantium Ordinibus concessis omnimode ac plene frui, potiri et gaudere debeant; nihilominus super vectigalium, gabellarum, datiorum et pedagiorum, aliorumque onerum et impositionum solutione ab illorum et illarum exactoribus perperam, et non sine eorumdem fratrum Minorum et ab eis stricte professae paupertatis detrimento, olim et nunc etiam eos in iudicium trahi, vexari, perturbari ac assidue molestari contingat: Causa praesentis concessionis.

§ 3. Nos, ad evellendam omnem quaestionis materiam, et attendentes quod fratres Minores praedicti, propterea quod ipsi, ut praefertur, actu mendicent, et vere nudam profiteantur paupertatem illam, quae, terrenis ubique destituta bonis, se divitem exhibet Altissimo, merito eos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, necnon ipsos, et eorum singulas personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et in- Concessio Minoribus praefatis privilegiorum et exemptionum in relatis litteris contentarum.

1 Constit. Pii V infra refertur, quae edita fuit ann. MDLXVI, die 29 iulii, pontif. ann. I.

1 Reliqua omittimus, quia Bulla legitur in tom. VII, pag. 468 *b* et seq. (R. T.).

2 Deest *iuxta* aut simile (R. T.).

terdicti, aliisque sententiis, censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon quarumcumque litium et causarum status et merita, nomina et cognomina iudicum, coram quibus illae pendent, ac collitigantium, aliorumque, necnon quorumcumque aliorum privilegiorum et indultorum, facultatum, exemptionum et immunitatum, eis quomodolibet concessorum, praesentibus pro expressis habentes, causasque huiusmodi ad nos harum serie advocantes, illasque penitus et omnino extinguentes, ac collitigantibus huiusmodi perpetuum super praemissis silentium imponentes, motu proprio, non ad eorumdem fratrum Minorum de Observantiâ super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ merâque liberalitate nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula privilegia, immunitates, exemptiones, facultates, gratias, libertates et indulta in eisdem praeinsertis litteris contenta, ac omnibus et singulis Ordinibus Mendicantibus in communi, ut praemittitur, concessa, eisdem fratribus Minoribus, sive regularis sive strictioris observantiae nuncupatis, ita quod ipsi in posterum de omnibus et singulis, quae absolute eorum victum et vestitum ac religiosum usum et commercium concernunt, quidquam datiorum, gabellarum et vectigalium, quibuscumque et quomodocumque per illos solvi debere praetendentibus, solvere minime debeant, speciatim et expresse apostolicâ auctoritate perpetuo concedimus.

Idem omnibus aliis oneribus liberantur.

§ 4. Ac insuper eosdem fratres Minores ubique terrarum, et praesertim in ditione nostrâ temporali, ab omnibus datiis, vectigalibus, praecipue super frumenti cumulatione, vino, oleo, carne, animalibus etiam vivis, tam emptis quam aliis quae eisdem fratribus Minoribus pro eleemosynâ offeruntur, et quocumque alio comestibili, lanis ad eorum vestimenta necessariis, portu etiam tam maris quam fluminum, gabellis in exitu et ingressu terrarum, locorum et civitatum, aut transitu pontium et viarum, seu etiam in doganis quomodocumque nunc impositis, et in posterum pro tempore quomodolibet imponendis, etiam plene et expresse dictâ apostolicâ auctoritate similiter in perpetuo eximimus et liberamus, eosque in praemissis omnibus et singulis aliis datiis, gabellis et oneribus, etiamsi ceteri Mendicantes ad ea teneri dignoscantur, nec ab eis censeantur esse exempti, perpetuo immunes et exemptos esse volumus et declaramus.

Etiam a solutione portus litterarum.

§ 5. Ac praeterea, ulteriori eorumdem fratrum Minorum de Observantiâ indemnitati consulere volentes, motu simili, eos et eorum quemlibet a solutione portus omnium et singularum simplicium epistolarum in semifolio scriptarum ad eorum quemlibet a quacumque regione pro tempore advenientium, necnon etiam aliarum duplicium et in folio scriptarum, earumque[1] involucrorum a tabellariis deferri solitorum, quae per Ordinis superiores eorum subditis ipsis superioribus cum eorum publici sigilli munimine (non autem quae sine munimine huiusmodi alicui ex eis particulariter diriguntur, pro quibus scilicet duplicibus sine munimine huiusmodi sic directis aliquod munus aut debitum sibi emolumentum ab eorumdem fratrum Minorum de Observantiâ conventibus seu domibus praetendere, seu ea libere, si tabellarii ipsi velint, relaxare possint), eâdem apostolicâ auctoritate eximimus et liberamus.

Clausulae peculiares.

§ 6. Decernentes quoque, praeinsertas

[1] Edit. Main. legit *eorumque* (R. T.).

litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu notari vel impugnari ullatenus posse, minusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, modificationibus, limitationibus, restitutionibus et aliis contrariis dispositionibus, tam per nos quam etiam per successores nostros quomodolibet, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque decretis, pro tempore factis et faciendis, quorumcumque tenorum existant, includi; sed, illis non obstantibus, in suis robore et efficaciâ persistere, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, etiam sub datâ per ipsos fratres Minores de Observantiâ praedicti Ordinis eligendâ de novo concessas esse, et ita incommutabilis voluntatis et intentionis nostrae esse, et, ad hoc ut perpetuâ firmitate subsistant, vim validi et efficacis contractus inter dictam Sedem et praedictorum Ordinum Mendicantium fratres huiusmodi habere, sicque per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliàs iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Committitur quibus attinet exequutio praedictorum.

§ 7. Quocirca dilectis filiis nostris S. R. E. cardinalibus in Bononiensi, Ravennati, Ferrariensi et Urbinatensi civitatibus nostris nunc et pro tempore existentibus de latere legatis, ac dilecto filio curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem fratrum Minorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ ipsos fratres Ordinis Minorum huiusmodi voluntate, statuto, declaratione et aliis praemissis omnibus et singulis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos per quoscumque quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, et nihilominus, legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatoriae.

§ 13. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas quis vigore praesentium ad iudicium non extrahatur, et aliis, necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibus quoque et aliis decretis, in genere vel in specie, et quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros prae-

dictos, ac nos et Sedem praedictam, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ, etiam consistorialiter et de fratrum nostrorum consilio, necnon apostolicae potestatis plenitudine concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque tenoribus specialis, specifica et expressa mentio, seu aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter aut divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides adhibenda transumptis.

§ 14. Volumus pariter ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius ex secretariis generalibus dicti Ordinis aut notarii publici subscriptis, et sigillo officii, ministri, aut commissarii generalis vel procuratoris Ordinis praefati, vel alterius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 15. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, innovationis, approbationis, absolutionis, exemptionis, liberationis, voluntatis, declarationis, decreti et derogationis infringere, vel ei temerario ausu contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXV, IV idus decembris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 10 decembris 1725, pontif. anno II.

C.

Extenditur constitutio Gregorii XIII, ad ornatum Urbis augendum edita, ad civitatem Beneventanam[1].

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Inter divinae ultionis flagella, quae in sacris litteris contra peccata hominum immittenda, inque Ss. Patrum monumentis saepe numero immissa nunciantur, terraemotus magnos praecipuo loco numeratos didicimus. Nos ipsi, dum Beneventi, altissimi Dei voluntate, in pastorali ministerio praepositi adessemus, eius potentiam et benignitatem ter manifeste vidimus, hoc flagello concussi; nam et civitatem nostram commovisse, potentiae fuit et firmasse, benignitatis: non enim mortem peccatoris vult Deus, sed eum converti et vivere, ut terraemotûs flagello praetereunte, metus non transeat, sed in cordibus supersit, eoque meliores efficiamur. Itaque, tertio nostri archiepiscopatus anno recurrente, in primâ concussione Beneventanâ reliquarum summe terribili, cuius mentio Omnipotentis misericordiam nobis ob oculos ponit, nos cum toto episcopio prostati et consepulti, brachio Excelsi et praesenti ope beati Philippi Nerii confessoris, cleri et civitatis patroni, inter communes eiulatus, ex lamentabili strage et ruinis erepti fuimus. Sed contra evenit quamplurimis ovibus nostris, aedificiorum mole obrutis et extinctis. Siquidem praeter episco-

[1] Memorata Gregorii XIII const. edita fuit MDLXXIV pontif. III.

pium, utraque basilica metropolitana et B. Bartholomaei apostoli collapsae sunt, aedes quoque virginum Deo sacrarum, coenobia Ordinum regularium et magna pars afflictissimae civitatis cum moeniis et turribus corruit; adeoque amplissimi ducatus olim caput, ipsoque aevo nostro clarissima civitas, in tristitiam et luctum conversa est.

Causae praesentis constitutionis.

§ 1. Nos ergo inscrutabili Dei providentiâ ex sede Beneventanâ ad Petri cathedram evectos decere arbitramur, post multas et graves pastoralis muneris curas, hanc nequaquam negligere, ut civitas, in qua Dominus per totos octo et triginta annos sedere non voluit, eodem benedicente, apostolatus nostri largitatem experiatur. Quamobrem, memoriâ repetentes damna a tribus terraemotibus, et praesertim a priori quem memoravimus, Benevento illata, civitatisque, B. Petri apostolorum Principis Sedisque Apostolicae imperio subiectae, instaurationi pro debito officii nostri in posterum consulere cupientes, constitutionem pro huius almae Urbis nostrae aedificiis ornandis ampliandisque per felicis recordationis antecessorem nostrum[1] Gregorium XIII editam, cum Benevento communem facere, atque ad eius ornatum et commodum extendere decrevimus.

Extensio praefatae Gregorianae constitutionis ad civitatis Beneventanae utilitatem terraemotibus labefactatae.

§ 2. Itaque cum novarum aedium[2] a romanis civibus dilatandarum reaedificationi, absque vicinorum iacturâ, idem Gregorius antecessor noster prospicere vellet, providâ constitutione anno tertio sui pontificatus vulgatâ, cuius initium *Quae publice utilia*, super huiusmodi novis aedificationibus, emendique et retrahendi iure vicinorum domos, quaedam a iure congrui non recedentia, sed aequa eidem et consona, in iudiciis[2] hac de re habendis observanda, disposuit atque decrevit, ut in iam dictâ constitutione uberius legitur, quam totam hîc renovatam et praesenti huic nostrae veluti de verbo ad verbum insertam haberi et censeri volumus. Nos vero, qui eamdem nostram civitatem Beneventanam, beati Petri fidelissimam filiam, vere paterno et nunquam nisi nobiscum interituro amore complectimur, eamdemque in dies per generosos cives novis aedificiis sacris et civilibus ornari et augeri cupimus, ut hoc facilius et alacrius peragatur, debitâque iuris honestate servatâ promoveatur, praedictam Gregorianam constitutionem, omniaque et singula in eâ disposita, statuta et servanda in dilatandis, ampliandisque aedificiis, emendisque et retrahendis vicinorum domibus causâ dilationis[1], ampliationis et ornatus eiusmodi, nos apostolicâ auctoritate ad civitatis Beneventanae utilitatem et beneficium perpetuo extendimus, diffundimus et ampliamus, itaut super emptionibus et retractibus domuum, sternendisque eiusdem civitatis viis et plateis, erigendisque privatis et publicis aedificiis, illius ornatum spectantibus, Gregoriana constitutio semper et ubique observari debeat; iudicesque in causis coram se ventilandis ad formam eiusdem constitutionis, et non aliter definire et indicare teneantur.

Statuuntur nonnulla ad eumdem finem.

§ 3. Sed quia in eâdem constitutione Gregorianâ expresse cavetur, ut si quis in propriâ domo, fundo, solove aedificare voluerit, vicini suas domos et loca eiusmodi aedificiis utilia seu necessaria, utpote eidem domui, fundo et solo contermina, neque ab ipsis culta, sive habitata, sed tantum locari solita, ei

1 Edit. Main. habet *antecessorum nostrorum* (R. T.).

2 Ed. Main. legit *aeditum* pro *aedium* (R. T.)

1 Edit. Main. legit *dilationis* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *iudicii* (R. T.).

vendere omnino cogantur[1], pretio tamen aucto ad duodecimam partem ultra aequum et congruum eius aestimationis pretium faciendam; sique aedificio, quod insigne evasurum sit, perficiendo, quaepiam domus a proprio domino habitata, sive ortus aliusve locus muris cinctus, tali aedificio extruendo cohaereat, tunc, eo iam coepto et ad[2] duobus saltem lateribus domui, horto vel loco eiusmodi cohaerente, cuius aestimationem quadruplo aedificium illud sit excessurum, domus, horti vel loci dominus, etiam in illis habitans, cogatur eam vendere, aucto tamen ad quintam partem pretio solvendo: nos, haec perpendentes, et locis Deo dicatis, ut summum Pontificem decet, providere volentes, aedes sacras, monasteria, aliaque loca pia ab utroque huiusmodi pretio et augumento absolvimus, eximimus et liberamus, ecclesiasque, monasteria, aliaque loca pia volumus et statuimus ut tanti dumtaxat, non pluris, quanti domus et cetera loca, eorum domibus, fundis ac solo vicina, iuste aestimata fuerint, pro tali emptione et retractione solvere teneantur. Ubi vero haec omnia et singula, praesentibus apostolicis litteris nostris comprehensa atque statuta, fortasse in aliquibus circa legitimum sensum controversiam adduci contigerit, volumus et decernimus, in eam partem explicari debere, quae civitatis ornatui magis favere videatur, semperque sive in iudicio sive extra iudicium ubique favorabilia censeri, atque ita ab universis iudicibus, etiam nostri palatii apostolici, et S. R. E. cardinalibus, sublatâ quavis aliter explicandi, interpretandi et iudicandi potestate, explicari, interpretari et iudicari debere; sique secus fiat, id

Clausulae. totum sit irritum et inane.

1 Edit Main. legit *cogatur* (R. T.).
2 Potius lege *a* pro *ad* (R. T.).

§ 4. Haec autem fieri volumus atque statuimus, non obstantibus quibuscumque, et felicis recordationibus Symmachi et Pauli II antecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, legibusque etiam civilibus, dictaeque civitatis Beneventanae et ecclesiarum, monasteriorum, locorumque religiosorum sive piorum, Ordinumque bona eiusmodi possidentium, statutis et consuetudinibus, necnon testantium voluntatibus, aliisque dispositionibus, etiam iureiurando, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, privilegiis quoque et litteris apostolicis, eisdem ecclesiis, monasteriis et locis, eorumque superioribus, capitulis et conventibus, seu populo Beneventano, et aliis quibuscumque concessis, ac quibusvis Sedis Apostolicae indulgentiis, per quae praesentium executio et per eas tributae iurisdictionis explicatio posset quomodolibet impediri vel retardari; quibus omnibus, eorum tenores pro plene et integre expressis habentes, de plenitudine potestatis derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Sanctio poenalis.

§ 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam extensionis, ampliationis, renovationis, concessionis, sanctionis, indulti, decreti et elargitionis infringere, vel ei temerario ausu contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXV, pridie idus decembris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 12 decembris 1725, pontif. anno II.

CI.

Praescribitur archiconfraternitati Annunciationis B. M. Virginis, ut quatuor subsidia dotalia puellis neophytis conservatorii catechumenorum quotannis praestet.

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exponitur puellis praedictis tenue dotis subsidium esse.

§ 1. Nuper, pro parte dilectorum filiorum deputatorum domus piae catechumenorum iuxta ecclesiam B. M. ad Montes nuncupatam de Urbe positae, nobis expositum fuit, quod, cum puellis seu mulieribus neophytis in conservatorio catechumenorum degentibus nullum aliud dotis subsidium, quo in Domino vel in saeculo nubere valeant, quam viginti quinque scutorum monetae, quod ab ipsis exponentibus illis assignari solet, ac eleemosyna aliorum septuaginta circiter scutorum paris monetae per nos ac Romanos Pontifices pro tempore existentes eisdem elargiri consueta suppetat, dictaeque neophytae, utpote de gentilitatis et infidelitatis tenebris ad veri luminis, quod est Christus, cognitionem noviter conversae, longe difficilius opportunas nuptias seu matrimonium contrahendi occasiones, quam aliae mulieres in sanctae matris Ecclesiae gremio ortae, sicut experientiâ ipsâ compertum est, inveniant, ac proinde eas in conservatorio praefato cum ingenti dispendio ac incommodo diu retinere et alere oporteat, itaut, occupatis per eas omnibus dicti conservatorii mansionibus, locum inibi, quo novae catechumenae illud ingredi volentes recipiantur, quandoque deesse contingat; multum vero levamenti eidem conservatorio proveniret, si quatuor dotes seu subsidia dotalia, ex illis quae ab archiconfraternitate Annunciationis B. M. Virginis in ecclesiâ eiusdem S. Mariae super Minervam de Urbe praefatâ canonice institutâ distribui solent, neophytis praedictis annis singulis praestarentur, quemadmodum puellis plurium aliorum conservatoriorum de eâdem Urbe ex diversorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum indultis seu concessionibus quotannis praestari consueverunt; inde enim fieret ut dictae neophytae huiusmodi subsidiis adiutae in religionem vel matrimonium facilius collocarentur, atque conservatorium praedictum gravi onere et impensâ liberaretur, et novae catechumenae earum loco in idem conservatorium commode recipi valerent: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Praeceptum praedictae archiconfraternitati Annunciationis ut quatuor subsidia dotalia praestet.

§ 2. Nos igitur, ipsorum exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, dilectis filiis modernis et pro tempore existentibus administratoribus, officialibus seu ministris quocumque nomine nuncupatis dictae archiconfraternitatis Annunciationis B. M. Virginis, ad quos ea res spectat et pro tempore spectabit, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, praecipimus et mandamus, ut ipsi quatuor subsidia dotalia quadraginta scutorum monetae praedictae pro quolibet ex illis, quae per eamdem archiconfraternitatem paupe-

ribus puellis dispensantur, unà cum pretio vestis eis dari solitae, totidem neophytis conservatorii catechumenarum praedictarum, in causam earum matrimonii vel monachatus, singulis annis realiter et cum effectu praestent et assignent, seu praestari et assignari curent; ita tamen ut, si unquam propter considerabilem eiusdem archiconfraternitatis reddituum diminutionem cetera subsidia dotalia, quae dicta archiconfraternitas aliis puellis distribuere solet, diminui contigerit, pari modo praedicta quatuor subsidia, salvo tamen earum numero praefato, diminui debeant.

Conceditur cardinali Corradino protectori facultas disponendi de quatuor subsidiis dotalibus huiusmodi.

§ 3. Quatuor autem subsidiorum dotalium huiusmodi praestatio et assignatio ita fieri debeat, ut totidem neophytae conservatorii praefati nullatenus a memoratis eiusdem archiconfraternitatis administratoribus, officialibus seu ministris visitentur, eligantur seu nominentur, sed illarum electio seu nominatio ac omnimoda de quatuor subsidiis dotalibus huiusmodi disponendi facultas ad dilectum filium nostrum Petrum Marcellinum S. R. E. presbyterum cardinalem Corradinum nuncupatum prodatarium nostrum modernum ac pro tempore existentem eiusdem S. R. E. cardinalem dicti conservatorii protectorem, cuius erit eas neophytas eligere seu nominare, quas vitae ac morum honestate, aetate, aliâve ratione ceteris antecellere in Domino censuerit, penitus pertineat; ubi vero a cardinali protectore praedicto electio seu nominatio, ut praefertur, facta fuerit, cedulae subsidiorum huiusmodi promissoriae, quae sane liberae prorsus et absque ullo vinculo aut conditione iuxta modum a memorato cardinali protectore praescribendum faciendae erunt, unà cum pretio vestis, sicut praemittitur, dari solitae, dicto cardinali protectori consignari debeant, penes eum seu alios de eius mandato assservandae donec et quousque iisdem neophytis sic electis seu nominatis, cum nimirum eas in religione vel matrimonio iuxta earum vocationem collocari contigerit, tradantur[1]; ita scilicet, ut, si quae ex illis, quae sic electae seu nominatae fuerint, bonum sui specimen praebere non perrexerint, qua in re memorati cardinalis protectoris iudicio standum erit, illae a commodo et beneficio eorumdem subsidiorum dotalium sibi assignatorum cadant, nec illa seu illorum cedulas petere, consequi et obtinere valeant, sed subsidia illis assignata, seu illorum cedulae huiusmodi, quemadmodum etiam illa, quae ob neophytarum, quibus assignata erant, mortem ante earum matrimonium vel monachatum respective secutam, sive ob aliam rationem, effectum suum sortita non fuerint, aliis neophytis eiusdem conservatorii per dictum cardinalem protectorem nunc et pro tempore existentem pariformiter eligendis seu nominandis assignantur[2], nec ista in eorum numero, quae neophytis praedictis, sicut praemittitur, quotannis assignari debent, ullatenus computari, sed novae cedulae illorum promissoriae a supradictis administratoribus, officialibus seu ministris, ad favorem aliarum neophytarum, per cardinalem protectorem praedictum, ut praefertur, subrogandarum seu nominandarum, fieri eidemque cardinali protectori modo et formâ supradictis consignari debeant.

Conceditur puellis praedictis ne teneantur interesse publicis functionibus fieri solitis hac de causa.

§ 4. Ceterum quaecumque conservatorii huiusmodi neophytae, quae ad subsidia dotalia praedicta, sicut praemittitur, admissae seu nominatae fuerint, processionibus aliisque publicis functionibus in distributione eorumdem sub-

1 Edit. Main. legit *tradantur* (R. T.).

2 Aptius lege *assignentur* (R. T.).

sidiorum dotalium aut illorum occasione fieri solitis interesse minime teneantur, sed intra idem conservatorium sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumere, aliave pia opera, sive a dictae archiconfraternitatis statutis, sive a quorumvis testatorum et piorum largitorum dispositionibus iniuncta, adimplere possint et debeant. Eisdem vero neophytis, statim ac matrimonium contraxerint, quod quidem parochi attestatione a duobus ex deputatis domus piae praedictae subscriptâ probari sufficiat, vel in aliquo monialium monasterio professionem regularem per ipsas moniales emitti consuetam expresse emiserint, subsidia dotalia eis ut praefertur assignata, libere, prompte, nullâque interpositâ morâ, et absque ullâ cautione persolvantur. Singulas demum neophytas praefatas ad plura quam duo ex quatuor subsidiis dotalibus supradictis per memoratum cardinalem protectorem nequaquam admitti seu nominari posse, harum serie statuimus et ordinamus.

Clausulae.

§ 5. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac neophytis conservatorii praedicti in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac supradictorum testatorum [1] et piorum largitorum [2] ultimis voluntatibus, quas propter praemissa sufficienter et expresse commutamus, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae archiconfraternitatis, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, usibus, stylis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII ianuarii MDCCXXVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 8 ianuarii 1726, pontif. anno II.

1 Edit. Main. habet *testamentorum* (R. T.).
2 Particulam *et* hinc abiicimus (R. T.).

CII.

Confirmatur constitutio Clementis IX super facultate novas erigendi domos Carmelitis Discalceatis concessâ [1].

Benedictus Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Constitutio Clementis IX confirmans constitutiones Pauli V et Gregorii XV, quibus praedicta facultas praedictis fratribus concessa fuit.

§ 1. Aliâs emanarunt a felicis recordationis Clemente Papa IX praedecessore nostro litterae in simili formâ Brevis tenoris sequentis, videlicet:

Clemens PP. IX, ad perpetuam rei memoriam. Ecclesiae catholicae regimini, meritis licet imparibus, divinâ dispositione praesidentes, illa, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ad divini cultus ac religionis piorumque operum incrementum et pro-

1 Huiusmodi constitutio edit. fuit MDCLXVIII, die 6 octobris, pontif. II, et hic refertur unâ cum aliis Pauli V et Gregorii XV.

pagationem provide emanasse noscuntur, ut firma semper atque stabilita[1] persistant, apostolici muniminis, cum id a nobis petitur, patrocinio libenter constabilimus. Dudum siquidem (postquam felicis recordationis Paulus Papa V praedecessor noster superioribus Ordinis fratrum B. Mariae de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum, ipsisque fratribus Discalceatis, et ubique locorum quilibet in districtu suo domos et monasteria, iuxta Concilii Tridentini decreta, de solâ licentiâ Ordinariorum, nullo aliarum personarum cuiusvis Ordinis etiam regularium requisito consensu, condere, fundare et erigere valerent, licentiam et facultatem sub certis modo et formâ tunc expressis auctoritate apostolicâ concesserat) recolendae memoriae Gregorius PP. XV etiam praedecessor noster eisdem superioribus et religiosis, ut ubicumque locorum quilibet in districtu suo domos et monasteria praefata, etiamsi illa aliis domibus regularibus Ordinum Mendicantium magis vicina essent quam in privilegiis Ordinibus Mendicantibus huiusmodi concessis praescriptum est, dummodo tamen Ordinariorum locorum expressus ad hoc accederet assensus, fundare et erigere possent, dictâ auctoritate concessit, et aliàs prout uberius continetur in eorumdem Pauli et Gregorii praedecessorum litteris desuper in simili formâ Brevis expeditis tenoris qui sequitur, videlicet:

Constitutio Gregorii XV alteram Pauli V referens.

Gregorius Papa XV, ad perpetuam rei memoriam. Aliàs a felicis recordationis Paulo PP. V praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris sequentis, videlicet:

Paulus PP. V, ad perpetuam rei memoriam. Ad Ecclesiae militantis[2], cuius regimini, licet immeriti, divinâ disponente clementiâ, praesidemus, amplitudinem nihil magis necessarium, quam perfectorum militum Christi multitudinem existimamus. Cum igitur, sicut magno cum spirituali gaudio nostro accepimus, dilecti filii religiosi Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo, Carmelitae Discalceati nuncupati, tam in Hispaniarum regnis quam in Italiae et Novi Orbis aliisque mundi partibus pergant assidue Deo et Ecclesiae sanctae suae perfectum exhibere famulatum, non solum ipsi Deo per orationem et contemplationem sedulo vacantes, verum etiam animarum salutem exemplo et doctrinâ sollicite procurantes; cumque in dies fructus uberiores ex dictae religionis propagatione benedicente Domino sperandi sint: nos ad ea, quae religiosorum eorumdem augmento cedere possunt, concedenda, atque ea, quae illis in hoc impedimentum aliquod adferre dignoscuntur, removenda, merito propensiores sumus. Quare, motu proprio et ex certâ scientiâ ac merâ deliberatione nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, eiusdem Ordinis Carmelitarum Discalceatorum superioribus et religiosis, ut ubique locorum quilibet in districtu suo, iuxta litterarum felicis recordationis Clementis PP. VIII praedecessoris nostri super erectione Congregationis Italiae praedicti Ordinis, sub datum XIII novembris anni Domini MDC pontificatus sui anno IX expeditarum, formam et tenorem, quem praesentibus pro expresso haberi volumus, domos et monasteria, iuxta Concili Tridentini decreta, de solâ licentiâ Ordinariorum, nullo aliarum personarum cuiusvis Ordinis, etiam regularium, requisito consensu, condere, fundare et erigere valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, licentiam et facultatem concedimus et indulgemus. Non obstantibus eiusdem Clementis prae-

1 Forsan, uti de more, *illibata* (R. T.).

2 Ista Pauli V const. iam legebatur in Bullario tom. XI, pag. 250 nostrae editionis (R. T.).

decessoris, quae incipit *Quoniam ad institutam*, sub datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXIII iulii MDCIII, pontificatus sui anno XII, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et cuiusvis alterius Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis aliis Ordinibus, ac eorum superioribus et personis, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, ac si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XII decembris MDCV, pontificatus nostri anno I.

Sequitur bulla Gregorii XV.

Cum autem, sicut fratres Discalceati praedicti nobis nuper exponi fecerunt, nonnulli aliorum Ordinum Mendicantium professores, sub praetextu nimiae vicinitatis, et ex eo quod per praeinsertas litteras certis privilegiis eisdem Ordinibus a felicis recordationis Clemente IV et Iulio II et aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessis, quibus caveatur[1] ne aliae domus regulares seu monasteria regularibus eorumdem fratrum Mendicantium domibus infra certum cannarum spatium vicina fundari et erigi possint, sufficienter derogatum non fuit, eosdem fratres Discalceatos in eorum novarum domorum regularium fundationibus et erectionibus interdum impedire praetendant; et propterea iidem fratres Discalceati sibi desuper per nos, ut infra, opportune provideri summopere desiderent: nos, fratres Discalceatos praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, necnon litteras Pauli praedecessoris huiusmodi, quatenus opus sit, approbantes et confirmantes, motu proprio et ex certâ scientiâ nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eiusdem Ordinis Carmelitarum Discalceatorum superioribus et religiosis, ut ubique locorum quilibet in districtu suo iuxta litteras Clementis praedecessoris huiusmodi domos et monasteria praedicta, etiamsi illa aliis domibus regularibus Ordinum Mendicantium huiusmodi magis vicina sint quam in privilegiis illis ut praefertur concessis praescriptum est, dummodo tamen Ordinariorum locorum expressus ad hoc accedat assensus, ac servatâ aliâs litterarum praedictarum formâ, fundare et erigere libere et licite valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium concedimus et indulgemus. Decernentes, praefatas ac praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, dictisque fratribus Discalceatis in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici audi-

[1] Vel *cavetur* vel *cavebatur* (R. T.).

tores, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Clementis, Sixti et Iulii, ac quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus et ordinationibus, et regulâ nostrâ de iure quaesito non tollendo, ac aliorum Ordinum Mendicantium huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis per praefatos et alios Romanos Pontifices praedecessores nostros huiusmodi eisdem fratribus Mendicantibus concessis, ut praefertur, necnon omnibus illis quae dictus Paulus praedecessor in praeinsertis litteris voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII novembris MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Continuat Clementis XI constitutio qui insertas constitutiones Pauli V et Gregorii XV approbat.

Cum autem, sicut dilectus filius Ioannes a Visitatione, procurator generalis Congregationis Hispaniae fratrum Discalceatorum dicti Ordinis, nobis nuper exponi fecit, quod[1] fidelium pietas erga religionem eorumdem fratrum Discalceatorum in dies crescat, et in multis locis, praesertim regnorum Hispaniae, novas domos et monasteria fratrum huiusmodi erigi et fundari desideretur; verum non desint qui tam pium opus impedire conentur, non attentis privilegiis super huiusmodi fundatione eisdem fratribus per litteras praeinsertas concessis: nobis propterea dictus Ioannes procurator generalis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere, de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsum Ioannem procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus etiam dilecti filii nobilis viri moderni marchionis de Astorga pro carissimo in Christo filio nostro Carolo Hispaniarum rege catholico, apud nos et Sedem Apostolicam oratoris, nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas Pauli et Gregorii praedecessorum litteras, cum omnibus et singulis in eis respective contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus. Decernentes, easdem praesentes et praeinsertas litteras semper validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae in praeinsertis Pauli et Gregorii praedecessorum litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis qui-

1 Particula *quod* redundat (R. T.).

buscumque. Volumus autem, ut[1] earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI octobris MDCLXVIII, pontificatus nostri anno II.

Confirmatio relatae constitutionis Clementis IX aliorumque Romanorum Pontificum.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Michaël a Christo procurator generalis Congregationis Hispaniae fratrum Discalceatorum dicti Ordinis nobis nuper exponi fecit, in perficiendis ac executioni mandandis novorum conventuum et domorum Ordinis praedicti fundationibus ac erectionibus, quas christifideles pro suâ in eorum religionem devotione in diversis mundi partibus, ac praecipue Hispaniae regnis, identidem facere intendunt, adhuc multoties contingat eosdem fratres ab aliis praesertim Ordinum Mendicantium praefatorum ac Minorum S. Francisci regularibus, non habitâ privilegiorum, sibi super huiusmodi fundationibus sicut praemittitur concessorum, eâ quae[2] par est ratione, impediri, molestari et perturbari; ac propterea dictus Michaël, quo praemissa firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae quoque confirmationis nostrae patrocinio communiri, ac aliâs opportune desuper a nobis provideri summopere desideret: nos, eiusdem Michaëlis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas Clementis IX aliorumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum super concessione et confirmatione respective enarratorum privilegiorum expeditas litteras, ac omnia et singula in eis contenta et expressa, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur itidem adiicimus, ac illa per quascumque personas, etiam regulares, cuiusvis Ordinis et instituti, tam Mendicantium quam non Mendicantium, ac status, gradus, conditionis et qualitatis existant, exacte observari, eâdem auctoritate, harum serie, praecipimus et mandamus. Decernentes pariter, ita in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae in praeinsertis Clementis IX aliorumque praedecessorum praedictorum litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 3. Volumus quoque ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub

[1] Particulam *ut* nos addimus (R. T.).
[2] Edit. Main. legit *qua* (R. T.).

annulo Piscatoris, die IX ianuarii MDCCXXVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 9 ianuarii 1726, pontif. anno II.

CIII.

Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium super erectione collegii missionariorum in uno ex conventibus provinciae S. Gabrielis Ordinis Minorum Discalceatorum in Hispaniâ[1].

Benedictus Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Expositio facti.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum fratrum provinciae S. Gabrielis Ordinis sancti Francisci Discalceatorum nuncupatorum in Hispaniâ Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod ipsa provincia, animabus sanguine Agni redemptis proficere cupiens, sibi unum ex suis conventibus, per fratres definitorii provincialis designandum, in collegium seu seminarium missionariorum erigendi facultatem concederet[2] (qui quidem missionarii apostolicis missionibus unice dediti sint, cuiusque guardianus ac alii fratres ac pariter ipsum seminarium strictissimis ipsius provinciae constitutionibus gubernentur, ac ministro et definitorio provinciali immediate subditi sint, cui etiam electio guardiani pro tempore dicti seminarii necnon novitiorum receptio competat, sicut in aliis totius provinciae conventibus observatur, non autem immediate praelato generali subiiciantur, quemadmodum in quibusdam felicis recordationis Innocentii PP. XI praedecessoris nostri desuper in simili formâ Brevis expeditis litteris pro collegiis missionariorum sitis in provinciis ad familiam Hispanicam spectantibus disponitur; prohibendo simul expresse, quod, dummodo in dictâ provinciâ S. Gabrielis praedictum seminarium erectum sit, nullus ex eiusdem provinciae alumnus[1] transire possit titulo missionum ad alia missionariorum collegia extra ipsam provinciam existentia, concedendo his novis missionariis omnia et singula privilegia ac praerogativas in dictis litteris Innocentii praedecessoris contenta, quibusque gaudent alia missionariorum etiam regularis observantiae seminaria, remanente tamen intactâ et illaesâ eâdem superioris generalis auctoritate ac superioritate, quam in omnibus provinciis et conventibus praedicti Ordinis exercet, exceptâ tamen immediatâ subiectione, electione guardiani, et receptione novitiorum, quae, ut supra dictum est, spectare debeat ad ministrum et definitorium provinciale pro tempore, quemadmodum die XX augusti MDCCXVIII ab eâdem Congregatione cardinalium provinciae S. Pauli eiusdem Ordinis Discalceatorum indultum, et subinde per quasdam nostras litteras desuper pariter in simili formâ Brevis die XX iunii MDCCXXIV expeditas confirmatum fuerat) emanavit a praedictâ Congregatione cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum praefatae Congregationis quo conceditur facultas erigendi seminarium in provincia.

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, visis relationibus eminentissimi Corsini protectoris et patris procuratoris generalis Ordinis Discalceatorum et Recollectorum, referente eminentissimo Belluga, benigne indulsit ut pater provin-

1 Simile decretum pro provinciâ S. Pauli apostoli Castellaeveteris eorumdem fratrum confirmatum fuit aliâ huius Pontificis const. editâ MDCCXXIV, die 20 iunii, pontif. I.

2 Potius lege *concedi peteret* (R. T.).

1 Potius lege *alumnis* (R. T.).

cialis praefatae provinciae, veris existentibus narratis, ad fundationem praedicti collegii seu seminarii missionariorum in uno ex conventibus eiusdem provinciae sibi et definitorio provinciali beneviso, iuxta formam, praerogativas, privilegia et onera contenta in praecitatis Brevibus sanctae memoriae Innocentii XI, pro suo arbitrio et conscientiâ, servatis servandis, deveniat, immediatâ tamen iurisdictione et electione guardiani ac receptione novitiorum exceptis, quae reservatae intelligantur eidem provinciali, modo supra descripto, et cum expressâ etiam conditione ut religiosi istiusmodi provinciae de uno ad aliud seminarium alterius provinciae transire et guardianus huius seminarii erigendi religiosos aliarum Ordinis provinciarum acceptare minime possint et valeant, firmis ceteroquin, integris et illaesis remanentibus omnibus aliis praerogativis, auctoritatibus et superioritatibus, debitis et competentibus patri ministro generali Ordinis: constitutionibus apostolicis et Ordinis ceterisque contrariis quibuscumque non obstantibus. Romae, VII decembris MDCCXXV. — F. card. PAULUTIUS. P. A. archiep. Larissae secretarius.

Preces procuratoris generalis Discalceatorum.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Ioannes Diaz a Conceptione, sacrae theologiae lector, provinciae S. Didaci in Baeticâ pater, ac Discalceatorum et Recollectorum dicti Ordinis S. Francisci in Romanâ Curiâ procurator generalis, nobis subinde exponi fecit, ipse praemissa, quo firmius subsistant, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret:

Confirmatio relati decreti.

§ 3. Nos, ipsius Ioannis procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, primodictae provinciae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI ianuarii MDCCXXVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 16 ianuarii 1726, pontif. anno II.

CIV.

Conceduntur indulgentiae etiam pro defunctis confraternitatibus B. M. V. de Rosario et SS. Nominis Iesu[1].

Benedictus Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Procemium. Ad ea, per quae animarum christifidelium salus procuratur, libenter intendimus, et eorumdem christifidelium devotionem, ut spiritualibus exercitiis ferventius incumbant, caelestium munerum elargitione libenter fovemus et incitamus.

Concessio variarum indulgentiarum orationi mentali vacantibus. § 1. Itaque de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis fratribus et monialibus Ordinis Praedicatorum, ac Tertiariis de Militiâ Christi seu de Poenitentiâ nuncupatis, et aliis utriusque sexus christifidelibus confratribus et consororibus confraternitatum B. Mariae Virginis de Rosario et SS. Nominis Iesu, tam hactenus in ecclesiis eiusdem Ordinis canonice erectarum, quam in posterum ubilibet erigendarum, qui per quadrantem horae orationi mentali vacaverint, pro qualibet vice centum dies; qui per duos quadrantes continuatos, septem annos de iniunctis eis aut aliàs quomodolibet debitis poenitentiis in formâ Ecclesiae consuetâ relaxamus; iis vero, qui devotioni huiusmodi per duos quadrantes continuatos vel saltem per quadrantem horae singulis diebus et per totum mensem dabunt operam, et vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, ac pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel quolibet mense omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam per modum suffragii animabus christifidelium quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint applicare possint, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, misericorditer in Domino concedimus. Insuper, quod dicti fratres et moniales pro oratione mentali, ad quam ratione eorum regulae et constitutionum quolibet die tenentur, praedictas omnes indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes proportionabiliter lucrari et consequi possint et valeant, auctoritate et tenore praesentium indulgemus.

§ 2. In contrarium facientibus[1] non obstantibus quibuscumque. Praesentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem, quod, si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint; quodque praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur[2] ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. Clausulae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX ianuarii MDCCXXVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 19 ianuarii 1726, pontif. anno II.

CV.

Statuitur, ut eremitae S. Augustini Discalceati quarumdam congregationum

1 Similes indulgentiae concessae fuerunt a Clemente XI confraternitati Conceptionis B.M.V. in ecclesiis fratrum de Mercede civitatis Mexicanae, const. ed. MDCCIII, die 23 iunii, pontif. III.

1 Male edit. Main. legit *facientes* (R. T.)
2 Deest *quae adhiberetur* (R. T.)

in cantu et habitu uniformitatem servent[1].

Benedictus Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Causae huius statuti.

Cum, sicut accepimus, inter dilectos filios fratres Congregationum Italiae, Germaniae, Galliae, Hispaniae, Indiarum et Lusitaniae Ordinis eremitarum S. Augustini Discalceatorum nuncupatorum multiplex et magna diversitas tam circa recitationem divini officii in choro, quod in quibusdam conventibus et regionibus cum cantu seu notâ, in aliis vero sine cantu et notâ celebratur, quam circa habitum regularem introducta sit:

Statutum praedictum motu proprio factum.

§ 1. Nos, ut uniformitas in his omnibus ex commissi nobis caelitus pastoralis officii nostri debito servetur, providere cupientes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, dilectis filiis vicariis generalibus, provincialibus et conventualibus, prioribus, ac universis fratribus Discalceatis Ordinis et Congregationum huiusmodi, ut tam ipsi, quam ceteri omnes et singuli earumdem Congregationum religiosi professi uniformitatem in cantu Gregoriano, rasurâ et caputio rotundo omnino servare teneantur, harum serie praecipimus et mandamus.

Clausulae.

§ 2. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, nec de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu notari, impugnari, infringi, retractari, seu in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci posse, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis et Congregationum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII ianuarii MDCCXXVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 22 ianuarii 1726, pontif. anno II.

CVI.

Erigitur nova provincia in regno Poloniae pro fratribus Discalceatis SS. Tri-

1 Facultas canendi Horas canonicas pro provinciâ Franciae eorumdem fratrum facta fuit a Clemente XI, const. edit. MDCCI, die 29 ianuarii, pontif. I.

nitatis redemptionis captivorum Congregationis Hispaniarum [1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium

Admonet nos suscepti cura regiminis universalis Ecclesiae, ut, paternam christifidelium, qui de fluctibus saeculi in portum vitae religiosae confugerunt, curam gerentes, felici illorum regimini prosperisque in viâ Domini progressibus, quantum nobis ex alto conceditur, consulere studeamus.

Causae erectionis provinciae.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Michaël a S. Iosepho, procurator generalis Ordinis fratrum Discalceatorum SS. Trinitatis redemptionis captivorum Congregationis Hispaniarum, quod, cum praedictus Ordo per regnum Poloniae et magnum ducatum Lituaniae feliciter, benedicente Domino, propagatus reperiatur, itaut in dictis regno et magno ducatu et in eorum praecipuis civitatibus plures conventus, in quibus regularis observantia viget et institutum redemptionis captivorum cum magnâ populorum aedificatione mirifice floret, numerentur, ipse Michaël procurator generalis ex omnibus conventibus intra ditionem eiusdem regni Poloniae existentibus unam provinciam, pro cuius gubernio in proximo generali capitulo iuxta regulam et constitutiones dicti Ordinis unus minister provincialis eligatur, qui eâdem iurisdictione, praerogativis et privilegiis potiri debeat, quibus de iure et consuetudine ceteri aliarum provinciarum ministri provinciales gaudent, summopere desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgeri de benignitate apostolicâ dignaremur.

Erectio praedictae provinciae octo coenobiis compositae sub titulo S. Ioachim.

§ 2. Nos igitur, ipsum Michaëlem procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium [1], qui relationem dilecti filii moderni auditoris venerabilis fratris Vincentii archiepiscopi Trapezuntini, nostri et Apostolicae Sedis apud carissimum in Christo filium nostrum Augustum [2] Poloniae regem illustrem nuncii, super praemissis ad eosdem cardinales transmissam viderunt, et narrata attenderunt, consilio, praedictam provinciam ex octo formalibus conventibus compositam sub titulo S. Ioachim B. M. Virginis genitoris, auctoritate apostolicâ, tenore presentium, erigimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis praedictorum cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici

1 Aliâ huius Pontificis const. edit. MDCCXXV, die 9 iulii, pontif. II, declaratus fuit Ordo B.M.V. de Mercede redemptionis captivorum unus ex Ordinibus Mendicantium.

1 Deest *praepositorum* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *Augustinum* (R. T.).

auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis et Congregationis Trinitariorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII ianuarii MDCCXXVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 22 ianuarii 1726, pontif. anno II.

CVII.

Extenditur in perpetuum indulgentia plenaria pro ecclesiis Ordinis Praedicatorum die festo Omnium dicti Ordinis Sanctorum [1].

**Benedictus episcopus,
ad perpetuam rei memoriam.**

A Clemente XI indulgentia praedicta

§ 1. Aliàs felicis recordationis Clemens Papa XI praedecessor noster, supplicationibus quondam Antonini Cloche, dum vixit, magistri generalis Ordinis fratrum Praedicatorum sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis fratrum et monialium Ordinis S. Dominici, ubique locorum existentibus, die IX novembris, qua solemnitas seu commemoratio omnium dicti Ordinis sanctorum ex indulto Sedis Apostolicae celebrari solet, a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi singulis annis devote visitassent, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concessit, prout in eiusdem Clementis praedecessoris desuper in simili formâ Brevis die XII decembris MDCCXVI expeditis litteris, quas ad decennium tantum valere voluit, uberius continetur.

eiusdem ad decennium concessa fuit.

Extensio in perpetuum praedictae indulgentiae.

§ 2. Nunc autem nos, dum cardinalatus honore fungebamur [1], memores indulgentiam huiusmodi pro primâ vice a felicis memoriae Clemente Papae XI praedecessore pariter nostro tunc ad viginti quinque annos pro omnibus ecclesiis supradictis obtinuisse, precibus dilecti filii Thomae Ripoll magistri generalis Ordinis praedicti nobis humiliter porrectis uberiori paternae charitatis benignitate annuentes, concessionem ab eodem Clemente XI, ipsasque litteras, servatâ tamen ceteroqui illarum formâ et dispositione, in perpetuum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, extendimus et ampliamus, ac perpetuis futuris temporibus valere volumus

1 Clementis XI constitut. ed. MDCCXIII, die XIII ianuarii, pontif. XIII, concessa fuit indulgentia plenaria perpetua pro ecclesiis eiusdem Ordinis in festo S. Pii V; et huius Pontificis constit. ed. MDCCXXVI, die 6 februarii, pontif. II, conceditur indulgentia plenaria perpetua pro semptem feriis sextis praecedentibus festum S. Vincentii Ferrerii.

1 Haec et sequentia dimittimus lectoris correctioni (R. T.).

et decernimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 3. Volumus etiam ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV ianuarii MDCCXXVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 24 ianuarii 1726, pontif. anno II.

CVIII.

Mandatur servari constitutiones apostolicas in favorem canonicorum regularium S. Antonii abbatis editas.

Benedictus episcopus, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ad apostolicae dignitatis apicem, meritis licet imparibus, divinâ dispositione evecti, ea, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ad favorem Ordinum regularium quorumcumque pie provideque emanasse dicuntur, ut firma atque illibata permaneant, apostolici muniminis patrocinio, cum id a nobis petitur, libenter constabilimus.

Causae praesentis constitutionis.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii canonici regulares Ordinis S. Augustini habitus S. Antonii abbatis nuncupati, ac etiam Felix Soler illorum praeceptor generalis, necnon commendatores et superiores domorum omnium et hospitalium dicti Ordinis ac praeceptores in regnis Navarrae, Aragoniae, Cataloniae, Valentiae, Maioricae, Minoricae existentes, quod, ad magis confovenda pietatis opera, eorum Ordini a praedictis[1] Romanis Pontificibus, nempe Bonifacio VIII, Clemente V, Innocentio VI, Gregorio XI, Ioanne XXII, Martino V, Eugenio IV, Calisto III, Sixto IV, Innocentio VIII, Leone X, Clemente VII, Paulo III, Gregorio XIII et Clemente VIII in eorum costitutionibus quamplurima indulta et privilegia concessa fuerunt[1].

Preces eorumdem canonicorum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, iidem exponentes, ne eaedem constitutiones et privilegia in posterum ullam exceptionem pati possint, pro maiori robore et observantiâ, et ad consulendum perpetuae quieti et tranquillitati Ordinis praedicti, omnium eorumdem Romanorum Pontificum praedecessorum constitutionum ad favorem dicti Ordinis S. Antonii abbatis emanatarum, ut praefertur, ac singulorum privilegiorum in illis contentorum, et praesertim illius Clementis Papae VII circa quaestuationem privativam, erigendi altaria eiusdem S. Antonii abbatis, illiusque[2] quae incipit *Rationi congruit*, etc., a Paulo Papae III confirmatae, atque ulterius[3] Gregorii Papae XIII cuius initium *Romani Pontificis*, *etc.*, successive ab eodem Clemente VIII pariter confirmatae, observantiam a nobis demandari summopere desiderent:

Mandatum observandi praefatas constitutiones.

§ 3. Nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis

1 Forsan *pluribus* pro *praedictis* (R. T.).

1 Vocem *fuerunt* nos addimus (R. T.).

2 Edit. Main. habet *illisque* (R. T.).

3 Forsan *alterius* pro *ulterius* (R. T.).

inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, praedictas eorumdem Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones omnino iuxta petita, dummodo sacro Concilio Tridentino non adversentur, ac aliàs ab hac Sanctâ Sede eisdem non fuerit specialiter derogatum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, servari mandamus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae. § 4. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac omnibus et singulis, ad quos spectat et spectabit in futurum, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari debere, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III februarii MDCCXXVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 3 februarii 1726, pontif. anno II.

CIX.

Statuuntur nonnulla pro rectâ iustitiae in almâ Urbe administratione, et litigantium, praesertim pauperum, utilitate [1].

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Summi apostolatus officium, divinitus humilitati nostrae commissum, eam sollicitudinem nobis imponit, ut per antecessorum nostrorum vestigia incurrentes, praeter fructuosam dominici agri culturam, negotia pariter, quae in huius almae Urbis nostrae publicis magistratibus, iudiciariis, tribunalibus et curiis forensibus per notarios, cursores, causarum procuratores et quoscumque actuarios geruntur, incorrupte, sincere et minori quo fieri potest litigantium dispendio et incommodo, maiorique eorumdem tribunalium totiusque generalis Curiae decore atque ornamento peragantur, ut, litibus ad finem optatum perductis, ipsi litigantes ab indebitis vexationibus, assiduisque molestiis atque impensis tandem liberi evadant.

Causae praesentis constitutionis. § 1. Haec nobis cogitantibus, recti viri et iustitiae percupidi per suos libellos supplices, non sine magno animi nostri moerore, significandum curarunt, quorumdam paucorum calliditates, nullo pacto ferendas, eò devenisse ut in easdem forenses curias ac tribunalia urbana, licet probis et spectatis viris frequentia, sensim irrepserint, quae, nisi illis mox occurratur, immodico iustitiae detrimento eò respicere videntur ut litigantes diutissime exagitent, litesque, eorum artibus per varias ambages in foro circumductae dolosis subterfugiis, interminabiles et perpetuae reddantur, itaut exiguam nummorum alteri creditam summam recuperaturus, diuturno iudiciorum gyro irretitus, deque foro in forum translatus, summam sibi debitam longe maiorem impendere, et

[1] Clementis XI const. ed. MDCCI, die I februarii, pontif. I, erecta fuit congregatio sublevaminis Urbis, et huius Pontif. constit. ed. MDCCXXV, die XV, octobris pontif. II, nonnulla statuta fuerunt ad bonum annonae regimen et rei agrariae beneficium.

persaepe, quod dolentes dicimus, a pecuniis et amicis imperatus, ob angustiam rei familiaris in disperationem adactus, iustam causam prorsus deserere et rem suam amittere cogatur.

A Clemente XI cardinalis Mariscottus qui rectae iustitiae administrationi incumberet deputatus fuit.

§ 2. Haec quam dedeceant tabellionum et causidicorum nomina, quibus fides alieni iuris commissa est, serio nos perpendentes, deque fori et curiae urbanae honore solliciti, quae, toto orbe suspiciente, viris integerrimis, scientiâ et probitate conspicuis, sub Pontificibus antecessoribus nostris maxime floruit, ecclesiasticis appellationum causis celerrime expediendis ex universis christianorum provinciis ad eam confluentibus, ne unquam, nobis ipsis videntibus, pauci, suo nomine prorsus indigni, ceterorum probitatem et virtutis famam dehonestare videantur, gliscenti malo consulere decrevimus, cui aliàs felicis recordationis antecessor noster Clemens XI pro suâ sapientiâ consulere studuit. Is enim, ut hac in re publico bono prospiceret fraudesque omnes in damnum litigantium latentes vel emergentes funditus evelleret, suo speciali decreto seu rescripto dato die I decembris anni MDCCII dilectum filium Galeatium S. R. E. tituli S. Laurentii in Lucinâ presbyterum cardinalem Mariscottum nuncupatum, virum canâ fide, iustitiae zelo, rerum usu, ceterisque virtutibus commendatum, deputavit, qui singulas forenses curias et publica officia sedulo inviseret, quemadmodum vigilanti studio nec dispari pietate et religione quindecim mensium spatio praestitisse compertus est.

Statuitur, ut unus cardinalis quolibet decennio eligendus curias iudiciarias visitet et novos in iustitiae administratione abusus tollere satagat.

§ 3. Sed, cum raro contingat ut inter triticum zizania et lolium non pullulent ac succrescant, nos iterum eò rem processisse intelleximus, ut corruptelae postmodum introductae novare media ex pastorali munere nostro vehementissime flagitent. Idcirco, ad reipublicae utilitatem incorruptaeque iustitiae normam sancte custodiendam mentis nostrae oculos paternâ charitate intendentes, praemissorum consideratione, populis imperio S. Petri subiectis, ac quorumcumque litigantium indemnitati et solatio, quantum cum Deo possumus, consulere volentes, motu proprio, ex certâ nostrâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, praesentibus apostolicis litteris nostris decernimus et sancimus, singulis decenniis per nos et successores nostros Romanos Pontifices aliquem ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus doctrinâ et rerum peritiâ insignem deligendum, qui, auctoritate apostolicâ tantae rei necessariâ plenissime instructus, et huic muneri aptus, easdem curias iudiciarias visitet, ac diligentissime recognoscat an decreta et sanctiones de iis bene gerendis per Romanos Pontifices antecessores nostros editae impleantur, novosque abusus, si qui sint, tollere satagat, prout eius prudentia opportunum censuerit.

Quae a praedicto cardinali visitatore peragenda sint.

§ 4. Huiusmodi autem generalem visitationem formalem et materialem omnium et singulorum archiviorum, omniumque et quorumcumque officiorum et curiarum in Urbe existentium, cum facultatibus necessariis et opportunis reformandi, corrigendi, statuendi et decernendi, peragere valeat. Ad haec omnia et singula notariorum cuiuscumque curiae, tribunalis et magistratus, tam ecclesiastici quam saecularis, secretariorum Camerae Apostolicae, cursorum et mandatariorum officia per seipsum visitare, inspicere, sibique omnia exposita et patefacta rimari et contrectare possit, diligentissime exploraturus scripturas, codices et earum forulos et pluteos, ut plene videat, an, eâ qua decet fidelitate, observentur suaeque executioni mandentur ordinationes ab ante-

cessoribus nostris vulgatae, praesertim vero quaecumque idem cardinalis Mariscottus in iam dictâ visitatione suâ observanda mandavit.

Eius officia.

§ 5. Ad eumdem pariter cardinalem visitatorem, nunc et in posterum deputandum, pertinebit extraiudiciales informationes, quibus exacte instruatur, accipere, et quaerere etiam, utrum recursus ad nos facti, eidemque cardinali communicandi, vel alii durante visitatione faciendi, circa quoscumque abusus et defectus in easdem curias introductos vel introducendos, iustitiae et terminationi causarum praesertim pauperum litigantium obfuturos, vere inolescere et existere comperiat. Quos si cardinalis visitator veros esse deprehenderit, vel fortasse alios etiam sine cuiuscumque recursu in rebus iudiciariis vigere observaverit, eidem incumbere volumus, ut, de personis actisque secreto edoctus, unde eiusmodi abusus, debitum iustitiae cursum pro pauperibus litigantibus impedientes, oriantur, eos omnino tollere valeat, decretisque et statutis suis opportunis prospicere ne amplius introducantur, notarios quoque, substitutos, cursores et causidicos, ceterosque in dolo repertos, ad tempus ab officio sine ordine iudiciario et ex conscientiâ informatâ suspendere possit, sique perpetuâ suspensione opus fuerit, de hoc nos vel successores nostros Romanos Pontifices monitos reddat. Quod etiam factum volumus, quotiescumque crimina, quibus gravior poena debeatur, in eâdem visitatione detegentur. Denique cardinalis visitatoris oculata cognitio et circumspecta prudentia nobis nostrisque successoribus suggerere debebit quidquid amplius tanta res pro bono reipublicae et populi nobis commissi tranquillitate postulare videbitur.

Item facultates.

§ 6. Ut autem celerius et expeditius, quo fieri potest, vota nostra iustitiam et aequitatem respicientia suum exitum consequantur, cardinali visitatori facultatem impertimur mandata quaecumque, etiam vivae vocis oraculo ex nobis accepta, illis, ad quos pertinebit, referendi, et oretenus per nos imperata executioni mandandi: quibus relationi et mandatis iussu nostro factis plenam et indubiam fidem ab omnibus adhiberi et firmiter obtemperari, tamquam mandatis nostris apostolicis, omnino volumus et iubemus. Praeterea eidem cardinali, omnium curiarum visitatori, facultatem his litteris nostris concedimus eligendi pro eâdem visitatione materiali et formali alios convisitatores rerum peritos, seu praelatos seu forenses et curiales viros, suo arbitrio, pro diversitate curiarum visitandarum, mutandos; qui convisitatores suffragio consultivo, in rebus et casibus ex arbitrio visitatoris pendentibus, potiantur. Idem etiam cardinalis visitator sibi notarium in munere cancellarii sumat et cursorem, quos ex quacumque curiâ sibi sumendos iudicaverit, eorumque operâ in visitatione utatur ad conscribenda et quibus opus fuerit nuncianda decreta et acta: eosdemque notarium et cursorem pro arbitratu suo mutabit secundum curiarum diversitatem. Item porro notarius et cursor, a cardinali visitatore secum assumpti, exacte et fideliter suum munus in visitatione exequatur[1], pro laboribus suis debitam mercedem accepturi. Tota autem visitatio intra annum compleatur ab initio eius computandum, nobis reservatâ facultate eam prorogandi ut res postulare videbitur.

Cardinalis Petra optimus omnium ad hoc munus eligitur.

§ 7. Iam vero primum huiusmodi visitatorem praemissis facultatibus muneri opportunis instructum, post maturam

1 Aptius *exequantur* (R. T.)

deliberationem, unum ex pluribus per nos putavimus eligendum dilectum filium nostrum Vincentium S. R. E. tituli S. Honuphrii presbyterum cardinalem Petram nuncupatum, virum utrâque iurisprudentiâ eximium, pari animi virtute atque integritate praestantem, rerum experientiâ et consilio apud recolendae memoriae praedecessores nostros utrumque Innocentium XII et XIII, et eo amplius apud Clementem XI, nosque ipsos, in plerisque huius Romanae Sedis gravibus negotiis adhibitum et probatum, quodque hac in re magni refert, olim in curiâ forensi iudicem. Hic ergo auctoritate nostrâ munitus easdem curias visitabit, quaeque corrigenda, emendanda et moderanda censebit, emendare, corrigere et moderari sataget, et litigantium utilitati, iuxta animi nostri sensum, propensamque ad sublevandos populos nostros voluntatem, consulet; volentes, ut, quaecumque ab eodem cardinali visitatore decreta, statuta, emendata, correcta ordinatave fuerint in praemissis, ea inviolabiliter observentur, idemque firmitatis robur obtineant, quod illis inesset si nos ipsi eadem mandavissemus.

Clausulae.

§ 8. Praesentes vero apostolicas litteras nostras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel quovis alio defectu, etiam ex eo quod forsan rem habentes ad id vocati non fuerint, vel ex quacumque aliâ causâ quantumvis legitimâ et iuridicâ, ac etiam necessario exprimendâ, notari, impugnari aut in ius vel controversiam vocari, aut adversus eas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, vel sub quibuscumque aliis constitutionibus et litteris apostolicis in contrarium etiam pari motu et consistorialiter editis vel edendis, aut aliàs quomodolibet contrariis dispositionibus nullatenus comprehendi posse, sed validas et efficaces semper fore et esse volumus, sicque et non aliter per quoscumque iudices, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus eorumdem officiorum, archiviorum et curiarum forensium erectionibus, constitutionibus apostolicis, aliisque earumdem curiarum statutis, consuetudinibus, reformationibus, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, in genere vel in specie, quomodolibet concessis, approbatis et renovatis; quibus omnibus, aliàs in suo robore permansuris, hac vice speciatim et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, pridie nonas februarii, anno dominicae Incarnationis MDCCXXVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 4 februarii 1726, pontif. anno. II.

CX.

Conceditur indulgentia in septem feriis sextis praecedentibus festum S. Vincentii Ferrerii pro ecclesiis fratrum Ordinis Praedicatorum.

Benedictus Papa XIII,

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Concessio indulgentiae plenariae in una

§ 1. Cum, sicut accepimus, in ecclesiis fratrum Ordinis Praedicatorum pia erga

1 Aliâ huius Pontificis const. ed. MDCCXXVI, die 24 ianuarii, pontif. II, extensa fuit in per-

ex praedictis feriis. S. Vincentium Ferrerium, praesertim in septem feriis sextis eiusdem Sancti festum immediate praecedentibus, devotio introducta fuerit, prout de praesenti etiam viget: nos, ad eam confovendam et augendam fidelium religiosorum[1] ac animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris piâ charitate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis dicti Ordinis in unâ ex praedictis feriis sextis per eos ad sui libitum eligendâ devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel in anno omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Concessio aliarum indulgentiarum in reliquis feriis. § 2. In reliquis vero feriis sextis huiusmodi, eisdem christifidelibus vere pariter poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis aliquam ex praedictis ecclesiis ut supra visitantibus et ibidem orantibus, qua feriâ praedictarum id egerint[2], septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis seu aliàs quomodolibet debitis poenitentiis in formâ Ecclesiae consuetâ relaxamus: praesentibus ad septennium tantum valituris.

Clausulae. § 3. Volumus autem, quod, si pro impetratione, praesentatione, admissione seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint; quodque praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV[1] februarii MDCCXXVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 6 februarii 1726, pontif. anno II.

petuum indulgentia plenaria pro ecclesiis eorumdem fratrum in festo Omnium Sanctorum.

1 Forsan *religionem* pro *religiosorum* (R.T).

2 Ed. M. h. *adegerint* pro *id egerint* (R. T.).

CXI.

Extenditur constitutio, super receptione fratrum Praedicatorum Congregationis S. Sabinae in provinciam Lombardiae, ad provincias Romanam et Venetam pro Congregatione S. Marci et S. Iacobi Veneti[2].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Aliàs nos, provinciae Lombardiae Ordinis fratrum Praedicatorum levamini et indemnitati consulere, necnon Congregationis S. Sabinae nuncupatae eiusdem Ordinis, ex diversis dictae provinciae Lombardiae conventibus auctoritate apostolicâ institutae, religiosae tranquillitati prospicere volentes, statuimus et ordinavimus, quod, si deinceps per vicarium generalem ipsius Congregationis S. Sabinae dimitteretur aliquis frater qui e provinciâ Lombardiae praefatâ eiusve conventibus in eamdem Congregationem venisset ac susceptus in eâ fuisset, tunc prior provincialis dictae provinciae Lombardiae illum recipere et in primaevo suae adfiliationis aliove eiusdem provinciae conventu collocare, necnon de tali collocatione vicarium generalem praedictum certiorare teneretur, nisi tamen ageretur de dimissione fratris in praefatâ Congregatione Expositio facti.

1 Edit. Main. ad marg. posuit *6* (R.T.).

2 Praedicta constitutio qua extenditur, edita fuit MDCCXXV, die 5 maii, pontif. I.

recepti, qui ob crimina durante suâ permanentiâ in eiusmodi Congregatione commissa carceribus mancipatus vel de eis inquisitus aut habituali gravique mentis aut corporis infirmitate in eâdem Congregatione contractâ correptus reperiretur, quo casu istiusmodi fratrem, nisi post finitam causam adversus eum instructam per eius absolutionem ex capite innocentiae, vel poenae illi iniunctae implementum, aut sanitatem receptam respective, remitti non posse decrevimus; quo vero ad fratres, qui habitum in supradictâ Congregatione suscepissent, vicarius generalis eis ab ipsâ Congregatione abeundi licentiam concedere illosque dimittere nequiret, nisi prius de invento benevolo receptore in aliquo conventu cuiusvis provinciae praedicti Ordinis fratrum Praedicatorum legitime docuisset; ac hoc modo et cum isto discrimine de cetero in praemissis procedendum esse declaravimus ac praecepimus: et aliàs, prout in nostris in simili formâ Brevis die v maii anni proxime praeteriti expeditis litteris uberius continetur.

Preces magistri generalis pro extensione praefatae constitutionis.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Dominicus Ponsi, sacrae theologiae magister, ac provinciae Romanae Ordinis praedicti exprior provincialis, necnon magistri generalis totius Ordinis pro provinciis Italiae socius, nobis nuper exponi fecit, binae aliae Congregationes, una scilicet S. Marci et altera B. Iacobi Veneti, ex nonnullis provinciarum Romanae et Venetae respective conventibus eiusdem Ordinis adinstar supradictae Congregationis S. Sabinae simili auctoritate apostolicâ erectae vel approbatae reperiantur, ipse vero Dominicus praedictas litteras nostras, ac in eis super dimissione fratrum edicta pro[1] Congregatione S. Sabinae disposita, ad binas Congregationes ac provincias praedictas extendi ac in eis deinceps servari plurimum desideret: nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Annuit Pontifex.

§ 3. Nos igitur, ipsum Dominicum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisve ecclesiasticis sententiis censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, necnon dictarum litterarum nostrarum tenorem et alia quaecumque, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, supradictas nostras litteras ac dispositiones et ordinationes, circa fratrum e memoratâ Congregatione S. Sabinae dimissionem eorumque in aliis conventibus dicti Ordinis collocationem, in ipsis factas, ad Congregationes S. Marci et B. Iacobi Veneti ac Romanam et Venetam provincias praedictas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, extendimus et ampliamus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum

[1] Praeposit. *pro* nos addimus (R. T.).

et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinis, Congregationum ac provinciarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, atque omnibus et singulis, quae in nostris litteris praedictis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII februarii MDCCXXVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 8 februarii 1726, pontif. anno II.

CXII.

Prohibetur regularibus et claustralibus omnibus transitus ad alium Ordinem, praecipue hospitalarium aut militarem, sine peculiari Romani Pontificis licentiâ[1].

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Causae praesentis erectionis. Licet sacra Tridentina Synodus, ut integritati disciplinae regularium prospiceret, provido consilio statuerit, neminem cuiuscumque Ordinis praelatum vel superiorem, vigore cuiusvis facultatis, aliquem ad habitum et professionem admittere posse, nisi ut in Ordine ipso, ad quem transfertur, sub sui superioris obedientiâ in claustro perpetuo maneat; et licet Pius Papa V praedecessor noster constitutionem ediderit, qua omnia privilegia abrogavit, quibuscumque Ordinibus, monasteriis, hospitalibus et locis piis olim concessa, excipiendi et retinendi fratres, monachos, canonicos, aliosque quamvis in Ordine mitiori professos, prohibendo ne illi in posterum ad habitum et professionem regularem admitterentur, etiamsi perpetuo manere et vivere deberent in claustro: nihilominus viri pietate et prudentiâ conspicui nobis exposuerunt, se longâ experientiâ didicisse, nosque ipsi, qui, Deo favente, hac ipsâ die regulare institutum Ordinis Praedicatorum in adolescentiâ professi fuimus et adhuc profitemur, saepe longo usu cognovimus, praedictas sanctiones et cautelas pro rectâ Ordinum regularium disciplinâ adversus calliditatem et malitiam hominum tuendâ parum sufficere. Siquidem quampluries contigit, et in dies contingere videmus, quospiam Ordinis regularis et claustralis institutum professos, deinde, postquam illud apostasiâ deseruerunt, vel etiam aliquando sine apostasiâ, peculiares ob causas, eiusmodi transitus facultatem postulare et impetrare consuevisse a propriis superioribus se privilegium subditis suis regularibus eumdem transitum ad alias religiones concedendi habere iactantibus, vel eiusmodi facultatem sibi dari procurare a S. R. E. cardinalibus legatis, vel ab eiusdem Ecclesiae cardinali maiore poenitentiario, et non raro a nostrae civitatis Avenionensis vicelegato vel ab alterutrâ ex Congregationibus venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et episcoporum et regularium praepositâ et sacri Concilii Tridentini interpretum: quae facultas transeundi ad profitendam regulam alterius religionis, in qua nulla vigeat

1 Aliâ huius Pontificis const. edit. MDCCXXV, die 4 aprilis, pontif. I, decretum fuit ut regulares apostatae ad suos Ordines impune reverti (male edit. Main. legit *teneri* R. T.) possint.

claustralis et regularis observantia, vel in aliam religionem hospitalariam aut militarem, ubi etiam vigeat claustralis et regularis observantia, compluribus decretis earumdem Congregationum et optimo statui Ordinum regularium maxime opponitur.

Prohibitio transeundi ad Ordinem, in quo claustralis et regularis observantia non viget.

§ 2. Quare praecipua sollicitudo nostra erga omnes regularium familias, quas, veluti acies castrorum ad excubias militantis Ecclesiae ordinatas, magno et vere paterno amore complectimur, nos monet, ut praesenti constitutione, in suo pleno robore et vigore perpetuis temporibus duratura, integriori eorumdem regularium disciplinae providentes, praedictam corruptelam evellere studeamus. Itaque omnibus et singulis regularibus, in quocumque regulari et claustrali Ordine professis, transitum ad quemcumque alium Ordinem, in quo claustralis et regularis observantia non vigeat, post maturam hac de re habitam deliberationem, motu proprio et ex certâ scientiâ omnino prohibemus.

§ 3. Transitum etiam ad quemcumque Ordinem hospitalarium vel militarem, vel hospitalarium simul et militarem, etiamsi in huiusmodi Ordinibus claustralis et regularis observantia vigeret, ac etiamsi ageretur de apostatâ vel non apostatâ a primaevo suo Ordine ad eiusmodi alium transire volente, pari modo prohibemus. Insuper quibuscumque superioribus regularium, S.R.E. cardinalibus legatis, eiusdem S. R. E. cardinali maiori poenitentiario, nunciis Apostolicae Sedis, vicelegato Avenionensi, utrique Congregationi cardinalium negociis episcoporum et regularium praepositae sacrique Concilii Tridentini interpretum per praesentes tollimus, revocamus et abrogamus quaecumque privilegia, auctoritates, facultates et consuetudines eiusmodi transitum concedendi cuicumque regulari claustrali apostatae vel non apostatae, quacumque de causâ, quamvis etiam consensus tam superioris, in cuius Ordine antea professus fuerit, quam alterius superioris, in cuius Ordine novam professionem emittere voluerit, accedat.

Uni Pontifici, praeterea nemini, huiusmodi transitum concedendi facultas reservatur.

§ 4. Nobis autem nostrisque successoribus Romanis Pontificibus pro tempore extituris similes concessiones penitus reservamus, itaut in posterum S. R. E. cardinales legati, eiusdem Romanae Ecclesiae cardinalis maior poenitentiarius, nuncii Apostolicae Sedis, vicelegatus Avenionensis, praedictaeque Congregationes in examine libellorum supplicum huiusmodi transitus postulantium hac de re nihil omnino decernere possint, nisi, nostro vel Romani Pontificis pro tempore extituri speciali rescripto, eiusmodi libelli supplices ad illos remissi fuerint: quo rescripto etiam obtento, nihilominus transitus facultatem, etiamsi causae eius concedendi summae viderentur, nullo modo concedere valeant, nisi postquam nobis et pro tempore extituro Romano Pontifici totius rei distincta et accurata relatio facta fuerit, et postquam a nobis ipsis vel a Romano Pontifice pro tempore extituro earumdem causarum pondus approbatum, et transitus facultas concessa fuerit. Eisdem vero praesentibus litteris nostris quoscumque transitus, non observato ad unguem harum tenore imposterum faciendos, nullos, invalidos fore et esse declaramus; Ordinariis locorum concedentes vel ad illos extendentes eamdem facultatem procedendi in eos, qui deinceps, praesenti constitutione non observatâ, ad alium Ordinem transire ausi fuerint, quam Tridentina Synodus Ordinariis concessit in regulares extra monasteria vagantes et crimina committentes.

Clausulae contra subreptionis et obreptionis vitio.

§ 5. Decernimus quoque, praesentes de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel quovis alio defectu notari seu impugnari, aut quacumque ratione, tamquam fortasse contra alias apostolicas canonicasque sanctiones iampridem usu receptas facientes, aut quovis alio quaesito colore, in ius et controversiam vocari, ac ad terminos iuris reduci non posse, sed semper validas, efficaces ac perpetuo duraturas, sicque in praemissis universis et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos et Sedis Apostolicae nuncios, ac causarum palatii apostolici auditores, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi et definiendi facultate et auctoritate, iudicari, interpretari et definiri debere, necnon irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Quocirca mandamus universis locorum Ordinariis, ut, quando, ubi et quoties opus fuerit, easdem praesentes solemniter publicantes, eis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistant: non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac in conciliis etiam generalibus editis quibuscumque; necnon Ordinibus[1] eiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus, illorumque superioribus et fratribus quomodolibet etiam pluries concessis et approbatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

[1] Aptius lege *Ordinum..... statutis* (R. T.).

Sanctio poenalis.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae sanctionis, prohibitionis, decreti, mandati, voluntatis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVI, idibus februarii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 13 februarii 1726, pontif. anno II.

CXIII.

Statuitur ut Minores de Observantiâ semper et ubique praecedentiâ super Reformatos gaudere debeant[1].

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Pastoralis officii nobis divinitus iniuncti sollicitudo nos admonet, ut omni curâ ac studio ad ea iugiter intendamus, per quae christifidelium sub suavi arctioris religionis iugo mancipatorum, uberesque bonorum operum fructus, benedicente Domino, proferre iugiter satagentium, quieti et tranquillitati consulitur, et, quae religiosum eorum pro-

[1] De praecedentiâ in processionibus canonicorum regularium Lateranensium Ordinis sancti Augustini supra omnes, vide huius Pontificis constit. edit. MDCCXXVII, die 21 iunii, pontif. IV.

positum turbare possunt, removentur, ut, nullâ re praepediti, ac sublatis animorum dissidiis et aemulationibus, iuxta regularia suorum Ordinum instituta, in pacis amoenitate gratum Altissimo impendant famulatum, felicioribusque in dies in viâ Domini proficiant incrementis.

Minores de Observantiâ antiquitus semper ceteris omnibus praecedere consuevere.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, tametsi fratres Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ, Excalceati, Recollecti ac Reformati respective nuncupati, unicum corpus religionis ac Ordinem insimul constituant, atque sub uno eodemque capite et ministro generali, etsi sub diversis constitutionibus in Ecclesiâ Dei militent, antiquus tamen usus ac generalis prope consuetudo invaluit, ut ipsi fratres de Observantiâ, ubique nedum in Galliarum, Hispaniarum, Portugalliae et Algarbiorum regnis, ac universâ Germaniâ, verum et in hac almâ Urbe nostrâ et reliquâ passim Italiâ, ubi felicis recordationis Gregorii XIII praedecessoris nostri constitutio super praecedentiâ edita maxime viget, eosdem fratres Excalceatos, Recollectos et Reformatos in processionibus aliisque tum privatis tum publicis actibus et functionibus quibuscumque, nullâ habitâ ratione maioris vel minoris antiquitatis suorum conventuum, praecedant, solumque aliquot ab hinc annis pro parte dictorum fratrum Reformatorum nonnullae quaestiones super eiusmodi praecedentiâ memoratis fratribus de Observantiâ in quibusdam Italiae provinciis motae fuerunt, sub obtentu quod quidam eorum conventus tempore et fundatione illius fratrum de Observantiâ forent priores, licet in reliquis eiusdem Italiae provinciis fratres de Observantiâ praedicti praecedentiam praefatam pacifice obtineant, etiamsi eorum conventus post alios fratrum Reformatorum inibi erecti reperiantur:

Statutum praedictum cum poenis in contravenientes.

§ 2. Nos, considerantes eiusmodi controversias inter fratres dicti Ordinis, qui vota sua in spiritu humilitatis et paupertatis Domino exhibere profitentur, minime decere, ac turbas in eumdem Ordinem, non sine scandalo ac mutuae[1] inter eos charitatis detrimento, invehere posse, adeoque illas omni ratione recidere, unamque ac certam hac in re formam ab omnibus fratribus Reformatis praedictis servandam praescribere volentes, necnon Gregorii praedecessoris litterarum praedictarum tenorem, et alia quaecumque, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et exacte specificatis habentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, quascumque causas, lites seu controversias, inter fratres de Observantiâ et Reformatos praedictos super praecedentiâ praefatâ ubilibet et coram quibusvis iudicibus quomodolibet motas ac pendentes, ad nos harum serie advocamus, illasque penitus et omnino extinguimus ac supprimimus, et perpetuum desuper silentium imponimus. Utque deinceps idem usus ac mos, qui in Urbe praefatâ ac alibi inter fratres de Observantiâ et Reformatos servatur ac retinetur, in universâ Italiâ observari et retineri debeat, quod scilicet dicti fratres de Observantiâ ubique in processionibus aliisque actibus, tam publicis quam privatis, digniorem et honorabiliorem locum obtineant, ac ipsos fratres Reformatos praecedant, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, tenore praesentium, statuimus et ordinamus; districte in virtute sanctae obedientiae, et sub excommunicationis maioris latae

1 Pessime edit. Main. legit *maturae* pro *mutuae* (R. T.).

sententiae eo ipso per contrafacientes incurrendâ poenâ, omnibus et singulis fratribus Reformatis Ordinis praedicti nunc et pro tempore existentibus inhibentes, ne deinceps super praemissis eorumve occasione fratres de Observantiâ huiusmodi molestare, inquietare, perturbare, aut quoquo modo impedire audeant vel praesumant; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et alios quoscumque auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Exequutorum deputatio.

§ 3. Quocirca venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis locorum Ordinariis per praesentes motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel eorum quilibet, per se, vel alium, seu alios, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictorum fratrum de Observantiâ fuerint requisiti, eis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ praemissa iuxta praesentium continentiam et dispositionem observari, contradictores quoslibet et rebelles ac praemissis non parentes per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

Non obstantibus dicti Gregorii praedecessoris litteris, ac nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinis ac fratrum Reformatorum praedictorum, illorumque conventuum, domorum et locorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam per modum statuti perpetui, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam et ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem quod praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique tam in iudi-

cio quam extra illud adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV februarii MDCCXXVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 14 februarii 1726, pontif. anno II.

CXIV.

Declarantur nulla gesta per saecularem potestatem in ducatu Sabaudiae adversus monasterium S. Bernardi in Valesiâ Ordinis canonicorum regularium S. Augustini [1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium ab officio sarta tecta vindicandi iura ecclesiarum.

In sublimi Sedis Apostolicae speculâ meritis licet imparibus constituti, ecclesiasticam libertatem et immunitatem, aliaque ecclesiarum, monasteriorum, hospitalium, conventuum ac locorum piorum quorumlibet, illorumque personarum iura ubique sarta tecta tueri ac adversus quaecumque, per quae illis aliquid detrimenti inferri possit, traditâ nobis divinitus auctoritate vindicare tenemur, sicut, omnibus maturae considerationis trutinâ perpensis, aequitati et iustitiae rectoque ordini consentaneum esse in Domino arbitramur.

Multa per saecularem potestatem adversus personas et bona praedicti monasterii patrata fuere.

§ 1. Cum itaque, sicut ad apostolatus nostri notitiam, non sine intimo animi nostri moerore pervenit, multa aliquot ab hinc annis per saecularem potestatem in ducatu Sabaudiae ac Pedemontii principatu adversus personas et bona monasterii seu hospitalis magni S. Bernardi nuncupati in Valesiâ Ordinis canonicorum regularium S. Augustini non minus temere quam nulliter attentata fuerint, ac novissime eadem saecularis potestas eò audaciae devenerint, ut dilectum filium Ludovicum Bonifacium, modernum ipsius monasterii seu hospitalis praepositum, priusquam eiusmodi praepositurae possessionem apprehendere posset, ad praestandum sibi fidelitatis indebitum iuramentum, necnon ad dictam praeposituram tamquam de iurepatronatus eiusdem saecularis potestatis recognoscendam induxerit, seu verius vi metuque compulerit; quibus exactis, tum demum praedicto Ludovico Bonifacio permisit ut possessionem praepositurae praefatae, quam eatenus assequi nequiverat, adipisceretur:

Declarantur praedicta omnia attentata nulla nulliusque roboris esse.

§ 2. Porro, quamvis explorati iuris sit, ea omnia, quae in praeiudicium ecclesiarum ac personarum ecclesiasticarum, earumque immunitatis, praesertim a laicis quovis modo patrantur, nullius prorsus esse roboris ac momenti, ac tam iuramentum fidelitatis quam recognitiones[1] asserti iurispatronatus per dictum Ludovicum Bonifacium emissa, seu potius ab eâ extorta, nullum plane ius aut titulum ipsi saeculari potestati tribuere, minusque eiusdem monasterii seu hospitalis libertati aliquid detrahere posse, adeoque illa speciali improbatione et cassatione nostrâ nequaquam indigere; nihilominus, ne in tam apertâ iurium ecclesiasticorum oppugnatione torpescere videamur, ac monasterii seu hospitalis praefati indemnitati peramplius consulere volentes, necnon omnium et singulorum, quae in praemissis seu eorum occasione quovis modo gesta fuerunt, series, causas et circumstantias, etiam aggravantes, aliave

1 Innocentii XIII const. edit. MDCCXXII, die 27 martii, pontif. I, declaratum fuit nullum decretum senatus Lucernae super moderatione expensarum pro monialibus; et huius Pontificis const. edit. MDCCXXVIII, die 25 septembris, pontif. V (quae infra suo ordine legitur) annullatur constitutio ordinum regni Poloniae contra nuncium et nunciaturae libertatem

1 Aptius lege *recognitionem* (R. T.).

quaecumque, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et exacte specificatis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula in praemissis, seu eorum occasione, per dictam saecularem potestatem adversus bona et personas monasterii seu hospitalis praedicti quovis modo decreta, acta, gesta et attentata, necnon iuramentum fidelitatis eidem saeculari potestatis a memorato Ludovico Bonifacio praeposito praestitum ac quamcumque recognitionem asserti insispatronatus, per eum, sicut praemittitur, facta, cum inde secutis et forsan quandocumque secuturis, penitus et omnino nulla, irrita, invalida, iniusta, damnata, reprobata et a non habentibus potestatem de facto praesumpta, nulliusque plane roboris, momenti vel efficaciae ab initio fuisse et esse, ac perpetuo fore, neminemque ad illorum observantiam teneri, imo nec illa ullatenus observari posse aut debere, neque ex illis cuiquam aliquod ius vel actionem aut titulum etiam coloratum, vel possidendi ac praescribendi causam, acquisitum fuisse nec esse, minusque ullo tempore acquiri vel competere posse, neque illa ullum statum facere vel fecisse, sed, perinde ac si nunquam emanassent nec factae[1] fuissent, pro non extantibus et non factis perpetuo haberi debere, tenore praesentium decernimus et declaramus.

Bona et iura praefati monasterii in integrum restituuntur.

§ 3. Et nihilominus, ad maiorem et abundantiorem cautelam et quatenus opus sit, illa omnia et singula motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus et abolemus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac, quatenus itidem opus sit, dictum monasterium seu hospitale, illiusque praeposituram, ac bona et iura, ac illorum respective personas quascumque adversus illa in integrum et pristinum ac eum in quo antea quomodolibet erant statum restituimus, reponimus et plenarie reintegramus.

Decernuntur firmae censurae quas incurrerunt administri saecularis potestatis ob praedicta attentata.

§ 4. Firmas praeterea ac salvas esse volumus atque decernimus quascumque censuras et poenas ecclesiasticas, quas eiusdem saecularis potestatis administri, qui praemissa perpetrarunt, mandarunt vel rata habuerunt, seu in eis auxilium, consilium vel favorem quomodolibet praestiterunt, cuiusvis praeeminentiae et dignitatis fuerint, propter eadem praemissa quovis modo incurrerunt; facultate quoque nobis et Sedi Apostolicae expresse reservatâ, quatenus illi minime redierint ad cor, suis loco et tempore adversus illos ad alia canonica et severiora remedia procedendi.

Clausulae.

§ 5. Decernentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, etiam specificâ et individuâ mentione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ qualibet etiam quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs[1], aliove quolibet etiam quantumvis

1 Aptius lege *facta* (R. T.).

1 Ed. Main. legit *consensu* (R. T.).

magno et substantiali ac incogitato et inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in[1] universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, legibus quoque etiam imperialibus et municipalibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, aut quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, etiam quantumvis sublimibus et specialissimâ mentione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis ac pluries iteratis et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, insererentur et exprimerentur, iisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 7. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur

[1] Praeposit. *in* nos addimus (R. T.).

ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX februarii MDCCXXVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 19 februarii 1726, pontif. anno II.

CXV.

Confirmantur et ampliantur quaedam privilegia canonicorum metropolitanae Lucensis quoad insignia [1].

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Romanus Pontifex, in supremo apostolicae potestatis throno, disponente Domino, super universas orbis ecclesias constitutus, ad illas praesertim suae indefessae mentis aciem convertit, ut divinus cultus in eis, ut par est, in dies suscipiat incrementum, ecclesiarumque ipsarum maiestas magis elucescat, singulari suae benignitatis clementiâ, quantum sibi ex alto conceditur, personas in eis Altissimo famulantium speciosioribus ornamentis et honorum titulis decorare atque illustrare consuevit, aliaque disponit, prout, ecclesiarum et personarum earumdem qualitate pensatâ, conspicit in Domino salubriter expedire.

Canonicis praedictis usus mitrae ad instar S. R. E. cardinalium iampridem concessus fuerat. § 1. Cum itaque, sicut accepimus, aliàs ecclesiam Lucanam, quae singularibus insignita praerogativis et conspicuis ornamentis et honorum titulis decorata praefulget, felicis recordationis Iulius Papa III praedecessor noster (extendendo et ampliando litteras apostolicas Lucii III, Alexandri etiam III, ac Martini V Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, in quibus praedecessores huiusmodi, quod tunc existentes capitulum et canonici praefatae ecclesiae Lucanae, eorumque successores, in certis tunc expressis anni solemnitatibus, pluvialibus induti, dum divinis inservirent, mitram albam sericeam, ad instar venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, gestare possent, respective concesserant) quampluribus aliis privilegiis et gratiis decoraverit, et inter alia eisdem capitulo et canonicis, quod ipsi capitulum [1] (etiam in Paschatis Resurrectionis dominicae ac Pentecostes et Nativitatis domini nostri Iesu Christi, Omniumque Sanctorum, ac singulis B. Mariae Virginis respective festis diebus, seu quoties eos processionaliter aut capitulariter vel ad aliquas ecclesias civitatis Lucanae in quibusdam ecclesiarum ipsarum solemniis, prout moris est, accedere, sive in dictâ ecclesiâ Lucanâ festa duplicia et sanctorum corporum in illâ degentium solemnia per eos celebrari, seu unum eorum per quem missam [2] decantari aut in celebratione vesperarum pluviale induere contigisset), ad eorum libitum, ac modis et formis per praefatos praedecessores seu alterum eorum concessis, seu aliàs prout dictis capitulo et canonicis expediens et condecens esse visum fuisset, eâdem mitrâ uti libere et licite possent et valerent, apostolicâ auctoritate perpetuo per alias eiusdem Iulii praedecessoris litteras apostolicas etiam concesserit et indulserit: ac aliàs, prout in singulis litteris huiusmodi desuper tunc confectis plenius continetur:

§ 2. Nos, qui ecclesiarum omnium praesertim cathedralium privilegia, ad Confirmatio praedicti indulti.

1 Aliâ huius Pontificis constit. ed. MDCCXXV, die maii VIII, pontif. I, concessus fuit usus mitrae aliorumque insignium canonicis metropolitanae Capuanae.

1 Deest *et canonici* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *missa* (R. T.).

hoc ut divinus[1] cultus in[2] illis decentius et honorificentius peragatur, sarta tecta persistere, quin imo illa augere concupiscimus, attendentes eiusdem ecclesiae Lucanae conspicuitatem, ac dictae ecclesiae Lucanae illiusque capituli et canonicorum praefatorum decori consulere ac eosdem capitulum et canonicos amplioris gratiae favore prosequi volentes, ipsosque, et eorum singulares personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio, non ad eorum vel aliquorum super hoc pro eorum parte nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ merâque deliberatione ac liberalitate nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, concessiones et indulta favore capituli et canonicorum, per praefatos praedecessores ut praefertur emanatas et emanata, et super illis eorumdem praedecessorum desuper ut praefertur expeditas litteras, illarum tenores etiam veriores praesentibus pro plene et sufficienter ac de verbo ad verbum expressis habentes, apostolicâ auctoritate praefatâ etiam perpetuo confirmamus et approbamus, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper in concessionum et indultorum huiusmodi obtentu forsan quomodolibet intervenerint, apostolicâ auctoritate praefatâ plenarie supplemus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus. Ac insuper concessiones et indulta huiusmodi, per nos, ut praefertur, confirmatas et approbatas, ac confirmata et approbata, in praefatis praedecessorum huiusmodi litteris, ut praefertur, expressas et expressa, pro praefatis capitulo et canonicis (videlicet, quod post pontificalem maiorem, ac secundam, tertiam ac quartam in praefatâ ecclesiâ Lucanâ dignitates respective obtinentes, ac omnes et singuli canonici eiusdem ecclesiae Lucanae, etiam nunc et pro tempore existentes, de cetero perpetuo futuris temporibus in praefatis anni festivitatibus et aliis temporibus ac ecclesiasticis functionibus in praefatis litteris praedecessorum huiusmodi expressis, etiam absente episcopo, usu omnium pontificalium, ac omnibus insignibus abbatialibus, ac cruce, annulo et baculo, aliisque paramentis et indumentis, ad instar abbatum usum mitrae et baculi habentium, gaudere, necnon in suis armis et insigniis mitram et baculum apponi facere et addere, necnon populum inter missarum et divinorum officiorum huiusmodi aliarumque ecclesiasticarum functionum praefatarum solemnia, de consensu tamen Ordinarii, benedicere, prout dicti abbates, usum mitrae et baculi habentes, supra populum solemnem benedictionem impertiri solent, libere et licite possint et valeant, seu quilibet eorum possit et valeat) dictâ apostolicâ auctoritate etiam perpetuo extendimus et ampliamus, et, quatenus opus sit, praemissa omnia de novo concedimus et indulgemus, ac facultatem et licentiam desuper impartimur.

Ampliatio praedicti privilegii ad omnia insignia abbatum usum mitrae et baculi habentium.

§ 3. Ac capitulum, dignitates et canonicos praefatos, eorumque successores super concessione huiusmodi per quaecumque capitula quarumcumque aliarum ecclesiarum patriarchalium, archiepiscopalium vel primatialium et episcopalium, et quasvis personas, quavis auctoritate, dignitate et praeeminentiâ praeditas, quovis praetextu, colore vel

Clausulae [illegible]

1 Male edit. Main. legit *divini* (R. T.).
2 Praeposit. *in* nos addimus (R. T.).

ingenio, publice vel occulto, directe vel indirecte impediri, molestari, inquietari vel perturbari nullatenus posse neque debere, praesentes quoque semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos quomodolibet nunc spectat et spectabit in futurum, firmiter et inviolabiliter observari debere, ac nullo unquam tempore, ex quocumque capite vel qualibet causâ, quantumvis legitimâ et iuridicâ, etiam ex eo quod capitula cathedralium et collegiatarum ecclesiarum quarumlibet, earumque dignitates et canonici, vel quilibet alii, cuiuscumque dignitatis, ordinis, gradus, conditionis et praeeminentiae sint, in praemissis et circa ea quomodolibet et ex quavis causâ, ratione, actione vel occasione ius vel interesse habentes vel habere praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi fuerint, vel imo contradicturi sint, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis seu invaliditatis vitio, vel intentionis nostrae, aut quolibet alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, inexcogitabili ac specificam et individuam mentionem et expressionem requirente defectu, aut ex quocumque alio capite, a iure vel facto aut statuto vel consuetudine aliquâ resultante, aut quocumque alio colore, praetextu, ratione vel causâ, etiam in corpore iuris clausâ, occasione, aliâve causâ, etiam quantumvis iustâ, rationabili, legitimâ, iuridicâ, piâ, privilegiatâ, etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret [1], aut quod de voluntate nostrâ et aliis superius expressis nullibi appareret seu aliàs probari posset, notari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu simili concesso aut impetrato vel emanato uti seu se iuvare in iudicio vel extra posse, neque ipsas praesentes sub quibuscumque similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisve contrariis dispositionibus, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, et Sedem Apostolicam, etiam motu pari et consistorialiter, ex quibuslibet causis, et sub quibusvis verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiamsi de eisdem praesentibus earumrumque toto tenore ac datâ [1] specialis mentio fiat, pro tempore factis et faciendis, ac concessis et concedendis, comprehendi, sed, tamquam ad maius divini cultus augumentum tendentes, omnino ab illis excipi, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ, per nunc et pro tempore existentes dictae ecclesiae Lucanae capitulum, dignitates et canonicos praefatos quandocumque eligendâ, concessas esse et fore, sicque et non aliàs per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac praefatae S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, aliosque quoscumque quavis auctoritate, potestate, praerogativâ et privilegio fungentes, ac honore et praeeminentiâ fulgentes, sublatâ eis et eorum cuilibet

1 Edit. Main. legit *forent* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *datae* (R. T.).

quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quocumque iudicio et quacumque instantiâ iudicari et definiri debere, irritumque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, dictâ apostolicâ auctoritate decernimus.

Committitur episcopo Lucano exequutio praedictorum.

§ 4. Quocirca venerabili fratri nostro episcopo Lucano motu simili per apostolica scripta mandamus, quatenus ipse, per se, vel alium, easdem praesentes et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte nunc et pro tempore existentium praefatorum capituli, dignitatum et canonicorum dictae ecclesiae Lucanae fuerit requisitus, solemniter publicans, eisque in praemissis efficacis defensionis auxilio assistens, faciat auctoritate nostrâ illa omnia integraliter et inviolabiliter observari, ac nunc et pro tempore existentes capitulum, dignitates et canonicos praefatos indulto, confirmatione, approbatione, defectuum suppletione, roboris adiectione, extentione et ampliatione, ac novis concessione et indulto, licentiae et facultatis impartitione, ac decreto, aliisque praemissis, pacifice frui et gaudere iuxta earumdem praesentium continentiam et tenorem, non permittens quemquam eorum per quoscumque desuper quomodolibet molestari, impediri vel perturbari, contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, ceteraque iuris et facti remedia opportuna, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque desuper his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam saepius et quoties expediens videbitur aggravando et reaggravando, servatâ tamen formâ Concilii Tridentini, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae generales.

§ 5. Non obstantibus quibusvis legibus, statutis, consuetudinibus et prohibitionibus, si quae forsan adsint, de gratiis ad instar non concedendis, ac etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis et edendis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae ecclesiae Lucanae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis et singulis tenoribus, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, habenda sit in nostris litteris mentio specialis, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse motu pari derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter aut divisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Sanctio poenalis.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, confirmationis, approbationis, defectuum suppletionis, roboris adiectionis, extensionis et ampliationis, ac novorum concessionis et indulti, licentiae et facultatis impartitionis, decreti, mandati et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVI, XV kalendas martii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 15 februarii 1726, pontif. anno II.

CXVI.

Supprimitur ecclesia parochialis B. Gregorii ad Pontem Quatuor Capitum de Urbe, eiusque fructus et iura uniuntur ecclesiae B. Angeli in Foro Piscium; ipsaque ecclesia Congregationi Divinae Pietatis adsignatur [1].

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Ex debito pastoralis officii nostri sedulo vigilare nos convenit, ne ob rerum temporalium inopiam divinus cultus minuatur, in iis praecipue qui curam animarum exercent.

Causae impellentes Pontificem. § 1. Nuper enim parochialem ecclesiam B. Gregorii de Urbe, ad Pontem Quatuor Capitum nuncupatam, nos ipsi visitantes, haud modicâ animi nostri perturbatione eam deprehendimus in deplorabili statu positam, sacrâ supellectile aliisque divino cultui rite peragendo necessariis ornamentis destitutam, dilectumque filium Decium Felicem Vasti, modernum illius rectorem et possessorem, aetate gravem et congruis redditibus carentem tanto oneri plane imparem. Quare animarum curae eâ qua par est vigilantiâ per deputationem idonei vicarii sive oeconomi sollicite consulendum curavimus, donec aliter pro tutiori animarum salute opportune provideremus. Itaque, nobiscum seriâ meditatione cogitantes, quod, si parochialis ecclesia praedicta, quae, ut praefertur, tenuis redditus et angusta, ac saecularis et collegiatae ecclesiae B. Anastasiae pariter de Urbe filialis est, perpetuo supprimeretur et omnino extingueretur, prorsus dismembratâ et separatâ ab huiusmodi parochiali ecclesiâ animarum curâ, sicque abdicata et separata ad aliam ex vicinioribus ecclesiis iuxta providam Tridentini Concilii dispositionem transferretur, procul dubio inconvenientia huiusmodi magno parochianorum bono tollerentur[1] et animarum cura nullatenus frigesceret; in hanc deliberationem maturo consilio devenimus ut iam dictam parochialem ecclesiam beati Gregorii suppprimeremus et extingueremus, cuius fructus, et illi forsan annexorum redditus et proventus, etiam cum incertis, annuum valorem septuaginta ducatorum auri de Camerâ, secundum communem aestimationem, ut accepimus, non excedunt.

§ 2. Dictis ergo aliisque iustis de causis nobis optime notis animumque nostrum moventibus, motu proprio et ex certâ scientiâ deque apostolicae potestatis plenitudine, eamdem parochialem ecclesiam B. Gregorii, eiusque titulum collativum, ac denominationem, essentiam et statum parochialem, tenore praesentium, perpetuo supprimimus et extinguimus, ac eam unâ cum illius titulo et denominatione, essentiâ et statu huiusmodi perpetuo suppressam et extinctam fore et esse decernimus et declaramus, ac omnimoda[2] animarum illius parochianorum curam aliaque iura, officia et onera parochialia universa, et illorum exercitium, a dictâ parochiali ecclesiâ B. Gregorii, per nos, ut praefertur, suppressâ et extinctâ (ita ut dictus Decius Felix, quem dictâ parochiali ecclesiâ B. Gregorii per nos Ecclesia parochialis B. Gregorii supprimitur ut in rubricâ.

1 Aliâ huius Pontificis constit. ed. MDCCXXIX, die 2 martii, pontif. V, reintegratur ecclesia S. Eustachii Urbis in possessionem capellae S. Michaëlis, cum revocatione concessionis collegio procuratorum Urbis aliâs factae.

1 Edit. Main. legit *tolleretur* (R. T.).

2 Vel *omnimodam*, vel postea *curae* (R. T.).

ut praefertur suppressâ et extinctâ perpetuo privamus, ac privatum esse decernimus et declaramus, illa deinceps exercere, aut se quomodolibet in illius res temporales et spirituales intromittere nullatenus debeat), motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, perpetuo abdicamus et abdicatum[1] esse volumus, decernimus et declaramus.

Eiusdemque fructus et iura uniuntur ecclesiae B. Angeli in Foro Piscium.

§ 3. Eiusdemque parochialis ecclesiae B. Gregorii, per nos, ut praefertur, suppressae et extinctae, bona, domos, earumque pensiones, proprietates, canones, pretaticum hebraeorum, fructus quoque, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque, ad dictam parochialem ecclesiam B. Gregorii, ut praefertur, suppressam et extinctam quomodolibet et qualitercumque spectantia, et undecumque, etiam ex praefato exercitio curae animarum provenientia, quaeque ratione parochiae et iurium parochialium huiusmodi in futurum spectare et obvenire poterunt, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo separamus et dismembramus; ac illa omnia et singula sic abdicata et separata, omnesque eius parochianos utriusque sexus, ad vicariam perpetuam, cui cura animarum incumbit, dilectorum etiam filiorum parochianorum saecularis et collegiatae ecclesiae B. Angeli in Foro Piscium pariter nuncupatae de Urbe, quae vicina et contermina, ac etiam parochialis et baptismalis est, similiter perpetuo transferimus, itaut parochialis ecclesiae B. Gregorii per nos ut praefertur suppressae et extinctae parochiani huiusmodi ad dictam collegiatam et parochialem ecclesiam B. Angeli pro ecclesiasticis sacramentis recipiendis missisque et aliis divinis officiis audiendis deinceps accedere, ac infrascripto vicario iura parochialia solvere, et vicarius perpetuus dictae collegiatae et parochialis ecclesiae B. Angeli in Foro Piscium huiusmodi, nunc et pro tempore existens, curam animarum parochianorum huiusmodi exercere, ac illis sacramenta administrare, ceteraque officia et munera parochialia dictae parochialis ecclesiae B. Gregorii, sic, ut praefertur, suppressae et extinctae, subire et supportare, respective possit et debeat, ac etiam teneatur; eidemque vicariae B. Angeli in Foro Piscium huiusmodi omnia et singula dictae parochialis ecclesiae B. Gregorii, per nos, ut praefertur, suppressae et extinctae, bona, domos, illarumque pensiones, canones, pretaticum, census, responsiones, fructus, redditus, proventus, obventiones et emolumenta quaecumque, praesentia et futura, tam certa quam incerta, maiora et minora, etiam ratione stolae, exercitii curae animarum, administrationis sacramentorum, ac sepulturae, officiorum, funeralium, mortuariorum et anniversariorum, et in quibusvis aliis rebus consistentia (alias vicariae praedictae B. Angeli in Foro Piscium translationes, uniones et assignationes quomodolibet hactenus forsan factas praesentibus pro expressis habentes), motu, scientiâ et auctoritate praedictis, perpetuo unimus, annectimus et incorporamus, et, praeter assignatam congruam portionem aliaque solita emolumenta, ipsius vicarii eiusque in dictâ vicariâ B. Angeli in Foro Piscium successorum[1], per eos propriâ auctoritate percipienda, exigenda et levanda, ac in suos usus et utilitatem, ac pro supportandis oneribus parochialibus primodictae parochialis eccclesiae B. Gregorii, per nos, ut praefertur, suppressae et extinctae,

1 Potius lege *abdicatam* vel *abdicata*, nempe *curam animarum*, vel *iura* (R. T.).

1 Potius *ipsi vicario eiusque ... successoribus* (R. T.).

convertenda, similiter perpetuo assignamus, applicamus et appropriamus.

Exemptio a solutione mediae annatae et quindennii Camerae Apostolicae.

§ 3. Ac eumdem vicarium B. Angeli in Foro Piscium, nunc et pro tempore existentem, necnon, quatenus opus sit, dictum Decium Felicem, a quacumque solutione mediae annatae, ad quam idem Decius Felix ratione infrascriptae assignationis, necnon etiam mediae annatae et quindennii, ad quam et quod idem vicarius B. Angeli in Foro Piscium nunc et pro tempore existens, ratione praedictae unionis aliorumque praemissorum, teneri et obligati esse dici possent, et a quacumque obligatione desuper Camerae nostrae Apostolicae et illius officialibus faciendâ, penitus eximimus et totaliter liberamus, et ad annatam et quindennium huiusmodi solvendum et se desuper obligandum minime teneri, neque ad id per Cameram seu illius officiales praefatos aut alios quoscumque ullo unquam tempore cogi vel compelli, et ob non solutionem seu obligationem huiusmodi desuper a quoquam quovis praetextu, colore vel ingenio molestari aut inquietari minime posse, neque debere, volumus pariter atque decernimus. Mandantes propterea omnibus et singulis officialibus, depositariis, commissariis, et aliis pro dictâ Camerâ nostrâ agentibus, necnon omnibus illis, ad quos earumdem praesentium expeditio quomodolibet spectat et pertinet, quatenus, visis eisdem praesentibus, nulloque alio a nobis expectato mandato, easdem praesentes absque ullâ solutione annatae et quindennii, vel obligatione desuper faciendâ, expediant et relaxent.

Pensio congrua ad vitam rectori ecclesiae suppressae B. Gregorii assignatur, quae post eius mortem accrescat vicariae B. Angeli cum onere de sibi idoneo coadiutore providendo.

§ 4. Cum hoc tamen quod praedictus vicarius B. Angeli in Foro Piscium, nunc et pro tempore existens, eidem Decio Felici, aliunde non habenti unde commode vivere possit, ex primodictae parochialis ecclesiae B. Gregorii, per nos ut praefertur suppressae et extinctae, fructibus, redditibus et proventibus, scuta centum monetae romanae pro eiusdem Decii Felicis congruâ sustentatione, quoad vixerit, annuatim de bimestri in bimestre persolvere; qui tamen fructus pro dictâ portione scutorum centum monetae post eiusdem Decii Felicis obitum integre etiam accrescant vicariae praedictae B. Angeli in Foro Piscium, eique pariformiter ex nunc pro tunc, eveniente obitu praefati Decii Felicis, assignati, applicati et appropriati sint et esse intelligantur et censeantur; et augmento huiusmodi secuto, volumus, ut portio congrua a dilectis etiam filiis capitulo et canonicis dictae collegiatae ecclesiae B. Angeli in Foro Piscium solvi solita et aliàs assignata in constitutione Pii PP. V praedecessoris nostri, aliaque emolumenta, quibus dictus vicarius B. Angeli in Foro Piscium ad praesens gaudet, in nihilo diminuatur. Praefatus autem vicarius B. Angeli in Foro Piscium tunc et in eo casu, videlicet secuto eiusdem Decii Felicis obitu, de coadiutore idoneo, et ad curam animarum exercendam a dilecto filio nostro in Urbe eiusque districtu vicario in spiritualibus generali examinato et approbato, qui ad nutum dicti vicarii B. Angeli in Foro Piscium amovibilis sit, ac ipsum vicarium B. Angeli in Foro Piscium in exercitio curae animarum illi incumbentis, et praesertim parochianorum infra limites, ubi de praesenti parochia B. Gregorii existit, pro tempore habitantium, coadiuvet cum congruâ mercedis assignatione non minore iuliis viginti monetae singulis mensibus, providere, ipsoque providere recusante aut negligente, idem vicarius noster vel eius vicesgerens coadiutorem huiusmodi sumptibus dicti vicarii B. Angeli in Foro Piscium deputare respective teneantur.

Concessio eiusdem ecclesiae S. Gregorii Congregationi Divinae Pietatis, decernitur quid agendum a praedictâ Congregatione in signum concessionis.

§ 5. Dictam vero ecclesiam B. Gregorii, sic ab omni curâ huiusmodi, iuribus, officiis, oneribus et exercitiis parochialibus liberam et exemptam, illiusque sacristiam, saeculari societati seu Congregationi operariorum Divinae Pietatis nuncupatae de Urbe, canonice, ut asseritur, erectae, cum omnibus campanis et supellectilibus sacris in eâdem ecclesiâ B. Gregorii eiusque sacristiâ actu existentibus (itaut liceat dilectis quoque filiis operariis societatis seu Congregationis huiusmodi dictae ecclesiae B. Gregorii, sic sine curâ existentis, illiusque sacristiae et campanarum ac supellectilium huiusmodi corporalem, realem et actualem possessionem, per se, vel alium seu alios eorum et praedictae societatis seu Congregationis nominibus, propriâ auctoritate ex nunc apprehendere et apprehensam perpetuo retinere, cuiusvis licentiâ desuper minime requisitâ, ipsamque ecclesiam beati Gregorii instaurare, reparare, ampliare et in quamcumque aliam decentem formam immutare, seu etiam de novo a fundamentis extruere, in eâque missas et alia divina officia quaecumque celebrare et decantare, ac spiritualia exercitia aliaque pietatis opera ex instituto eiusdem societatis seu Congregationis fieri solita, similiter facere, sine tamen praeiudicio iurium parochialium), auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo concedimus et assignamus. Et in signum recognitionis praesentis concessionis et assignationis, operarii dictae societatis seu Congregationis nunc et pro tempore existentes, quotannis in perpetuum, in die festo B. Gregorii Magni unum cereum trium librarum cerae albae dicto pariter filio nostro ipsius collegiatae ecclesiae B. Anastasiae presbytero cardinali, nunc et pro tempore existenti, et, vacante titulo, in eiusdem titularis locum, dilecto filio nostro in almâ Urbe eiusque districtu vicario in spiritualibus generali, necnon alterum cereum duarum librarum cerae similis capitulo dictae collegiatae ecclesiae B. Anastasiae tradere, et (quatenus ipsi operarii societatis seu Congregationis huiusmodi domum rectoralem seu aedes et mansiones parochiales, eidem ecclesiae B. Gregorii contiguas et cohaerentes, cum annexo situ, adiacentiis et pertinentiis, pro ipsius societatis seu Congregationis usu, commodis et opportunitatibus, ut piis suis exercitiis facilius vacare possint, emere et acquirere velint, prout eas emendi et acquirendi licentiam et facultatem eis in Domino impartimur) pretium exinde retrahendum in tot locis montium cameralium non vacabilium, vel bonis stabilibus frugiferis et ab omni hypothecâ et caducitate liberis, in beneficium et augmentum redditunm dictae vicariae B. Angeli in Foro Piscium investire teneantur.

Praesentium executio committitur.

§ 6. Mandamus autem motu, scientiâ et potestate paribus per praesentes eidem nostro in Urbe eiusque districtu vicario in spiritualibus generali, quatenus, per se, vel alium, seu alios, praemissa omnia et singula efficaciter adimpleri, et ab omnibus, ad quos quomodolibet nunc spectat et spectare poterit in futurum, inviolabiliter observari curet, faciens praedictum vicarium B. Angeli in Foro Piscium, nunc et pro tempore existentem, iurium parochialium, fructuum, redditunm, proventuum et obventionum quarumcumque dictae parochialis ecclesiae B. Gregorii, per nos, ut praefertur, suppressae et extinctae, et ei ut supra unitorum et assignatorum, pacificâ possessione frui et gaudere, et, quatenus opus sit, in eorumdem actualem possessionem inducat auctoritate nostrâ et defendat inductum, amotis

quibuslibet detentoribus ab eisdem, non permittens eum desuper a quoquam, quavis occasione vel causâ, indebite molestari, contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo.

Clausulae peculiares.

§ 7. Decernimus etiam, praemissa omnia et singula, necnon easdem praesentes, ex quocumque capite, colore aut praetextu, etiam ex eo quod dicta parochialis ecclesia B. Gregorii, per nos, ut praefertur, suppressa et extincta, non vacaret, aut ex iure institutionis, matricitatis, tituli, et ex quacumque aliâ occasione ius et interesse habentes, et habere quomodolibet praetendentes, ad id vocati, citati vel auditi non fuerint, seu ex eo quod dilecti filii nostri moderni cardinalis titularis, ac capituli et canonicorum praedictae collegiatae ecclesiae B. Anastasiae, ipsiusque Decii-Felicis ad haec expressus non accesserit assensus, aut causae, propter quas eaedem praesentes emanaverint, adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ qualibet quantumvis iuridicâ, iustâ, legitimâ, piâ et privilegiatâ causâ, ex quocumque capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, vel intentionis nostrae, aut ius et interesse habentium consensûs, aliove quolibet quantumvis magno, substantiali, inexcogitato et inexcogitabili, ac specificam et individuam mentionem requirente defectu notari, impugnari, retractari, annullari, invalidari, in ius vel controversiam revocari, aut adversus eas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, aut impetrato, et etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso, in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus ullatenus comprehendi, sed semper ab illis excipi, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ per dictum vicarium B. Angeli in Foro Piscium nunc et pro tempore existentem ac operarios praefatos quandocumque eligendâ concessas, ac illas perpetuo validas et efficaces esse et fore, sicque et non aliàs per quoscumque iudices ordinarios et delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vice-legatos et Sedis Apostolicae nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, definiendi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et interpretari debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatoriae.

§ 8. Non obstantibus nostris et Cancellariae Apostolicae regulis de iure quaesito non tollendo, necnon de exprimendo in unionibus beneficiorum ecclesiasticorum vero annuo valore, ac de unionibus committendis ad partes, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, necnon felicis recordationis Pauli II, Pauli IV, Pii V, et Sixti V aliorumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, annatas et quindennia ratione beneficiorum unitorum, valorem annuum vigintiquatuor ducatorum auri de Camerâ excedentium, Camerae et Cancel-

lariae nostrae solvi praecipientium, aliàs uniones ipsae pro infectis haberi censeantur et sic unita beneficia, tamquam vere vacantia, a Sede Apostolicâ libere impetrari possint, necnon eiusdem recolendae memoriae Pii IV, etiam praedecessoris nostri, de gratiis interesse[1] eiusdem Camerae infra certum tunc expressum tempus insinuandis et registrandis, aliàs gratiae ipsae nullius sint roboris vel momenti, aut aliàs quomodolibet disponentium, aliisque quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus et universalibus conciliis editis vel edendis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac B. Anastasiae et B. Angeli collegiatarum ecclesiarum praefatarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illarum respective capitulis, earumque pro tempore existentibus cardinalibus titularibus, aliisque quibuscumque superioribus et personis in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus et formis specialis, specifica, expressa et individua mentio, seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ ad hoc observatâ, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, latissime et plenissime ac specialiter et expresse, harum serie, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, derogamus et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae suppressionis, extinctionis, abdicationis, separationis, dismembrationis, incorporationis, assignationis, applicationis, appropriationis, declarationis, exemptionis, liberationis, concessionis, mandati, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Sanctio poenalis.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVI, XIII kalendas martias, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 17 februarii 1726, pontif. anno II.

CXVII.

Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium pro Carmelitis provinciae Portugalliae super iure suffragandi[1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Nuper pro parte nonnullorum fratrum provinciae Portugalliae Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod in capitulis provincialibus, congressibus et congregationibus intermediis, aliisque actibus communitatum, in quibus negotiorum resolutio Expositio facti

1 Desunt berba: *Camerae Apostolicae concernentibus, in archivio*, etc. (R. T.).

1 Clementis XI const. edit. MDCCXX, die 13 ianuarii, pontif. XX, agitur de alternativâ officiorum in eâdem provinciâ, et Innocentii XIII const. edit. MDCCXXIII, die 14 iulii, pontif. III, facta fuit facultas magistris eiusdem provinciae suscipiendi lauream doctoratus in collegio Conimbricensi.

per pluralitatem suffragiorum iuxta eiusdem Ordinis constitutiones absolvitur, contingebat interdum, quod resolutiones et decreta aequitati parum consona ac bono dictae provinciae parum accommoda fiebant, et quod, ob scissuras partialitatum, illi praesertim dominabantur, qui exquisitis artibus vota sive suffragia pro eorum fratribus consequendis[1] cumulare studebant, idque tunc potissimum eveniebat, quando capitulis et actibus praedictis interfuerant atque suffragium ferebant plures religiosi, qui aliunde aliquo consanguinitatis et affinitatis vinculo invicem coniuncti vel attinentes erant; hi enim ut plurimum tum sanguine tum uniformitate coniuncti adeo praepollebant, ut propter certam tot suffragiorum unionem reliquis fere metum incutiebant, sicque in suas partes trahebant, eòque, quò ipsi vellent, ire compellebant, quod sane nedum alienarum libertatum laesivum, verum etiam bono totius provinciae valde praeiudiciale existebat: ideoque pro parte eorumdem exponentium eidem Congregationi cardinalium supplicato, quod, mala huiusmodi aliaque ex praemissis oritura praeveniendo, mandaret quod imposterum, si quando in eàdem provincià plures religiosos Ordinis praedicti, qui aliunde in primo aut secundo respective gradibus consanguinei vel affines fuerint et privilegio suffragandi aut ad praescriptum earumdem constitutionum aut etiam ex privilegio fruantur, adesse contingeret, in iis capitulis seu congressibus, in quibus alii affines aut consanguinei pariter suffragantur, eiusmodi privilegio uti nequeant, ita tamen, ut, etiamsi plures ac plures sint, nonnisi duo, iique antiquiores, actu suffragari possint, reliquis a voto abstinentibus, istique solummodo uno aut altero ex antiquioribus deficiente, iuxta eorum pariter antiquitatem, subintrent, praecipiendo eiusmodi decreti omnimodam observantiam, quibuscumque privilegiis tum memoratae provinciae tum peculiaribus religiosis quomodolibet in contrarium concessis nequaquam obstantibus, et ita partialitatibus et factionibus destruendis, aliisque frequenter occurrentibus malis avertendis, ac indemnitati praedictae provinciae consultum erit: emanavit a praedictà Congregatione cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum praedictum.

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, visà relatione patris procuratoris generalis, ac attentis narratis, censuit et decrevit quod in posterum in capitulis provincialibus praefatae provinciae, ad exposita incommoda et inconvenientia vitanda, duo fratres tantummodo antiquiores, sive germani, sive consanguinei aut affines in primo et secundo gradu sint, et non omnes, iure suffragandi gaudere possint et valeant, et ita in futurum ab omnibus servari mandavit, quibuscumque statutis et consuetudinibus ipsius provinciae et privilegiis particularibus non obstantibus. Romae, XVI novembris MDCCXXV. — F. cardinalis PAULUTIUS. — P. A. archiepiscopus Larissae secretarius.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dicti exponentes nobis subinde exponi fecerunt, ipsi praemissa, quo firmius subsistant, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causà latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequen-

1 Comma istud lectori scio dimitt. corrig. (R. T.).

dum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum[1] nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae provinciae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xx februarii MDCCXXVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 20 februarii 1726, pontif. anno II.

1 Edit. Main. legit *eius* pro *eorum* (R. T.).

CXVIII.

***Confirmantur nonnullae indulgentiae pro Minoribus aliisque eis subiectis pium exercitium Viae Crucis peragentibus, ipsaeque indulgentiae quibuscumque aliis conceduntur*[1].**

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Inter plurima et maxima signa immensae erga nos Dei bonitatis ubique occurrentia, summam et admirabilem eius in humanum genus charitatem declarat aeterni eiusdem filii Iesu Christi Passionis inexplicabile sacramentum, quo erepti sumus ex faucibus tenebrarum. [Hinc Romani Pontifices antecessores nostri eamdem Passionem memoriâ recolentibus apostolicas indulgentias et gratias donare consueverunt, quas ad pios christifideles, in dominicae Passionis contemplatione sese exercentes, a nobis extendi et confirmari, ut christiana religio in hominum cordibus augeatur, plurimum in Domino expedire putamus.

Ab Innocentio XII concessa fuit indulgentia plenaria applicabilis animabus defunctorum. § 1. Eapropter dilectus filius frater Iosephus Maria ad Eboça, procurator generalis Ordinis fratrum Minorum beati Francisci qui de Observantiâ nuncupantur, petitionem nuper exhibendam nobis curavit, qua continebatur, fratres eiusdem Ordinis pium exercitium Viae Crucis appellatum (quo tota dominicae Passionis series pictis tabulis, ubi commode fieri posset, expressa, inque plures stationes distributa, eo modo quo peregrini civitatis sanctae Hierusalem loca ipsa, ubi Christus passus est, recolentes et frequentantes invisunt, contemplandae[2] proponeretur) in varias christiano-

1 Indulgentias eiusmodi vide in Innocentii XI const. edit. MDCXCII, die 24 decembris, pontif. II; et MDCXCV, die 26 decembris, pontif. V.

2 Potius lege *contemplanda* (R. T.)

rum provincias magno animarum fructu intulisse, ac piae recordationis antecessorem nostrum Innocentium Papam XII huiusmodi exercitium largitione caelestium numerum promovisse per litteras apostolicas in formâ Brevis sub annulo Piscatoris incipientes *Ad ea per quae* Romae datas apud S. Mariam Maiorem die XXIV, decembris anno MDCXCII, pontificatus II, ubi, inter alia, omnibus et singulis fratribus et monialibus atque aliis utriusque sexus personis Ordinum et Congregationum, obedientiae seu directioni ministri generalis fratrum Minorum de Observantiâ subiectis, christifidelibus confratribus et consororibus quarumcumque confraternitatum et societatum, sive sub titulo Conceptionis B. Mariae Virginis Immaculatae sive sub aliâ qualibet invocatione, in eorumdem fratrum et monialum ecclesiis canonice erectarum sive erigendarum, orationi mentali, quae dicitur Viae Crucis exercitium, quo ratione suae regulae et constitutionum quotidie tenentur, operam dantibus, pro qualibet vice, dierum centum, per duos quadrantes vero continuatos, vel saltem per quadrantem horae singulis diebus, perque totum mensem orationi et exercitio huiusmodi vacantibus, dummodo vere poenitentes et peccata sua confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpsissent, proque christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces fudissent, semel quolibet mense plenariam peccatorum indulgentiam et remissionem, quam per modum suffragii animabus christifidelium Deo in charitate coniunctis[1] ex hac vitâ migrantibus applicare possent, apostolicâ auctoritate perpetuis futuris temporibus misericorditer concessit.

1 Edit Main. legit *coniuncti* (R. T.).

Ab eodem aliae indulgentiae communicatae fuere.

§ 2. Postmodum dictus Innocentius antecessor per alias apostolicas litteras, incipientes *Sua nobis*, sub plumbo Romae datas apud S. Mariam Maiorem VII kalendas ianuarias, anno dominicae Incarnationis MDCXCV, pontificatus V, inter alia decretum venerabilium fratrum suorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum diei XII novembris anni MDCXCV per se die XV eiusdem mensis approbatum declaraverat, pia loca Viae Crucis seu Calvarii, ad recolendam et meditandam Christi Passionem a praedictis fratribus et monialibus aliisve personis ad instar stationum Calvarii Montis erecta atque instituta, in privilegiorum atque indulgentiarum plenariarum nondum revocatarum generali mutuâ et reciprocâ communicatione per Apostolicam Sedem concessâ et litteris piae memoriae antecessoris nostri Innocentii PP. XI in formâ Brevis sub die V septembris anni Incarnationis dominicae MDCLXXXVI comprehendi, ideoque frui et gaudere indulgentiis in iisdem litteris Innocentii PP. XI expressis: quae omnia, sub sententiis, censuris et poenis in contradictores infligendis, executioni tradi et publicari mandavit, ut in utrisque[1] litteris eiusdem Innocentii PP. XII plenius continetur.

Preces prioris generalis pro indulgentiarum confirmatione earumque ampliatione.

§ 3. Cum autem, sicut eadem petitio fratris Iosephi ab Ebora subiungebat, praedictum exercitium Viae Crucis in omnibus ferme ecclesiis Ordinis fratrum Minorum de Observantiâ diebus festis tam pio operi adsignatis religiose peragatur, quamplurimis christifidelibus ministro generali nequaquam subiectis extra Ordinem quoque illuc accedentibus, idcirco iidem fratres, ut tam sanctum exercitium pro animarum salute ulterius propagetur, indulgentias et pri-

1 Male ed. M. h. *utriusque* pro *utrisque* (R. T.).

vilegia, etiam per viam communicationis ut praefertur concessa, et utriusque Innocentii antecessorum nostrorum litteras superius memoratas, atque alias, si quae sunt, idem exercitium respicientes, decretumque a venerabilibus fratribus S. R. E. cardinalibus olim confectum, ac postmodum apostolicâ auctoritate confirmatum, praeviâ eius declaratione ad tollendas omnes ambiguitates super eius interpretatione forsan exortas, per nos et Sedem Apostolicam approbari et confirmari cupiant, easdemque indulgentias et privilegia ad quoscumque christifideles, etiam dicto ministro generali nullo modo subiectos, extendi ex ampliari enixe deposcant:

Confirmatio praedictarum indulgentiarum.

§ 4. Hinc, ad dicti fratris Iosephi Mariae preces, praemissis omnibus opportune providere cupientes, nos, qui omnem operam libenter impendimus ut omnes dominicae Passionis memoriam saepe animo repetant et salutarem illius fructum percipiant, eumdem Iosephum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ipsumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, indulgentias etiam pro animabus in Christi charitate defunctorum applicabiles, et privilegia etiam per viam communicationis concessa in litteris utriusque Innocentii, in quo[1] decreto venerabilium fratrum S. R. E. cardinalium expressa et declarata, ac quibuscumque aliis litteris apostolicis idem exercitium Viae Crucis respicientibus, ad tollendam omnem ambiguitatem alienamque interpretationem inde quomodocumque ortam aut fortasse orituram, ut fideles per exercitationem bonorum operum sacrosanctos Ecclesiae thesauros absque ullâ animi haesitatione adipiscantur, declaramus, fratres, moniales ac personas superius memoratas, exercitium Viae Crucis huiusmodi peragentes, de privilegiis et indulgentiis etiam plenariis, sub generali mutuâ et reciprocâ communicatione per Sedem Apostolicam concessis, vere communicare et participes fieri, proptereaque frui et gaudere indulgentiis ac privilegiis quae Romani Pontifices locis sanctis ac illorum stationibus intra et extra Hierusalem largiti fuerunt, perinde ac si exercitium praedictum ibidem peragerent: atque ita ab omnibus asseri et censeri debere volumus, ideoque ea omnia hactenus recensita, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et innovamus, et perpetuae ac inviolabilis apostolicae firmitatis robur iisdem adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in eis quomodolibet intervenerint, supplemus.

Earum extensio ad alios.

§ 5. Insuper, ne in participatione bonorum spiritualium, quae ab exercitio Viae Crucis provenire speramus, ullus arceatur, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, indulgentias etiam animabus in Christi charitate defunctorum applicabiles et privilegia superius expressa, etiam per viam communicationis indulgentiarum quae locis sanctis intra et extra Hierusalem concessae fuerunt, aut aliàs quomodolibet, fratribus, monialibus ac personis iam dictis, quae per nos approbantur et confirmantur, ad quoscumque christifideles utriusque sexus ministro generali nullo modo subiectos, qui exercitium Viae Crucis et alia christianae pietatis opera, eisdem modo et

1 Potius lege *inque* pro *in quo* (R. T.).

formâ quae a fratribus et personis praedictis peraguntur, pie ac devote penes fratres dicti Ordinis, privative quoad alios quoscumque, peragent et implebunt, perpetuo extendimus et ampliamus.

Clausulae. § 6. Decernentes, praesentes litteras nostras inque eis contenta quaecumque de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae aut quocumque alio defectu notari, impugnari, invalidari, ad terminos iuris[1], vel facti aut gratiae remedium impetrari, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, per nos vel successores nostros Romanos Pontifices aut Sedem Apostolicam pro tempore factis, comprehendi non posse, sed[2] semper ab illis excipi, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo semper concessas, ac perpetuo validas et efficaces existere, suosque plenarios effectus sortiri et obtinere debere, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, iudicari et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Contrariorum derogatio. § 7. Non obstantibus, quatenus opus sit, piae memoriae Pauli PP. V similiter praedecessoris nostri super[3] nonnullarum indulgentiarum revocatione sive moderatione, aliisque constitutionibus et ordinationibus, ac nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de indulgentiis non concedendis *ad instar*, dictique Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis. § 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, confirmationis, approbationis, innovationis, roboris adiiectionis, defectuum suppletionis, extensionis, ampliationis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVI, V nonas martias, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 3 martii 1726, pontif. anno II.

CXIX.

Praecipitur executio constitutionis Innocentii XIII pro ecclesiasticâ disciplinâ in regnis Hispaniarum, cum nonnullis ordinationibus [1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Pastoralis officii sollicitudo nos admonet in his vigilantiae et auctoritatis nostrae partes libenter interponere, ut, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ad dominici gregis animarumque salutem et directionem provide constituta reperiuntur, suum plenarium sortiantur effectum.

Causae praesentis confirmationis. § 1. Cum itaque quamplurium ex venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis regnorum Hispaniarum lit-

1 Deest *reduci, aut adversus illa quodcumque iuris* (R. T.).
2 Vocem *sed* nos addimus (R. T.).
3 Vocem *super* nos addimus (R. T.).

1 Laudata constit. ed. fuit MDCCXXIII, die XIII maii, pontif. II, et ab hoc Pont. confirmata const. edit. MDCCXXIV, die XXIII septembris, pontif. I.

teris non ita pridem intellexerimus, constitutionem pro ecclesiasticae disciplinae in eisdem regnis conservatione et instauratione a felicis recordationis Innocentio PP. XIII praedecessore nostro die XIII maii MDCCXXIII post maturum consilium editam, quae incipit *Apostolici misterii, etc.*, ac subinde a nobis per quasdam nostras in simili formâ Brevis die XXIII septembris MDCCXXIV desuper expeditas literas, quibus totum ipsius constitutionis tenorem inseruimus, confirmatam et innovatam, per nonnullos praesertim regulares in dictis regnis degentes haud omnino, ut par erat, servari, quinimo eius executionem variis artibus inanibusque praetextibus retardari atque eludi, graviter commoti fuimus, nec defuimus perinde dolorem ac indignationem nostram cum superioribus generalibus ipsorum Ordinum communicare, eisque diserte explicare, firmam constantemque voluntatem ac intentionem nostram esse, ut memorata constitutio promptae et omnimodae executioni demandaretur, et in transgressores seu inobedientes condignis poenis animadverteretur; ipsi vero superiores generales, pro eâ qua praediti sunt prudentiâ, probitate et filiali in nos et huius Sanctae Sedis mandata obsequio, id contra et praeter eorum mentem ac non sine intimo animo sui moerore accidisse nobis ingenue declararunt, ut vehementer etiam improbantes quidquid contra eamdem constitutionem scripto vel facto attentatum fuerit per aliquot suos subditos, pro quibus erroris ac noxae veniam a nobis suppliciter implorarunt; simulque polliciti sunt sedulam se daturos operam, ut, quae in eâ facienda servandaque praescribuntur, ab omnibus et singulis suis religiosis absque morâ adimpleatur.

Reprobantur omnia gesta ad impediendam praedictae constitutionis executionem.

§ 2. Licet autem nos, non minus ad enixas eorumdem superiorum generalium preces, quam ob peculiarem paternae charitatis affectum quo religiosas semper prosequuti sumus et prosequimur familias, in quarum alterâ, inclito nempe fratrum Praedicatorum Ordine, diu versati sumus, a poenis adversus dictos transgressores infligendis abstineamus, nihilominus quaecumque hactenus ad remorandam sive eludendam aut quomodolibet impediendam praedictae constitutionis executionem a nonnullis ex praefatis regularibus scripta, acta et gesta fuerunt, cum inde sequutis et quomodocumque sequuturis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, reprobamus et damnamus, ac pro reprobatis et damnatis ab omnibus haberi volumus et decernimus.

Praeceptum pro observantiâ laudatae constitutionis.

§ 3. Praeterea, gravius mentis nostrae super eâdem constitutione testimonium ac iudicium perhibere volentes, districte, ac in virtute sanctae obedientiae nobis vicariâ Christi potestate in terris fungentibus ab universis christifidelibus debitae, harum serie, denuo praecipimus et mandamus, ut exacte et inviolabiliter, omnique colore, praetextu, titulo et contrariâ quavis interpretatione prorsus sublatis, serventur omnia et singula in enarratâ Innocentii praedecessoris constitutione sancita, ordinata, declarata, ac quoquo modo contenta, quae clerum tum saecularem tum regularem praedictorum regnorum concernunt, etiam iuxta formam in hisce litteris nostris, ut infra, praescribendam.

De numero religiosorum in coenobiis.

§ 4. Cum igitur in eâdem constitutione inter alia cautum fuerit, ne in monasteria, conventus et domos, tam virorum quam mulierum, plures personae reciperentur, quam quae, vel ex proventibus ipsorum monasteriorum, conventuum aut domorum, sive ex consuetis eleemosynis, aliisque obventio-

nibus in commune conferendis possint commode sustentari; hinc pro firmiori saluberrimae istius sanctionis robore statuimus ut superiores eorumdem monasteriorum, conventuum et domorum subditis suis, sive clericis sive conversis ibidem degentibus subministrari curent et faciant omnia ad victum et vestitum necessaria; et, si plures religiosos in aliquo conventu nunc existere compertum fuerit, quam in eo iuxta modum praemissum sustentari valeant, superior provincialis sive praelatus eos ad alterum eiusdem provinciae conventum, qui ipsorum sustentationi idoneus et sufficiens sit, statim transferat; quatenus vero numerus religiosorum in singulis provinciis degentium vires conventuum uniuscuiusque provinciae respective excedat, non alii deinceps ad religiosum habitum in eâ suscipiendum admittantur, donec per obitum hodie viventium illò redactus sit ut commode ali valeant. Dilecto filio moderno et pro tempore existenti nostro et Apostolicae Sedis in eisdem Hispaniarum regnis nuncio serio iniungentes, quatenus sedulo curet ut praemissa plenarium suum effectum obtineant, prout illi in dictâ constitutione demandatum fuerat.

De religiosis ad ordines promovendis.

§ 5. Similiter volumus ut in promotione regularium ad ordines, decretum praedictum memorati Clementis PP. VIII praedecessoris etiam nostri iuxta memoratam constitutionem accuratissime observetur, districte quoque inhibentes omnibus archiepiscopis et episcopis praefatis ne eosdem ordines conferre praesumant alicui regulari, qui vel in monasterio sive conventu intra suam dioecesim sito non degat, vel, si de familiâ monasterii seu conventus alterius dioecesis fuerit, litteras dimissorias sui superioris regularis non exhibeat: servatâ in praemissis decreti Clementis ac constitutionis Innocentii praedecessorum praedictorum dispositione.

De clausurâ monialium.

§ 6. Eisdem quoque archiepiscopis et episcopis sub interminatione divini iudicii denuo praecipimus, ut quibuscumque mulierum monasteriis, tam sibi subiectis quam etiam quomodolibet exemptis, omni studio ac diligentiâ incumbant et advigilent executioni eorum, quae pro custodiendâ sanctimonialium clausurâ, impediendoque in dicta monasteria exterorum ingressu, tum in sacri Concilii Tridentini decretis, tum in constitutione similis memoriae Gregorii Papae XIII praedecessoris itidem nostri, quam idem Innocentius praedecessor in praefatâ suâ constitutione innovavit, desuper sancita fuerunt.

De confessariis.

§ 7. Porro iniungimus quoque exactam eiusdem Innocentii constitutionis observantiam circa confessiones a regularibus praedictis, nec etiam ex indulto quod eis competere perperam praetenditur in vim Bullae *cruciatae sanctae* nuncupatae, nec ex alio quocumque privilegio excipiendas[1] absque praecedente approbatione et licentiâ Ordinarii pro tempore existentis loci in quo sacramentum Poenitentiae ministretur, servatâ quoque limitatione quae in ipsâ licentiâ ab eodem Ordinario adiecta fuerit vel quoad tempus, vel quoad locum, vel genus personarum; declarantes quod in omnibus casibus praedictis confessiones aliter factae et respective exceptae nullae atque invalidae, ipsique confessarii eo ipso suspensi erunt.

De confessariis monialium.

§ 8. Ad haec rursus prohibemus atque interdicimus ne regulares cuiuscumque Ordinis et instituti excipere audeant confessiones monialium, etiam eorum regimini subiectarum et ab Ordinarii iurisdictione quomodolibet exem-

1 Edit. Main. legit *excipiendos* (R. T.).

ptarum, nisi, ultra licentiam suorum superiorum regularium, examinati fuerint, et pro ipsorum monialium confessionibus audiendis specialiter approbati[1] ab episcopo dioecesano; et, si secus factum fuerit, tunc quoque confessiones irritas, et confessarios ipso iure suspensos fore itidem declaramus. Ab huiusmodi tamen lege et ordinatione, ad supplicationem dilecti filii nostri Ludovici S. R. E. cardinalis Belluga et Moncada nuncupati, eximimus superiores generales ac etiam provinciales cuiusvis Ordinis regularis, quibus, ut confessiones monialium, sibi tamen subiectarum dumtaxat, absque istiusmodi speciali approbatione episcopi dioecesani, audire licite et valide possint, permittimus et indulgemus.

De confessariis extraordinariis monialium.

§ 9. Et, quia mentis ac intentionis nostrae est, ut, remotâ quavis diversâ intelligentiâ et interpretatione, praecise serventur ea quae in eâdem Innocentii praedecessoris constitutione super assignatione seu deputatione confessarii extraordinarii monialibus sub praelatorum regularium gubernio viventibus disposita fuerunt, statuimus quoque ut superiores, qui decretum illud quocumque titulo vel praetextu non servaverint, vel eius executioni aliquod impedimentum directe aut indirecte praebuerint, ipso facto suspensionem ab eorum officiis necnon privationem vocis tam activae quam passivae incurrant.

De oratoriis privatis et altaribus portatilibus.

§ 10. Eisdemque poenis eo ipso et absque aliâ declaratione incurrendis subiicimus etiam regulares, qui sancitis et ordinatis tum a recolendae memoriae Clementis PP. XI tum ab ipso Innocentio praedecessoribus quoad celebrationem missae in oratoriis privatis, sive eorumdem regularium cellis, necnon usum altaris gestatorii seu portatilis, qualitercumque contravenerint, seu minime obtemperaverint.

Clausulae.

§ 11. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter et inconcusse observari debere, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos ac Sedis praefatae nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio specifica.

§ 12. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quorumcumque Ordinum, Congregationum, institutorum et societatum, etiam Iesu, et quorumvis monasteriorum, conventuum, ecclesiarum, locorum piorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ac praescriptionibus quantumcumque longissimis et immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, Ordinibus, Congregationibus, institutis et societatibus etiam Iesu, ac monasteriis, conventibus, ecclesiis et locis piis praedictis, illorumque respe-

1 Male ed. Main. legit *approbato* (R. T.).

ctive superioribus, aliisve quibuslibet personis, etiam specialissimâ mentione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu proprio ac ex certâ scientiâ et apostolicae potestatis plenitudine, in genere vel in specie, aut aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur et insererentur, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, eisdem praesentibus pro expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Mandatur publicatio harum litterarum.

§ 13. Ut autem eaedem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius adveniant, volumus illas seu earum exempla ad valvas ecclesiae Lateranensis ac basilicae Principis Apostolorum, necnon Cancellariae Apostolicae Curiaeque generalis in Monte Citatorio, et in acie Campiflorae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari, sicque publicatas et affixas, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent; utque ipsarum litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVII martii MDCCXXVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 27 martii 1726, pontif. anno II.

CXX.

Statuuntur nonnulla pro artis agrariae sublevamine et securitate annonae in mutuationibus [1].

Benedictus Papa XIII.

MOTU PROPRIO, ETC.

Causae praesentis Motus-proprii.

§ 1. Essendo che, per veder sempre più accresciuta la proficua e nobile arte agraria colla ubertosa coltura specialmente dell'agro e distretto di Roma a comodo di tutti i nostri sudditi, abbiamo noi, fra gli altri ordini e provisioni riferite nel precedente nostro Moto proprio segnato il dì XV ottobre dell'anno scorso, dimostrato il nostro paterno amore colla gratuita imprestanza ordinata di scudi sessanta mila in sollievo de'cultori, lavoratori, ed affittuarî dell'agro romano, e di altri scudi cinquantamila per li distrettuali, ed altri di Civitavecchia, Corneto, Toscanella, Vetralla e Piperno, benchè non compresi nel suddetto distretto, come in altro nostro chirografo segnato li IV febraro scorso, provenienti dalla munificenza de' nostri predecessori e dai sopravanzi attinenti alla nostra Camera ed Annona; ed acciochè di questo denaro, che gratuitamente impresterà, la

1 Alia statuta ad bonum annonae regimen et rei agrariae beneficium habentur const. ed. MDCCXXV, die 15 octobris, pontif. II.

detta nostra Annona e Camera consegnisca in ciascun anno l'intiera restituzione, affine di conservarlo in perpetuo per continuo impiego di questa pubblica utilità, senza che abbia da soggiacere a perdita e diminuzione:

Statuitur ut Annona, in creditis exigendis, omnibus anterioritatis, potioritatis et praelationis privilegiis gaudeat.

§ 2. Perciò, inteso il parere di monsignore Ansidei arcivescovo di Damiata, assessore del Sant'Offizio, di monsignore Delpalagio, prefetto dell'Annona, di monsignore Alessandro Abbati, segretario della Congregazione da noi deputata, e di monsignore Fargna, assessore della medesima, destinati a questo preciso effetto dalla stessa Congregazione, con questo Motoproprio, e colla pienezza della nostra potestà, vogliamo e comandiamo, che detta nostra Annona di Roma, per li crediti dell'imprestanze fatte e che farà delli scudi sessanta mila per l'agro romano, e delli scudi cinquantamila per il distretto e luoghi di sopra compresi, ed anche per altre maggiori somme che imprestasse, debba godere tutti i privilegî fiscali che gode la nostra Camera per i crediti e denari fiscali tanto per diritto della ragion comune, quanto per uso e consuetudine della stessa Camera. Dichiariamo inoltre, vogliamo ed ordiniamo, che, fatte da monsignor prefetto dell'Annona le imprestanze a padroni, lavoratori et affittuarî colle infrascritte condizioni e cautele (salve le sigurtà et altri maggiori cautele che ad altri effetti parerà giusto di esigere alla detta Congregazione deputata e a monsignore suddetto prefetto *pro tempore*) si abbia per provata la versione del denaro imprestato nella causa che si esprimerà, e che perciò la nostra Annona di Roma debba godere in concorso di altri creditori tutti quei privilegî d'anteriorità, poziorità e prelazione, che le competerebbero, se pienamente e concludentemente avesse provata la versione nella causa espressa, da cui l'assolviamo nel modo sopraddetto, e vogliamo che ogni tribunale e giudice pronunzii, sentenzii e definisca, come se tal versione fosse pienamente provata.

Decernuntur quaedam pro eiusdem securitate in mutuationibus.

§ 3. Le condizioni poi e cautele, con cui si dovranno far dette imprestanze ai cultori dei terreni, lavoratori ed affittuarî, saranno, che le medesime imprestanze si facciano ai padronali dei fondi dell'agro romano, colla fede dell'agrimensore, che con giuramento attesti la quantità del terreno ridotto a maese, colla specificazione della contrada e confine; ai lavoratori poi ed affittuarî del medesimo agro romano si facciano non solo colla fede del padrone, che attesti aver dato in affitto o a cultura tanto di terreno, colla specificazione parimente della contrada e confini, e che per il tal anno detto lavoratore e affittuario ha l'obbligo di seminare rubia . . . . , ma di più che il medesimo affittuario o lavoratore debba esibire altra fede giurata dall'agrimensore, il quale testifichi, che esso lavoratore o affittuario abbia ridotto a maese rubia ..., colla specificazione della contrada e confini. Se poi le fedi, che i padroni dei fondi e terreni e gli agrimensori faranno come sopra, si trovassero mai in tutto o in parte non vere e insussistenti, in tal caso vogliamo e ordiniamo che li detti padroni e agrimensori restino per tutta l'imprestanza fattagli tenuti alla nostra Annona *aeque principaliter et in solidum* con quelli che avranno ricevute le imprestanze. Vogliamo ancora e ordiniamo, che la nostra Annona, prima di far imprestanza a' lavoratori ed affittuarî, debbano questi far precedere un' interpellazione ai suddetti padronali a giustificare se abbiano fatte l'imprestanze ad essi la-

voratori ed affittuari, oppure se vogliono essi far la suddetta imprestanza nel modo e in quella quantità che stabilirà monsignore prefetto, col quale si debba prefiggere il termine di soli tre giorni; e spirato detto termine, e non dichiarando detti padroni che abbiano fatta detta imprestanza nè di volerla fare, in tal caso vogliamo che la detta nostra Annona, senza altro consenso delli stessi padroni, sia preferita sopra tutto il grano, biade, o altro che si raccorrà nelle maesi seminate da detti affittuari o lavoratori coll'aiuto di dette imprestanze, o si ritrovi nell'ara, o sia stato condotto fuori del medesimo fondo o terreno, e collocato in altri granari. Vogliamo finalmente, ordiniamo e comandiamo che la nostra Annona per le imprestanze fatte sopra li grani e raccolte coll'aiuto di esse sia preferita anche ai fornari creditori per prezzo di pane ogni volta e quando non giustifichino che il pane sia stato somministrato per la medesima raccolta, nel qual caso solamente intendiamo restino fermi i loro privilegi, come di ragione; quando poi non giustifichino, che detto pane sia stato somministrato per la medesima raccolta, in tal caso dichiariamo, che i loro crediti per prezzo come sopra di pane, che apparisca somministrato per gli anni antecedenti, vogliamo ed ordiniamo non gli suffraghino in pregiudizio e concorso della nostra Annona, a' quali perciò espressamente e generalmente, per l'effetto suddetto però solamente, e nei termini sopra riferiti, deroghiamo, ed in specie a quelli concessigli sopra detta prelazione dalla santa memoria di Gregorio XIII, che incomincia *Sicut accepimus*, e di Sisto V, che incomincia *Caelestis Pater*, e di Urbano VIII, come anche ad altre concessioni di nostri predecessori ancorchè avessero bisogno di special menzione.

§ 4. Per ultimo vogliamo ed ordiniamo, che le suddette preordinazioni e provvedimenti abbiano luogo rispetto ai padronali delle tenute, campi e casali, loro lavoratori, affittuari e cultori dei terreni dell'agro romano. Rispetto poi ai padroni, lavoratori, affittuari e agricoltori del distretto e luoghi come sopra compresi, vogliamo, che, adempite le suddette condizioni, goda la nostra Annona, e per essa li commissari locali, gli stessi privilegi e prelazione di sopra specificati. Dichiariamo inoltre, che sotto questo nostro Motoproprio intendiamo compresi, conforme noi coll'istessa nostra piena ed assoluta potestà (a causa di dette imprestanze) comprendiamo universalmente tutti i padroni e possessori (per qualsivoglia titolo) di esse tenute, terreni, campi e casali dell'agro romano e distretto, tanto secolari che ecclesiastici e regolari anche delle undici Congregazioni, Compagnia di Gesù, S. Offizio, officiali e ministri che esercitano qualunque autorità e potestà, anche li reverendissimi cardinali della S. R. C., legati *a latere*, vescovi, arcivescovi, patriarchi, abbati, camerali, e tutti gli altri che avessero necessità di special menzione, quali vogliamo si abbiano qui per espressi, come pure tutti i monasteri, ospedali, archiospedali, luoghi pii, chiese, abazie, basiliche, capitoli, collegiate, archiconfraternite, feudatari, censuari, duchi, principi, marchesi, conti, baroni, tanto mediatamente che immediatamente soggetti alla santa Sede Apostolica, ed altri di qualsivoglia stato, grado, condizione, e di qualsivoglia autorità e dignità, con derogare, conforme deroghiamo universalmente, a tutti e singoli privilegi, esenzioni ed immunità concesse per let-

Clausulae peculiares.

tere apostoliche, anche consistorialmente, per Breve, o di moto proprio, benchè con titolo oneroso, quali tutti per l'effetto suddetto d'adesso in perpetuo rivochiamo, cassiamo, abroghiamo ed annulliamo, essendo tale la mente e volontà nostra espressa, e che così e non altrimenti debba giudicarsi, definirsi ed interpretarsi dalla suddetta Congregazione da noi deputata *pro annonâ et re agrariâ bene gerendâ* nel precedente nostro Motoproprio, alla quale concediamo giurisdizione e facoltà di giudicare privativamente a qualsivoglia tribunale o giudici, togliendo noi ad essi tutte le facoltà ed autorità di definire ed interpretare diversamente, e le medesime facoltà, autorità e giurisdizioni unicamente spettino alla medesima Congregazione, volendo anche e decretando che il presente nostro Motoproprio, benchè non ammesso nè registrato in piena Camera e ne' suoi libri a tenore della Bolla di Pio IV *De registrandis*, vaglia ed abbia sempre il suo pieno effetto, esecuzione e vigore colla nostra semplice sottoscrizione, nè se gli possa opporre di surrezione, orrezione, nè di verun altro vizio o difetto della nostra volontà ed intenzione. Dato dal nostro palazzo apostolico in Vaticano, questo dì 28 marzo 1726.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Dat. die 28 martii 1726, pontif. anno II.

CXXI.

Confirmantur privilegia academiae theologicae in archigymnasio Sapientiae erectae concessa; aliaque plurima pro eiusdem directione et incremento conceduntur ac statuuntur [1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In excelsâ Sedis Apostolicae speculâ constituti, illa, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, ad excitanda sacrarum litterarum et bonarum disciplinarum studia, debitumque virtuti honorem rependendum, prudenti disposita consilio, et felici faustoque inchoata esse noscuntur principio, prosequi, et, quantum nobis ex alto conceditur, perficere studemus, sicut, omnibus maturae considerationis trutinâ perpensis, rationi ac recto ordini consentaneum fore in Domino arbitramur.

Litterae Clementis XI in Academiae favorem emanatae.

§ 1. Aliàs siquidem emanarunt a felicis recordationis Clemente PP. XI praedecessore nostro, ad favorem Academiae theologicae nuncupatae non ita pridem in Urbe institutae, litterae in simili formâ Brevis tenoris qui sequitur, videlicet:

Clemens Papa XI, ad perpetuam rei memoriam. Inscrutabili divinae bonitatis, etc[1].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII aprilis MDCCXVIII, pontificatus nostri anno XVIII.

Causae praesentis confirmationis.

§ 2. Cum autem nos, qui, dum cardinalatus honore fungebamur, praedictae Academiae functionibus et exercitationibus summâ cum animi nostri iucunditate interfuimus, eamque memorato Clementi praedecessori magnopere commendavimus, ac re ipsâ adiuvare non defuimus, nunc, ita disponente Dei providentiâ qui vocat ea quae non sunt tanquam ea quae sunt, ad supremi apostolatus fastigium nullo licet meritorum nostrorum suffragio evecti, ac provide considerantes quantum splendoris atque ornamenti almae Urbi praefatae, necnon utilitatis universae reipu-

1 Huiusmodi Academia approbata fuit a Clemente XI ut in constitutione hîc relatâ.

1 Reliqua vide in tom XXI, pag. 785 *a* et *seq* (R. T.).

blicae christianae accederet, si eadem Academia novis validioribusque praesidiis constabiliretur, quorum ope firmius subsisteret, maioresque in dies progressus faceret (sic namque multi, ut merito sperare licet, nedum in Urbe praedictâ, sed in aliis etiam christiani orbis partibus degentes, qui, consueto sacrae theologiae cursu in scholis absoluto, illius studium prorsus abiiciunt, ad hanc Academiam convolantes, sacrorum dogmatum, historiae ecclesiasticae, ac scholasticae theologiae studia alacri animo prosequentes seu aggredientes, ad ecclesiastica munia rite et recte obeunda in primis idonei redderentur, puriori solidiorique scientiae pabulo enutrirentur, et in sanâ doctrinâ eruditi, illam in suis respective regionibus docere et propagare, atque adversus profanas vocum sententiarumque hisce praesertim temporibus admodum increbescentes novitates strenue propugnare possent; illi vero, qui censurae gradu post diuturnos labores in dictâ Academia adepto in eâdem Urbe commorarentur, collatis inter se consiliis, aut in confutandis libellis, qui nimiâ temeritate adversus orthodoxae fidei puritatem sanctioraque S. R. E. et Sedis Apostolicae iura ac probatas et a maioribus nostris receptas traditiones et sententias passim circumferuntur, aut in vetustioribus sanctorum Patrum codicibus fideliter evulgandis, vel novis elucubrationibus pro temporum opportunitate edendis, rem catholicam ac litterariam tueri et illustrare valerent), hos proinde aliosque uberiores ab Eo qui incrementum dat et preces ac vota humilium exaudit fructus ex eâdem Academiâ praestolantes, gratias et privilegia, ei ab ipso Clemente praedecessore sicut praefertur concessa, ampliare et extendere decreverimus:

Confirmatio relatae constitutionis Clementis XI. § 3. Hinc est quod, eiusdem Academiae statui, conservationi et incrementis opportune prospicere, ac dilectos filios illius academicos speciali favore grati prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, praeinsertas Clementis praedecessoris litteras, ac omnia et singula in eis contenta et expressa, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, ac, quatenus opus sit, innovamus et de novo concedimus, statuimus et ordinamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur et efficaciam iniungimus[1].

Concessio novorum privilegiorum. § 4. Praeterea, cum, sicut accepimus, plerique ex eis, qui eidem Academiae hactenus nomen et operam dederunt, rei familiaris angustiâ pressi, a coeptis absistere et aliò studia sua convertere debuerint, pluresque, ne praedictae Academiae adscriberentur, hac ipsâ de causâ deterriti fuerint, indeque factum sit quod dicta Academia optatos progressus hucusque minime facere potuerit, quin etiam timeri possit ne sensim decrescente academicorum numero tandem omnium deficiat et concidat, nisi aliquot ex benignitate apostolicâ depromptis subsidiis fulciatur atque sustineatur: volumus, ut, partim ex illis qui actu dictae Academiae adscripti reperiuntur, partim ex iis qui eidem adscribi cupiunt, viginti pauperes ecclesiastici, qui saltem per quadriennium sacrae theologiae assidue studuerint, per venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales ipsius Academiae protectores

1 Videtur legendum *adiungimus* (R. T.).

nunc et pro tempore existentes deinceps deligantur, eorumque singulis, donec aliter per nos seu Romanos Pontifices successores nostros provisum fuerit, summa quinquaginta scutorum monetae romanae per Datariam Apostolicam ex pecuniis Romano Pontifici pro tempore existenti ex eâdem Datariâ obvenientibus quotannis ab initio praesentis anni incipiendo assignetur et persolvatur, donec expleto sexennio censurae gradum assecuti fuerint; ac subinde alii per praedictos cardinales in eorum locum subrogentur, quibus enarrata pecuniae summa itidem subministretur. Censores autem ipsius Academiae pro tempore quoque existentes serio hortamur et monemus, quatenus non ea tantum, quae in eiusdem Academiae constitutionibus sibi iniunguntur, fideliter ac sedulo adimpleant, verum etiam in errores refutandos, Ecclesiae et Sedis praedictae iura asserenda et vindicanda, ac ecclesiasticam historiam illustrandam, iuxta modum et formam sibi a nobis vel Romanis Pontificibus successoribus nostris aut cardinalibus protectoribus praefatis praescribendos, viribus omnibus incumbentes, Deo et Ecclesiae se devovere ac iugiter deservire procurent. Et quia debitus iustitiae ordo exigit, eos qui sacrarum litterarum studiis se dederunt, aliisque in divinarum rerum scientiâ praecellunt, condignis ab hac S. Sede gratiarum muneribus donari; cumque idem Clemens praedecessor in praeinsertis litteris academicos praedictos in collatione beneficiorum ecclesiasticorum aliis anteferri monuerit: nos, ipsius Clementis praedecessoris vestigia sectantes, omnes et singulos quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum collatores similiter requirimus, ut, quos diutius in dictâ Academiâ cum laude versatos esse constiterit, aliis in eiusmodi collatione, ceteris paribus, praeferant, praecipue vero eosdem Romanos Pontifices successores nostros enixe rogamus, ut, secum reputantes quantopere Academia theologica praefatam almam Urbem ornare, quotque[1] uberes in Ecclesiâ Dei fructus, benedicente Domino, afferre possit, si eam maxime vigere ac florere contigerit, in canonicatibus aliisque beneficiis huiusmodi conferendis pensionibusque ecclesiasticis reservandis et aliis gratiis impertiendis dictos academicos, praesertim si censores fuerint, prae oculis habere velint, prout singulorum merita postulaverint, quemadmodum nos facere non omittemus.

Statuta quaedam pro Academiae rectâ directione.

§ 5. Ad haec, cum aequi bonique rationi conducere dignoscatur certis muniis exercendis adhibere qui tutum adeo doctrinae experimentum palam dederunt, maximeque deceat honoribus etiam augere qui omni curâ ac studio ampliorem sibi sapientiam comparare, Academiam praedictam in publicum Ecclesiae bonum ac commodum colere, servare et augere non desinunt, dimensosque sibi litterarios labores pro veritate tuendâ dictaeque Sedis dignitate asserendâ ultro suscipiunt et tolerant, eisdem cardinalibus protectoribus iniungimus, ut, quandocumque[2] novi philosophiae aut sacrae theologiae lectores publici in praedicto gymnasio Sapientiae vel in collegio de Propagandâ Fide nuncupato de eâdem Urbe praefatâ, examinatores ad confessiones, sacros ordines, et beneficia, qualificatores officii Inquisitionis adversus haereticam pravitatem, consultores Congregationum eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus, Indici librorum prohibitorum et expurgandorum, ac indulgentiis sacrisque

1 Edit. Main. legit *quodque* pro *quotque* (R. T.).
2 Forsan deest *eligendi erunt* (R. T.).

reliquiis praepositorum, aut examinatores episcoporum in facultate theologicâ, nobis ac Romano Pontifici pro tempore existenti commendare non praetermittant censores Academiae praedictae, sive ecclesiastici saeculares sive regulares fuerint; idemque praestent, cum de promotione ad episcopales aliasve ecclesiasticas dignitates faciendâ agetur, ut[1], singulorum meritis debitâ circumspectione libratis, eos eligamus, quos ad maiorem Dei gloriam et Ecclesiae utilitatem in Domino expedire censuerimus. Quoniam autem, ut nobis quoque innotuit, multis ex academicis praedictis antehac censoris Academiae huiusmodi munus delatum fuit, volumus quod, praeter eos qui iam censoris gradum obtinuerunt, nemini imposterum hoc munus deferatur, nisi illis academicis, qui, exacto laudabiliter sexennio et sex peractis publicis disputationibus iuxta praefatae Academiae constitutiones, nomen et officium censoris dictae Academiae theologicae sibi promeruerint. Ceterum, cum idem Clemens praedecessor memoratos cardinales dictae Academiae protectores et defensores constituerit ac deputaverit, quibus felicis recordationis Innocentius Papa XIII, praedecessor etiam noster, dilectum filium nostrum Bernardum Mariam tituli S. Bernardi ad Termas eiusdem S. R. E. presbyterum cardinalem de Comitibus nuncupatum addidit, ac nonnulli ex illis ab humanis decesserint: nos, ipsos cardinales protectores et defensores Academiae praedictae sic deputatos, ac de praesenti existentes, auctoritate praefatâ confirmantes, in locum defunctorum venerabilium fratrum nostrorum, Fabritium episcopum Ostiensem et Veliternensem Paulutium, sacrorum venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium collegii decanum, ac dilectum filium nostrum Ludovicum tituli S. Silvestri in Capite ipsius S. R. E. cardinalem Picum, respective nuncupatos, auctoritate praefatâ subrogamus, ac in protectores et defensores huiusmodi pariter constituimus et deputamus.

1 Edit. Main. legit in pro *ut* (R. T.).

Clausulae.

§ 6. Decernentes quoque, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae in praeinsertis Clementis praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI maii MDCCXXVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 6 maii 1726, pontif. anno II.

CXXII.

Conceditur prioribus generalibus eremitarum S. Augustini facultas creandi

magistros quinquaginta in provinciis Italiae, quadraginta dumtaxat extra Italiam[1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Concessio praedictae facultatis in perpetuum quibusdam tamen adiectis conditionibus servandis.

§ 1. Cupientes ut debitus virtutis[2] huiusmodi religiosis Ordinis fratrum eremitarum sancti Augustini, qui in artibus et sacrae theologiae studiis cursum perfecerunt, ac aliàs digni et idonei sunt, tribuatur, ut nimirum alii ipsorum exemplo ad sacrarum litterarum studia in dies magis ac magis excitentur, supplicationibus dilecti filii Fulgentii Bellelli procuratoris generalis eiusdem Ordinis in sacrâ theologiâ magistri nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, futuris prioribus generalibus Ordinis praedicti, ut in provinciis et congregationibus Italiae, aliisque ei adiacentibus, quinquaginta Ordinis huiusmodi professores, qui probitatis et doctrinae laudibus praefulgeant et quinquennio regentis munus obierint vel in principalioribus eiusdem Italiae civitatibus verbum Dei decennio cum plausu iustâque famâ praedicaverint, aliisque omnibus qualitatibus in promovendis ad magisterii gradum per apostolicas et Ordinis praedicti constitutiones atque capitulorum generalium illius definitores necnon statuta et consuetudines ac usus earum provinciarum requisitis praediti esse debeant, quique, servatâ regularis disciplinae observantiâ in eorum Ordine, morum probitate, aliisque virtutibus dotati, adeo laudabiliter vixerint ut aliis non minus vitae innocentiâ quam doctrinâ docendi[3] habiles sint et idonei, et dummodo ipsi promovendi, praevio rigoroso examine coram iisdem prioribus generalibus, modo et formâ quibus in almâ Urbe nostrâ fieri solet faciendo, ad hoc idonei reperiantur, praeterea in aliis extra Italiam eiusdem Ordinis provinciis alios quadraginta dumtaxat similiter Ordinis praedicti professores omnibus qualitatibus, etiam per apostolicas et dicti Ordinis constitutiones, necnon constitutiones, consuetudines et usus earum provinciarum requisitis praeditos, et dummodo pariter ipsi promovendi, praevio rigoroso examine iuxta formam constitutionis felicis recordationis Urbani Papae VIII praedecessoris nostri quae incipit *Romanus Pontifex* sub die XXIV aprilis MDCXXV emanatae faciendo, ad hoc idonei reperiantur, in magistros in sacrâ theologiâ supranumerarios promovere, illisque[1] magisterii et doctoratus huiusmodi insignia conferre, utque omnibus et singulis honoribus, privilegiis, favoribus, praerogativis, praeeminentiis, antelationibus, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, gratiis et indultis, quibus alii eiusdem Ordinis in sacrâ theologiâ magistri etiam in publicis studiorum generalium universitatibus ad huiusmodi gradus promoti de iure, usu, consuetudine aut aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui, gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, pari modo et absque ullâ prorsus differentiâ uti, frui, potiri et gaudere possint et debeant, perinde ac si ad huiusmodi gradus in similibus studiorum universitatibus promoti fuissent, concedere et indulgere valeant, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, facultatem perpetuis temporibus duraturam concedimus et impertimur; ita tamen ut memorati priores generales ad electionem dictorum magistrorum nonnisi

1 Vide Urbani VIII const. infra citatam.
2 Corrigat, si opus est, lector scius (R. T.).
3 Forsan *docendis* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *illosque* (R. T.).

per concursum et per secreta suffragia procedant.

Clausulae. § 2. Non obstantibus felicis recordationis Sixti V et Clementis VIII Romanorum Pontificum etiam praedecessorum nostrorum de senario magistrorum numero, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI maii MDCCXXVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 6 maii 1726, pontif. anno II.

CXXIII.

Conceduntur quaedam indulgentiae in ecclesiis eremitarum S. Augustini Excalceatorum in regno Tunkini [1].

Benedictus Papa XIII,
universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Concessio indulgentiarum, ut in rubrica. § 1. Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris piâ charitate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis fratrum Ordinis eremitarum S. Augustini Excalceatorum nuncupatorum in regno Tunkini existentium die festo titulari respective earumdem ecclesiarum a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi respective singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus; iis vero, qui litaniis B. M. V. in aliquâ ex dictis ecclesiis et oratoriis eorumdem fratrum in dicto regno existentibus singulis sabbatis singulisque eiusdem B. M. V. Immaculatae festis [1] diebus decantandis seu recitandis devote interfuerint, et ibi, ut supra, oraverint, qua vice praedictarum id egerint, centum dies de iniunctis eis seu aliàs quomodolibet debitis poenitentiis in formâ Ecclesiae consuetâ relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

§ 2. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etc [2]. Fides habenda transumptis.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII maii MDCCXXVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 13 maii 1726, pontif. anno II.

CXXIV.

Statuitur ne fratres Congregationis S. Ioannis de Carbonaria Ordinis eremitarum S. Augustini ad alias provincias seu congregationes transire possint [3].

1 Pro omnibus ecclesiis Ordinis concessa fuit ab Alexandro VIII const. edit. MDCXC, die 29 novembris, pontif. II, indulgentia plenaria perpetua in festo S. Ioannis a S. Facundo.

1 Edit. Main. legit *festi* (R. T.).

2 Reliqua ut supra pag. 59 *b* (R. T.).

3 Ratione perfectae vitae communis quae ibi prae ceteris viget.

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Procemium a cura habenda regularium. Apostolicae sollicitudinis, quam meritis licet et viribus longe impares divinâ dignatione gerimus, ratio exigit, ut, paternam erga christifideles, qui e fluctibus saeculi in portum vitae religiosae confugerunt, charitatem singulari studio exercentes, eorum stabilitati, ut in eâ vocatione, qua vocati sunt, perseverent usque in finem, quantum nobis ex alto conceditur, prospicere satagamus.

Expositio facti. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Nicolaus Sersale Congregationis S. Ioannis de Carbonaria Ordinis eremitarum S. Augustini Neapolitanae, quod, cum a dictâ Congregatione et conventu eiusdem S. Ioannis, ubi perfectâ vitâ communi vivitur, nonnulli religiosi eiusdem Congregationis sub variis praetextibus ad alias praedicti Ordinis provincias et congregationes, in quibus eiusmodi vita communis minime servatur, transire soleant, ipse Nicolaus, quo in praedictis conventu et congregatione regularis disciplina sustineatur, et observantia iam introducta non disperdatur, opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri summopere desideret.

Statuitur ut in rubricâ. § 2. Nos, ipsius Nicolai votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, fratres expresse professos conventus et Congregationis huiusmodi, post constitutionem felicis recordationis Innocentii PP. XII praedecessoris nostri super eâdem vitâ communi emanatam, ad quascumque provincias seu congregationes animo sese illis associandi seu incorporandi, sine expressâ ac unanimi pleni definitorii conventus praedicti consensu, nullo modo se transferre posse; illos vero, qui de mandato tam Congregationis S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum quam super disciplinâ regulari deputatorum iam translati fuerunt, se intra terminum duorum mensium, ac si alicui conventui provinciae aut aliarum congregationum adfiliati minime forent, esse compellendos ad redeundum ad praedictam Congregationem S. Ioannis de Carbonaria, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus et declaramus, ac statuimus et ordinamus.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Clausulae.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, quarumcumque provinciarum et congregationum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contra- Contrariorum derogatio.

rium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etc[1].

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIX maii MDCCXXVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 29 maii 1726, pontif. anno II.

CXXV.

Confirmatur decretum Congregationis episcoporum regularium in favorem Piorum Operariorum emanatum de privativâ circa nomen Piorum Operariorum [2].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio facti.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum presbyterorum saecularium Congregationis Piorum Operariorum nuncupatorum Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod, cum ipsi ab eâdem Congregatione cardinalium decretum die XIV mensis martii proxime praeteriti obtinuissent, non licere alicui extra praedictam Congregationem sibi nomen[3] Operariorum assumere, ipsi exponentes, quo eiusdem decreti effectu frui possent, et nemo deinceps nomen huiusmodi, quemadmodum aliàs cum magno eorumdem exponentium aestimationis detrimento contigit[1], sibi attribui auderet, aliquas poenas tam spirituales quam temporales eidem Congregationi cardinalium benevisas eiusmodi decreto adiicere summopere cupiebant, emanavit a praedictâ Congregatione cardinalium decretum tenoris sequentis, videlicet:

Decretum praedictum quo sub certis poenis prohibetur cuicumque extra Congregationem Piorum Operariorum nomen pii operarii assumere.

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentis narratis, stetit in decisis sub dictâ die XIV martii praeteriti, nempe: Non licere alicui extra dictam Congregationem sibi nomen Piorum Operariorum assumere, proindeque iniungendum censuit locorum Ordinariis, prout per praesentes iniungitur, quatenus eamdem resolutionem in propriâ dioecesi, sub poenis ab ipsis arbitrandis, servari mandent. Romae X maii MDCCXXVI. — I. B. card. DEVIA. P. A. archiepiscopus *Larissae*, secretarius.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dicti exponentes nobis subinde exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus

1 Ut supra pag. 72 *b* (R. T.).

2 Clementis XI constit. ed. MDCCXII, die III ianuarii, pontif. XII, concessa fuit Congregationi eorumdem ecclesia et collegium S. Mariae Montium de Urbe.

3 Deest *Piorum* (R. T.).

1 Edit. Main. habet *contingit* (R. T.).

et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praedictae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 5. Volumus autem quod praesentium litterarum transumptis, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die III iunii MDCCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 3 iunii 1726, pontif. anno III.

CXXVI.

Restituuntur denuo conventus S. Sabinae, atque uniuntur provinciae Lombardiae[2].

Dilecto filio Thomae Ripoll, Ordinis fratrum Praedicatorum magistro generali,

Benedictus Papa XIII.

Dilecte fili,

salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium a cura Ordinis Praedicatorum

Quod apostolicae sollicitudinis officium ad propagandam regularem disciplinam omnibus religiosorum Ordinibus libenter impendimus, decet nos inclyto Praedicatorum Ordini et provinciae praesertim Lombardiae tanto libentius et alacrius persolvere, quanto gratiori memoriâ animoque illius nos merita recolere consuevimus, in qua scilicet sacrum religionis habitum per ipsos adolescentis aetatis annos suscepimus et Praedicatorum institutum expresse professi sumus. Neque vero sola praecipui amoris incitamenta nos excitant ut nostrae auctoritatis opem ad cultum et incrementum meritissimae familiae conferamus, sed suo veluti iure dilectissima provincia operam nostram deposcit, ut, quae nos diu doctrinâ et religiosis moribus aluit ac sanctissimis institutis ad apostolicas curas informare conata est, fructum qualemcumque impensi laboris cepisse videatur. Maternae igitur sedulitati vicem paternae charitatis reddere cupientes, nihil omittere debemus, quo uberius fructificet suavitatis odor et observantia salutis, vitaeque perfectioris exempla latius per universam provinciam dilatentur, opportunisque providentiae nostrae legibus firmius muniantur.

et praesertim provinciae Lombardiae, in qua Pontifex sacrae religionis habitum susceperat.

A Pio V conventus S. Sabinae antedictae provinciae unitus fuit.

§ 1. Porro S. Pius V antecessor noster, qui Praedicatorum Ordini in eâdem Lombardiae provinciâ nomen dederat, constitutioni felicis recordationis Pauli Papae III, sui nostrique praedecessoris, inhaerens, per apostolicas litteras die XX martii anno MDLXVII datas, Romanum conventum S. Sabinae unâ cum omnibus iuribus ac bonis antedictae provinciae adnexuit et incorporavit. Quoniam vero generalia eiusdem Ordinis comitia decreverant ut per singulas provincias in uno saltem coenobio exacta regulae di-

1 Ut supra pag. 72 *b* (R. T.).

2 Hac de re vide Pii V const. edit. MDLXVII, die XX martii, pontif. II, et Clementis IX const. ed. MDCLXIX, die XXI maii, pontif. II, necnon Innocenti XII const. ed. MDCXCV, die XIV iunii, pontif. IV, ac etiam Clementis XII const. edit. MDCCXXXI, die II maii, pontif. I.

sciplina integre rigideque, illaesâ tamen prioris provincialis auctoritate eique debitâ subiectione, vigeret, felicis recordationis praedecessores nostri Alexander Papa VII et Clemens Papa IX arctioris huius observantiae in antedicto conventu S. Sabinae palaestram et domicilium collocarunt, ut, tyronibus in eâ severiori exercitatione institutis, imitanda virtutis exempla per universam provinciam diffunderent. Neque tamen provinciae et provinciali Lombardiae quidquam iuris et auctoritatis detractum est, ut in apostolicis ipsorum litteris, illis praesertim quas laudatus Clemens Papa IX dedit die XXI maii anno MDCLXIX, perspicere licet.

Sed postea ab Innocentio XII ex illo conventu, cum aliis nonnullis, congregatio S. Sabinae a iurisdictione provincialis exempta erecta fuit.

§ 2. Igitur, Domino dante benignitatem, terra illa dedit fructum suum, et provinciali suo plene subiecta provincia Lombardiae, tam in conventu S. Sabinae quam in aliis strictiori observantiae dicatis, summorum Pontificum praedecessorum nostrorum consiliis et optatis comitiorum generalium respondere perrexit; donec, sub Innocentio XII felicis itidem recordationis praedecessore nostro, exempta ob omni iurisdictione prioris provincialis, Congregatio erecta est S. Sabinae, eique, aliis nonnullis attributis conventibus, proprius vicarius praepositus est, a generali Ordinis magistro singulis bienniis eligendus, ut in apostolicis litteris, quas anno sui pontificatus IV dedit, fusius explicatur. Votis tamen eiusdem Pontificis observantiae latius dilatandae exitus minime obsecundavit; floruit enim regularis disciplina et S. Sabinae Congregatio optimis exemplis religiosae virtutis abundavit, sed, per novam illam regiminis formam, potius intra Congregationis fines conclusa, quam ad totius provinciae utilitatem amplificata observantia est.

Unio ut in rubrica.

§ 3. Nos proinde, diuturnâ longi temporis experientiâ edocti, atque ad propagationem non minus quam conservationem purioris disciplinae animum intendentes, constitutionibus antecessorum nostrorum Pauli III, S. Pii V, Alexandri VII et Clementis IX, et ipsius etiam Innocentii XII proposito inhaerentes, necnon desideriis et conatibus comitiorum dilectissimi Ordinis suffragantes, post maturam deliberationem et collata consilia cum viris zelo prudentiâque commendatis, per[1] apostolicas hasce nostras in formâ Brevis litteras perpetuo valituras praecipimus et mandamus, ut, strictâ observantiâ firmâ permanente in conventibus inferius exprimendis, salvisque regulis quas pro muniendâ propagandâque observantiâ in antedictâ provinciâ Lombardiae praescribendas duximus, auctoritati, iurisdictioni, visitationi, correctioni, curae et regimini prioris provincialis Lombardiae pro tempore existentis omnino pareant et subiecti sint, unâ cum omnibus bonis, iuribus et pertinentiis suis, conventus et fratres in ipsis commorantes, videlicet: S. Sabinae Romae, S. Dominici Ravennae, S. Dominici Ferrariae, S. Dominici in urbe S. Severini, S. Catharinae in Trino dioecesis Casalensis, et qui positi sunt Auximi, Caesenae, in Lugo, in Meldula, in Bonifacio, unâ cum altero in eâdem insulâ Corsicâ constituto, perinde ac si nunquam apostolicae litterae eiusdem Innocentii XII aliaeque costitutiones editae fuissent, quae enumeratos conventus ab auctoritate ac iure prioris provincialis Lombardiae aut cuiusque alterius provincialis subduxerunt; quibus et aliis in contrariis quomodolibet facientibus de plenitudine potestatis per has praesentes litteras amplissime derogamus.

Praescribuntur nonnulla pro

§ 4. Pro conservandâ vero ac dila-

1 Male edit. Main. legit *et* pro *per* (R. T.).

conservandâ severiori disciplinâ.

tandâ per totam Lombardiae provinciam severiori disciplinâ, has regulas praescribimus, atque ut perpetuo serventur, districte praecipimus et mandamus:

De vitâ communi.

I. Vita communis et rigor observantiae regularis, qui tam in conventu S. Sabinae quam in aliis superius expressis in praesens viget, perpetuo retineatur, et quam fieri potest maximo perfectionis studio custodiatur et observetur.

De provincialibus.

II. Cum provinciales pro tempore ad visitandos eosdem conventus se conferent, neque ipsi utantur regulae remissionibus ac dispensationibus, neque illas sociis suis permittant, quae consuetae eorumdem conventuum vitae adversentur, ipsorum enim exempla ceteris esse debent vivendi norma.

De visitatoribus et commissariis.

III. Ita quoque se gerant visitatores, si qui forte ad supplendas provincialium vices destinabuntur, et commissarii omnes, qui ad conventus antedictos quacumque de causâ perrexerint. Eiusmodi autem vices et commissiones non demandentur nisi fratribus zelo et gravitate praeditis atque erga regularem observantiam optime animatis.

De regionibus seu quarteriis provinciae Lombardiae.

IV. Cum provincia Lombardiae in plures regiones, quas *quarteria* appellant, partita sit, singulis autem regionibus vicarius praesit, qui, absente provinciali, subiectis sibi conventibus advigilet prospiciatque; nova regio in eâdem provinciâ constituatur, S. Sabinae nomine nuncupanda, in qua memorati conventus comprehendantur, eique a provinciali vicarius praeficiatur, qui tamen semper in aliquo ex novae regionis conventibus commoretur.

De novitiatu.

V. Tyrocinii domus sive novitiatus purus in eodem conventu S. Sabinae conservetur pro tradendo religionis habitu, eâ prorsus ratione, qua ad normam decreti felicis recordationis Alexandri VII fuerat ibidem constitutus antequam conventus ille a provinciâ separaretur; provinciales autem pro tempore, quo ab eis[1] fieri poterit, curent et satagant, ut quot in novitiatu cellae sunt, totidem tyrones in anno probationis ibi exercendos destinent et adsignent.

De affiliationibus.

VI. Quoniam affiliationes, quas vocant, et strictiori disciplinae laudatissimi Ordinis non adversantur, immo potius valdè conducunt ut religiosi observantiae cultores retineantur in conventibus quibus per affiliationem fuerint adscripti, volumus et mandamus ne quis in posterum ad habitum in novâ religione admittatur nisi certo conventui pro affiliatione adscribatur, eiusdem quidem religionis, si fieri possit, aut saltem provinciae, si tanto religiosorum numero eius regionis conventus abundent ut[2] novis affiliationibus locus esse non possit. Qui vero sine affiliatione ullâ hactenus in Congregatione admissi sunt, illis conventibus per affiliationem incorporati intelligantur, quibus in praesens adsignati inveniuntur. Praeterquam si quis, antequam Congregatio erigeretur, per affiliationem iam fuisset alicui ex conventibus sive huius regionis sive provinciae affixus, cui semper affixum remanere decernimus. Graviter interdicentes tam admissis quam admittendis, ne sine expresso apostolico beneplacito affiliationem suam ad conventus alterius regionis aut provinciae transferre valeant.

De assignatione conventuum.

VII. Iuniores religionem professi in conventu S. Sabinae, sive in aliis conventibus eiusdem regionis, in qua probationis domicilia fuerint, benedicente Domino, utcumque multiplicata, ad colenda studia in solis eiusdem regionis conventibus assignentur.

1 Edit. Main. legit *quo ad eius* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *aut* pro *ut* (R. T.).

De studiorum domicilio.

VIII. Methodus autem assignandi studiorum causâ iuniores in novâ hac regione professos diligentissime teneatur ac servetur per annos saltem quinque ab emissâ professione numerandos, quo temporis spatio minime liceat priori provinciali ad alterius regionis studia eosdem destinare, nisi quis fortasse aegrâ valetudine impar evaserit rigori observantiae diutius ferendo; tunc enim prior provincialis, quod facto opus erit, pro suâ prudentiâ decernet; modo tamen causa infirmitatis probata sit testimonio subscripto et iureiurando firmato a fratribus consilii illius conventus cui professus valetudinarius adsignatus est.

De studiis.

IX. Ut, quae de studiorum domicilio praescripsimus, firmius consistant, non solum studia, quae materialia dicuntur, in novâ regione stabiliantur, sed formale etiam, quod appellatur, studium in apto conventu constituatur, in quo iuniores triennalem curriculum studii theologici formalis explere possint, atque ad gradum lectorum se rite comparare. In studio tamen generali Bononiensi tam ad studium formale quam ad lectoris gradum secundum communes toti provinciae leges examinentur et approbentur.

De studentibus.

X. Ubi studium formale novae regionis idoneo numero fuerit instructum ad formam ceterorum provinciae studiorum formalium, quemadmodum etiam ubi studiis materialibus suus non desit studentium numerus, liceat quidem priori provinciali alios ultra numerum redundantes aliis studiis praesertim formalibus provinciae assignare; si tamen in hisce aliis conventibus observantia vigeat per sacram Congregationem disciplinae regulari praepositam approbata, ac simul qui assignandi sunt per integrum saltem quinquennium in observantiâ suae regionis exerciti fuerint et confirmati.

De lectoribus.

XI. Pro studiis iisdem lectores non designentur, nisi qui in eâdem novâ regione habitum Ordinis induerint, atque in eâ educati et instituti sint. Quod si aliquando peculiaris causa postulet ut ex aliâ regione lector assumatur, non aliter id fieri liceat, quam si lector ipse per integrum saltem annum iam antea laudabiliter vixerit in conventibus novae regionis, sitque propenso studio erga observantiam affectus.

De transitu ad novam regionem.

XII. Priores provinciales pro tempore operam libenter conferant, ut, qui in aliis provinciae conventibus educati sunt, ad studia novae regionis volentes transeant, curentque pariter ut ceteris quoque fratribus cuiusque conditionis aut gradus aditus pateat, si qui observantioris vitae desiderio impulsi ultro se ad novam regionem transferre voluerint.

De non eligendis in superiores illis, qui in dictâ regione aliquandium non vixerint.

XIII. Sub poenâ nullitatis nemo eligatur aut electus confirmetur in priorem, aut quocumque titulo in superiorem eorumdem conventuum, qui habitum non susceperit ac simul educatus non fuerit in hac novae provinciae regione, aut saltem in eâdem per quadriennii spatium antea non vixerit, ac sui pro observantiâ studii zelique specimen idoneum non praebuerit; quod in magistris etiam novitiorum tam simplicium quam professorum eligendis ac praeficiendis observetur.

Eligibilitas alumnorum.

XIV. Huius novae regionis alumni, qui in illâ habitum atque institutionem acceperint, pro quovis provinciae conventu eligi, confirmari et institui priores possint, atque ad lectoris superioremque alium quemcumque gradum provehi etiam in generali studio Bononiae, nec non ad praedicandi verbi Dei et alia quaelibet munera, praesertim vero ad gravissimum magistri novitiorum tam

simplicium quam professorum officium, ut zelo, exemplo, ductuque suo per totam provinciam observantiae cultum diffundant et augeant, quod est praecipuum nostrae sollicitudinis propositum in hisce capitulis sanciendis, quae perpetuo et inviolabiliter observanda praecipimus sub poenâ indignationis nostrae aliisque nostro et successorum nostrorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis[1] adversus eos qui illa vel in totum vel ex parte violare praesumpserint.

Clausulae.

§ 5. Has igitur praesentes in formâ Brevis litteras et quidquid in eisdem praescripsimus, firma et valida semper mansura decernimus, et ab illis, ad quos spectat, inviolabiliter observanda, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim antedicti felicis recordationis Innocentii Papae XII, necnon Ordinis et Congregationis et conventuum huiusmodi, aliisve, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis etiam eisdem Ordini[2] Congregationi et conventibus, eorumque personis quibuslibet, et sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Conclusio.

§ 7. Collatâ itaque zeli tui sedulitate, atque in mandatis nostris capessendis et obeundis alacritate ac vigilantiâ, plene confidimus, fructum paternae sollicitudinis pro severiori disciplinae incremento votis nostrae charitatis esse responsurum. Ac tibi, dilecte fili, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die v iunii MDCCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 5 iunii 1726, pontif. anno III.

CXXVII.

Confirmantur litterae Pauli V super electione abbatis generalis Ordinis sancti

1 Edit. Main. legit *infigendis* (R. T.).

2 Edit Main legit *eiusdem Ordinis* (R. T.).

Basilii Magni ad sexennium dumtaxat[1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Expositio facti. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni abbates et monachi Ordinis sancti Basilii Magni, quod dudum felicis recordationis Paulo[2] Papae V praedecessori nostro pro parte tunc existentium superiorum et monachorum eiusdem Ordinis exposito, quod ipsi aliàs in Congregationem redacti eorum abbatem generalem ad triennium dumtaxat eligendum et deinde ad aliud triennium confirmandum coeperant; et in eâdem expositione subiuncto quod confirmatio huiusmodi, ex diversis causis quas experientia docuerat, satis damnosa Congregationi huiusmodi reddebatur, electioque triennalis nimis brevis esset, maxime quia plura eiusdem Congregationis monasteria in remotis provinciis constituta tam brevi tempore per ipsum abbatem generalem visitari, et ut decebat reformari non poterant; propterea superiores et monachi praedicti ab[3] incommodis huiusmodi obviandis per dictum Paulum praedecessorem super praemissis opportune providere desiderabant: idem Paulus praedecessor, supplicationibus illorum nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, de tunc pariter existentium S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositornm consilio, quod de cetero perpetuis futuris temporibus abbas generalis huiusmodi ad sexennium eligi deberet, confirmatione eius omnino prohibitâ, itaut abbas generalis praedictus completo sexennio, seu aliàs aliâ ex causâ dimisso officio, per aliud sexennium ab officio abbatis generalis cessare teneretur, neque eligi posset, apostolicâ auctoritate statuit et ordinavit; et aliàs, prout in ipsius Pauli praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die xv maii MDCXX expeditis uberius dicitur contineri.

Confirmatio litterarum praedicti Pauli V. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedicti exponentes supradictas Pauli praedecessoris litteras apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praedictas Pauli praedecessoris litteras die xv maii MDCXX emanatas, ut praefertur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae. § 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, etc[1].

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae in praedictis Pauli praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis. § 5. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, etc[2].

1 Hac de re vide constit. Pauli V edit. MDCXX, die 15 maii, pontif. I, quae hic citatur.
2 Edit. Main. legit *Pauli* (R. T.).
3 Lege *pro*, vel *ob incommoda ..... obvianda* (R. T.).

1 Reliqua ut supra, pag. 147 *b* (R. T.).
2 Reliqua ut supra, pag. 59 *b* (R. T.).

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII iunii MDCCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 12 iunii 1726, pontif. anno III.

CXXVIII.

Supprimitur confraternitas SS. Rosarii, Cappata *vulgo dicta, civitatis Anconitanae, et Praedicatorum conventui S. Mariae Incoronatae necnon puerorum seminario ecclesiastico dictae civitatis eius bona applicantur*[1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a cura seminariorum.

Quanta Ecclesiae[2] Dei commoda et bona proveniant a piâ exercitatione, qua adolescentes a teneris usque annis ad pietatem et religionem informandi in ecclesiasticis puerorum seminariis detinentur, provide considerantes, quod seminariis eisdem honesti et pro eorum indigentiis opportune[3] redditus abunde suppetant ex animo concupiscimus; unde, si ipsa aliquando decentibus carere subsidiis praenoscimus, etiam per quarumdam laicorum confraternitatum suppressionem sollicite subvenire existimamus, aliaque desuper illorum favore concedimus quae conspicimus in Domino salubriter expedire.

Suppressio praedictae confraternitatis.

§ 1. Cum, sicut accepimus, utriusque sexus christifidelium confraternitas Cappata nuncupata sub invocatione SS. Rosarii in ecclesiâ S. Mariae Incoronatae nuncupatae conventus Ordinis fratrum S. Dominici Praedicatorum nuncupatorum civitatis Anconitanae erecta et instituta reperiatur: nos, ex rationabilibus et iustis causis nobis notis animum nostrum moventibus, motuproprio, et ex certâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, dictam confraternitatem, unâ cum illius denominatione, invocatione, nuncupatione, titulo, essentiâ ac qualitate, apostolicâ auctoritate perpetuo supprimimus et extinguimus, eamdemque confraternitatem perpetuo suppressam et extinctam esse et fore decernimus.

Eiusque bonorum applicatio praefato conventui.

§ 2. Nos proinde, infrascripti seminarii ac fratrum conventus infrascriptae ecclesiae indemnitatibus atque commoditatibus aliquâ in parte respective consulere volentes, ac fratres eosdem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon alias conventibus et fratribus ac seminario huiusmodi applicationes, incorporationes, concessiones et assignationes quomodolibet hactenus forsan factas, si quae sint, praesentibus pro expressis habentes, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, eiusdem confraternitatis sic per nos, ut praefertur, suppressae et extinctae capellam seu altare ac oratorium, cum magazenis, fabricâ seu mansionibus subterraneis sub eodem oratorio existentibus, quod est de directo dominio dicti conventus, et per pactum expressum in concessione illius fundi dicto conventui reservatum remanet, necnon omnia mobilia et suppellectilia cuiuscumque speciei, quantitatis et valoris, ac omnia ornamenta, candelabra et vasa sacra aurea et argentea, cuiuscumque generis et

1 Aliâ huius Pontificis constit. edit. MDCCXXV, die 5 septembris, pontif. II, erectum fuit hospitium Matritense *de la Passion* in conventum fratrum Praedicatorum.

2 Edit. Main. legit *Ecclesia* (R. T.).

3 Videtur legendum *opportuni* (R. T.).

pretiosi valoris existant, et ad dictam confraternitatem per nos, ut praefertur, suppressam et extinctam quomodolibet spectantia, ac bona omnia assis haereditarii per quondam tunc in humanis agentem Iosephum Bonifigli, dum vixit, pharmacopolam Anconitanum, ac credita omnia, actiones et iura quaecumque ad dictum assem haereditarium quomodocumque pertinentia, exacta et exigenda, necnon scripturas, iustificationes, libros et notitias omnes, tam publicas quam privatas, et in statu in quo de praesenti reperiuntur, ac pecunias omnes ad quamcumque summam ascendentes, et eidem confraternitati per nos ut praefertur suppressae et extinctae (iuxta eiusdem Iosephi, sub quo[1] ab humanis decessit, dispositionem testamentariam ad effectum ut tot capellaniae ab eâdem confraternitate, per nos ut praefertur suppressâ et extinctâ, erigerentur) relicta, eidem conventui et fratribus (cum hoc tamen quod nunc et pro tempore existentes eiusdem Ordinis fratres[2] tantum, et non alii presbyteri, quo ad dispositionem testamentariam praefati Iosephi, loco capellaniarum huiusmodi, tot missas in ecclesiâ S. Dominici praefatae civitatis Anconitanae in perpetuum celebrare teneantur, pro quarum celebratione et manutentione secundodicti conventus fratres praefati tot funda et bona stabilia vel loca montium cameralium et non vacabilium ex praefato asse haereditario desumenda et ex eorum annuis redditibus summam sexaginta scutorum monetae romanae pro qualibet missâ perpetuâ annuatim respondentia emere et assignare similiter teneantur; cum hoc pariter quod omnia anniversaria et missae perpetuae, a testatoribus aliisque disponentibus usque in praesentem diem eidem confraternitati per nos ut praefertur suppressae et extinctae demandare[1], a pro tempore existentibus fratribus secundodicti conventus tantum et non ab aliis presbyteris in praefatâ eorum ecclesiâ S. Dominici in perpetuum celebrari et adimpleri debeant, solutis tamen secundodicti conventus fratribus nunc et pro tempore existentibus per infrascriptum seminarium singulis mensibus eleemosynis missarum secundodictarum ad rationem unius iulii monetae praefatae pro qualibet missâ huiusmodi et stipendiis pro adimplemento anniversariorum huiusmodi ad rationem et iuxta quantitatem persolvi consuetam ab eâdem confraternitate per nos ut praefertur suppressâ et extinctâ), perpetuo, tenore praesentium, etiam applicamus et incorporamus.

§ 3. Reliqua vero bona omnia, res, proprietates, census, canones, domos, vineas, praedia, possessiones, responsiones, fructus, loca montium, et iura quaecumque, undecumque et quomodocumque provenientia, etiam cuiuscumque speciei, quantitatis, qualitatis et valoris existant, et usquedum administrata, percepta et possessa per dictam confraternitatem per nos ut praefertur suppressam et extinctam, et eidem confraternitati per nos ut praefertur suppressae et extinctae competentia, spectantia et pertinentia, seminario puerorum ecclesiastico dictae civitatis Anconitanae (cum obligatione tamen quod praefatum seminarium non solum eleemosynas et stipendia pro adimplemento et manutentione anniversariorum et missarum perpetuarum huiusmodi, sed etiam pro dote et manutentione

Necnon seminario praedicto, cum opportunis ordinationibus.

1 Forsan *sub qua* nempe *dispositione testamentaria* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *fratrum* (R. T.).

1 Potius lege *demandata* vel *demandatae* (R. T.).

capellae seu altaris eiusdem sanctissimi Rosarii in dictâ ecclesiâ S. Dominici sitae seu siti, ac pro functionibus infra annum peragendis et celebrandis ab eisdem secundodicti conventus fratribus ad honorem et gloriam beatae Mariae Virginis, tunc et pro tempore existentibus eiusdem secundodicti conventus fratribus praefatis scuta centum praefatae monetae romanae in perpetuum singulis annis exbursare et solvere, ac, prout antea dicta confraternitas per nos ut praefertur suppressa et extincta tenebatur, conservatorium pupillarum dictae civitatis Anconitanae manutenere, dotes solvere, ac singulis annis legato scutorum quatuorcentum monetae romanae huiusmodi monialibus monasterii S. Sebastiani praefatae civitatis Anconitanae S. Benedicti, seu alterius Ordinis, debito satisfacere, ac personis in carceribus detentis exbursare solitam eleemosynam, necnon reliqua legata omnia et onera universa quaecumque, si quae sint, etiam specialem mentionem requirentia, et eidem confraternitati per nos ut praefertur suppressae et extinctae quomodocumque incumbentia, iuxta et secundum piorum testatorum, fundatorum, aliorumque disponentium voluntates et dispositiones, adimplere, ac omnibus legatis similiter, quae praefata confraternitas per nos ut praefertur suppressa et extincta satisfaciebat, satisfacere, eaque adimplere omnino teneatur) etiam perpetuo earumdem tenore praesentium respective applicamus, et cum ceteris seminarii praefati respective bonis incorporamus, ac respective concedimus et assignamus.

Clausulae peculiares.

§ 4. Decernentes, praemissa omnia et singula, necnon easdem praesentes, etiam ex eo, quod praefatae confraternitatis per nos ut praefertur, suppressae et extinctae officiales et confratres et ceteri quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, aut auditi, et causae, propter quas eaedem praesentes emanarunt adductae, verificatae, aut iustificatae ullatenus fuerint, ullo[1] nunquam tempore subreptionis vel obreptionis seu nullitatis aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae aut alio quovis defectu etiam quantumvis magno inexcogitato et substantiali, sive etiam ex eo quod in eisdem praemissis solemnitates et quaevis alia, servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, vel ex quocumque alio capite, a iure vel facto aut statuto vel consuetudine aliquâ resultante, etiam in corpore iuris clauso, sive etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, et quovis alio praetextu, occasione vel causâ, etiam quantumvis iustâ, rationabili et privilegiatâ etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, seu quomodolibet concesso aut impetrato quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed ipsas praesentes semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et quomodolibet spectabit, in futurum plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliàs in praemissis per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici

1 Potius lege *nullo* (R. T.).

auditores ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vice-legatos et Apostolicae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Deputatio exequutorum.

§ 5. Et insuper, quatenus opus sit, pro praemissorum observatione venerabilibus fratribus Anconitanis, Æsinis et Auximanis episcopis per praesentes, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, easdem praesentes et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit et quoties pro parte fratrum secundodicti conventus ac seminarii praefati requisiti fuerint, solemniter publicantes, et in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illas et in eis contenta huiusmodi ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter servari, illisque pacifice frui et gaudere, non permittentes quempiam ex secundodicti conventus fratribus et seminarium huiusmodi desuper quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia (servatâ tamen formâ Concilii Tridentini), appellatione pospositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis.

Derogatio specifica.

§ 6. Non obstantibus piae memoriae Bonifacii PP. VIII praedecessoris nostri, in qua cavetur expresse ne quis extra suam civitatem et dioecesim nisi in certis tunc expressis casibus, et in illis ultra unam[1] dietam, a fine suae dioecesis ad iudicium evocare, seu ne iudices a Sede Apostolicâ praefatâ deputati extra civitatem vel dioecesim in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis suas vices committere audeant vel praesumant, et in[2] concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo tamen ultra tres dietas aliquis vigore earumdem praesentium ad iudicium non trahatur, necnon dictae confraternitatis per nos ut praefertur suppressae et extinctae erectione ac praefati Iosephi aliorumque quorumcumque ad favorem dictae confraternitatis per nos ut praefertur suppressae et extinctae testatorum seu disponentium voluntatibus, necnon missarum et anniversariorum aliorumque legatorum piorum et onerum fundationibus, et quibusvis aliis dispositionibus, ac praemissis omnibus, et, quatenus opus sit, de iure quaesito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in suppressionibus, unionibus seu applicationibus, illisque committendis ad partes, vocatis quorum interest, et aliis nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, necnon Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, aliisque apostolicis, etiam in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis vel edendis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon confraternitatis per nos ut praefertur suppressae et extinctae et conventus huiusmodi et Ordinis praefati, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis,

1 Edit. Main. legit *ullam* (R. T.).
2 Praeposit. in nos addimus (R. T.).

eidem confraternitati per nos ut praefertur suppressae et extinctae, conventibus et Ordini ac fratribus praefatis, et quibusvis aliis personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisve efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, eisdem praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, latissime et plenissime ac specialiter et expresse hac vice dumtaxat, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, ad praemissorum effectum, harum serie derogamus et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, suppressionis, extinctionis, decreti, applicationis, incorporationis, concessionis, assignationis, posterioris decreti, derogationis, voluntatis, et declarationis infringere vel ei temerario ausu contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVI, XVI kalendas iulii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 16 iunii 1726, pontif. anno III.

CXXIX.

Statuitur ministro generali Capuccinorum competere facultatem erigendi ubique Tertium Ordinem S. Francisci eiusque professoribus scapulare cum cingulo conferendi[1].

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ratio apostolici ministerii nobis licet immeritis a Christo Domino iniuncti exigit ut litigia et discordias, quae, humani generis hoste zizania superseminante, Ordines regulares, ad caelestium meditationem incumbentes, aliquando perturbant, omni curâ evellere studeamus, ne Dei cultus in sacris viris frigescat, inque animis saecularium, qui eos inter se dissidentes conspiciunt, scandala propterea exoriantur.

Causae praesentis constitutionis.

§ 1. Nuper admodum in Tertiariis, de *Poenitentia* appellatis, sub regimine fratrum Minorum beati Francisci aliàs a regulari Observantiâ nuncupatorum viventibus, spirituale solatium et pietatis favorem augere studuimus apostolicis litteris nostris, quae incipiunt *Paterna Sedis Apostolicae providentia*, Romae vulgatis anno Domini MDCCXXV, IV idus decembris, pontificatus nostri anno II, quibus litteris immunitates, gratias, privilegia et indulta ab antecessoribus nostris Romanis Pontificibus eisdem Tertiariis concessa renovavimus et confirmavimus, ut alacrius et sanctius Deo famulari pergerent. Sed postea, non sine admiratione atque animi nostri molestiâ, inde ortas altercationes audivimus, easdemque nostras litteras,

[1] Hac de re vide Clementis XI const. edit. MDCCIV, die 29 martii, pontif. IV, et aliam huius Pontificis const. edit. MDCCXXV, die 10 decembris, pontif. II, ubi concessa fuerunt privilegia dictis Tertiariis.

quae unos Tertiarios fratribus Minoribus a regulari Observantiâ nuncupatis subiectos respiciunt, contra mentem nostram ad alios Tertiarios, sub regulâ quidem B. Francisci Deo famulantes, sed speciali notâ dignos, inque iisdem litteris nostris minime nominatos aut comprehensos, perperam detortas fuisse intelleximus; qui sane Tertiarii fratribus Minoribus a regulari Observantiâ nuncupatis nullo modo subsunt; sed ministro generali Ordinis fratrum Minorum beati Francisci, qui Capuccini appellantur, a quo et ab eius secundariis ministris in rebus spiritualibus directi omnino dependent, atque habitum religiosum accipiunt.

Confirmantur Minoribus Capuccinis omnia in conferendo scapulari et cingulo tertiariis sibi subiectis.

§ 2. Propterea huic errori et incommodo pro nostrâ auctoritate et sollicitudine prospicere cupientes, eorumdem fratrum Minorum beati Francisci, qui Capuccini appellantur, iura et privilegia, saepe in iudiciis contradictoriis coram venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus consultationi de rebus episcoporum et regularium praepositis plene discussa, pontificioque oraculo ac litteris apostolicis a felicis recordationis Clemente Papa XI antecessore nostro confirmata atque approbata, nos, praesentibus perpetuum robur imposterum habituris, post maturam deliberationem, motu proprio et ex certâ scientiâ, ad tollendas quascumque discordias, iterum munimus et approbamus, confirmantes omnia iura, immunitates, facultates, praerogativas, gratias, indulta et privilegia ministro generali Ordinis fratrum Minorum beati Francisci, qui Capuccini appellantur, competentia in conferendo eodem scapulari et cingulo Tertiariis sibi subiectis, quae omnia ei olim fuerunt adiudicata, eiusdemque Clementis Papae XI litteris confirmata, quarum tenor est:

Affertur Clementis XI hac super re constitutio.

Clemens Papa XI, ad futuram rei memoriam. Emanarunt nupera Congregatione venerabilium fratrum nostrum S.R.E. cardinalium, negociis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ, ad favorem dilectorum filiorum fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum, regni Sardiniae tria decreta, videlicet:

Decreta tria Congregationis episcoporum et regularium quae declarant competere Capuccinis praedictam facultatem.

In causâ vertente inter PP. Minores Capuccinos regni Sardiniae, ex unâ, et PP. Minores de Observantiâ eiusdem regni, seu, etc., partibus ex alterâ, de et super infrascripto dubio, nempe an patribus Capuccinis regni Sardiniae liceat dispensare seu distribuere habitum seu scapulare parvum cum cingulo S. Francisci saecularibus utriusque sexus in propriis domibus et sub iurisdictione Ordinarii viventibus, qui denominantur Tertiarii seu Tertii Ordinis, eosque dirigere in spiritualibus iuxta regulas dicti Tertii Ordinis in propriis ecclesiis; in casu, etc.; sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, partibus ipsis auditis, referente eminentissimo Gabriellio, censuit ac declaravit competere patribus Capuccinis facultatem conferendi scapulare cum cingulo S. Francisci. Romae die XVI novembris MDCCIII. Et die XXIX februarii MDCCIV denuo auditis religionibus fratrum Minorum de Observantiâ et patrum Minorum Capuccinorum sancti Francisci, referente eodem eminentissimo Gabriellio, eminentissimi patres censuerunt, persistendum esse in *decisis* sub praedictâ die XVI novembris MDCCIII. Romae, etc. Die vero IV martii eiusdem anni MDCCIV tertiâ vice propositâ causâ per eumdem eminentissimum Gabriellium ad preces procuratoris generalis commissarii curiae Minorum de Observantiâ et procuratoris generalis strictioris observantiae sancti Francisci, eadem sacra Congregatio censuit ac decrevit, extra dandum supradictum decretum. Romae, etc. Cardinalis CARPINEUS. *Loco † sigilli.*

Confirmatio Clementis XI.

Cum autem, sicut pro parte dilecti filii moderni procuratoris generalis di-

cti Ordinis nobis subinde expositum fuit, ipse decreta huiusmodi, quo praemissa firmius subsistant, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsum modernum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decreta praeinserta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore pectabit plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus ac ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ordinum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIX martii MDCCIV, pontificatus nostri anno IV.

Confirmatio praedictae constitutionis et statuti praedicti.

§ 3. Itaque, hasce litteras Clementis PP. XI auctoritate nostrâ iterum nos confirmantes, statuimus et declaramus, ministro generali Ordinis fratrum Minorum beati Francisci, qui Capuccini appellantur, et secundariis superioribus ab eodem ministro generali dependentibus, tamquam veris et legitimis filiis beati Francisci, convenire et competere in quocumque loco, civitate, provinciâ et regno, etiam ubi alii Tertiarii eiusdem beati Francisci iam sunt, erigere, instituere et fundare Tertium Ordinem beati Francisci pro quibuscumque piis et devotis personis saecularibus utriusque sexus, atque huiusmodi Tertii Ordinis professoribus beati Francisci scapulare sive habitum cum cingulo conferre, in rebus spiritualibus eos dirigere, in tertiâ regulâ beati Francisci observandâ privatim et publice docere et instruere, ut pietatis et virtutum Deo gratos et uberes fructus, benedicente Domino, emittant. Ad haec volumus et declaramus, praedictos Tertiarios, seu Tertii Ordinis beati Francisci professores, sub ministro generali Ordinis fratrum Minorum Capuccinorum, eiusque secundariis superioribus, omnino gaudere atque uti posse et debere omnibus et singulis privilegiis, indulgentiis, gratiis, favoribus et praerogativis per hanc sanctam Apostolicam Sedem Ordini Tertiariorum a quocumque ministro generali dependentium sub suo capite, qui unus est bea-

tus Franciscus, aliàs concessis; volentes propterea ut vicissim quilibet Tertiarii eiusdem Ordinis Minorum beati Francisci, praemissis gratiis gaudentes, ad eos transire licite et valide possint, quorum statum saluti animae suae aptiorem et utiliorem in Domino esse cognoverint.

Communicantur Tertiariis praedictis privilegia omnia aliis Tertiariis concessa.

§ 4. Praedicta vero universa ita et non aliter iudicari, et firma atque inconcussa ab omnibus haberi statuimus. Non obstantibus ordinationibus et constitutionibus apostolicis aliisque contrariis quibuscumque; quibus, quatenus opus est, derogamus, eaque annullamus, proque annullatis, derogatis et nullis hac in re haberi volumus; poenam excommunicationis ipso facto incurrendam aliasque censuras pro nostro arbitrio iis interminantes, qui contraire vel temerario ausu ea impugnare praesumpserint quae hac nostrâ apostolicâ constitutione firmamus atque decernimus; ob cuius plenam perfectamque observantiam, auctoritate nostrâ praecipimus venerabilibus fratribus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis et eorumdem vicariis et ministris, ut pro harum executione tuendâ, auctoritate suâ vigilent, invocato etiam, si opus fuerit, ad hoc auxilio brachii saecularis.

Fides habenda transumptis.

§ 5. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius ex secretariis ministri vel procuratoris generalis dicti Ordinis fratrum Capuccinorum sive notarii publici subscriptis, et sigillo officii eiusdem ministri vel procuratoris generalis ipsius Ordinis vel cuiuscumque personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, declarationis, confirmationis, innovationis, concessionis, decreti, voluntatis, praecepti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVI, IX kalendas iulias, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 23 iunii 1726, pontif. anno III.

CXXX.

Statuuntur quaedam pro Tertiariis sub Minorum Conventualium directione viventibus [1].

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Singularis devotio, quam erga beatum Franciscum Ordinis fratrum Minorum in plures familias distincti piissimum conditorem profitemur, iure exigit ut universos tanti parentis religiosos filios pari nostrae benevolentiae significatione complectamur, et omnia litium semina ex illis, qui sub eius regulâ Deo [2] famulantur, prorsus evellere studeamus.

Constitutio edita pro Tertiariis fratrum Minorum observantium, non respicit tertiarios fratrum minorum conventualium.

§ 1. Non modicâ quidem animi nostri molestiâ nuper accepimus, inter illos discordiae occasionem inde ortam, quod per constitutionem nostram, quae incipit *Paterna Sedis Apostolicae providentia*, vulgatam IV idus decembres, anno Domini MDCCXXV, pontificatus nostri II, totius Ordinis fratrum Mino-

1 Haec const. edita est ad declarandam aliam editam MDCCXXV, die 10 decembris, pontif. II, et in confirmationem aliarum Innocentii IV, Nicolai IV, Martini V et Sixti IV de eâdem re tractantium, quae hic citantur.

2 Pessime ed. Main. h. *de eo* pro *Deo* (R.T.).

rum beati Francisci, qui aliàs *a regulari observantiâ* nuncupantur, ministro generali et secundariis superioribus auctoritatem et iurisdictionem in suos tertiarios per felicis memoriae antecessores nostros Romanos Pontifices traditam confirmaverimus, ut per eiusdem beati Francisci vestigia gradientes, alacrius in Dei famulatu perseverarent, suique sanctissimi institutoris exempla aliis imitanda proponerent. Hanc enim constitutionem tam luculentam, atque alienae interpretationis expertem, quae unos tertiarios, ministro generali fratrum Minorum, qui *a regulari observantiâ* nuncupantur, subiectos tantum respicit, et singulatim nominat, non vero alios speciali notâ dignos, nihilominus, contra expressam mentem nostram, ad illos tertiarios etiam, qui vivunt semperque vixerunt sub ministro generali et secundariis superioribus fratrum Minorum beati Francisci, qui Conventuales dicuntur, detortam fuisse intelleximus.

Statuitur ministro generali Conventualium dumtaxat competere iurisdictionem in suos tertiarios.

§ 2. Quare nos ipsi, quibus cura[1] specialis incumbit, ut auctoritate nobis divinitus traditâ ius suum unicuique pro virili servemus, atque Ordines regulares privilegiis ob suarum virtutum merita sibi ab hac sanctâ Apostolicâ Sede concessis pacifice in Domino utantur, huic dissidio post maturam deliberationem occurrere volentes, praesentibus litteris nostris perpetuum robur imposterum habituris, motu proprio et ex certâ scientiâ, declaramus, sancimus atque statuimus, uni ministro generali et secundariis superioribus Ordinis fratrum Minorum beati Francisci, qui Conventuales dicuntur, non vero aliis, auctoritatem et iurisdictionem in suos tertiarios deberi et competere.

Enumerantur Romanorum Pontificum constitutiones quibus praefata iurisdictio praedictis Conventualibus concessa fuit.

§ 3. Hanc autem auctoritatem et iurisdictionem iisdem fratribus Conventualibus piae memoriae Romani Pontifices antecessores nostri pluribus ab hinc saeculis apostolicâ largitate indulserunt; videlicet Innocentius IV litteris incipientibus *Vota devotorum*, datis Lugduni idibus iunii anno Domini MCCXLVI, pontificatus IV; Nicolaus IV litteris incipientibus *Unigenitus Dei Filius*, datis apud Urbemveterem VI idus augustas anno MCCXC, pontificatus III; Martinus V litteris incipientibus *Inter cetera*, datis Romae V idus decembres anno MCDXXVII, pontificatus X, et Sixtus IV litteris incipientibus *Romani Pontificis providentia*, datis Romae XVIII kalendas ianuarias anno MCDLXXI, pontificatus I.

Quae et confirmantur cum amplissimis declarationibus.

§ 4. Quare nos quoque, decessorum nostrorum gestis inhaerentes, eorumdem apostolicas litteras iam recensitas auctoritate nostrâ iterum confirmamus, inque suo primaevo robore nunc et deinceps manere volumus, ideoque approbantes, atque iterum confirmantes omnem potestatem, auctoritatem et iurisdictionem in eosdem tertiarios ministro generali ceterisque secundariis superioribus Ordinis fratrum Minorum Conventualium B. Francisci ab antecessoribus nostris olim concessam, omnesque facultates, exemptiones, praerogativas, indulgentias et praeeminentias, in praedictâ constitutione nostrâ *Paterna Sedis Apostolicae providentia* ministro generali totius Ordinis fratrum Minorum B. Francisci, qui Observantes dicuntur, in proprios tertiarios a nobis indultas, pariter indulgemus, easdemque extendimus ad ministrum generalem fratrum Minorum, qui Conventuales dicuntur, super tertiarios eidem Ordini et ministro generali subiectos; volentes propterea et statuentes ut hi tertiarii subsint uni eidem ministro generali fratrum Minorum Conventualium; praeterea nemini, usque ad unum eumdem

1 Edit. Main. legit *curae* (R. T.).

ministrum generalem dumtaxat et non ad alium quemcumque, in quibuscumque locis, civitatibus, provinciis et regnis, etiam ubi alii tertiarii sunt, spectet instituere, concedere et propagare eumdem suum Ordinem utriusque sexus tertiariorum de Poenitentiâ nuncupatum, quaeque illorum profectum spiritualem respiciunt, stabilire et decernere, illos corrigere et reformare, et omnia disponere, quae iam laudata constitutio nostra ministro generali fratrum Minorum Observantium in proprios tertiarios disponenda concedit.

Ordo Conventualium eximiis laudibus effertur.

§ 5. Etenim aequum est ut ministro generali Ordinis fratrum Minorum Conventualium B. Francisci, qui inter ceteros Ordines, sub uno et eodem Seraphico patre et capite Deo famulantes, vetustissimus est, omnem iurisdictionem, auctoritatem, facultates et gratias in Tertii Ordinis, ab eodem celeberrimo confessore instituti, poenitentes indulgeamus, quae aliis fratribus Minoribus indultae fuerunt; maxime cum eiusdem Seraphici patris et confessoris corpus requiescat in eorumdem fratrum Conventualium basilicâ coenobii Assisiensis, quam propterea esse caput et matrem totius Ordinis fratrum Minorum felicis recordationis antecessores nostri Romani Pontifices suis apostolicis litteris decreverunt: nimirum Gregorius IX, incipientibus *Is qui Ecclesiam suam*, datis Laterani x kalendas maias anno MCCXXX, pontificatus IV; Clemens IV litteris pariter incipientibus *Is qui Ecclesiam suam*, datis Perusiae XVII kalendas maias anno MCCLXVI, pontificatus II; Nicolaus III litteris incipientibus *Gloriosissimi confessoris*, datis Reate pridie idus maias MCCLXXVII, pontificatus I, et Sixtus IV litteris incipientibus *Ad insignem*, datis Romae VI decembres anno MCDLXXV, pontificatus V.

Tertiarii fratrum Minorum Conventualium fruantur privilegiis et gratiis spiritualibus, quae ceteris Tertiariis concessae fuerunt.

§ 6. Volumus etiam, decernimus atque statuimus, ut tertiarii directioni ministri generalis fratrum Minorum Conventualium subiecti omnino gaudeant et fruantur omnibus exemptionibus, immunitatibus, praerogativis, indulgentiis, privilegiis, gratiis et favoribus spiritualibus et temporalibus, quas antecessores nostri Romani Pontifices iisdem largiti fuerunt. Quapropter has iterum approbamus, confirmamus atque concedimus, easdemque etiam omnes et singulas, quas pridem concessimus in eâdem constitutione nostrâ quae incipit *Paterna Sedis Apostolicae providentia;* decernentes tamen et declarantes, ut, quacumque consuetudine in contrarium non obstante, memorati tertiarii, directioni et correctioni ministri generalis fratrum Minorum Conventualium subiecti, vestes religiosas colore et formâ tertiariis proprias induant, eo prorsus modo quem Romani Pontifices suis apostolicis litteris observandum praescripserunt, ad hoc ut iisdem indulgentiis et gratiis frui possint.

Clausolae, ac derogatoriae.

§ 7. Haec vero universa, ministro generali fratrum Minorum Conventualium in tertiarios ei subiectos praesentibus litteris nostris concessa, ita et non aliter iudicari, et firma atque inconcussa ab omnibus haberi statuimus, non obstantibus ordinationibus et constitutionibus apostolicis, aliisque contrariis quibuscumque, quibus, quatenus opus est, derogamus, easque abrogamus, proque abrogatis, derogatis et nullis hac in re haberi volumus; poenam excommunicationis ipso facto incurrendam aliasque censuras pro arbitrio nostro iis interminantes, qui contraire, vel temerario ausu ea impugnare praesumpserint quae hac nostrâ constitutione firmamus atque decernimus, ob cuius plenam perfectamque observantiam iniungimus venerabi-

libus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et eorumdem vicariis et ministris, ut, pro horum omnium plenâ executione tuendâ, auctoritate suâ vigilent, invocato etiam, si opus fuerit, ad hoc auxilio brachii saecularis.

His litteris fides ubique adhibeatur.

§ 8. Volumus pariter ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius ex secretariis ministri vel procuratoris generalis dicti Ordinis fratrum Minorum Conventualium aut notarii publici subscriptis, et sigillo officii eiusdem ministri vel procuratoris generalis ipsius Ordinis vel cuiuscumque personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nemo has litteras infringere audeat.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, declarationis, confirmationis, innovationis, concessionis, decreti, voluntatis, praecepti et derogationis infringere, aut ei temerario ausu contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVI, tertio nonas iulias, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 5 iulii 1726, pontif. anno III.

CXXXI.

Declarantur ratae censurae latae ab episcopo Papiensi in canonicos [1].

1 Clementis XI constit. edit. MDCCI, die 24 decembris, pontif. XII, confirmatum fuit generale interdictum episcopi in civitate Lyciensi et dioecesi.

Benedictus Papa XIII.
Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Permolesta nobis acciderunt quae contra debitam episcopali auctoritati obedientiam et a cathedralis tuae ecclesiae dignitatibus ac canonicis perpetrata sunt, nec ommittere debemus ut ad tuendam dignitatem tuam et ecclesiasticam disciplinam ullas muneris nostri partes desideres, praesertim cum salutaribus iuris remediis a fraternitate tuâ adhibitis obsecundaverint etiam suppetiasque tulerint mandata nostra.

Ratae habentur censurae latae a praefato episcopo in canonicos.

§ 1. Quod igitur dignitates et canonicos, illos primum a beneficio ad mensem, deinde a divinis suspenderis, eo quod matutinum officium, te contradicente ac vetante, recitare ausi fuerint post vespertinas horas antecedentis diei, obtentu interpositae appellationis et rescripti venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum, laudamus consilium zelumque fraternitatis tuae; causam autem eiusmodi a quocumque tribunali ac iudicio ad nos advocantes, motu proprio, ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione, censuras antedictas validas esse decernimus ac declaramus.

Remittitur episcopo tamquam delegato apostolico, absolutio ab iisdem censuris et facultas ad ulteriores poenas procedendi.

§ 2. Mandantes proinde ut non aliter absolutionis beneficium petere possint, quam si resipiscentiam debitamque tibi reverentiam idoneâ satisfactione, quam iudicii arbitriique tui esse volumus, ipsi probaverint; hanc autem ubi rite legitimeque praestiterint, in tuâ potestate erit eosdem, quibus se obstrinxerant censuris absolvere, quin etiam in irregularitate cum iis dispensare qui censuris obnoxii rem divinam facere ausi sunt. Quod si intra tempus a te definiendum absolutionem veniamque poscere, tibique, ut par est, satisfacere detrectaverint, facultatem tibi largimur,

ut, tamquam delegatus quoque apostolicus, ad ulteriores poenas procedere possis, eosque etiam dignitate, canonicatu et praebendâ privare, eamdemque facultatem alteri, si absens fueris, exercendam subdelegare valeas.

Consulitur in futurum.

§ 3. Non satis autem officio nostro fecisse nobis videmur, nisi, praeterita emendare satagentes, futuris etiam dissidiis aditum intercludamus. Propterea, cum ex antedictâ matutini officii recitatione ansam repugnandi arripuerint canonici, per praesentes etiam litteras declaramus tuae auctoritatis hactenus fuisse, semperque fore decernimus, potestatem iisdem canonicis facere, sive licentiam impertiri, quoties et quandiu tibi opportunum videbitur, antevertendis statutis recitationis temporibus.

Clausulae.

§ 4. Quod quidem auctoritatis nostrae iudicium, quoad singula quae praescripsimus, firmum manere volumus, itaut nullâ auctoritate aut exceptione aut praetextu infringi aut retardari vel in dubium revocari possit[1]. Non obstantibus constitutionibus, decretis, rescriptis, consuetudinibus, aliisque in contrarium facientibus, quibus omnibus simili scientiâ et motu proprio amplissime derogamus, sublatâ quibuscumque iudicibus aliter interpretandi aut iudicandi facultate, irritumque esse decernentes si quid aliter a quovis fuerit attentatum, quaslibet etiam clausulas et verborum solemnitates auctoritate nostrâ supplentes, ac pro expresso habentes si quid praeterea esset exprimendum. Tuae itaque sapientiae confisi, ac de insignis istius capituli perspectâ[2] semper aliàs gravitate et prudentiâ praeclare sperantes, pro certo habemus, nullis in posterum opus fore novis paternae nostrae sollicitudinis officiis: ac fraternitati tuae apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII iulii MDCCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 8 iulii 1726, pontif. anno III.

1 Edit. Main. legit *revocare possis* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *perspectu* (R. T.).

CXXXII.

Abolentur omnes coadiutoriae quorumcumque officiorum, quae ad viam iuris *reducuntur* [1].

Monsignore Nicolò Maria Lercari,
arcivescovo di Nazianzo, nostro segretario di Stato.

Exordium.

È debito del nostro pastorale uffizio d'impiegare la suprema autorità pontificia, affinchè tutto sia diretto al bene dello Stato e de' nostri sudditi, e che questi diano la loro opera per rendersi sempre più abili e meritevoli di servire la Santa Sede negli impieghi, cariche ed uffizî alla medesima immediatamente o mediatamente spettanti. E siccome questo viene nudrito dalla speranza di potere nelle occasioni meritare la beneficenza del principe, così vien frastornato dall'esser destinate preventivamente le cariche con aspettative e sopravvivenze, rendendosi tutti neghittosi, gli uni perchè con simili grazie stimano avere assicurati gl'impieghi, e gli altri con disperare di poterli conseguire.

Causae praesentis constitutionis.

§ 1. Ed abbiamo noi riconosciuto anche coll'esperienza, che, quantunque con simili grazie siano conceduti gl'impieghi a beneplacito, e siccome possono rimoversi dalle cariche dopo ottenute, così potevano non ammettersi a quelle: con tutto ciò, col riflesso che le persone graziate fossero in una certa buona fede,

1 Clementis XII const. edit. MDCCXXXII, die 12 februarii, pontif. II, revocantur diversae facultates a Romanis Pontificibus nonnullis factae voce vel scripto.

sono state queste preferite ad ogn'altro, lasciato forse di conferirle a più abili ed a più meritevoli. Quindi, avendo noi conosciuto, che il numero delle sopravvivenze da tempo in tempo accordate sia ormai giunto ad un eccesso deplorabile, che tuttodì non si rimane alcuno, senza merito, senza servigio e senza fatiche preventive, di chiederle e di pretenderle con premure, e che in fine si vede chiaramente che è ridotto ad un stomachevole abuso: noi, per porre il tutto alla primiera libertà, e per togliere ogni pretensione o supposta buona fede, abbiamo determinato di ridurre *ad viam iuris*, ed al pieno arbitrio nostro e de' nostri successori tutte le grazie di sopravvivenze, aspettative di provviste di cariche, con rivocare ed annullare tutto quello che sovra di ciò è stato disposto tanto da noi quanto dai nostri predecessori con Brevi, chirografi, oracoli dati *vivâ voce* ai ministri, benchè reverendissimi cardinali, o con patenti spedite in vigore di detti chirografi ed oracoli, o per ragione de' loro uffizi, anche per essere queste riprovate dalle leggi civili e da' sacri canoni, come le riprovano nel cap. *Detestanda de concess. praebend., in 6*, inducendo il desiderio dell'altrui morte.

Abolitio praedicta.

§ 2. Onde di nostro moto proprio, certa scienza e pienezza della nostra assoluta potenza, avendo qui per espresso e di parola in parola inserito il tenore de' Brevi, chirografi, lettere, rescritti, *motuproprio*, patenti e spedizioni in ogni altra forma per simili grazie, rivochiamo ed annulliamo e per annullate e rivocate vogliamo che si abbino tutte le grazie di sopravvivenze, aspettative, di asserite e pretese coadiutorie, e di altro qualunque titolo, che fossero state espedite o concesse finora d'impieghi, cariche ed offizi civili, militari, e di qualunque qualità o nome concesse da noi o da' nostri predecessori a beneplacito, e forse a vita, con chirografi, Brevi e lettere, o per mezzo de' ministri, benchè reverendissimi cardinali, in qualunque uffizio o dignità costituiti, in Roma o fuori di Roma, o in altra forma e modo sopra espresso, o fosse necessario d'esprimere; di modo che ognuno passi e debba ritornare immediatamente a quella carica che teneva, e che debba servire all'impiego di cui era incaricato, levando e togliendo dalle cariche quei che per i suddetti titoli si erano intrusi negli uffizi e ministeri, poichè così verranno eliminati tutti i contratti, negoziati, trattati e convenzioni avute per simili sopravvivenze, che rendevano piacimento e comodo alli stessi contraenti, ma danno e discapito al buon servigio del nostro Stato.

Clausulae derogatoriae.

§ 3. E vogliamo, che tutte le cose suddette, o altra spedizione fatta per tali grazie, si abbiano come non fossero mai emanate, e che tutti quei, che pretendessero le cariche ed uffizi in vigore di dette concessioni, si abbiano per rimossi dalle medesime, e sia fin da ora renovato[1] ogni beneplacito; e qualunque persona, ministro, governatore, reverendissimo cardinale non dovrà permettere per detti titoli che alcuno eserciti dette cariche ed impieghi, sotto pena della nostra indignazione, non ostante che non siano stati citati o sentiti quei che hanno ottenute le nominate grazie, o altri che vi pretendessero interesse, la regola della nostra Cancellaria *de iure quaesito non tollendo*, e tutte le altre leggi, constituzioni apostoliche, statuti, stili, usi, pretesa equità scritta o non scritta, la costituzione di Pio IV *De registrandis*,

1 Forsan *revocato* (R. T.).

ed ogni altra cosa che facesse in contrario; il tenore delle quali avendo qui per espresso, all'effetto suddetto rivochiamo ed annulliamo; e così voi darete gli ordini opportuni, ed occorrendo farete pubblicare editto per notizia di ciascuno.

Dato nel nostro palazzo apostolico Vaticano questo di x luglio MDCCXXVI.

BENEDICTUS PP. XIII.

Dat. die 10 iulii 1726, pontif. anno III.

CXXXIII.

Conceditur presbyteris Ordinis S. Ioannis Dei, in Americae meridionalis, septentrionalis et Martinicae insulis existentibus, facultas administrandi sacramenta non parochialia[1].

Benedictus Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Expositio facti. § 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Bernardus Banfi, prior generalis Ordinis S. Ioannis Dei, quod, cum a praefectis missionum, in Americae meridionalis, septentrionalis et Martinicae respective insulis existentibus, carissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum regi christianissimo subiectis eiusdem Ordinis fratribus in sacro presbyteratus Ordine constitutis in illis degentibus administratio sacramentorum non parochialium in eorum ecclesiis iis christifidelibus ad eas confluentibus interdicatur, ab hac vero prohibitione. scandalum neophytis illarum partium ac praeiudicium dictis presbyteris et Ordini proveniat: ipse Bernardus prior generalis, quo eiusmodi scandalo ac praeiudicio remedium adhibeatur, opportune in praemissis per nos provideri et ut infra indulgeri summopere desideret.

Concessio praedicta. § 2. Nos, ipsius Bernardi prioris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, presbyteris dicti Ordinis in dictis insulis commorantibus, ut praefertur, ut ipsi iisdem neophytis illorum ecclesias frequentantibus sacramenta non parochialia huiusmodi absque ullâ a memorati missionarii dependentiâ, non tamen in Paschate, administrare libere et licite possint, itaut in posterum praedicti missionarii super eiusmodi administratione nullam eis molestiam afferre audeant seu praesumant, auctoritate apostolicâ, tenore prasentium, facultatem concedimus et impertimur.

Clausulae. § 3. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis, et in[1] universalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII iulii MDCCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 17 iulii 1726, pontif. anno III.

CXXXIV.

Statuuntur nonnulla circa ecclesias parochiales extra Urbem institutas, pro

1 Aliâ huius Pontificis const. MDCCXXIV, die XIII septembris, pontif. I, confirmata fuere privilegia Urbani VIII pro eodem Ordine, et nova concessa.

1 Praeposit. *in* nos addimus (R. T.).

congruâ portione rectorum et vicariorum [1].

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a curâ animarum. Pastoralis nostra sollicitudo exigit ut in hoc praecipue excubemus, ne cura animarum in ecclesiis parochialibus huius almae Urbis et extra eius pomeria constitutis neglecta et collapsa propterea concidat, quod earumdem rectoribus congrua sustentatio desit, sine quibus eorum officium [2] non eo quo par est zelo et pietate exercere, ipsamque animarum salutem magnum discrimen incurrere, longâ experientiâ didicimus.

Ab aliis Pontificibus variae parochiales ecclesiae, tum in Urbe, tum extra, cum congruâ portione institutae fuere. § 1. Antecessor quidem noster Pius PP. V, ut sacrosancti Concilii Tridentini decreta in usum induceret, varias in huius almae Urbis ecclesiis perpetuas vicarias actualem animarum curam habentes, congruâ et sufficienti portione adsignatâ, provide instituit. Alii quoque felicis recordationis antecessores nostri Urbanus VIII et Clemens XI quasdam parochiales ecclesias et vicarias extra pomeria Urbis erexerunt, ut incolis suburbanis auxilia spiritualia, quacumque occasione, tam in doctrinae christianae rudimentis rite explicatis, quam in Dei verbo festis diebus ex ore sacrorum Ecclesiae ministrorum audiendo, inque Christi Domini sacramentis ex eorumdem manu recipiendis, prompte suppeterent.

In examen vocatur quae ecclesiae parochiales congruâ portione frui non debent. § 2. Nihilominus, priusquam ad erigendas novas parochiales ecclesias procedamus, in maturum examen vocari decrevimus, an revera huiusmodi rectores et vicarii, olim, ut diximus, instituti, congruâ et sufficienti sustentatione fruerentur; sique eis aequa et congrua eiusdem portionis adsignatio deesset, quonam pacto eis designari posset. Ad hanc rem penitus explorandam S. R. E. cardinalium et praelatorum Congregationem habendam indiximus, quorum suffragia et simul expositionem hac de re litteris traditam per unum ex praelatis, qui eidem Congregationi fuit a secretis, attente consideravimus. Quare uniformi suffragiorum et sententiarum tenore percepto, consilioque et approbatione totius Congregationis probe intellectis, in hanc determinationem devenimus, ut:

Primo loco subsequentibus vicariis et parochialibus ecclesiis congruas portiones non esse adsignandas iudicaremus, quia sufficienter dotatae reperiuntur. Sunt vero: I. B. Angeli ad Fornaces; II. B. Lazari: hae duae vicariae a basilicâ Vaticanâ dependentes: III. parochialis ecclesia beatorum Laurentii et Urbani ad primam Urbis portam; IV. vicaria B. Mariae ad Magos, quae a basilicâ Lateranensi dependet; V. parochialis ecclesia B. Sebastiani extra portam Capenam, ex basilicâ Lateranensi olim dismembrata.

Secundo loco statuimus et declaramus, nullam congruam adsignandam parochiali ecclesiae basilicae S. Pauli in viâ Ostiensi olim dismembratae ex diaconiâ B. Mariae in Cosmedin; siquidem coenobium monachorum Cassinensium, ad quos eadem basilica S. Pauli pertinet, redditus et sufficientem portionem habet; quare huic nulla congrua portio debetur; parimodo parochiali ecclesiae B. Laurentii in Agro Verano, quam regunt canonici regulares SS. Salvatoris, nullam congruam portionem adsignandam esse decernimus.

1 Aliâ huius Pontificis const. ed. MDCCXXIV, die VI septembris, pontif. I, confirmatum fuit edictum Innocentii XII de parochialibus ecclesiis pensionum onere non gravandis.

2 Videtur legendum *sine qua eos eorum officium* (R. T.).

Quaenam frui debeant congruâ, quae eis adsignatur.

Tertio loco portionem et congruam sustentationem subsequentibus ecclesiis parochialibus adsignandam esse perspeximus, et hac nostrâ constitutione adsignamus. Hae vero sunt: I. parochialis ecclesia B. Francisci in monte Mario, quae pertinet ad Congregationem eremitarum B. Petri de Pisis; huic parochiali ecclesiae eiusque rectori centum annua scuta argentea monetae romanae pro congruâ adsignari volumus et mandamus: II. parochialis ecclesia B. Agnetis in viâ Nomentanâ, quae pertinet ad canonicos regulares SS. Salvatoris, annuam portionem congruam sexaginta scutorum argenteorum monetae romanae omnino habeat. Licet vero, cum dicta parochialis ecclesia B. Francisci in monte Mario pro maiori parte dismembrata fuerit ex parochiali ecclesiâ B. Mariae de Populo ad portam Flaminiam quae ad fratres eremitas Augustinianos Congregationis Lombardiae nuncupatos pertinet, ex qua ecclesia altera quoque B. Agnetis in viâ Nomentanâ fuit dismembrata, unde censeri posset, utriusque parochialis ecclesiae rectori congruam portionem ex fructibus ecclesiae matricis debere adsignari; nihilominus, quia, re accurate perpensâ, comperimus ecclesiam B. Mariae ad portam Flaminiam redditibus non superabundare, nec ei tot fructus suppetere, quot necessarii sunt pro commodâ primarii et secundarii sui rectoris alimoniâ, ita ut, absque detrimento rerum necessariarum pro decenti suorum ministrorum qui curam animarum exercent sustentatione, congruam portionem novis rectoribus B. Francisci in monte Mario et B. Agnetis in viâ Nomentanâ de suo dare non possit: ideo, sacrorum canonum dispositioni inhaerentes, qui hoc casu matricem ecclesiam a quacumque contributione eximunt, et parochianos obligant ut congruam portionem novis rectoribus de suo subministrent, nos praesentibus litteris nostris, perpetuum robur imposterum habituris, statuimus et declaramus, ut centum annua scuta argentea monetae romanae parochiali ecclesiae et rectori B. Francisci in monte Mario, et similiter scuta sexaginta alterius parochialis ecclesiae rectori B. Agnetis in viâ Nomentanâ adsignentur ex divisione, partitione et taxâ praediis imponendâ, quae intra limites utriusque ecclesiae comprehenduntur, quod dictis ecclesiis aut matrici nullas decimas solvant.

Statuitur qui debeant solvere praedictam congruam praefatis ecclesiis parochialibus.

§ 4. Volumus autem ut per directos dominos eorumdem praediorum tota eadem taxa ecclesiis respective solvatur; si vero praedia a directis dominis in emphyteusin tradita fuerint, tunc decernimus, ut per emphyteutam ratam eiusdem taxae ita solvatur, ut dominus directus, qui totam taxam ecclesiae persolvit, pro ratâ quae contingit emphyteutam, ab hoc refici debeat: quae refectio ut facilior evadat, statuimus, ut, dum praedia taxantur, empyteuta distinctim pro suâ ratâ etiam taxetur. Pauperes tamen agricolas et vinearum cultores rerum inopiâ laborantes, qui propriis manibus et corporis assiduo labore sibi victum conquirunt, a quacumque eiusmodi congruae portionis solutione immunes esse et fore, apostolicâ auctoritate declaramus, ac penitus eos eximimus.

Clausulae.

§ 5. Praesentes vero litteras, ex eo etiam quod quicumque in praemissis interesse et rem habentes, aut habere praetendentes, illis non consenserint, et ad ea vocati non fuerint, et causae, propter quas illa fiant vel facta sint, aliàs examinatae, verificatae et iustificatae non fuerint, seu aliàs ex quocumque

alio capite vel causâ, quantumvis legitimâ vel iuridicâ, de intentionis nostrae vel quocumqne alio defectu notari, impugnari, retractari, annullari vel invalidari, seu in ius vel controversiam vocari, aut ad viam et terminos iuris reduci, seu adversus illas quodcumque iuris et facti remedium impetrari aut concedi nullatenus posse decernimus, sed semper illas validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, neque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, Sedemque Apostolicam, sub qnihuscumque verborum expressionibus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, pro tempore quomodolibet factis, comprehendi vel confundi, sed ab illis semper excipi, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimun statum restitutas et plenarie reintegratas, ac de novo, et sub quacumque posteriori datâ, per B. Francisci in monte Mario ac B. Agnetis in viâ Nomentanâ parochialium ecclesiarum praedictos respective rectores nunc et pro tempore existentes quandocumque eligendâ, concessas esse et fore, sicque per quoscumque iudices ordinarios, commissarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et definiendi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Urbis vicario generali in spiritualibus committitur executio huius constitutionis.

§ 6. Quocirca dilecto filio nostro in Urbe praedictâ eiusque districtu vicario in spiritualibus generali, cui per easdem praesentes auctoritate nostrâ praedictâ facultatem concedimus et impartimur ut praediis, quae sub praedictis B. Francisci in monte Mario et B. Agnetis in viâ Nomentanâ parochialibus ecclesiis respective comprehenduntur, taxam praedictam, eo modo quo aliàs in huiusmodi eventibus impositam fuisse cognoverit, respective imponere libere et licite valeat, per easdem praesentes etiam committimus et mandamus, ut ipse, per se, vel alium, seu alios, easdem praesentes et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte B. Francisci in monte Mario et B. Agnetis in viâ Nomentanâ parochialium ecclesiarum praedictarum respective pro tempore existentium rectorum huiusmodi fuerit requisitus, solemniter publicans, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostrâ illos praemissorum omnium et singulorum plenario effectu pacifice frui et gaudere, atque eis de portionibus praedictis integre responderi, non permittens illos super his a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, ac manu regiâ compescendo.

Contrariorum derogatio.

§ 7. Non obstantibus nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon testantium voluntatibus aliisque dispositionibus, dictaeque Urbis ac artis agrariae in Urbe praedictâ, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, aut quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, in-

dultis et litteris apostolicis, libertatibus, immunitatibus et exemptionibus, Urbi et arti praedictis, ac Urbis populo, senatori ac conservatoribus, necnon artis eiusdem consulibus, artemque huiusmodi exercentibus, et quibuscumque ecclesiis et basilicis etiam parochialibus, aut cuiusvis Ordinis et instituti monasteriis ac religiosis domibus, etiam Mendicantium, Congregationi, etiam undecim Congregationum nuncupatae, Societati etiam Iesu, militiis etiam B. Ioannis Hierosolymitani, ac hospitalibus etiam nationalibus aut regularibus etiam S. Spiritus in Saxiâ, B. Antonii Viennensis, et generatim quibuscumque locis piis quomodolibet nuncupatis, et quibusvis aliis personis quomodolibet pariter nuncupatis, cuiuscumque gradus et conditionis, etiam speciali mentione dignis, eis eorumque praediis ac bonis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis ac irritantibus clausulis et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet etiam pluries concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumqe.

Nemo his litteris contradicere audeat.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis, confirmationis, innovationis, sanctionis, declarationis, praecepti, decreti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVI, XIII kalendas augustas, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 20 iulii 1726, pontif. anno III

CXXXV.

Confirmatur decretum generalis Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo, ne commissarius Tertii Ordinis eiusdem in provinciâ Fluminis Ianuarii, inconsulto ipso generali, removeri possit[1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio facti.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres provinciae Fluminis Ianuarii Tertii Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo, quod dilectus filius Gaspar Pizzolanti prior generalis dicti Ordinis, ne quicumque legitime electus sive institutus et acceptatus fuerit in commissarium eiusdem Tertii Ordinis in praedictâ provinciâ, donec eiusdem fratribus acceptus fuerit, possint[2] ab eo officio, ipso Gaspare priore generali eiusque successoribus inconsultis, removeri, etiam occasione promotionis ad provincialatum aut quodcumque aliud officium pro tempore exercitii cum illo incompatibile[3], prohibuit; et aliàs, prout uberius continetur in eius decreto desuper emanato tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum praedictum.

Die VI iulii MDCXXVI, viso retroscripto libello et attestatione seu relatione admodum reverendi patris procuratoris generalis hodierni, cupientes, quantum in nobis

1 Aliâ huius Pontificis const. edit. MDCCXXVII, die 30 augusti, pontif. IV, tertiarii eiusdem Ordinis subiiciuntur iurisdictioni ministri generalis.

2 Aptius lege *possit* (R. T.).

3 Edit. Main. legit *incompatibili* (R. T.).

est, ad utilitatem et incrementum dilectissimi nobis in Christo ac religiosissimi Tertii Ordinis opportune conferre, vi praesentium prohibemus, ne quicumque legitime electus sive institutus et acceptatus fuerit in commissarium eiusdem Tertii Ordinis in provinciâ nostrâ Fluvii Ianuarii, donec fuerit eisdem fratribus Tertiariis acceptus, possit ab eo officio, nobis aut successoribus nostris inconsultis, removeri, etiam occasione promotionis ad provincialatum aut quodcumque aliud officium pro tempore exercitii incompatibile cum supradicto; sed in eo casu substituatur alius religiosus pro eo tempore tantum, quo transacto, pater commissarius exerceat ut antea munus suum: sublatâ quibuscumque nostris inferioribus secus ordinandi aut faciendi potestate, omnemque institutionem novi commissarii, quae contra praesentium nostrarum litterarum tenorem imposterum fiat, ex nunc pro tunc nullam et irritam declaramus. Datum Romae in conventu nostro S. Mariae Transpontinae die et anno ut supra. — IOANNES GASPAR PIZZOLANTI generalis commissarius. — Fr. IOSEPHUS MARIA SOLARIUS provincialis Scotiae et secretarius reverendissimi patris. *Loco † sigilli.*

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut[1] dicti exponentes praemissa pro illorum firmiori subsistentiâ apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, prohibitionem a memorato Gasparo priore generali factam, ut praefertur, expeditumque desuper illius decretum praeinsertum, cum omnibus et singulis in eo contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac eisdem exponentibus in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, aut quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV iulii MDCCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 24 iulii 1726, pontif. anno III.

---

1 Aliquod deest ex. g. *accepimus*, (R. T).

CXXXVI.

Indulgetur monachis Ordinis S. Hieronymi provinciae Portugalliae usus cucullae, eo modo quo monachi eiusdem Ordinis Congregationis Lombardiae gestant[1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio facti. **§ 1.** Exponi nobis nuper fecerunt dilecti prior generalis, definitorium, priores, aliique monachi Congregationis S. Hieronymi in regno Portugalliae, quod (cum nos[2] confirmaverimus, eiusque monachale institutum declaraverimus, illudque sit idem quod dictus S. Hieronymus instituit et unà cum suis discipulis in Bethlehem professus fuit, quorum ipsi legitimi successores per continuatam successionem existunt, prout sunt monachi eiusdem S. Hieronymi Congregationis Italiae a quondam Lopo de Olmedo, dum vixit, monacho et superiore generali Congregationis Hispaniae instituti) ipsi exponentes, cum veri sint monachi et a nonnullis pro talibus ob cucullae defectum minime existimentur, ac[3] cucullâ scapularis coloris, quemadmodum monachi dictae Congregationis Italiae utuntur, et cum eâdem cucullâ, quae eorum habitus coloris existit, verbum Dei praedicare, et cum illâ in supplicationibus tam intra quam extra monasteria, et quoties eis in actu communitatis cum cruce et candelabris e monasterio egredi necesse erit, incedere, illique, qui crucem et candelabra huiusmodi gestabunt, cucullâ pro superpelliceo uti possint, facultatem a nobis concedi plurimum desiderent; itaut iisdem exponentibus etiam permissum sit, eorumque successoribus qui eiusmodi Congregationem ingredientur, super dictâ cucullâ pluviale in choro et extra illum in altare alicuius festivitatis solemnitatis occasione imponere, et cum eiusmodi cucullâ et stolâ absque superpelliceo sacramenta et christifidelibus sacram communionem administrare valeant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere[1] de benignitate apostolicâ dignaremur.

Indultum praedictum. § 2. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum; harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui relationem venerabilis fratris nostri Petri episcopi Sabinensis eiusdem S. R. E. cardinalis Ottoboni nuncupati, praedicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, super praemissis eisdem cardinalibus factam viderunt, consilio, ut ipsi exponentes et futuri eiusdem Congregationis monachi praedictae provinciae Portugalliae indumento cucullae fusci seu fulvi coloris, per constitutiones ipsius Ordinis a Sede praedictâ pluries confirmatas praescripto, eo praeciso modo, quo monachi memoratae Congregationis

[1] Aliâ huius Pontificis const. ed. MDCCXXVI, die 24 iunii, pontif. III, confirmantur quaedam decreta capituli generalis eiusdem provinciae, et Clementis XII const. edit. MDCCXXX, die 11 octobris, pontif. I, confirmantur constitutiones Congregationis Hispaniae eiusdem Ordinis.

[2] Forsan deest *eam* (R. T.).

[3] Potius lege *ut* pro *ac* (R. T.).

[1] Edit. Main. legit *indulgeri* (R. T.).

provinciae Lombardiae seu Longobardorum Italiae gestant et induuntur, eodem cum amictu tam in choro quam extra procedere possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, indulgemus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dictis exponentibus in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Congregationis, provinciae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV iulii MDCCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 24 iulii 1726, pontif. anno III.

CXXXVII.

Confirmantur decreta quaedam capituli generalis monachorum Ordinis S. Hieronymi Congregationis Portugalliae [1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus de Bettancurt, prior generalis Ordinis monachorum S. Hieronymi Congregationis Portugalliae, quod, cum in capitulo generali dicti Ordinis, quod in regio conventu Nostrae Dominae de Bethlehem nuncupato, extra muros civitatis Ulyssiponensis occidentalis sito, mense maio anni MDCCXXIV celebratum fuit, perpensum fuisset nonnullas interdum oriri inordinationes ex eo quod, cum iuxta eiusdem Ordinis constitutiones definitorium ex quatuor tantum definitoribus constituatur, istique, inter cetera, electionem prioris dicti conventus, qui etiam prior generalis totius Ordinis existit, confirmare aut reprobare debeant, propter vero aequalem votorum numerum contingere possit, ac interdum contingat, quod, in aequales votorum partes quatuor definitoribus divisis, quidquam canonice decerni non valeat, nec a constitutionibus huiusmodi praefixum sit quae pars eo casu praevalere debeat, siculi etiam in iisdem constitutionibus nihil circa praesidentem capituli generalis statutum reperiatur, solumque dispositum, quod, si quando unus ex quatuor definitoribus actualibus prior generalis extitisset, hic eiusdem capituli praeses esse debeat, et casus evenire possit quod nullus ex definitoribus prior generalis extiterit, indecisâ tunc remanente dicti praesidentis Expositio facti.

1 In praecedente constit. concessus fuit iisdem monachis usus cucullae ad instar monachorum eiusdem Ordinis Congregationis Lombardiae.

deputatione: ideo capitulum generale supradictum, celebratum ut praefertur, decrevit quod imposterum sit et esse debeat prior generalis totius Ordinis, qui in eodem capitulo sui generalatus officium absolvit, atque hic, eveniente casu praedictae aequalitatis votorum in definitoribus, votum decisivum habere debeat. Ac insuper idem capitulum, rectae novitiorum educationi consulere cupiens, et ad evitandam regularis disciplinae relaxationem ex eo potissimum ortam quòd novi alumni citius ab obedientiâ magistrorum eximuntur, mandavit ut in posterum novitii tam conventuales quam collegiales sub obedientiâ suorum magistrorum vivere debeant per sexennium, nec ullo modo liceat eidem priori generali super eiusmodi decreto eiusque observantiâ dispensare: et aliàs, prout in memoratis decretis constare asseritur.

Confirmatio relatorum decretorum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Franciscus prior generalis praemissa, quo firmius subsistant, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, dictum Franciscum priorem generalem specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, suprascripta decreta capituli generalis, cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras, firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Congregationis et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV iulii MDCCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 24 iulii 1726, pontif. anno III.

CXXXVIII.

Confirmatur erectio conservatorii pauperum puellarum oppidi Guimarensis, Bracharensis dioecesis, in monasterium Tertii Ordinis Carmelitarum[1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a curà regularis vitae propagandae.

Sacrosanctae militantis Ecclesiae gubernacula ex summi sacerdotii cathedrâ nobis meritis licet imparibus demandata tenentes, ad ea, per quae pauperes puellae, olim sub aliquali vivendi regulâ in communi domo conservatorii viventes, tandem, spretis huius infelicis saeculi illecebris, tamquam prudentes virgines accensis lampadibus obviam iturae sponso Iesu, eâdem domo in monasterium erectâ, assumptoque regulari habitu, perpetuum Altissimo famulatum impendere, aeternamque beatitudinem consequi[2] valeant, ac exinde honoris flores et honestatis fructus regularisque vitae propagatio deveniant, propensis studiis intendimus; et ne in posterum de huiusmodi erectionis validate haesitari contingat, sed litium anfractibus et dissidiis super hoc habitis hucusque finis perpetuo imponatur, ac personae in eâ degentes divinis laudibus eâ quâ par est mentis puritate et cordis sinceritate liberius insistant, erectionem monasterii huiusmodi apostolicae confirmationis munimine roborantes, pastoralis officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout, personarum huiusmodi ac locorum et temporum qualitatibus maturâ consideratione pensatis, in Domino conspicimus salubriter expedire.

Refertur fundatio praedicti conservatorii, eiusque erectio in monasterium Tertii Ordinis Carmelitarum.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, aliàs, videlicet de anno Domini MDCLXXXV, seu alio veriori tempore, in oppido de Guimarensi, Bracharensis dioecesis, simplex conservatorium nonnullarum puellarum in communi viventium per quemdam tunc in humanis agentem Franciscum Antunes Torres, dum viveret, seu iuxta eius, sub qua ab humanis decessit, dispositionem testamentariam, fundatum et erectum extiterit; subinde vero, scilicet de anno eiusdem Domini MDCLXXXVII, puellae praefatae habitum et institutum Ordinis fratrum Carmelitarum Tertii Ordinis nuncupatorum de manibus eiusdem Ordinis superiorum susceperint, adauctisque paucis ab inde annis tam illius fabricâ regio diplomate mediante constructâ, quam annuis redditibus et tertiariarum numero, tunc existens loci Ordinarius non tantum ecclesiae de eius licentiâ extructae benedictionem impartiri, verum etiam ibidem sanctissimum Eucharistiae sacramentum reponi, claustra benedici, nonnullas sepulturas pro eisdem puellis aperiri concesserit, dictaeque puellae sese noviter iurisdictioni et gubernio tunc existentium superiorum eiusdem Ordinis submiserint, ac sub regimine dilecti filii fratris Antonii de Incarnatione tunc existentis commissarii generalis dicti Ordinis in regno Portugalliae per aliquod temporis spatium permanserint; cumque in constitutione Pii PP. V praedecessoris nostri, quae incipit *Circa pastoralis*, *etc.*, caveatur expresse quod puellae in huiusmodi conservatoriis degentes, vel in manibus propriorum superiorum solemnem emittere teneantur professionem, aut conservatoria huiusmodi dissolvantur et supprimantur; proptereaque de anno pariter Domini MDCCIV, seu etiam

[1] Aliae duae extant huius Pontificis constitutiones pro iisdem tertiariis, in quarum unâ edit. MDCCXXVI, die 24 iulii, pontif. III, cavetur ne commissarius provinciae Fluminis Ianuarii inconsulto generali removeatur; in alterâ edit. MDCCXXVII, die 30 augusti, pontif. IV, subiiciuntur iurisdictioni generalis.

[2] Pessime edit. Main. legit *consecrati* (R. T.).

alio veriori tempore, cum tunc existentes puellae praefatae opportunum situm, clausuram, officinas, dormitoria, cellas ac supellectilia sacra et profana, necessariosque annuos redditus haberent, et, nemine contradicente, concurrentibus in eisdem omnibus necessariis requisitis pro erectione conservatorii praefati in monasterium monialium praefati Ordinis, earum solemnem professionem in manibus praefati commissarii generalis specialiter ad id a tunc existente dicti Ordinis superiore generali deputati expresse emiserint; qua solemni professione trium substantialium votorum ac perpetuae clausurae in manibus superiorum dicti Ordinis iuxta constitutionem praefatam ut praefertur emissâ, licet dictum conservatorium formale monasterium, ac puellae praefatae moniales dicti Ordinis respective evaserint, et, ab omnimodâ iurisdictione Ordinarii exemptae, superioribus dicti Ordinis, qui eas usque ad annum eiusdem Domini MDCCVII pacifice gubernarunt, subiectae extiterint; nihilominus eo tempore, ut etiam accepimus, tam a venerabili fratre moderno archiepiscopo Bracharensi, quam a dilecto etiam filio moderno parochialis ecclesiae eiusdem oppidi rectore, eo sub praetextu quod puellae praefatae per illius manus Paschale Sacramentum non suscepissent, ac sub praetentione, quod ipsae vere moniales non existerent, nec a iurisdictione eiusdem Ordinarii exemptae essent, varias litium molestias passae fuerant; quapropter, habito per dilectas in Christo filias modernas priorissas et moniales praefati monasterii in gradu appellationis ad tribunal nunciaturae apostolicae Portugalliensis recursu, de anno similiter Domini MDCCVIII in liberâ possessione exemptionis ab Ordinarii praefati iurisdictione, prout erant, manuteri obtinuerunt, et deinde ad Sedem Apostolicam pro approbatione et confirmatione erectionis praefati monasterii, ac, quatenus opus esset, cuiuslibet nullitatis, quae in eâ intervenire potuisset, sanatione, recursu etiam desuper habito, de anno pariter Domini MDCCXVIII a dilecto etiam filio nostro et Sedis Apostolicae praefatae nuncio in Portugalliae et Algarbiorum regnis commorante favorabilem informationem reportaverint, dictusque archiepiscopus ab inde citra se opposuerit, sub praetextu quod conservatorium praefatum absque Sedis Apostolicae praefatae licentiâ ac Ordinarii consensu nulliter in monasterium monialium erectum fuisset, ac priorissa et moniales praefatae, utpote nulliter professae, sub illius iurisdictione adhuc remanere deberent:

§ 2. Nos igitur, qui, quantum in Domino possumus, personarum quarumlibet praesertim monialium regularis vitae disciplinam servantium quietem et tranquillitatem, litium iurgiorumque perturbatione remotâ, paternis et sinceris desideramus affectibus, ac attendentes quod, licet conservatorii huiusmodi ut praefertur in monasterium praefati Ornis erectio et institutio usque et de praefato anno Domini MDCCIV earum plenarium sortitae fuerint effectum, ac priorissa et moniales praefatae in eodem monasterio ad formam erectionis et institutionis praefatarum Altissimo famulatum exhibentes in divinis laudabiliter deservierint et deserviant de praesenti, et ab inde citra constitutiones seu ordinationes aut regulae secundum earum institutum pacifice et absque ullâ contradictione per eas observatae fuerint, nihilominus[1], ne de electionis et institutionis huiusmodi viribus, ex quo illae[2] — Confirmatio praefatae erectionis.

1 Edit. Main. legit *ille* (R. T.).
2 Syntaxis inabsoluta manet (R. T.).

apostolicâ auctoritate factae non fuerint ac expressus Ordinarii loci huiusmodi desuper consensus non intercesserit, et ne de eiusdem monasterii stabilitate ullo unquam tempore haesitari contingat, monasterii praefati statui et stabilitati, dictarumque priorissae et monialium conscientiarum quieti et tranquillitati in praemissis opportune providere, easque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, necnon earum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, motu proprio et ex certâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, praefati monasterii erectionem et institutionem, ut praefertur factas, apostolicâ auctoritate praefatâ, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, et, quatenus opus sit, sanamus et convalidamus.

Moniales eiusdem ab Ordinarii iurisdictione eximuntur, ac regimini superiorum dicti Ordinis subiiciuntur.

§ 3. Ac dicti monasterii priorissam et moniales, nunc et pro tempore existentes, ab omnimodâ iurisdictione praefati moderni et pro tempore existentis archiepiscopi Bracharensis, ac etiam praefati moderni et pro tempore existentis eiusdem parochialis ecclesiae rectoris, etiam perpetuo eximimus et liberamus, ac immediato pro tempore existentium superiorum regularium praefati Ordinis, a quibus actu reguntur et gubernantur, iurisdictioni ac regimini subiicimus, cum facultate eisdem superioribus regularibus pro tempore existentibus tradendi priorissae et monialibus praefatis nunc et pro tempore existentibus tam probationis quam professionis velum, ita tamen ut moniales, quae in eodem monasterio sub illius regulâ recipientur et admittentur in futurum, habitum per alias moniales praefati Ordinis gestari solitum suscipere, et, tempore probationis elapso, professionem per easdem emitti consuetam expresse emittere, regulam, necnon perpetuam clausuram, ac ritus, mores, consuetudines et regularia instituta praefati Ordinis servare, divinisque laudibus et officiis insistere debeant et teneantur.

Eisque nonnulla privilegia exemptiones et gratiae indulgentur.

§ 4. Et insuper eidem monasterio illiusque priorissae et monialibus nunc et pro tempore existentibus, quod omnia earum bona, ac quicumque census, terrae, domus, possessiones, bona mobilia et immobilia, quovis nomine nuncupata, per quoscumque christifideles, in perpetuum vel ad tempus, simulque vel successive, pro augumento bonorum monasterii huiusmodi, et monialium in eo pro tempore degentium seu alicuius earum intuitu vel contemplatione, ac etiam titulo eleemosynae, vel aliàs quomodolibet donata, assignata et erogata, ac imposterum donanda, assignanda et eroganda, ex nunc prout et postquam donata, assignata et erogata fuerint, libera, immunia et exempta a decimis et aliis quibuscumque oneribus et impositionibus esse debeant (ita quod liceat priorissae et monialibus nunc et pro tempore existentibus praefatis corporalem, realem et actualem illorum, iuriumque et pertinentiarum quarumcumque possessionem, per se, vel alium seu alios earum ac dicti monasterii nominibus, propriâ auctoritate libere apprehendere et apprehensam perpetuo retinere, fructus quoque, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta ex eis provenientia quaecumque percipere, exigere, levare, arrendare, locare, dislocare, ac in communes earum et dicti monasterii usus et uti-

litatem convertere, dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentiâ desuper minime requisitâ), quodque priorissa et moniales nunc et pro tempore existentes praefatae omnibus et singulis privilegiis, facultatibus, immunitatibus, exemptionibus, praerogativis, praeeminentiis, antelationibus, concessionibus, indultis, indulgentiis, favoribus et gratiis universis tam spiritualibus quam temporalibus, quibus aliae moniales dicti Ordinis, in genere vel in specie, etiam per viam simplicis communicationis, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, similiter et pariformiter, ac absque ullâ prorsus differentiâ, uti, frui, potiri et gaudere possint et valeant, in omnibus et per omnia, dummodo tamen illa seu illae sint in usu et non revocata seu revocatae, nec sub aliquâ revocatione comprehensa, ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis et constitutionibus apostolicis dictique Ordinis institutis non adversentur, eâdem apostolicâ auctoritate similiter perpetuo concedimus et indulgemus.

Approbantur praedicti monasterii constitutiones seu regulae.

§ 5. Necnon constitutiones aut ordinationes seu regulas huiusmodi pro firmiori illarum validitate et subsistentiâ, apostolicâ auctoritate praefatâ etiam perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis et irrefragabilis apostolicae firmitatis robur, vim et efficaciam adiicimus, illasque ab omnibus ad quas nunc spectat et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum, firmiter et inviolabiliter observari et adimpleri.

Clausulae speciales.

§ 6. Praesentes quoque nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae seu alio quocumque defectu notari, impugnari, invalidari, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus, per nos et Sedem Apostolicam praefatam, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu simili, et de scientiâ et apostolicae potestatis plenitudine paribus, pro tempore factis et faciendis, comprehendi vel confundi, sed, tamquam ad maius divini cultus augumentum factas et emanatas, semper ab illis excipi, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ per nunc et pro tempore existentes priorissam et moniales monasterii praefati quandocumque eligendâ concessas, ac validas et efficaces fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque, et non aliàs, per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, et, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane motu pari decernimus.

Deputantur exequutores.

§ 7. Et insuper, quatenus opus sit, pro praemissorum observatione venerabilibus fratribus archiepiscopo Lacaedemoniensi et episcopo Tagastensi, ac dilecto similiter filio Emanueli Alvares Cidade, canonico ecclesiae Elborensis, motu simili per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, easdem praesentes et in eis contenta quae-

cumque, ubi et quandocumque opus fuerit, et quoties pro parte priorissae et monialium nunc et pro tempore existentium[1] praefatarum requisiti fuerint, solemniter publicantes, eis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illas et in eis contenta huiusmodi ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, illisque pacifice frui et gaudere, non permittentes quempiam ex priorissâ et monialibus nunc et pro tempore existentibus[2] praedictis desuper quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, servatâ tamen formâ Concilii Trieentini, appellatione pospositâ, compescendo.

Derogatoriae peculiares.

§ 9. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii PP. VIII, etiam praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo tamen ultra tres dietas aliquis vigore earumdem praesentium extra suam dioecesim ad iudicium non trahatur, et quibuscumque praetensionibus praedicti archiepiscopi sive eius promotoris fiscalis, et quacumque lite in quocumque tribunali aut Congregatione Urbis et de partibus indecisâ pendente[3], ac quibusvis apostolicis, etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis vel edendis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem monasterio ac quibusvis aliis superioribus et personis, in genere vel in specie, aut aliàs in contrarium praemissorum forsan quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficiente derogatione aliàs de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, latissime et plenissime ac specialiter et expresse, necnon opportune et valide, hac vice dumtaxat, motu simili, deque scientiâ et potestatis plenitudine paribus, derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III augusti MDCCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 3 augusti 1726, pontif. anno III.

CXXXIX.

Adscribitur beatorum catalogo serva Dei Hyacintha de Marescottis, monialis Tertii Ordinis S. Francisci[1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium a delito promovendi cultus sanctarum virginum.

Quemadmodum redemptor et magister noster Christus Iesus, qui sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, sacras virgines, quae in diebus suae peregrinationis, oblitae populum suum et domum patris sui, propriam voluntatem cum omnibus concupiscentiis crucifixam Deo

1 Edit. Main. legit *existentes* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *existentes* (R. T.).
3 Male edit. Main. legit *quamcumque litem... pendentem* (R. T.).

1 Aliâ huius Pontificis const. ed. MDCCXXVIII, die 14 maii, pontif. IV, Beatus declaratur servus Dei Ioannes de Prado Ordinis Minorum S. Francisci Excalceatorum.

sub suavi religionis iugo obtulerunt in holocaustum et odorem suavitatis, ac virtute ex alto indutae, et spiritu vitae que austeritate facta carnis mortificantes, bonum certamen certarunt, fidemque servantes, cursum feliciter consummarunt, ac intrare cum Sponso ad nuptias meruerunt, immarcescibilis gloriae coronâ donat in caelis, harumque sanctitatem interdum signis, atque portentis testatam facit; ita et nos, qui eius vices, licet immeriti, in hac terrenâ statione gerimus, magistri nostri vestigiis, quantum nostra fert infirmitas, inhaerentes, illarum in terris cultum et venerationem, ut ipsarum Christi ancillarum virtutes narrent populi, ac laudes earum nuntiet Ecclesia, et, quae sequuntur Agnum quocumque ierit, luctanti cum saeculi tentationibus imbecillitati nostrae adiutorii caelestis opem et praesidium a Sponso iugiter impetrare dignentur, promovere studemus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, catholicae Ecclesiae decus, fidelium aedificationem, et animarum salutem salubriter in Domino expedire arbitramur.

Iudicium Congregationis pro praedictae servae Dei beatificatione.

§ 1. Cum itaque, mature diligenterque discussis atque perpensis per Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum processibus de Apostolicae Sedis licentiâ confectis super vitae sanctitate et virtutibus tam theologicis quam moralibus in gradu heroico, quibus serva Dei Hyacintha de Mariscottis monialis professa Tertii Ordinis S. Francisci multipliciter claruisse, necnon miraculis quae eius intercessione et ad manifestandam hominibus illius sanctitatem a Deo patrata fuisse asserebantur, eadem Congregatio coram nobis constituta, auditis etiam consultorum suffragiis, unanimiter censùerit[1] posse, quandocumque nobis videretur, praedictam servam Dei Beatam declarari, atque interim indulgeri ut de eâ tamquam de virgine non martyre in quibusdam locis officium et missa recitari et celebrari valeant:

Praedicta serva Dei beata declaratur.

§ 2. Hinc est quod nos, piis atque enixis dilecti filii nobilis viri Francisci Mariae Ruspoli terrae Cerveteris principis, aliorumque causae beatificationis huiusmodi postulatorum, ac totius Ordinis fratrum Minorum S. Francisci, necnon dilectarum in Christo filiarum monalium monasterii S. Bernardini Viterbiensis, in quo praefata serva Dei Hyacintha professionem regularem emiserat ac diem obiit, supplicationibus (quas dudum plures etiam carissimi in Christo filii nostri orthodoxi reges ac alii sublimes catholici principes devotarum suarum precum accessione roboraverant) nobis super hoc humiliter porrectis paternâ benignitate annuentes, de memoratorum cardinalium consilio pariter et assensu, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, indulgemus ut eadem Dei serva Hyacintha de Mariscottis in posterum Beatae nomine nuncupetur, eiusque corpus et reliquiae venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferenda) exponantur, imagines quoque radiis seu splendoribus exornentur, atque de eâ quotannis die anniversariâ felicis eius obitus, seu aliâ die non impeditâ illam immediate sequenti, recitetur officium et missa celebretur de virgine non martyre, iuxta rubricas breviarii et missalis romani.

Conceditur facultas celebrandi missam et officium eiusdem beatae recitandi in certis quibusdam locis.

§ 3. Porro recitationem officii et missae celebrationem huiusmodi fieri concedimus in locis dumtaxat infrascriptis, videlicet, in terrâ Vignanelli, Civitatiscastellanensis dioecesis, in qua dicta serva Dei nata est, in civitate Viterbiensi, ubi ad caelos evolavit ac venerabile eius

1 Edit. Main. legit *censuerint* (R. T.).

corpus requiescit, et in universo Ordine S. Francisci tam fratrum quam monialium, et, quantum ad missas attinet, etiam a sacerdotibus confluentibus. Praeterea, primo dumtaxat anno, a datis hisce litteris, et, quoad Indias, a die quo eaedem praesentes litterae illuc pervenerint, inchoando, in ecclesiis terrae, civitatis et Ordinis praefatorum solemnia beatificationis eiusdem servae Dei cum officio et missâ sub ritu duplici maiori, die ab Ordinariis respective constitutâ et intra sex menses promulgandâ, postquam tamen in basilicâ Principis Apostolorum de Urbe celebrata fuerint eadem solemnia, pro qua re diem primam mensis septembris proxime venturi assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac decretis de et super non cultu editis, ceterisque contraris quibuscumque.

Fides habenda transumptis. § 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu secretarii praefatae Congregationis cardinalium subscriptis, et sigillo praefecti eiusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus et ubicumque tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII augusti MDCCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 7 augusti 1726, pontif. anno III.

CXL.

Decernitur, ut deinceps locus consultoris sacrae Rituum Congregationis uni ex fratribus Ordinis Servorum beatae Mariae Virginis concedatur[1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Ratio iustitiae exigit ut religiosorum virorum Ordines in Ecclesiâ Dei pie sancteque instituti, qui multos pro religione labores continuo sustinent, congruis honoribus et gratiis decoremus.

Preces prioris generalis dicti Ordinis. § 1. Cum itaque, sicut dilectus filius modernus prior generalis Ordinis fratrum Servorum beatae Mariae Virginis nobis nuper exponi fecit, ipse, qui unus ex consultoribus Congregationis venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium sacris Ritibus praepositae existit, locum fixum consultoribus[2] huiusmodi eidem suo Ordini assignari summopere desideret: nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Decretum praedictae concessionis. § 2. Nos igitur, erga praedictum Ordinem, quem in visceribus gerimus charitatis, aliquod paternae nostrae benevolentiae monumentum exercere cupientes, ipsumque priorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationi-

1 Simile privilegium concessum fuit aliâ huius Pontif. constit. edit. MDCCXXV, die 7 augusti, pontif. II, uni ex fratribus Conventualibus S. Francisci.

2 Forsan *inter consultores*, vel *unius e consultoribus* (R. T.).

bus inclinati, ut deinceps perpetuis futuris temporibus locus consultoris praedictae Congregationis cardinalium, succedente illius pro tempore vacatione, uni ex memorati Ordinis professoribus concedi et assignari debeat, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus et ordinamus.

Clausulae. § 3. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII augusti MDCCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 8 augusti 1726, pontif. anno III.

CXLI.

Extenditur constitutio edita pro tertiariis Ordinis S. Francisci ad tertiarias Ordinis Servorum beatae Mariae Virginis [1].

Benedictus Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Expositio facti. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni prior et procurator generalis fratrum Ordinis Servorum beatae Mariae Virginis, quod (cum ipsi longâ experientiâ cognoverunt nonnullas molestias vexationesque, quas eiusdem Ordinis tertiariae tolerant ab illis locorum Ordinariis qui eiusmodi tertiarias ad eorum dependentiam seu superioritatem adigere volunt, exoriri, idque eisdem tertiariis animi perturbationem et spiritus dispersionem, atque praedicti Ordinis superioribus non modicam inquietudinem parere) dicti exponentes, quo similibus inordinationibus occurrant, litteras nostras sub plumbo desuper ad perpetuam rei memoriam anno Incarnationis dominicae MDCCXXV, IV idus decembris, pontificatus nostri anno II expeditas, per quas inter alia tertiariae Ordinis S. Francisci a iurisdictione et dependentiâ Ordinariorum eximuntur, ad tertiarias primodicti Ordinis per nos extendi summopere desiderant, praesertim quia hunc Ordinem a felicis recordationis Innocentio Papa VIII praedecessore nostro ad participationem privilegiorum quatuor aliorum Ordinum Mendicantium admissum fuisse memoratur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Extensio ut in rubrica. § 2. Nos igitur, ipsos priorem et procuratorem generalem specialibus favoribus

1 Laudata constitutio edita est MDCCXXV, die 10 decembris, pontif. I.

et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, litteras nostras praedictas, per quas tertiarias secundodicti Ordinis omnimodae iurisdictioni et regimini earum ministri generalis subiiciuntur, ad tertiarias primodicti Ordinis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo extendimus et ampliamus, itaut illae prioris generalis pro tempore existentis huius Ordinis curae et superioritati subiectae omnino sint.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, primodicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, aut quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII augusti MDCCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 8 augusti 1726, pontif. anno III.

CXLII.

Statuuntur nonnulla pro recto regimine hospitalium et Montis Pietatis civitatis Caesenae[1].

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a benevolentiâ in ecclesiam Caesenatem olim sponsam suam.

Quotiescumque cogitamus (hoc autem saepe contingit) nos ecclesiae Caesenati sex et quadraginta ab hinc annis pastorali officio praefuisse, toties memoriâ repetimus regulas, instructiones, edicta et synodales constitutiones, quibus illius episcopatus rebus et praecipue locorum piorum administrationi pro nostri ingenii viribus providere curavimus. Postquam vero ineffabile Dei consilium, nullis exigentibus meritis nostris, in cathedrâ B. Petri apostolorum Principis sedere nos voluit, saepenumero ad eamdem dilectissimam olim sponsam nostram ecclesiam Caesenatem oculos pontificiae charitatis convertimus, ut aliquod nostrae pro eâ sollicitudinis argumentum ostenderemus. Dumque se nobis primo obtutu seminarium clericorum saecularium episcopatus obtulit, statim de illo amplificando novisque redditibus augendo decrevimus, ut adolescentes, militiae ecclesiasticae nomen daturi, in eo moribus et litteris, quae decent sacros ministros, commodius imbuantur.

Causae praesentis constitutionis, iniuria nempe in gubernandis xenodochiis aliisque piis locis.

§ 1. Quum vero nuper haud modicâ animi nostri perturbatione rursus nobis innotuerit, quod ceteroquin oculis nostris olim adspeximus, atque hisce manibus contrectavimus, xenodochia nimirum, sive hospitalia, et Montem Pietatis Caesenae, ob incuriam et culpam laicorum, non eâ quâ decet curâ et vigi-

[1] De statuto erecto ab hoc pontifice Romae pro hospitali S. Gallicani vide constit. editam MDCCXXVI, die 6 decembris, pontif. III.

lantiâ gubernari, eorum redditus, in peregrinorum et pauperum beneficium convertendos, Dei timore postposito, dissipari, quaeque pii eorumdem auctores Dei obsequio et religioni destinaverant, iam dudum dilapidari: nos, huic malo remedium aliquod allaturi, praesentem constitutionem nostram edere decrevimus, duodecim capita complectentem, pro eorumdem xenodochiorum sive hospitalium et Montis Pietatis tutiori administratione in posterum observandâ, ne amplius ea, quae peregrinis et pauperibus Christi veterum Caesenatensium pietas danda esse voluit, in alios usus contra eorum mentem manifestâ Dei offensione transferantur. Capita vero, quae diximus, huic nostrae constitutioni inseri[1] volumus, ut perpetuis futuris temporibus legi, neque ab ullo, ad quem pertinere videbuntur, ignorari unquam possint. Haec autem sunt:

Pro hospitali SS. Crucifixi.

De numero, ordine et electione priorum hospitalis SS. Crucifixi.

I. Priores, ad regimen hospitalis SS. Crucifixi deputati, perpetuis futuris temporibus sint decem tantum. Horum quinque sint ex ordine ecclesiastico saeculari, unus ex canonicis ecclesiae cathedralis decretorum doctor, qui primicerii vocabulo utatur, duo alii sint ex numero parochorum, ceteri duo ex numero simplicium presbyterorum; quinque reliqui de more sint ex laicis. Quinque vero illi ecclesiastici ab episcopo eligantur, ad nutum eiusdem episcopi, quandocumque et quomodocumque ipsi placuerit, inde amovendi; sed quinque reliqui ex ordine laicorum, de more, a publico et generali caetu consiliariorum civitatis eligantur.

Quinam eligendi.

II. In quocumque munere et officio, quod inter priores eiusdem hospitalis SS. Crucifixi distribui contigerit, nunquam bini aut singuli tantum laici habeantur, sed unus ex ecclesiasticis, alter ex laicis.

De rationario reddituum.

III. Inter ministros hospitalis SS. Crucifixi rationarius seu calculator et director eius reddituum[1] sit semper extraneus, a solo episcopo eligendus, cuius etiam nutu ex officio suo removeri possit. Ad eumdem rationarium et calculatorem pertineat examinare et recognoscere administrationes quae fiunt in ceteris locis piis civitatis; quaeque propterea eam portionem in annuum eiusdem rationarii stipendium de suo conferant quam episcopus ei tribuendam et conferendam iudicabit, omni recursu et appellatione remotâ.

Pro hospitali S. Tobiae.

De numero, ordine et electione priorum hospitalis S. Tobiae.

IV. Ex duodecim prioribus, ad regimen hospitalis aliis[2] S. Tobiae deputatis, perpetuis futuris temporibus sex sint ex ordine ecclesiastico saeculari, nimirum duo ex canonicis ecclesiae cathedralis, duo ex parochis, duo ex simplicibus presbyteris; hos sex solus episcopus eligat, semper eius nutu inde amovendos: ceteri sex sint ex ordine laicorum, eo modo eligendi, quem constitutiones eiusdem hospitalis praescribunt.

Executio committitur episcopo.

V. Ut hae nostrae sanctiones plenum et citissimum effectum obtineant, venerabili fratri nostro Ioanni Baptistae episcopo iniungimus, ut, statim ac praesertim nostram constitutionem acceperit, ex prioribus laicis, regimini eiusdem hospitalis S. Tobiae deputatis, sex solos antiquiores in suo officio relinquat; sed pro sex reliquis recentioribus itidem laicis, ipse eligat sex alios ex ordine ecclesiastico, ut superius dictum est.

Dilapidationes sumptuum caventur.

VI. Ne redditus hospitalis, qui Christi pauperibus et peregrinis alendis sunt adsignati, deinceps in comessationes, compotationes et convivia impendantur, primo volumus, atque harum tenore iubemus et declaramus, ut tria prandia, sumptibus eiusdem hospitalis S. Tobiae sub praetextu viatorum quotannis parari solita, in festo Nativitatis domini nostri Iesu Christi, feriâ quintâ in Coenâ Domini, et in festo Resurrectionis dominicae, omnino aboleantur, nec amplius parari possint; secundo, omnes eleemosynae tritici, panis, leguminum, nummorum, carnis, vini, aliarumque rerum,

1 Ed. Main. habet *inferi, fors. inferri* (R.T.).

1 Edit. Main. legit *redditum* (R. T.).

2 Forsan *aliis*, vel *alius*, vel *alterius* (R. T.).

quae hactenus bis in anno, hoc est in solemnibus Natalis et Paschatis Christi domini distribui consueverunt, pari pacto aboleantur; tertio, omnes sumptus inutiles et omnino supervacanei in prandiis, ientaculis, comessationibus, conviviis, coenis, refrigerationibus, et ceteris huiusmodi voluptatibus, occasione congregationum, processionum, recognitionum et bonorum visitationum fieri solitis, omnino aboleantur, sub poenâ singulis transgressoribus centum scutorum argenteorum ipso facto incurrendâ et eorumdem aere pro ratâ solvendâ, quae seminario clericorum saecularium eiusdem episcopatus appplicabitur.

Redditus superflui seminario adiudicantur.

VII. Completo anno administrationis eiusdem hospitalis S. Tobiae, et statim recognitione factâ, quaecumque ex annuis et necessariis sumptibus eiusdem hospitalis supererint, volumus ut perpetuo eidem seminario clericorum saecularium adiudicentur.

De congregationibus, suffragiis et iure episcopi.

VIII. Quotiescumque eiusdem hospitalis priores congregari contigerit, ut de rebus ad hospitale pertinentibus aliquid secretis suffragiis decernant, eorumdem suffragia, si fuerint numero utrinque paris [1], rursus ad nova suffragia non procedatur, sed episcopus ipse, vel eius vicarius generalis iussu et nomine eiusdem episcopi, suo proprio suffragio possit et debeat illorum suffragiorum aequalitatem tollere, eique parti adhaerere cui pro suâ prudentiâ et arbitrio sibi adhaerendum censebit. Nullus vero actus, nulla congregatio sine praesentiâ episcopi aut eius vicarii generalis fieri possit. Hoc sub poenâ omnium actorum nullitatis observandum indicimus. Atque hoc idem caput etiam de hospitali SS. Crucifixi dictum intelligatur.

De pensione solvendâ seminario.

IX. Idem hospitale et confraternitas S. Tobiae, ceteraeque duae S. Mariae a Populo et S. Mariae a Suffragio, quibus singulis per litteras nostras apostolicas in formâ Brevis editas die XXX maii elapsi anni MDCCXXV iniunctum fuit onus perpetuae pensionis scutorum argenteorum monetae romanae quinquaginta, seminario episcopali clericorum saecularium [2], perpetuis futuris temporibus persolvendae, eiusdem pensionis medietatem singulis semestribus anticipato solvere debeant. Si octiduo ab elapso semestri aliqua ex iis tribus confraternitatibus medietatem eiusdem pensionis, anticipatò solvere neglexerit, tunc duplicatam pensionem solvere omnino debeat.

Pro Monte Pietatis.

De aestimatore pignorum eligendo.

X. Ceteris ministris et officialibus Montis Pietatis adiungatur aestimator pignorum semper a solo episcopo eligendus, eidemque subiectus, atque inde eius nutu et arbitrio amovendus. Huic autem ministro, uti reliquis, eam mercedem solvat Mons Pietatis, quae ab episcopo solvenda censebitur.

De praesidibus.

XI. Praeter duos praesides laicos eiusdem Montis Pietatis publico et generali coetu consiliariorum civitatis eligendos, episcopus duos alios eligat ex ordine ecclesiastico saeculari, eius nutu et arbitrio inde amovendos, quibus eadem onera et emolumenta dabuntur, quae duobus praesidibus laicis dari consueverunt.

De iure episcopi.

XII. Episcopus perpetuis futuris temporibus, independenter a quocumque, plenâ et liberâ facultate potiatur augendi, minuendi, declarandi, moderandi constitutiones, ordines et capitula pro bono regimine eiusdem Montis Pietatis sancita et statuta, quibus non tantum ministri et officiales eiusdem Montis subiaceant, sed etiam officiales civitatis in omnibus et quibuscumque rebus ad eumdem Montem Pietatis pertinentibus, sub poenis quod in iisdem constitutionibus vulgabuntur.

Confirmatio et clausulae derogatoriae.

§ 2. Hactenus capita duodecim ad hospitalia SS. Crucifixi et S. Tobiae ac ad Montem Pietatis Caesenae pertinentia, perpetuisque futuris temporibus inviolabiliter observanda, non obstantibus quibuscumque consuetudinibus, et, quatenus opus sit, seminarii, hospitalium et Montis Pietatis praedictorum respective fundatione et erectione, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, eorumdem seminarii, hospitalium et Montis Pietatis, etiam iuramento,

1 Vel *paria*, vel *pari* legendum (R. T.).

2 Edit. Main. legit *seminarium* (R. T.).

confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ respective roboratis, statutis, consuetudinibus, privilegiis, et litteris apostolicis, eis et eorum cuilibet respective quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque respective tenoribus expressa mentio habenda esset in his nostris litteris, ad praemissorum omnium et singulorum effectum, illis aliàs in suo robore permansuris, latissime et plenissime ac speciatim et expresse hac vice dumtaxat apostolicâ auctoritate respective derogamus et derogari volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis, decreti, statuti et declarationis infringere, aut ei temerario ausu contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVI, XVIII kalendas septembris, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 15 augusti 1726, pontif. anno III.

CXLIII.

Indulgetur monachis Congregationis Vallisoletanae Ordinis S. Benedicti, ut ipsorum abbas generalis semel tantum infra quadriennium sui officii visitationem peragere teneatur [1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Abbas generalis praedictae Congregationis

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii monachi Congregationis Vallisoletanae Ordinis S. Benedicti, tam suo quam eorum abbatis generalis nomine, quod in capitulo generali eiusdem Congregationis anno MDCX celebrato stabilitae fuerunt variae constitutiones, quarum una concernit visitationem monasteriorum, quam infra quadriennium abbas generalis dictae Congregationis durante eius officio bis personaliter peragere debet; si autem legitime impeditus fuerit, alteram earum per suos commissarios deputatos adimplere potest, sed, si possibile fuerit, semel eiusmodi visitationem per seipsum peragere tenetur: prout legitur in libro I statutorum Madriti anno MDCVI editorum, cap. XXIX, n. I, per quae mandatur ut abbas generalis visitet bis in quadriennio omnes domus religionis, necnon suae conventualitatis, et oneratur eius conscientia ut has visitationes per se personaliter agere procuret, primam scilicet annis duobus prioribus, et secundam duobus annis posterioribus; si vero propter morbum aliasque occupationes peragere eas non possit, decernitur et statuitur, sub poenâ gravis culpae, ut bis in quadriennio, aut per se, aut per suos commissarios, ullam domum, sed saltem singulas per seipsum semel visitare non omittat.

iuxta constitutiones eiusdem antea tenebatur bis infra quadriennium visitationem peragere.

Idemque statutum fuit a Paulo V.

§ 2. In quibusdam vero litteris felicis recordationis Pauli PP. V praedecessoris nostri desuper in simili formâ Brevis die IX decembris MDCXI expeditis earumdem constitutionum confirmatoriis, quarum initium est *Ex iniuncto nobis*, etc., legitur sic: « Septimo, quod non sint visitatores nec suppletores eorum, sed quod generalis bis visitet Congregationem in quadriennio per se ipsum, si potuerit, sive per suos commissarios; sed si possibile fuerit, non omittat per seipsum semel tantum visitare omnia monasteria Congregationis »: et aliàs,

[1] Hac de re vide Pauli V, necnon Gregorii XIII et Urbani VIII const. infra citatas.

prout in praedictis Pauli praedecessoris litteris uberius dicitur contineri.

Causae praesentis constitutionis.

§ 3. Porro, cum experientia docuerit enunciatas duas visitationes hucusque factas anno primo et ultimo quadriennii fuisse parum fructuosas; quippe primo anno abbates novi nondum totaliter administrationem sive gubernium monasteriorum disposuerunt, unde malae administrationis redargui possint; quantum autem ad ultimum annum spectat, similiter inutilis est illa visitatio, nam abbates tunc deponunt suum officium, noviqùe iis succedunt; ac sic crescunt incommoda et sumptus monasteriorum, quorum debita iam ad quingenta millia ducatorum monetae Hispaniae ascendunt: ideo in novissimo capitulo generali habito Vallisoleti in monasterio S. Benedicti mense maio anni proxime praeteriti omnium sententia fuit ad nos recurrendum esse, rogando, pro fructu visitationum et monasteriorum indemnitate, praecipere, velimus, ut, non obstantibus constitutionibus supradictis et[1] litteris eiusdem Pauli praedecessoris, abbas generalis praedictae Congregationis imposterum semel dumtaxat in quadriennio omnia monasteria, inchoando mense septembri anni secundi sui generalatus, visitare teneatur, et post continuando sine intermissione considerabili usquedum ad finem pervenerit, cum facultate ulterius peragendi, ante aut post, visitationem extraordinariam monasteriorum, vel per se vel per suos commissarios, prout necessarium et congruum tam constitutionibus ipsius Congregationis quam observantiae regulari existimabit.

Quaedam aliae postulationes eiusdem Congregationis.

§ 4. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes eiusmodi duas enunciatas visitationes per constitutiones praecriptas et per litteras Pauli praedecessoris confirmatas, ut praefertur, ad unam dumtaxat a generali personaliter[2] in quadriennio reduci, et alteram extraordinariam pro suo arbitrio, si necessitas exigat peragi, ac constitutionibus eiusdem Congregationis, quibus tribuitur facultas capitulo generali illas declarandi, alterandi et mutandi, etiam a Sede Apostolicâ confirmatas, novasque leges pro bono regimine condendi, prout temporum necessitudo et experientia rerum postulabant, necnon aliis Gregorii XIII et Urbani VIII Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum litteris desuper sub plumbo anno Incarnationis dominicae, primis quidem IV idus februarii anno MDLXXIII, pontificatus sui anno I, alteris vero III nonas iulii MDCXXIV, pontificatus sui anno pariter I, respective expeditis, quarum initium *Venerabilibus fratribus, etc.*, et *In sacrâ, etc.*, derogari summopere desiderent, unde ex hoc maior usura erit utilitas, quam ex duabus visitationibus hucusque fieri solitis, et monasteria quoque liberabuntur a grandibus sumptibus incommodisque, omni fructu, qui iuxta intentionem earumdem constitutionum resultare deberet, carentibus: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Indultum praedictum.

§ 5. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat conse-

[1] Edit. Main. legit *ex* pro *et* (R. T.).

[2] Videtur deesse *peragendam* (R. T.).

quendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui relationem dilecti filii moderni procuratoris generalis dictae Congregationis Vallisoletanae super praemissis eisdem cardinalibus factam attenderunt, consilio, eorumdem exponentium precibus enunciatas duas visitationes generales per constitutiones Ordinis praescriptas, et a generalibus personaliter infra quadriennium peragendas, ad unam dumtaxat generalem, dummodo generalis impeditus non sit, et alteram vel alteras extraordinarias ad eius arbitrium per se vel suos commissarios, si necessitas exigat, reducendo, iuxta petita, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, indulgemus, et sic imposterum servari mandamus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae irritantes.

§ 6. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae Congregationis Vallisoletanae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX augusti MDCCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 19 augusti 1726, pontif. anno III.

CXLIV.

Statuitur ut electio abbatis monasterii de Monte Serrato monachorum Ordinis S. Benedicti Congregationis Vallisoletanae in posterum peragatur in capitulo generali eiusdem Congregationis [1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prius electio praedicti abbatis fiebat a monachis conventualibus eiusdem monasterii.

§ 1. Aliàs carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici nomine felicis recordationis Clementi PP. XI praedecessori nostro exposito, quod per quamdam concordiam dudum inter tunc existentes generalem et alios abbates ac superiores Congregationis S. Benedicti de Observantiâ nuncupatae [2] in regnis Hispaniarum in capitulo generali dictae Congregationis anno MDCXVII

1 Ad tenorem regulae Gregorius XV const. ed. MDCXXI, die II aprilis, pontif. I, decrevit electionem abbatis fieri a monachis dicti monasterii; Clemens vero XI, ad monachorum et Philippi regis preces, indulsit const. ed. MDCCXVII, die IX martii, pontif. XVII, ut bis fieret in capitulo generali.

2 Edit. Main. legit *nuncupati* (R. T.).

celebrato initam, et successive per quasdam piae memoriae Gregorii PP. XV praedecessoris pariter nostri in simili formâ Brevis die IV apriiis MDCXXI expeditas litteras auctoritate apostolicâ approbatam et confirmatam, inter alia cautum fuerat, ut electio abbatis monasterii de Monte Serrato dictae Congregationis, in quacumque illius vacatione occurrente, a monachis conventualibus eiusdem monasterii, iuxta iuris dispositionem et S. Benedicti regulam ac illius antiqua statuta, libere fieri deberet; et aliàs, prout in eiusdem Gregorii praedecessoris litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso, ac ad verbum inserto haberi volumus, uberius continebatur; verum compertum fuerat, quod, ad tollenda dissidia et scandala quae ex eiusmodi formâ electionis suboriebantur, non solum expediebat, sed, quemadmodum tunc existens procurator generalis dictae Congregationis existimabat, necesse etiam esset, ac praedicto monasterio et monachis, ut regularis observantia et primitiva disciplina monastica in eodem monasterio restitueretur, perquam utile et proficuum, eiusmodi electionem abbatis a capitulo generali praedictae Congregationis in posterum fieri, idque tunc pariter existentes et plerique monachi monasterii praedicti, qui memoratum Philippum regem ad officia sua huiusmodi apud eumdem Clementem praedecessorem et hanc Sanctam Sedem interponenda enixe rogaverant, potissimum exposcebant, ita tamen ut in reliquis, ac praecipue circa alternativam inter monachos dictae Congregationis regnorum Aragoniae et Castellae electione[1] abbatis ac officiorum distributionem, praedictarum concordiae et Gregorii praedecessoris litterarum dispositio firma remaneret: idem Clemens praedecessor, eiusdem Philippi regis desiderio hac in re favorabiliter annuere, dictique monasterii statui consulere cupiens, eius supplicationibus inclinatus, petitam facultatem ad electionem abbatis eiusdem monasterii in capitulo generali Congregationis praedictae pro duabus primis electionibus deveniendi dictâ auctoritate concessit et impertitus fuit, firmis tamen remanentibus reliquis omnibus in praenarratis concordiâ et Gregorii praedecessoris litteris emanatis; et aliàs, prout in memorati Clementis praedecessoris litteris desuper pariter in eâ formâ Brevis die IX martii MDCCXVII expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac ad verbum inserto haberi volumus[1], plenius continetur. Et subinde, pro parte eiusdem Philippi regis nobis pariter exposito quod dicti Clementis praedecessoris litterae in duabus electionibus, nempe annis MDCCXVII et MDCCXXI, prompte executioni demandatae fuerunt, dictumque monasterium tam in spiritualibus quam in temporalibus, utpote a praelato per capitulum generale supradictum electo gubernatum, reformatum fuerat, et[2] ipse Philippus rex, ut in tam celebri monasterio regularis observantia[3] perseveraret et ad perfectionem perduceretur, electionem abbatis praedicti monasterii in capitulo generali ipsius Congregationis, firmâ remanente alternativâ Castellanorum et Aragonensium, in posterum fieri posse desiderabat: nos, venerabili fratri Alexandro archiepiscopo Rhodiensi, nostro et Apostolicae Sedis in earumdem Hispaniarum regnis nuncio, dedimus in mandatis, ut, veris existentibus narratis, petitam facultatem deveniendi

Deinde statutum ut fieret a capitulo generali.

1 Legendum *electionem* vel *in electione* (R. T.).

1 Verba *haberi volumus* nos addimus (R. T.).
2 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).
3 Male edit. Main. legit *observantiae* (R. T.).

in futurum in electionem abbatis supradicti monasterii in capitulo generali huiusmodi, iuxta expetita, auctoritate nostrâ apostolicâ pro suo arbitrio et conscientiâ impertiretur, servatâ in reliquis formâ praecedentis indulti per litteras memorati Clementis praedecessoris concessi; et aliâs, prout in nostris litteris desuper in simili formâ Brevis die III martii anni proxime praeteriti expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac ad verbum inserto haberi volumus, fusius continetur.

Hinc exortae querimoniae monachorum praedicti monasterii, quae tandem placatae sunt.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii monachi supradicti monasterii nobis subinde exponi fecerunt, post nostras litteras, quae executioni ab eodem Alexandro archiepiscopo et nuncio demandatae fuerunt, nonnulli monachi reclamaverint, et, eorum querimoniis ad infrascriptam Congregationem cardinalium delatis responsum fuerit quod audirentur, non retardatâ interim earumdem nostrarum litterarum exectione; ipsi vero recurrentes postmodum agnoverint maximopere conducere ad rectum regimen monasterii tam in spiritualibus quam in temporalibus, et ad conservationem atque augmentum regularis observantiae, quod abbas semper eligatur in capitulo generali iuxta supradictas eiusdem Clementis praedecessoris et nostras litteras, prout in subsequentibus electionibus experientiâ comprobatum fuit, ideoque mandatum procurae, quod cuidam procuratori fecerant ut se opponeret, revocaverint, et ulterius, tam capitulariter quam singillatim requisiti, suum consensum praestiterint ut in futurum perpetuis temporibus electio abbatis saepedicti monasterii in capitulo generali fieret quemadmodum in praenarratis nostris litteris dispositum reperitur: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Statuitur ut in rubricâ.

§ 3. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum consilio, attentis narratis, ac salvâ alternativâ inter eosdem Aragonenses et Castellanos, imposterum perpetuis futuris temporibus de de quadriennio in quadriennium abbatis electionem fieri, et quod [1] si de currente quadriennio ad aliquam abbatis electionem devenire necesse sit, eamdem duraturam usque ad capitulum generale, ab abbate generali cum voto abbatis vicinioris et trium definitorum vel quatuor abbatum viciniorum monasterio, in quo abbas generalis reperietur, iuxta sancita in constitutionibus eiusmodi Congregationis Vallisoletanae et in litteris recolendae memoriae Clementis Papae IX itidem praedecessoris nostri desuper in eâdem formâ Brevis die XV decembris anni MDCLXVI expeditis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, peragi mandamus, ac proinde eisdem exponentibus facultatem deveniendi ad electionem abbatis supradicti monasterii B. Mariae de Monte Serrato iuxta petita perpetuis futuris temporibus, auctoritate et tenore praedictis, concedi-

1 Particula *quod* delenda (R. T.).

mus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae irritantes.

§ 4. Decernentes, praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ilis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 7. Non obstantibus, quoad ea quae praesentibus sunt contraria, memoratis concordiâ et Gregorii ac Clementis XI et nostris litteris, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Congregationis Vallisoletanae et monasterii[1] praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, aut quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI augusti MDCCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 21 augusti 1726, pontif. anno III.

1 Edit. Main. legit *monasteriis* (R. T.).

CXLV.

***Confirmantur privilegia a summis Pontificibus Congregationi clericorum regularium, qui Theatini dicuntur, concessa*[1].**

Benedictus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium ab officio clericorum, morum integritatem servandi.

Vitae et morum integritas universis, qui Christo nomen dederunt, maxime convenit; eos tamen supra ceteros decet, qui, in sortem Domini vocati et sacris Ecclesiae ministeriis contrectandis peculiariter admoti, dictis et factis ad venerandas maiorum sanctiones semper expressis reliquos in saeculo militantes instruere perque vias Domini ducere debent. Sed quum[2] ex nimiâ pastorum et temporum indulgentiâ sanctior[3] illa Ecclesiae ministrorum disciplina collaberetur, omnipotens Deus famulos suos excitavit, qui clericale institutum, ab Apostolis, hoc est a primaevae Ecclesiae clericis, deductum, perque apostolicos viros firmatum, exemplo suo rursus in pristinum splendorem erigere conarentur, ut ceteri ecclesiastici viri, ad puriorem eorumdem vivendi normam se componentes, immortalis Dei cultum et animarum salutem ferventius excolerent et alacrius propagarent.

Clericorum Regularium instituti origo et laus refertur.

§ 1. Tantum opus, nullo praeconio satis pro dignitate commemorandum, sedente piae recordationis antecessore nostro Clemente Papa VII, peculiari Dei instinctu aggressus est Ioannes Petrus Carafa, episcopus Theatinus, qui ad hanc beati Petri apostolorum Principis cathe-

1 Pontifices qui haec privilegia concesserunt, sunt Clemens VII, Paulus IV, Pius V, Gregorius XIV, Paulus V et Gregorius XV, quorum constitutiones hic referuntur et confirmantur.

2 Male edit. Main. legit *quam* (R. T.).

3 Male edit. Main. legit *sanctiori* (R. T.).

drum, meritis et virtutibus eius id exigentibus, postmodum evectus est dictusque piae memoriae antecessor noster Paulus Papa IV. Is enim, unà cum Caietano Thienaeo deinde in sanctorum numerum relato, cumque aliis probatissimis viris, ecclesiasticam vivendi normam instauraturus, Clericorum Regularium institutum et congregationem, a sanctà vivendi regulà ita dictam, primus condidit, quae morum in ecclesiasticis emendationi praeluxit, apostolicamque disciplinam mirifice amplificavit, magnâ virtute praecellentibus viris semper ornata, inter quos, praeter beatum Caietanum, cluxit beatus Andreas ab Avellino, et ipse sanctorum canoni pridem adscriptus, eiusdemque beati viri in regulari Ordine socius inque virtutibus similis Dei servus Paulus S. R. E. tituli S. Pudentianae presbyter cardinalis Buralius ab Aretio nuncupatus, et nuper alter Dei servus Iosephus Maria S. R. E. tituli Equitis[1] presbyter cardinalis Thomasius, doctrinà et pietate ubique conspicuus.

Preces procuratoris generalis eorumdem pro confirmatione privilegiorum.

§ 2. Quum vero antecessores nostri Romani Pontifices hanc eximiam Clericorum Regularium Congregationem ab ipsis eius incunabulis statim probaverint, multisque apostolicis privilegiis identidem ornare et fovere studuerint, nobisque nomine dilecti filii Ioannis Rubei eorumdem clericorum procuratoris generalis fuerit humiliter supplicatum ut gratias, privilegia, indulta, immunitates, exemptiones, libertates et facultates, iisdem clericis olim concessas, auctoritate nostrà ad posterorum memoriam et maioris roboris firmitatem munire et confirmare dignaremur: nos, eiusdem procuratoris et universae Congregationis Clericorum Regularium votis libenti animo annuentes, ea omnia praesenti constitutione nostrà, perpetuis futuris temporibus duraturà, denuo roborare et confirmare decrevimus. Utque luculentius iam dicta privilegia et litterae apostolicae per felicis memoriae Clementem VII, Paulum IV, Pium V, Gregorium XIV, Paulum V et Gregorium XV iisdem clericis concessae omnibus pateant, eas praesentibus litteris nostris de verbo ad verbum inserendas curavimus.

Referuntur Pontificum constitutiones, quibus praedictis clericis varia privilegia concessa fuere, ac primum Clementis VII.

§ 3. Itaque Clementis VII litterarum tenor hic est:

Clemens Papa VII, venerabili fratri Ioanni Petro episcopo Theatino et dilecto filio Caietano presbytero Vicentino, ac eorum sociis et successoribus Clericis Regularibus nuncupatis. Exponi nobis nuper fecistis, etc[1].

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV iunii MDXXIV, pontificatus nostri anno I.

Alia eiusdem Clementis VII constitutio.

§ 4. Aliae Clementis VII litterae hae sunt:

Clemens Papa VII, venerabili fratri Ioanni Petro episcopo Theatino, dilectis filiis Caietano presbytero Vicentino et eorum sociis et successoribus Clericis Regularibus nuncupatis. Dudum pro parte vestrà nobis exposito, etc.[2].

Datum in civitate nostrà Bononiae, sub annulo Piscatoris, die VII martii MDXXXIII, pontificatus nostri anno X.

Pauli IV constitutio.

§ 5. Pauli vero IV litterarum tenor hic est:

Refertur summa constitutionis primae Clementis VII.

Paulus Papa IV, motu proprio, etc. Cum alias [3] postquam felicis recordationis Clemens Papa VII[4] praedecessor noster (illi pro parte nostrà, qui tunc

1 An recta sit lectio iudicet lector scius (R. T.).

1 Reliqua vide in tom. VI, pag. 73 (R. T.).

2 Reliqua vide tom. VI, pag. 161 *a* et seq. (R. T.).

3 Parenthesis ista producitur usque ad paginam 407 *a* lin. 20 (R. T.).

4 Quoad hanc partem narrativae vide cit. constit. Clementis VII, in tom. VI, pag. 73 (R. T.).

in minoribus constituti et de Congregatione Clericorum Regularium eramus, et quondam Caietani de Thienes presbytori Vicentini tunc in humanis agentis, ac sociorum Congregationis huiusmodi exposito, quod nos et ipsi ac nonnulli alii eiusdem Congregationis socii, divinâ inspiratione ducti, cupientes cum maiori animi quiete Deo servire, et illi magis pio desiderio adhaerere, tria substantialia religiosae vitae vota, paupertatis scilicet, castitatis et obedientiae, emittere, et sub solito ac communi habitu clericali in unum cohabitare, et, in communi ac de communi viventes, ac Deo humiliter ac devote, quantum ipse dedisset, servientes, sub eiusdem praedecessoris et dictae Sedis humili et immediatâ subiectione et speciali protectione clericalem vitam ducere decreverint[1]) nostris et eorum in eâ parte supplicationibus inclinatus, nobis et illis, ac cuilibet eorum, ut, quandocumque visum foret, possemus tria substantialia religiosae vitae, paupertatis scilicet, castitatis et obedientiae vota publice emittere, et in manibus cuiuscumque presbyteri saecularis vel cuiusvis Ordinis regularis solemniter profiteri, ac, sub solito et communi habitu clericali subque nomine et nuncupatione Clericorum Regularium in communi et de communi viventes[2] in locis religiosis aut saecularibus, prout nobis et illis ab illis quorum loca ipsa essent concessum foret seu expedire videretur, sub suâ et dictae Sedis immediatâ subiectione et speciali protectione in unum habitare, atque ex nobis et eis inter nos singulis annis superiorem eligere, praepositum nuncupandum, qui usque ad triennium et non ultra confirmari posset, aliosque quoscumque saeculares clericos quavis dignitate fulgentes, seu laicos, qui, Deo inspirante, ad huiusmodi vitae propositum et communem vivendi modum sese conferre vellent, recipere, et post annum probationis ad talem trium votorum professionem in manibus superioris seu praepositi emittendam et ad communem vivendi modum admittere, necnon statuta quaecumque et ordinationes ac constitutiones de omnibus et singulis quae ad huiusmodi vitae propositum conducere moresque et institutum honeste et devote clericaliter vivendi concernere viderentur, de missis praecipue et aliis divinis officiis seu horis canonicis, prout nobis et illis melius videretur, celebrandis et recitandis, licita tamen et honesta ac rationabilia et bonis moribus ac sacris canonibus non contraria, facere et edere, ac pro tempore facta et edita corrigere, reformare, et in partem vel in totum immutare, ac de novo alia, prout expedire videretur, instituere et ordinare, ac iuxta illa vivere, quae, postquam condita, edita, reformata, instituta ac immutata et ordinata, ac praefato Clementi praedecessori seu successoribus suis exhibita forent, dictâ auctoritate apostolicâ approbata et confirmata essent et esse censerentur, et ut omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, indulgentiis, facultatibus, libertatibus, auctoritatibus, indultis, favoribus, concessionibus et gratiis spiritualibus et temporalibus, quibus potiebantur et gaudebant aut in futurum potirentur et gauderent canonici regulares Lateranensis Congregationis, personaeque et loca eorum, nos quoque et ipsi, ac nostri et eorum personae et loca, uti, potiri et gaudere possemus, ita ut litterae apostolicae super eisdem privilegiis, exemptionibus immunitatibus, concessionibus et gratiis,

1 Cohaerentius lege *decreverimus* (R. T.).

2 Edit. Main. hoc loco legit *viventium* (R.T.).

eisdem concessis vel pro tempore concedendis, mutatis dumtaxat nominibus, invocationibus et diebus, ad nostrum et eorum libitum expediri possent, perinde ac si illa omnia et singula non solum per clausulas generales, sed per eorum tenorum de verbo ad verbum expressionem et insertionem fuissent expressa et nobis ac illis specialiter concessa[1], per quasdam[2].

Summa alterius constitutionis eiusdem Clementis VII.

Et deinde[3] (pro eâdem parte praefato Clementi praedecessori etiam exposito quod nos et ipsi sub trium votorum substantialium emissione vitam clericalem pie ducere, ac praedicationi verbi Dei, audientiae confessionum, et sacrae theologiae ac sacrorum canonum studiis ad nostrum et eorum ac aliorum christifidelium animarum profectum vacare decreveramus, et ipsi decreverant) idem Clemens praedecessor nobis et eis, ut tunc nostri et eorum superiores, praepositi nuncupati, pro tempore existentes, cum clericis et sociis suis, qui in supradictis pietatis operibus aut studio litterarum sacrarum occuparentur, seu infirmitate, aut infirmorum curatione et ministerio pro tempore praepedirentur, super recitatione divinorum officiorum, ad hoc ut ipsi occupati vel impediti certum psalmorum per ipsos superiores eis assignandorum numerum, non minus septem aut sex, cum devotione[4] ac orationem dominicam septies, symbolum[5] apostolorum bis, graviter autem aegrotantes orationem dominicam semel et salutationem angelicam septies in die recitando[1], septem horis canonicis et toti divino officio satisfecisse censerentur, et cum quibusvis clericis et sociis suis in praeveniendo vel postponendo, uniendo vel dividendo, in communi vel in speciali, horas canonicas, ac in breviandis vel protrahendis lectionibus, necnon super ieiuniis etiam de praecepto, etiam quadragesimalibus, et cum concessione vespertini ientaculi, *collationis* nuncupati, et comestionis etiam panis in eis licite et absque praevaricatione faciendâ dispensare possemus et possent, per alias[2]; ac successive, ut nos et ipsi, inter nos mutuas, seu etiam alii sacerdotes saeculares vel regulares,[3] a nobis et ipsis de superiorum nostrorum et successorum aut[4] Sedis praedictae licentiâ ad hoc pro tempore eligendi, nostras et eorum, ac nos ipsi eorum confessiones audientes, in absolutionibus hac formâ uti possemus et possent, videlicet, post *Misereatur, etc.*, et *Indulgentiam, etc.*, *Dominus noster Iesus Christus te absolvat, et ego, auctoritate ipsius et[5] apostolorum Petri et Pauli mihi concessâ, absolvo te ab omni vinculo excommunicationis maioris vel minoris, suspensionis et interdicti, et dispenso tecum in omni irregularitate, quam quomodocumque incurristi, et restituo te sanctis sacramentis Ecclesiae, unionique et participationi fidelium, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Amen; iterum eâdem auctoritate, etc.,*[6] per alias (quas supradictus Clemens praedecessor:

1 Ex tom. VI pag. 74 *a* legend. *fuissent nobis et illis expresse et specialiter concessa* (R. T.)

2 Nempe ex loc. cit. *per quasdam suas litteras datas die 24 iunii 1524* (R. T.).

3 Quod istam partem narrativae vide const. Clementis VII in tom. VI, pag. 161 *a* et seq. (R. T.).

4 In tom. VI pag. 161 *a* legitur *cum divisione*, infr. autem p. 415 *a* leg. *cum distinctione* (R. T.).

5 Pessime edit. Main. legit. *symbolorum* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *recitandis* (R. T.).

2 Nempe *litteras suas* (R. T.).

3 Ex loco parallelo infra pag. 415 *a* adde, *aliàs tamen approbati ab Ordinariis*, (R. T.).

4 Male edit. Main. legit *ut* pro *aut* (R. T.).

5 Verba *auctoritate ipsius et* nos addimus (R. T.).

6 Coniunct. *et* importune huc interiectam delemus (R. T.).

postea etiam per alias, ad hoc ut dictâ formâ in absolutionibus non solum cum sacerdotibus, sed etiam cum aliis clericis et laicis Congregationis praedictae pro tempore existentibus, nobis et eis pro tempore confitentibus, uti possemus et possent, extenderat et ampliaverat) in perpetuum concesserat et indulserat; et subsequenter idem[1] praedecessor, etiam nostris tunc et eorum in eâ parte supplicationibus inclinatus, praemissa omnia, et alia quaecumque per eum nobis et eis câtenus concessa, per alias innovaverat[2]; et nobis ac eis[3] ut sub suâ et dictae Sedis speciali protectione et humili subiectione huiusmodi, ab omni alio superiore penitus liberi et exempti, soli Romano Pontifici canonice intranti, et nostro ac eorum superiori canonice electo, pro tempore existentibus, subditi degere deberemus et deberent, ac, qui tunc ad nostrum et eorum communem vivendi modum se conferrent et ad votorum professionem huiusmodi modo et formâ praemissis admissi forent, voto religionis in genere emisso satisfecisse censerentur, etiam perpetuo concesserat; quodque singuli nostri et eorum superiores pro tempore electi, finito triennio, quo confirmati forent, in alio loco in superiores eligi, et ad aliud triennium ex tunc immediate sequens confirmari, ac tam nos et ipsi, quam nostri et eorum socii pro tempore existentes, vestimenta cum manicis super pallium exertis deferre, ac tam circa[4] caeremonias in[5] officiis ecclesiasticis et reliquo vitae cultu et victu servandas[1] cum moribus et laudabilibus consuetudinibus clericorum civitatis et loci, in qua seu quo nos et eos pro tempore degere vel morari contingeret, convenire, ac sub singulis praepositis archipresbyterum, qui in spiritualibus, archidiaconum, qui in temporalibus praeessent et nostri et eorum curam haberent, ac plebanum, qui curam animarum nobis et eis imminentem exerceret, eligere valeremus et valerent, et omni tempore in benedictione mensae psalmum *Laudate Dominum omnes gentes, etc.*, recitare, nec ad alium psalmum recitandum quoquomodo teneremur et tenerentur, quodque in nostris et eorum capitulis illi tantum, qui ad id capitulatim admissi forent, vocem haberent, et alii, ut praefertur, non admissi, in eo minime intervenire aut vocem habere possent, etiam perpetuo statuerat et ordinaverat; ac insuper nobis et eis, quod omnibus et singulis privilegiis, indulgentiis, praerogativis, exemptionibus, immunitatibus, gratiis et indultis quorumvis etiam Cisterciensibus et Cluniacensibus[2] monachis ac aliorum tam Mendicantium quam non Mendicantium Ordinum fratribus, tam in spiritualibus quam in temporalibus, in specie vel in genere, etiam communicative, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores suos, et pro talibus habitos[3], ac Sedem praedictam quomodolibet concessis et imposterum concedendis, et quibus illi tam in vitâ quam in mortis articulo, etiam circa peccatorum remissiones et iniunctarum poenitentiarum relaxationes, aut aliàs quomodolibet, uti, potiri et gaudere poterant aut possent quomodolibet in futurum,

1 Infra pag. 415 *b* additur *Clemens* (R. T.).
2 Verba *ut nobis et eis confitentibus uti possemus et possent extenderat et ampliaverat,* importune hîc repetita, delemus (R. T.).
3 Verba *et nobis ac eis* addimus ex loco parallelo tom. VI, pag. 161 *b* (R. T.).
4 Ex loc. parall. tom. VI, pag. 162 *a* legend. *tam circa vestimenta quam circa* (R. T.).
5 Praep. *in* addimus ex tom. VI, p. 162 *a* (R. T).

1 Male edit. Main. legit *servandis* (R. T.).
2 Potius lege *Cisterciensis* et *Cluniacensis* nempe *Ordinum*, ut sequitur (R. T.).
3 Pessime edit. Main. legit. *habitas* (R. T.).

perpetuis futuris temporibus uteremur, et ipsi uterentur, potirentur et gauderent, necnon illorum omnium participes esse possemus, ac possent et deberent, indulserat; ac privilegia, indulgentias, praerogativas, exemptiones, immunitates, gratias et indulta monachis et fratribus praedictis, tam in spiritualibus quam in temporalibus, tam in specie quam in genere, etiam communicative concessa, ut praefertur, ad nos et eos extenderat et ampliaverat, ac in nobis et eis locum habere et suum plenarium effectum sortiri debere decreverat per reliquas suas in formâ Brevis litteras;

Inseritur etiam summa cuiusdam vivae vocis oraculi Pauli III de vocalibus, praepositis, eorumque electione, et quibusdam aliis.

Et postremo[1], piae memoriae Paulus Papa III, etiam praedecessor noster, vivae vocis oraculo nobis, qui etiam tunc in minoribus constituti tituli S. Sixti presbyter cardinalis eramus, per eumdem Paulum praedecessorem facto, Congregationis[2] huiusmodi, inter alia, quod maior pars habentium vocem in capitulo, in quocumque loco commoraretur, repraesentaret totum capitulum dictae Congregationis, et ubicumque vocalium maior pars foret, semper repraesentaret capitulum generale, et haberet in dictâ Congregatione super praepositos omnes et superiores sacerdotes et alios professos in spiritualibus et temporalibus, post sanctam Sedem Apostolicam cui immediate subiiciebatur, supremam iurisdictionem et potestatem donec capitulum generale solemniter celebraretur, et si[3] vocales in ecclesiis et locis ipsius Congregationis pares numero forent, ibi ex gratiâ et privilegio intelligeretur adesse capitulum repraesentans generale, ubi foret vocalis qui antiquior esset omnibus illis vocalibus qui in locis particularibus pares numero forent; capitulumque huiusmodi haberet in praedictâ Congregatione ius supremum, et quandocumque, in ecclesiis et locis praedictis, omnibus casibus et necessitatibus providere posset, et maxime superveniente causâ de[1] superiore cassando, transferendo, et de novo creando, quocumque nomine appellaretur, ut in spiritualibus et temporalibus libere administraret; quodque tempus suae administrationis non posset ultra annum prorogari, et omnibus dictae Congregationis gauderet privilegiis, et generaliter quicquid possent praepositi per privilegia, possent etiam eorum loca tenentes; etiam[2], si ille, qui ut superior administraverat, in praepositum eligeretur, tempus, quo sine titulo praepositurae administravisset, non impediret quominus posset[3], sicut ceteri praepositi, usque ad triennium confirmari; ac etiam tempore, quo contingebat per lapsum anni officia praepositorum vacare, supradictum capitulum scribere posset praepositis sub hac vel simili formâ: *licet officium praepositurae suae tali die vacaret, tamen ut superior non desistat in spiritualibus et temporalibus libere ut antea administrare, donec aliter fuerit provisum, provisioque*[4] *suum sortiatur effectum;* necnon quod antiquior in voce, qui in loco esset, succederet ipso iure praepositurae vacanti per lapsum anni, cessum vel decessum praepositi, et gauderet omnibus privilegiis dictae Congregationis, donec per capitulum generale vel repraesentans

1 Videtur legendum *postmodum*. Ceterum pro hac narrativae parte vide tom. VII, pag. 538 *a* § 3 (R. T.).

2 Videtur legendum *Congregationi* (R. T.).

3 Particulam *si* addimus ex loco parallelo tom. VII, pag. 538 *b* § 4 (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *ne* pro *de* (R. T.).

2 Potius lege *et* pro *etiam* (R. T.).

3 Male edit. Main. legit *possent* pro *posset* (R. T.).

4 Pessime edit. Main. legit *provisoque* (R. T.).

generale de alio superiore vel aliter provideretur; et observaretur ut dictus antiquior, ut supra, administraret in casu absentiae vel infirmitatis ipsius praepositi, nisi ipse praepositus aliter providisset; quodque ipsius Congregationis clerici et professi, sacris non initiati, non tenerentur ad horas canonicas, ac laici ad Congregationem venientes, si videretur eos in[1] divino officio mancipandos, uterentur vestibus clericalibus[2], quae tamen secundum conditionem locorum et personarum honestae censerentur, eisque tempore probationis simpliciter assignato, ad professionem trium votorum more ipsius Congregationis, sine tamen vestium mutatione et benedictione, admitti, ac omnibus privilegiis praedictis gaudere possent, apostolicâ auctoritate concesserat et declaraverat [3],

A Iulio III praedictorum Pontificum constitutiones approbatas fuisse narratur.

Ac[4] postea[5] pro parte quondam Bonifacii presbyteri Alexandrini eiusque sociorum Congregationis clericorum regularium huiusmodi recolendae memoriae Iulio PP. etiam III similiter praedecessori nostro exposito, quod ipsi, et qui in locum nostrum et dicti Caietani successerant, ut litterae praedictae firmius permanerent et inviolabiliter observarentur, cupiebant illas ab eodem Iulio praedecessore approbari et innovari, Iulius praedecessor, eorum supplicationibus in eâ parte inclinatus, concessiones et statuta ac ordinationes, necnon, cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis, singulas litteras praedictas, etiam per suas in simili formâ Brevis litteras approbaverit et innovaverit, illisque perpetuae et validae firmitatis robur adiecerit, ac illa omnia et singula observari, et Bonifacio ac sociis praefatis et eorum successoribus Clericis Regularibus suffragari, ipsosque illis perpetuis futuris temporibus uti, frui, potiri et gaudere posse, necnon, si secus super iis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decreverit;

Ab ipsomet Pontifice Paulo IV praedictis clericis regularibus ecclesiam S. Silvestri in Quirinali concessam fuisse refertur.

Et deinde nos[1], divinâ favente clementiâ ad summi apostolatus apicem assumpti, pro parte dilectorum filiorum Congregationis eorumdem clericorum regularium Venetiis tunc degentium nobis exposito quod Congregatio huiusmodi locum in almâ Urbe nostrâ, ad quem pro pertractandis negociis etiam in Romanâ Curiâ occurrentibus divertere possent, non habeant[2], eorum supplicationibus in eâ parte inclinati, parochialem ecclesiam S. Silvestri in Exquiliis, sive in Quirinali, videlicet Monte Cavallo, regionis Montium de dictâ Urbe, quae forsan infra limites basilicae XII Apostolorum de eâdem Urbe, quae titulus bonae memoriae Durantis eiusdem basilicae presbyteri cardinalis de Durantibus nuncupati tunc in humanis agentis existebat, consistere dignoscebatur, tunc certo modo, quem haberi volumus pro expresso, vacantem, cum omnibus et singulis illius domibus, hortis, viridariis, vineis, et aliis mobilibus et immobilibus suis, eidem Congregationi, et pro eis dilecto filio nostro Bernardino tituli S. Matthaei presbytero cardinali Fanensi nuncupato, tunc in minoribus constituto et ex Congregatione huius-

1 Ex tom. VII, p. 539 *a* leg. *non* pro *in* (R. T.).
2 Videtur legend. *non clericalibus* (R. T.).
3 Heic videtur absolvi parenthesis *postquam* incepta supra pag. 402 *b* (R. T.).
4 Resumitur syntaxis *Cum aliâs* incepta supra pag. 402 *b* (R. T.).
5 Haec pars narrativae iam legitur in tom VII, pag. 539 *b* § 11 (R. T.).

1 Nullibi in Bullario reperire potui constitutionem aliam Pauli IV huic narrativae parti correspondentem (R. T.).
2 Aptius lege *non haberent* (R. T.).

modi ac in Romanâ Curiâ moram trahenti, per eos, iuxta ritus et mores Congregationis huiusmodi tenendam, regendam et gubernandam, et ad eorum arbitrium reformandam, per alias nostras sub plumbo litteras concesserimus et assignaverimus; ita quod liceret eisdem Congregationi et Bernardino cardinali tunc in minoribus constituto, per se, vel alium, seu alios, corporalem possessionem ecclesiae, ac domorum, hortorum, viridariorum, vinearum, et aliorum bonorum[1] praedictorum, propriâ auctoritate libere apprehendere et perpetuo retinere, ac illorum fructus, redditus et proventus in suos et Congregationis huiusmodi usus et utilitatem convertere, cuiusvis licentiâ desuper minime requisitâ; prout in singulis litteris praedictis plenius continetur:

Assignantur eisdem quaedam alia aedificia.

Quum autem[2] nuper a nobis, seu de mandato nostro et de nostris et dictae Sedis expensis dicta ecclesia S. Silvestri illiusque officinae in suis structuris et aedificiis ampliata seu restaurata, ac eidem Congregationi, seu pro illius usu, nonnullae domus, vineae, viridaria, horti et alia bona mobilia et immobilia in dictâ Urbe illiusque districtu et forsan alibi ex nostris et eiusdem Sedis pecuniis empta fuerint: Nos[3], qui Congregationem ipsam prae ceteris semper in visceribus gessimus et gerimus charitatis, cupientes illam perpetuo ubique florere, eiusque ac illius personarum profectui et felici successui, quantum in nobis est, consulere[1], singularum emptionum praefatarum, necnon expensarum, pecuniarum, ac domorum, vinearum, viridariorum, hortorum et aliorum bonorum huiusmodi quantitates, qualitates, situationes, nuncupationes, confines, vocabula et veros etiam annuos valores et redditus, ac nomina et cognomina etiam a quibus illa empta fuerunt, ac instrumentorum et aliarum scripturarum desuper confectarum necnon litterarum praedictarum veriores tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, institutionem Congregationis huiusmodi, necnon decretum, declarationem, ac concessiones, statuta et ordinationes, necnon concessionem et assignationem de dictâ ecclesiâ S. Silvestri, ac, cum derogationibus, decretis, necnon omnibus et singulis aliis in eis contentis clausulis singulis, tam in formâ Brevis quam sub plumbo desuper confectas litteras, ac venditionem et emptionem praefatas, ac, prout illas concernunt, omnia et singula in eis et instrumentis ac aliis scripturis praedictis contenta, et inde secuta quaecumque, ex certâ nostrâ scientiâ ac de apostolicae potestatis plenitudine approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac illa omnia et singula observari, et Congregationi ac illius personis praefatis suffragari, ipsosque illis et eorum singulis perpetuis futuris temporibus uti, frui, potiri et gaudere debere, et a nemine desuper quovis praetextu seu quacumque occasione vel causâ (etiam ex eo quod dicta ecclesia S. Silvestri olim alicuius Ordinis etiam fratrum Praedicatorum et B. Mariae de Minervâ de eâdem Urbe aut eremitarum S. Augustini seu Minorum aut aliorum etiam Mendicantium

1 Edit. Main. legit *honorum* pro *bonorum* (R. T.).

2 Legerem *Quumque* pro *Quum autem* ut adhuc perseveret syntaxis *Cum alids* incepta supra pag. 402 *b* (R. T).

3 Heic tandem succedit apodosis syntaxis *Cum alids*, seu totius Pauli IV constitutionis (R. T.).

1 Forsan deest *volentes* (R. T.).

Ordinum seu alicuius ipsius Ordinis fratris vel monachi ex dispensatione apostolicâ vel aliàs fuerit, seu aliàs ad eos aut eorum aliquem pertinuerit, et per eos etiam longo tempore et immemorabili, quovis etiam colorato et iuridico titulo, possessa et tenta extiterit, et adhuc forsan quomodolibet esse seu pertinere dici seu conseri possit), vel aliàs quomodolibet, directe vel indirecte ullo unquam tempore molestari perturbari seu inquietari posse seu debere, et ita in praemissis et infrascriptis omnibus et singulis per quoscumque iudices quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, seu locumtenentes, ac S. R. E. cardinales, in quavis causâ seu instantiâ[1], sublatâ, etc., irritum quoque, etc., decernimus et declaramus, ac omnes et singulos iuris et facti ac solemnium[2] etiam forsan substantialium etiam omissarum defectus, etiam de necessitate exprimendos, si qui forsan in praemissis seu eorum aliquo intervenerint, supplemus.

Quae omnia iterum a Paulo IV confirmantur.

Et nihilominus, pro potiori cautelâ, ea omnia, prout concessa, statuta, ordinata, assignata ac decreta et declarata fuerunt, in omnibus et per omnia, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, de novo concedimus, statuimus, ordinamus et declaramus, ut praefertur, factas et pro tempore per nos seu de mandato nostro quomodolibet et qualitercumque pro dictâ Congregatione seu illius ratione faciendas expensas et sumptus, ac etiam, ut praefertur, empta, necnon etiam pro tempore emenda, domos, vineas, viridaria, hortos et alia mobilia atque immobilia bona tam in dictâ Urbe quam extra illam et aliàs ubilibet existentia, cuiuscumque pretii, valoris et quantitatis existant et fuerint, necnon pecunias inde expositas et exponendas, ad quamcumque summam et quantitatem ascendant, eidem Congregationi, per eos iuxta ritus et mores eorum tenenda et possidenda, perpetuo remittimus, donamus, concedimus et elargimur, ac remissa, donata, concessa et elargita fuisse et fore, ac ad dictam Congregationem perpetuo pertinere, ac praesentes ad plenam probationem praemissorum omnium et singulorum, itaut nulla probatio in contrarium admittatur, sufficere, nec ad id alterius probationis adminiculum requiri debere, ac praemissa, seu eorum aliqua, de subreptionis vel obreptionis vitio seu intentionis nostrae defectu, quovis praetextu, occasione vel causâ, notari vel impugnari aut revocari seu in aliquo alterari non posse neque debere, etiam decernimus et declaramus.

Clausulae derogatoriae amplissimae.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quacumque seu quibuscumque, aliâ vel aliis, simili vel dissimili, aut similibus vel dissimilibus, concessione seu concessionibus, aliàs de dictâ ecclesiâ quovis modo vacante, aut aliàs, eidem basilicae seu dilectis filiis Ordinis Minorum apud ipsam basilicam degentibus, seu praedictis aut quibusvis aliis fratribus, etiam forsan super ecclesiâ ipsâ per eos tenendâ et regendâ, aut aliàs, apostolicâ auctoritate praedictâ quomodolibet factis, necnon dictae basilicae et praedictorum ac aliorum quorumcumque Ordinum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis moderno et pro tempore existenti tituli basilicae huiusmodi presbytero cardinali, necnon fratribus eorumque Ordinibus praefatis, et populo Romano de non obtinendo be-

1 Deest *iudicari debere* (R. T.).
2 Legendum *solemnitatum* (R. T.).

neficia ipsius Urbis per forenses, et quibusvis aliis etiam piis et regularibus seu saecularibus locis, seu etiam cardinalatus honore fulgentibus et aliis personis (quorum nomina, cognomina, tituli, qualitates et concessiones huiusmodi exprimi seu pro expressis haberi possint), sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis ac irritantibus et aliis decretis, quomodolibet concessis, approbatis et innovatis (quibus omnibus, in litteris latissime extendendis, etiamsi de illis, etc., illorum tenores, etc., eisdem motu, scientià et potestatis plenitudine, specialiter et expresse derogamus; praedictas et alias, ac concessiones et assignationes quascumque de dictà ecclesià S. Silvestri, aliisque dictae Congregationis, quomodolibet etiam motu et potestate similibus, etiam consistorialiter factas, ac desuper confectas litteras quascumque, et processus habitos per easdem, illarum tenores, ac harum serie, motu, scientià et potestatis plenitudine praedictis, revocamus, cassamus, irritamus et annullamus, ac viribus vacuamus, et nullos et invalidos nulliusque roboris vel momenti fuisse et esse, ac pro infectis haberi volumus et decernimus; ac desuper praedictis et quibusvis aliis personis, cuiuscumque dignitatis, etc., existentibus, perpetuum silentium imponimus, illisque ac praefatis et aliis quibusvis iudicibus, etc., etiam sub excommunicationis[1] officiorum, beneficiorum ac dignitatum suarum, et aliis arbitrio nostro et successorum nostrorum infligendis et applicandis poenis, ne se in praemissis quoquomodo intromittere audeant seu praesumant, districtius inhibemus), ac omnibus illis, quae in singulis litteris praedictis concessa fuerunt non obstare; necnon, quatenus opus sit, de non tollendo ius quaesitum et aliis Cancellariae Apostolicae regulis editis et edendis, ceterisque, cum clausulis opportunis et consuetis.

Fiat, motu proprio, I.

Aliae clausulae.

Et cum absolutione a censuris ad effectum, etc., et cum approbatione, confirmatione, suppletione, novi[1] concessione, assignatione, remissione, donatione, concessione, decretis, derogatione cum regulà de non tollendo iure quaesito, revocatione, annullatione, voluntate, silentii impositione, inhibitione, et aliis praedictis, de et pro omnibus et singulis praemissis, quae hic pro sufficienter et ad partem repetitis habeantur, latissime extendendis perpetuo in formà gratiosà, et quod singularum litterarum, emptionum, instrumentorum et scripturarum praedictarum veriores tenores, ac domorum, etc., et aliorum bonorum huiusmodi qualitates, quantitates, confines, vocabula super valoris et redditus etiam omnium ac expensarum et pecuniarum huiusmodi quantitates habeantur pro expressis, seu in toto vel in parte exprimi et inseri et de verbo ad verbum possint, et, si opus sit, cum opportunà executorum deputatione, qui assistant, cum potestate citandi etiam per edictum, etc., ac sub praedictis et quibusvis aliis censuris et poenis eorum arbitrio infligendis et applicandis etiam simili edicto inhibendi, etc., aggravandi, etc., invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio etiam brachii saecularis, ac[2] derogatione constitutionis de unà et duabus, non tamen tribus dietis, latissime extendendo, et cum opportuno decreto quod litterae

1 Videntur deesse verba *et privationis* (R. T.)

1 Potius lege *novis etiam* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *a* pro *ac* (R. T.).

desuper conficiendae de subreptionis vel obreptionis vitio seu intentionis nostrae defectu[1] notari seu impugnari non possint, sed semper validae et efficaces existant, et eidem Congregationi ac illius personis suffragentur, et sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, derogationibus aut aliis alterationibus similium vel dissimilium confirmationum, concessionum, unionum aut aliarum gratiarum, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu et scientiâ similibus, etiam consistorialiter, etiam per nos aut per successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, ex quibusvis causis, etiam iustissimis, quomodolibet pro tempore factis, nullatenus comprehendantur, sed semper ab illis exceptae sint et esse censeantur, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutae, repositae et plenarie reintegratae sint et esse censeantur, et ita, ut praefertur, iudicari debeat, latissime extendendo, et, quatenus opus fuerit, cum derogatione regulae de unionibus committendis et exprimendo valore, et Lateranensis Concilii novissime celebrati et aliarum constitutionum, etc., latissime extendendo, et quod praemissorum omnium et singulorum nominum, cognominum, dioecesum et fructuum, etc., et dictae ecclesiae S. Silvestri, regulâ contrariâ non obstante, aliorumque circa praemissa necessariorum maior, vera et amplior significatio et expressio fieri, ac tenor singularum litterarum praedictarum, prout opus fuerit, de verbo ad verbum inseri, aut in toto vel in parte pro expresso haberi possit in litteris, etiam per Breve nostrum, simul vel separatim, super qualibet clausulâ seu gratiâ, in unâ nullâ factâ mentione de aliis, si videbitur, expediendis, et cum decreto quod litterarum super praesentibus conficiendarum transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra, quae eisdem litteris adhiberetur si exhibitae forent vel ostensae, latissime extendendo, seu, si videbitur, praesentis motusproprii sola nostra signatura sufficiat, et ubique fidem faciat in iudicio et extra, quacumque regulâ seu constitutione apostolicâ contrariâ non obstante.

Fiat I.

Datum Romae, apud S. Petrum, nonis iunii, anno V[1].

§ 6. Aliae Pauli eiusdem litterae hae sunt: *Altera eiusdem Pauli IV constitutio qua privilegia iam concessa confirmantur et nova conceduntur.*

Paulus Papa IV, motu proprio, etc. Cum[2], sicut accepimus, dilecti filii Congregatio Clericorum Regularium praefati cupiant singulas eis tam sub plumbo quam in formâ Brevis litteras per felicis recordationis Clementem VII et Paulum III ac Iulium III Romanos Pontifices praedecessores nostros, ut[3] praeinsertas eiusdem Pauli III praedecessoris in formâ motusproprii, ut praefertur, concessas, et inde[4] quaecumque, ut eo maiorem obtineant roboris firmitatem, quo illa saepius fuerint apostolicâ auctoritate approbata, et nostro et apostolicâ[5] providentiâ ad ea, quae per praedecessores nostros concessa sunt, ut illibata persistant, libenter apostolici muniminis adiicimus

1 Pessime edit. Main. legit *de facto* pro *defectu* (R. T.).

1 Nempe die 5 iunii anni 1559 (R. T.).
2 Patet hanc non esse nisi portiunculam aliarum litterarum Pauli IV (R. T.).
3 Forsan legendum *et* pro *ut* (R. T.).
4 Deest *secuta* (R. T.).
5 Potius lege *et nos apostolicâ* (R. T.)

firmitatem: praefatam Congregationem non minoribus, quam fecerint dicti praedecessores nostri, verum amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, motu simili, eidem Congregationi singulas litteras et cedulas praedecessorum huiusmodi, ac, prout illas concernunt, singula praemissa, et alia in eis contenta, et inde secuta quaecumque, ex certâ scientiâ nostrâ, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, cum opportunâ omnium et singulorum tam iuris quam facti defectuum, si qui forsan intervenerint in eisdem, suppletione, approbamus et confirmamus, eisque perpetuae firmitatis robur adiicimus, ac illa omnia valida et efficacia existere, et suos plenarios effectus omnino sortiri et habere debere, ac perpetuis futuris temporibus per eos, quos illa concernunt et concernere poterunt quomodolibet in futurum, inviolabiliter et inconcusse observari, et iuxta eorum dispositionem debite exequi, nec per quospiam illis contrairi, aut ea etiam in aliquo alterari posse neque debere, et sic per quoscumque iudices et commissarios etiam S. R. E. cardinales et Rotae auditores sive locumtenentes in qualibet causâ et instantiâ interpretari, iudicari, etc., debere, sublatâ, etc., irritum quoque, etc., decernimus. Ac modernis et pro tempore existentibus praepositis singularum domorum, ecclesiarum et locorum quorumcumque Congregationis huiusmodi, ut corporalia, linteamina, mappas et gansupia, sive tabulas, imagines, cruces, vestes, capsulas, vasa et tabernacula, et alia paramenta ecclesiastica, etiam sacerdotalia, et in quibus etiam Eucharistiae sacramentum conservatur et defertur et reliquiae tenentur, divino cultui quomodolibet dicata, pro usu ecclesiarum eiusdem Congregationis tantum, benedicere et consecrare, ac, tam per se quam per sacerdotes eiusdem Congregationis, Eucharistiae, etiam pro Viatico, et etiam constitutis in articulo mortis, ac Extremae Unctionis, mercenariis, famulis, operariis et servis eiusdem Congregationis, ac quibusvis hospitibus et saecularibus et extraneis quos in locis vel habitationibus ipsius Congregationis reperire[1] contigerit, nullâ petitâ licentiâ proprii sacerdotis curati, et in casu, quo non daretur spatium petendi talem licentiam propter repentinam necessitatem, etiam quibusvis aliis personis, quas[2] in huiusmodi necessitate intra ecclesias, collegia, domos vel habitationes praefatae Congregationis reperiri contigerit, ac infirmis quibusvis, etiam in mortis articulo constitutis, ubique et non petitâ licentiâ sacerdotis curati, Poenitentiae sacramenta ecclesiastica ministrare possint, concedimus et indulgemus. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac statutis, etc., etiam iuramento roboratis, necnon omnibus illis quae dicti praedecessores nostri in singulis eorum litteris, etiam praeinsertâ cedulâ motusproprii praedicti, voluerunt non obstare, quibus similiter derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis et consuetis. Clausulae derogatoriae.

Fiat: motu proprio I.

Et cum absolutione a censuris ad effectum, etc., et cum posterioribus confirmatione, approbatione, suppletione, adiectione, ac singulis etiam novis concessione, indulto, statuto, ordinatione, extensione, ampliatione, decretis et derogatione, aliisque supradictis, modo et Aliae clausulae.

1 Potius lege *reperiri* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *quae* (R. T.).

formâ praemissis, et in litteris et cedulâ motusproprii praedicti contenti[1], quae hic pro singillatim et ad partem repetitis habeantur, perpetuo etiam in formâ gratiosâ latissime extendendo, et cum deputatione iudicum exequutorum, qui assistant, etc., et faciant, etc., permittentes, etiam sub sententiis ecclesiasticis et poenis pecuniariis arbitrariis, cum facultate declarandi, aggravandi, reaggravandi, interdicendi, invocato, etc., auxilio brachii saecularis, cum derogatione constitutionum de unâ et duabus dietis, dummodo non ultra tres, latissime extendendo, et quod praemissorum omnium et singulorum etiam veriorum tenorum et cedulae motusproprii praedicti, in toto vel in parte, aliorumque necessariorum maior specificatio et expressio fieri possit in litteris, et de confirmatione tantum, et quatenus fuit in usu, etiam per Breve nostrum, simul vel ad partem, etiam in unâ, si videbitur, non factâ mentione de aliâ vel aliis expediendis.

Fiat: motu proprio I.

Datum Romae, apud S. Marcum, III kalendas augusti, anno III[2].

Constitutio Pii V.

§ 7. Pii V litterae hae sunt:

Pius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ad immarcescibilem[3] vitae, etc.[4], aeternae coronam, ad quam fortes Christi athletae, non adversus carnem et sanguinem praeliantes, sed contra spirituales antiqui hostis nequitias et huius mundi tenebrarum principatus assiduo fidei clypeo et scuto bonae voluntatis armati lumbisque praecincti colluctantes, reiectis vanitatibus et illecebris, indefesse aspirant, et, quo optatum finem tutius[1] consequantur, religionis arcem, unde inimicorum insultibus, dante Domino, securius resistere et hostilia tela propulsare queant, animose ascendant[2], elevantes oculos mentis nostrae, paternâ pietate et benevolentiâ ex nostri pastoralis officii debito non abs re iugiter inducimur, ut tranquillo eorum statui, quantum cum Deo possumus, prompte consulamus, et his, quae propterea facta esse dignoscuntur, auctoritatis nostrae adiiciamus firmitatem, aliàsque desuper opportune provideamus, prout, personarum et temporum qualitate pensatâ, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Denuo summa primae constitutionis Clementis VII describitur.

Dudum siquidem felicis recordationis Clemens Papa VII[3] praedecessor noster (sibi pro parte piae memoriae Pauli Papae IV etiam praedecessoris nostri, qui tunc in minoribus constitutus et de Congregatione dilectorum filiorum Clericorum Regularium erat, et quondam Caietani de Thienis presbyteri Vicentini tunc in humanis agentis, ac sociorum Congregationis huiusmodi exposito, quod ipsi et nonnulli alii eorumdem Congregationis socii, divinâ inspiratione ducti, ob melioris vitae frugem, et ut cum maiori animi quiete Deo servire et illi magis pio desiderio adhaerere possent, tria substantialia religiosae vitae vota, paupertatis scilicet, castitatis et obedientiae, emittere, et sub solito et communi habitu clericali in unum cohabitantes[4] et in communi ac de communi viventes, necnon Deo humiliter et devote, quantum ipse dedisset, servientes, sub eiusdem Cle-

1 Videtur legendum *contentis* (R. T.).
2 Nempe die 30 iulii anni 1557 (R. T.).
3 Ista iam legitur in tom. VII, pag. 538 *a* et seq. (R. T.).
4 Formula *etc.* importune iniecta delenda (R. T.).

1 Pessime edit. Main. legit. *totius* (R. T.).
2 Potius legendum *ascendunt* (R. T.).
3 Ista pars narrativae, mutatis mutandis, eadem est ut sup. pag. 402 *b* lin. ult. seq. (R. T.).
4 Supra pag. 403 *a* legitur *cohabitare* (R. T.).

mentis praedecessoris et Sedis Apostolicae humili et immediatâ subiectione ac speciali protectione clericalem vitam ducere decreverant), illorum in eâ parte supplicationibus inclinatus, ipsis et eorum cuilibet, ut, quandocumque visum foret, possent tria substantialia religiosae vitae, paupertatis scilicet, castitatis et obedientiae vota publice emittere, et in manibus cuiuscumque presbyteri saecularis vel cuiusvis Ordinis regularis solemniter profiteri, ac sub solito et communi habitu clericali subque nomine et nuncupatione Clericorum Regularium huiusmodi in communi et de communi viventes in locis religiosis aut saecularibus, prout eis ab illis quorum loca ipsa essent concessum foret seu expedire videretur, sub suâ et dictae Sedis immediatâ subiectione et speciali protectione in unum habitare, atque ex se ipsis inter eos singulis annis superiorem, praepositum nuncupandum, eligere, qui usque ad triennium et non ultra confirmari posset, aliosque quoscumque saeculares clericos quavis dignitate fulgentes, seu laicos, qui, Deo inspirante, ad huiusmodi vitae propositum et communem vivendi modum sese conferre vellent, recipere, et post annum probationis ad talem trium votorum professionem in manibus superioris seu praepositi emittendam et ad communem vivendi modum admittere, necnon statuta quaecumque et ordinationes ac constitutiones de omnibus et singulis quae ad huiusmodi vitae propositum conducere moresque et institutum honeste et devote clericaliter vivendi concernere viderentur, de missis praecipue et aliis divinis officiis, seu horis canonicis, prout illis melius videretur, celebrandis ac recitandis, licita tamen et honesta ac rationabilia et bonis moribus ac sacris canonibus non contraria, facere et edere, ac pro tempore facta et edita corrigere, reformare, et in partem vel in totum immutare, ac de novo alia, prout expedire videretur, instituere et ordinare, ac iuxta illa vivere, quae, postquam condita, edita, reformata, instituta, immutata et ordinata, ac praefato Clementi praedecessori seu successoribus suis Romanis Pontificibus exhibita forent, auctoritate apostolicâ approbata et confirmata essent et esse censerentur, et ut omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, indulgentiis, facultatibus, libertatibus, auctoritatibus, indultis, favoribus, concessionibus et gratiis spiritualibus et temporalibus, quibus potiebantur et gaudebant, aut in futurum potirentur et gauderent canonici regulares Congregationis Lateranensis, personaeque ac loca eorum, ipsi quoque et eorum personae ac loca uti, potiri et gaudere possent, ita ut litterae apostolicae super eisdem privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, concessionibus et gratiis, eisdem concessis vel pro tempore concedendis, mutatis dumtaxat nominibus et cognominibus, invocationibus et diebus, ad eorum libitum expediri possent, perinde ac si illa omnia et singula, non solum per clausulas generales, sed per eorum tenorum[1] de verbo ad verbum expressionem et insertionem fuissent expressa et eis specialiter concessa, per quasdam[2],

Summa alterius constitutionis Clementis VII praefati.

Et deinde[3] (pro eâdem parte eidem Clementi praedecessori etiam exposito quod ipse Paulus praedecessor, tunc, ut praefertur, in minoribus constitutus, et Caietanus ac socii Congregatio-

1 Edit. Main. legit *tenorem* (R. T.).

2 Corrige et supple quae desunt, ut innuimus supra pag. 404 *a*, nota 1 et 2 (R. T.).

3 Pro seq. narrativâ vide sup. p. 404 *a* (R.T.).

nis Clericorum regularium huiusmodi sub[1] trium votorum substantialium emissione vitam clericalem ducere, ac praedicationi verbi Dei, audientiae confessionum, et sacrae theologiae ac sacrorum canonum studiis ad eorum ac aliorum christifidelium animarum profectum vacare decreverant) idem Clemens praedecessor eis, ut tunc eorum superiores, praepositi nuncupati, pro tempore existentes, cum clericis et sociis suis, qui infirmitate pro tempore praepedirentur, super recitatione divinorum officiorum, ad hoc ut ipsi infirmitate praepediti certum psalmorum, per ipsos superiores eis assignandorum, numerum, non minus septem aut sex, cum distinctione[2], ac orationem dominicam septies, symbolum apostolorum bis, graviter autem aegrotantes orationem dominicam semel et salutationem angelicam septies in die recitando, septem horis canonicis et toti divino officio satisfecisse censerentur, et cum quibusvis clericis et sociis suis[3] super ieiuniis etiam de praecepto, etiam quadragesimalibus, et cum concessione vespertini ientaculi, *collationis* nuncupati, et comestionibus[4] etiam panis in eis licite et absque praevaricatione faciendâ, dispensare possent, per alias; ac successive, ut ipsi inter eos mutuas, seu etiam alii sacerdotes saeculares vel regulares, aliàs tamen approbati ab Ordinariis, ad hoc ab ipsis de superiorum eorum et successorum aut Sedis praedictae licentiâ pro tempore eligendi, ipsorum de Congregatione Clericorum Regularium confessiones huiusmodi audientes, in absolutionibus hac[1] formâ uti possent, videlicet, post *Misereatur, etc.*, et *Indulgentiam, etc.* — *Dominus noster Iesus Christus te absolvat, et ego, auctoritate ipsius ac beatorum apostolorum Petri et Pauli mihi concessâ, absolvo te ab omni vinculo excommunicationis maioris vel minoris, suspensionis et interdicti, et dispenso tecum in omni irregularitate, quam quomodocumque incurristi, et restituo te sanctis sacramentis Ecclesiae, unionique et participationi fidelium, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Amen*; *iterum eâdem auctoritate, etc.*, per alias (quas supradictus Clemens praedecessor postea etiam per alias, ad hoc ut dictâ formâ in absolutionibus non solum cum sacerdotibus, sed etiam cum aliis clericis et laicis Congregationis Clericorum Regularium huiusmodi pro tempore existentibus eis pro tempore confitentibus uti possent, extendit et ampliavit) in perpetuum concessit et indulsit; et subsequenter idem Clemens praedecessor, etiam tunc eorumdem Congregationis Clericorum Regularium in eâ parte supplicationibus inclinatus, praemissa omnia et alia quaecumque per ipsum illis eâtenus concessa per alias innovavit; et eis, ut sub suâ et dictae Sedis speciali protectione et humili subiectione huiusmodi, ab omni alio superiore penitus liberi et exempti, soli Romano Pontifici canonice intranti, et eorum superiori canonice electo, pro tempore existentibus, subditi degere deberent, ac quod, qui tunc ad eorum communem vivendi modum se conferrent et ad votorum professionem huiusmodi modo et formâ praemissis admissi forent, voto religionis in genere emisso satisfecisse censerentur, etiam perpetuo concessit; quodque singuli eorum superiores pro tempore

1 Praep. *sub* nos addimus ex l. parall. (R.T.).

2 Supra pag 404 *a* legitur *cum devotione*, et in tom. VI, pag. 161 *a* leg. *cum divisione* (R.T.).

3 Quaedam desunt, quae habentur in loc. parall. supra pag. 404 *b* (R. T.).

4 Potius lege *comestionis*, ut sup. l. cit. (R.T).

1 Male edit. Main. legit *ac* pro *hac* (R. T.).

electi, finito triennio quo confirmati forent, in alio loco in superiores eligi, et ad[1] aliud triennium ex tunc immediate sequens confirmari, ac tam ipsi quam eorum socii pro tempore existentes vestimenta cum manicis super pallium exertis deferre, ac tam circa vestimenta quam circa caeremonias in officiis ecclesiasticis et reliquo vitae cultu et victu servandas[2] cum moribus et laudabilibus consuetudinibus clericorum civitatis et loci, in qua seu quo[3] eos pro tempore degere vel morari contigerit, convenire, ac sub singulis praepositis archipresbyterum, qui in spiritualibus, et archidiaconum, qui in temporalibus praessent et eorum curam haberent, ac plebanum, qui curam animarum eis imminentem exerceret, eligere valerent, et omni tempore in benedictione mensae psalmum *Laudate Dominum omnes gentes, etc.*, recitare, nec ad alium psalmum recitandum quoquo modo tenerentur; quodque in eorum capitulis illi tantum, qui ad id capitulatim admissi forent, vocem haberent, et alii, ut praefertur, non admissi, in eo minime intervenire aut vocem habere possent, etiam perpetuo statuit et ordinavit; ac insuper eis, quod omnibus et singulis privilegiis, indulgentiis, praerogativis, exemptionibus, immunitatibus, gratiis et indultis quorumvis etiam Cisterciensibus et Cluniacensibus[4] monachis ac aliorum etiam Mendicantium Ordinum fratribus, tam in spiritualibus quam in temporalibus, in specie vel in genere, etiam communicative, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores suos, et pro talibus habitos, ac Sedem praedictam quomodolibet concessis et in posterum concedendis, et quibus illi tam in vitâ quam in mortis articulo, etiam circa peccatorum remissiones et iniunctarum poenitentiarum relaxationes, aut aliàs quomodolibet, uti, potiri et gaudere poterant aut possent quomodolibet in futurum, perpetuis futuris temporibus uterentur, potirentur et gauderent, necnon illorum omnium participes esse possent et deberent, indulsit; ac privilegia, indulgentias, praerogativas, exemptiones, immunitates, gratias et indulta monachis et fratribus praedictis, tam in spiritualibus quam in temporalibus, tam in specie quam in genere, etiam communicative concessa, ut praefertur, ad eos extendit et ampliavit, ac in eis locum habere et suum plenarium effectum sortiri debere decrevit et declaravit per reliquas suas in formâ Brevis litteras;

Ac postmodum recolendae memoriae Paulus PP. III, et similiter praedecessor noster, vivae vocis oraculo eidem Paulo IV praedecessori, etc.[1].

Iterum refertur summa cuiusdam vivae vocis oraculi Pauli III superius in primâ constitutione Pauli IV iam relati.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXVII, idibus[2] februarii, pontificatus nostri anno II[3].

§ 8. Aliae eiusdem Pii litterae hae sunt[4]:

Altera eiusdem Pii V constitutio, qua Clericos Regulares eximit a vectigalibus.

Pius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Romani Pontificis providentia circumspecta circa statum personarum quarumlibet divino cultui mancipatarum salubriter dirigendum paternâ sollicitudine libenter prospicit et intendit, ac earum,

1 Praeposit. *ad* nos addimus (R. T.).
2 Edit. Main. legit *servandis* (R. T.).
3 Pessime edit. Main. legit *quos* pro *quo* (R.T.).
4 Potius lege *Cisterciensis et Cluniacensis* ut monuimus supra pag. 405 *b*, nota 2 (R. T.).

1 Reliqua iam omittimus, quia habes in tom. VII, pag. 538 *a* § 3 et seq. (R. T.).
2 Male edit. Main. legit IV *idus* (R. T.).
3 Male edit. Main. legit anno III (R. T.).
4 Istae et seqq. Gregorii XIV, Pauli V, Gregorii XV litterae nondum relatae fuerant in Bullario, adeoque eas per extensum referimus (R.T.).

quas voluntariae paupertatis iuge novit esse suppositas, oppressiones et gravamina relevat, ut, quibuslibet perturbationibus semotis, facilius valeant Altissimo suum exhibere famulatum. Hinc est quod nos, dilectis filiis Congregationis[1] Clericorum Regularium S. Silvestri de Urbe (qui, ut accepimus, gravi paupertate oppressi, in dies eleemosynis vivere, seque non sine maximâ et ingenti rerum penuriâ sustentare coguntur), ut quietiori animo ac commodius divinis se immiscere et ad illa intendere valeant, de alicuius subventionis auxilio providere, eosque specialis gratiae favore prosequi volentes, ipsosque Congregationem, et illorum singulares personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio, non ad ipsorum Congregationis vel alterius pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostrâ merâ liberalitate, praefatos Congregationem et pro tempore existentes illius clericos, in dictâ Urbe commorantes ac in communi viventes, ab omnibus et singulis subsidiis, gabellis, datiis, collectis, angariis, vectigalibus et aliis quibuscumque oneribus, ordinariis et extraordinariis, realibus, personalibus ac mixtis, olei videlicet pro uno, et vini pro decem et octo doliis, necnon farinae, carnium, aliarumque quarumcumque rerum, cuiuscumque generis et qualitatis existentium, pro usu Congregationis et clericorum huiusmodi tam per mare et aquam dulcem quam per terram undecumque ad almam Urbem pro tempore delatarum et conductarum, ac aliàs quomodolibet et ex quacumque causâ etiam iustissimâ et de necessitate exprimendâ, tam per praedecessores nostros quam nos et Apostolicae Sedis legatos etiam pro expeditione contra infideles ac reipublicae christianae et Status Ecclesiastici tuitione et defensione impositis et imponendis, necnon contributione in illis faciendâ, apostolicâ auctoritate et ex certâ nostrâ scientiâ tenore praesentium perpetuo eximimus et totaliter liberamus, ac immunes, liberos et exemptos fore et esse, illosque ad praemissorum omnium et singulorum vel alicuius eorum solutionem in toto vel in parte etiam quantumcumque minimâ, quavis occasione vel causâ, nullo unquam tempore teneri, nec ad id cogi aut compelli vel gravari posse, decernimus; districtius etiam in virtute sanctae obedientiae, et sub indignationis ac excommunicationis maioris latae sententiae poenâ, ac mille ducatorum auri, pro qualibet vice qua praemissis aut alicui eorum contravenire praesumpserint, fisco apostolico irremissibiliter applicandorum poenâ, eo ipso, si et quoties contrafactum fuerit, incurrendâ, inhibentes dilectis filiis moderno et pro tempore existentibus gubernatori et quibusvis aliis superioribus tam almae Urbis praefatae quam aliarum civitatum, oppidorum, locorum, castrorum et terrarum, necnon omnibus et singulis datariis, gabellariis, thesaurariis, quaestoribus, depositariis, capitaneis, marescallis et aliis ad haec quomodolibet praefectis aut deputatis eiusdem Status nostri Ecclesiastici, ne Congregationem illiusque pro tempore existentes clericos praefatos super praemissis aut eorum usu directe vel indirecte quovis quaesito colore vel ingenio molestare, vexare, impedire, vel aliàs quomodolibet per-

[1] Potius lege *Congregationi* (R. T.).

turbare audeant sive praesumant; decernentes, exemptionem, immunitatem ac omnia et singula alia praemissa per praefatos et quoscumque alios perpetuo inviolabiliter observari, necnon praesentes litteras sub quibuscumque revocationibus, suspensionibus, modificationibus, limitationibus, derogationibus similium vel dissimilium exemptionum aut aliarum gratiarum etiam per nos et Sedem praefatam sub quibuscumque tenoribus et formis ac[1] cum quibusvis clausulis et decretis pro tempore factis minime comprehendi, sed semper ab illis exemptas[2], et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenariae reintegratas esse et censeri, et sic per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Amerinensi et Narniensi ac Maceratensi episcopis motu simili per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte Congregationis et clericorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, sibique et eorum cuilibet in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illos et eorum singulos exemptione, voluntate, inhibitione et decreto, aliisque praemissis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos[1] desuper per collectores, gabellarios et exactores praefatos, aut[2] quoscumque alios, ad aliquam solutionem, contributionem vel praestationem praemissorum occasione quomodolibet faciendam quovis modo cogi et compelli, aut aliàs contra praesentium tenorem quomodolibet molestari, perturbari aut inquietari, contradictores quoslibet et rebelles per praedictas aliasque opportunas censuras et poenas, appellatione postpositâ, compescendo, ac, legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas huiusmodi incurrisse declarando, illas etiam iteratis vicibus aggravando, interdictumque ecclesiasticum apponendo, invocato etiam ad hoc, si opus sit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium non trahatur, ac aliis quibusvis constitutionibus et ordinationibus, etiam contra exemptas, quomodolibet editis et edendis, ac etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis, et municipalibus, et consuetudinibus, novis reformationibus, legibus quoque imperialibus, ac privilegiis, indultis et litteris apostolicis, quibusvis legatis, vicelegatis, conductoribus, gabellariis, commissariis et aliis praefatis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis aliisque efficacioribus et efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu simili, et ex certâ scientiâ, etiam consistorialiter, et aliàs quomodolibet, etiam per nos, etiam ite-

1 Edit. Main. legit *a* pro *ac* (R. T.).
2 De more lege *exceptas* (R. T.).

1 Ed. Main. legit *eas* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *ut* pro *aut* (R. T.).

ratis vicibus in contrarium concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint[1] per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem quod transumptis praesentium, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae vel curiae ecclesiasticae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhiberi debeat, quae litteris ipsis originalibus adhiberetur si exhibitae forent vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hac paginam nostrae absolutionis, exemptionis, liberationis, inhibitionis, decreti, mandati, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Marcum, anno Incarnationis dominicae MDLXVI, IV idus iulii, pontificatus nostri anno I.

Constitutio Gregorii XIV, qua eisdem privilegia confirmantur.

§ 9. Gregorii XIV litterae subsequuntur: *Gregorius Papa XIV, ad perpetuam rei memoriam.* Quam uberes et salutiferos fructus in Ecclesiâ Dei Congregatio clericorum regularium Theatinorum nuncupatorum tum ad privatam tum ad publicam utilitatem et salutem produxerit, et indesinenter geminato quasi fructu edere satagat, omnes plane perspectum habent. Ipsa enim Congregatio, quae iam ab originis suae initio viris pietate, sanctimoniâ et doctrinâ insignibus semper floruit, ultra quod circa divina ministeria et officia spiritualesque functiones et exercitationes tota continuo incumbit, et[1] circa fructuosam agri dominici culturam, videlicet populi in lege et viâ Domini instructionem spiritualemque consolationem, laboriosam et indefessam operam praestare non desinit, aliosque probatae vitae exemplo et bonae famae odore ad caelestes inquirendos thesauros efficaciter allicit et invitat. Quae nos dum attentius animo revolvimus, et[2] paternâ charitate et pastoralis officii, nobis licet immeritis divinâ dispositione commissi, debito movemur ad ea praecipue concedenda per quae ipsius Congregationis statui, tranquillitati et profectui salubriter consulatur, ac personae, in eâ sub suavi religionis iugo Altissimo iugiter famulantes, in professionis suae ministerio se utilius et fructuosius valeant exercere. Attendentes igitur quod dicta Congregatio, quae olim sine certo aliquo generali rectore communibus votis et studiis iuxta laudabiles constitutiones a nonnullis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris sibi praescriptas administrari consueverat, ab Apostolicâ Sede in primâ sui creatione et institutione per felicis recordationis Clementem VII praedecessorem nostrum approbata, multis privilegiis, facultatibus, indulgentiis, favoribus et gratiis insignita extitit (quae postea per piae memoriae Paulum III, Iulium III, Paulum IV et Pium V Pontifices et praedecessores nostros confirmata et aucta[3] fuerunt), et insuper volentes praedictam Congregationem, pro singulari quo eam ob eminentia merita charitatis affectu comple-

1 Edit. Main. legit *possit* (R. T.).

1 Nempe *etiam* (R. T.).
2 Nempe *etiam* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *acta* pro *aucta* (R. T.).

ctimur, amplioribus favoribus et gratiis, ut par est, cumulare et exornare, eidem Congregationi et clericis, ut, ultra privilegia et alia sibi concessa praedicta, omnibus et singulis aliis privilegiis, exemptionibus, facultatibus, indultis, indulgentiis et peccatorum remissionibus et relaxationibus, ceterisque gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibusvis religionibus, congregationibus et Ordinibus, quocumque nomine nuncupentur, etiam Mendicantium, ac tam virorum quam mulierum, eorumque monasteriis, domibus et aliis piis locis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos dictamque Sedem hactenus quomodolibet concessis et imposterum concedendis, ac quibus illorum utriusque sexus personae de iure vel consuetudine aut ex privilegio vel aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, in his quae eorum regularibus institutis non adversantur dumtaxat, non solum ad eorum instar, sed aeque principaliter ac pariformiter, in omnibus et per omnia, perinde ac si eidem Congregationi et clericis specialiter et expresse concessa forent, uti, potiri et gaudere libere et licite valeant, perpetuo concedimus et indulgemus, illaque eis communicamus et concedimus et ad eos extendimus. Decernentes, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod interesse habentes ad hoc vocati non fuerint, nec eisdem praemissis consenserint, nec ex quibuscumque aliis causis quantumvis legitimis et iuridicis, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, impugnari, retractari, invalidari, in ius vel controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, adversus illa quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari non posse, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus, per nos vel alios Romanos Pontifices successores nostros, sub quibuscumque verborum expressionibus et formis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus[1] pro tempore faciendis, comprehendi, sed semper ab illis excepta, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et in eum, in quo antea erant, statum restituta, reposita et plenarie reintegrata, et de novo etiam sub datâ per pro tempore existentem praepositum generalem et clericos regulares huius Congregationis et quandocumque eligendâ ac de novo concessa fore et esse, suumque plenarium effectum sortiri debere, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Quocirca venerabilibus fratribus Alexandrino et Hierosolymitano patriarchis ac dilecto filio curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus, ut, ubi et quando ac quoties opus fuerit, et[2] pro parte praepositi generalis seu capituli et eiusdem Congregationis fuerint requisiti, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant easdem praesentes

1 Edit. Main. legit *similibusque* (R. T.).
2 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

et in eis contenta huiusmodi auctoritate nostrâ ab omnibus ad quos pertinet inviolabiliter observari, et Congregationem praedictam illiusque praepositum generalem illorum omnium et singulorum effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper a quoque quavis auctoritate scienter vel ignoranter quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus praemissis et piae memoriae Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, atque nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam Cancellariae Apostolicae clausulis, necnon dictae Congregationis, etiam iuramento et confirmatione apostolicâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Congregationi, eiusque praepositis superioribus, clericis et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis, necnon omnibus illis quae singuli praedecessores praedicti in eorum cedulis, supplicationibus et litteris voluerunt non obstare; quibus omnibus, etiamsi de illis specialis, specifica et ad verbum expressa mentio esset facienda, eorum tenores, ac si ad verbum insererentur [1], praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse [1] volumus et decernimus, et contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto eiusmodi mentionem.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die V aprilis MDXCI, pontificatus nostri anno I.

§ 10. Litterarum Pauli V tenor hic est: *Constitutio Pauli V privilegiorum confirmatoria.*

Paulus Papa V, ad perpetuam rei memoriam. In Apostolicae Sedis speculâ meritis licet imparibus a Domino constituti, ad ea praecipue providenda mentis aciem intendimus, per quae religiosi viri in perseverantiâ laudabilium operum ferventius incitentur. Hinc est quod, cum dilecti filii praepositus generalis et clerici regulares Congregationis Theatinorum, iam inde a primordio suae Congregationis huiusmodi, per felicis recordationis Paulum Papam IV praedecessorem nostrum, dum in minoribus constitutus esset, aliosque insigni probitate viros eius socios laudabiliter institutae, bonis institutis [2] assidue inhaerentes, spem suam omnem in Deo collocarint, et fallacis saeculi calcatis deliciis, sibi aliisque verbo atque exemplo caeli viam patefacere nunquam cessent, nos pro pastoralis officii debito libenter illos paternâ charitate amplectimur, et ea ipsis specialiter concedimus, quae eorum instituto ac profectui conspicimus in Domino profuturam. Sane praepositi generalis et clericorum praedictorum nomine nobis nuper expositum fuit, quod ipsi eorumque Congregatio diversis privilegiis, gratiis et

1 Edit. Main. legit *inserentur* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *etiam* pro *esse* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *instituti* (R. T.).

indultis sibi a diversis Romanis Pontificibus similiter praedecessoribus nostris concessis gaudent, quae, pro maiori eorum validitate et subsistentiâ, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, Congregationem praedictam, ex qua uberrimi in Ecclesiâ catholicâ ad Dei omnipotentis laudem et gloriam et reipublicae christianae spirituale commodum et utilitatem hactenus profluxerunt et in dies profluunt fructus, specialis gratiae favore prosequi volentes, et illius singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas[1] fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula privilegia, facultates, exemptiones, immunitates, gratias et indulta principaliter vel per communicationem vel aliàs quomodolibet Congregationi et clericis praedictis per quoscumque Romanos Pontifices et praedecessores nostros ac Sedem Apostolicam concessa, quorum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; eaque omnia et singula innovamus et de novo concedimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Quocirca universis et singulis venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, ac dilectis filiis abbatibus, prioribus et aliis personis in dignitate ecclesiasticâ constitutis per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte praepositi generalis aliorumque superiorum dictae Congregationis pro tempore existentium fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ litteras nostras huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, non permittentes eos desuper a quoquam quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstante felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac decretis per quoscumque Romanos Pontifices similiter praedecessores nostros, etiam vivae vocis oraculo, aut aliàs quomodolibet editis, necnon aliorum Ordinum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis, quibuscumque personis, sub quibusvis verborum formis et tenoribus, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliis-

1 Edit. Main. legit *absolutos* (R. T.).

que efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa ac de verbo ad verbum mentio habenda foret, eorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu secretarii dictae Congregationis vel notarii publici subscriptis[1], et sigillo praepositi generalis eiusdem Congregationis aut personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die IV aprilis MDCXII, pontificatus nostri anno VII.

Constitutio Gregorii XV, qua iterum privilegia confirmantur.

§ 11. Litterae vero Gregorii XV hae sunt:

Gregorius Papa XV, ad perpetuam rei memoriam. In Apostolicae Sedis speculâ meritis licet imparibus a Domino constituti, ad ea praecipue providenda mentis aciem intendimus, per quae religiosi viri in perseverantiâ laudabilium operum ferventius incitentur. Hinc est quod, cum dilecti filii praepositus generalis et clerici regulares Congregationis Teatinorum, iam inde a primordio suae Congregationis huiusmodi per felicis recordationis Paulum Papam IV praedecessorem nostrum, dum in minoribus constitutus esset, aliosque insigni probitate viros eius socios laudabiliter institutae, bonis institutis assidue inhaerentes, spem suam omnem in Deo collocarint, et fallacis saeculi calcatis deliciis, sibi aliisque verbo atque exemplo caeli viam patefacere nunquam cessent, nos pro pastoralis officii debito libenter illos paternâ charitate amplectimur, et ea ipsis specialiter concedimus, quae eorum instituto ac profectui conspicimus in Domino profutura. Motu itaque proprio, et ex certâ scientiâ nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula privilegia, facultates, exemptiones, immunitates, gratias et indulta principaliter vel per communicationem aliàs quomodolibet Congregationi et clericis praedictis per quoscumque Romanos Pontifices et praedecessores nostros ac Sedem Apostolicam concessa, quorum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis, apostolicae firmitatis robur adiicimus; eaque omnia et singula innovamus et de novo etiam concedimus. Quocirca universis et singulis venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, ac dilectis filiis abbatibus, prioribus et aliis personis in dignitate ecclesiasticâ constitutis per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte praepositi generalis aliorumque superiorem dictae Congregationis pro tempore existentium fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ litteras nostras huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et pro

[1] Vocem *subscriptis* nos addimus (R. T.).

tempore spectabit, inviolabiliter observari, non permittentes eos desuper a quoquam quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato ad hoc etiam si opus fuerit auxilio brachii saecularis. Non obstante, etc.[1].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI octobris MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Altera eiusdem Gregorii XV constitutio contra ambitum dignitatum.

§ 12. Aliae litterae Gregorii XV hae sunt:

Gregorius Papa XV, ad perpetuam rei memoriam. Quoniam nemo debet assumere sibi honorem nisi vocatus a Deo tamquam Aaron, et a regularis vitae instituto valde alienum est ut religiosi viri, quos honorum et dignitatum gradus sanctitate vitae ac aliis religiosis virtutibus potius promereri quam appetere, eosque gradus, cum ad eos assumuntur, obedienter suscipere, susceptosque humiliter administrare decet, mendicatis saecularium praesertim studiis ad eos sibi aditum patefacere contendant, unde magna in Ecclesiâ Dei scandala et damna exoriri solent, nos, qui pro muneris nostri debito in hoc potissimum laborare non desistimus ut ecclesiastica regularisque disciplina pristinae observantiae restituatur, hoc malum a Congregatione clericorum regularium Theatinorum nuncupatorum, cuius prosperum regimen et incrementum ad Ecclesiae sanctae utilitatem sinceris desideramus affectibus, propellere cupientes, motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnibus et singulis eiusdem Congregationis clericis et personis cuiuscumque aetatis, status, gradus et conditionis existentibus, praesentibus et futuris, ne de cetero, habito ad principum et praelatorum ac aliarum quarumcumque personarum, tam saecularium quam ecclesiasticarum, de gremio dictae Congregationis non existentium, etiam cardinalatus honore fulgentium, favorem recursu, sive aliis quibuscumque modis et viis, directe vel indirecte, palam vel occulte, mediate vel immediate, ac tam pro se quam pro aliis, quaecumque ipsius Congregationis officia, vel gubernia, praepositutas, visitationes, consultas aut vicariatus, sub quovis quaesito colore vel praetextu, etiam in genere, assequi et obtinere procurent, sub excommunicationis latae sententiae, a qua nonnisi per nos aut Romanum Pontificem sive ipsius Congregationis praepositum generalem pro tempore existentem praeterquam in mortis articulo absolvi, necnon privationis vocis activae et passivae ac perpetuae inhabilitatis ad officia vel gubernia huiusmodi imposterum obtinenda, ad quae similiter nonnisi per nos aut Romanum Pontificem pro tempore existentem vel capitulum generale ipsius Congregationis rehabilitari possint, aliisque poenis tam per ipsos quam eorum complices et fautores ac non revelantes eo ipso incurrendis, tenore praesentium interdicimus et prohibemus. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis etiam latae sententiae poenâ, eidem praeposito generali et aliis superioribus dictae Congregationis quocumque titulo nuncupatis, praesentibus et futuris, ne quempiam ullo tempore precibus, litteris vel favoribus adducti, vel aliàs[1] ad instantiam seu requisitionem et contemplationem principum vel praelatorum, aut aliarum quarumcumque personarum tam saecularium quam eccle-

1 Clausulae ut in praec. Pauli V const. (R. T.).

1 Edit. Main. legit *aliis* pro *aliàs* (R. T.).

siasticarum de gremio dictae Congregationis non existentium, etiam cardinalatus honore fulgentium praedictorum, ad officia, vel gubernia, praepósituras, visitationes, consultas aut vicariatus huiusmodi providere[1] audeant[2] aut praesumant. Et nihilominus quascumque electiones et promotiones, contra praesentium dispositiones (quod absit) faciendas, nullas prorsus et invalidas esse et fore, ac omnes et singulos in praemissis delinquentes sententias et poenas praedictas irremissibiliter eo ipso incurrere, et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon dictae Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenore praesentium pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si praedictis clericis vel personis vel quibusvis aliis communiter aut divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Ut autem harum litterarum notitia ad omnes ipsius Congregationis clericos facilius deveniat, volumus illas pro hac primâ vice in singulis eiusdem Congregationis domibus regularibus, et deinde in singulo quoque capitulo generali seu diaetâ dictae Congregationis publice legi, illasque, sic ut praefertur lectas, omnes arctare perinde ac si unicuique intimatae fuissent, illarumque exemplis, etiam impressis, manu scribae dicti capituli vel notarii publici subscriptis, et sigillo praepositi generalis eiusdem Congregationis vel alterius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eamdem fidem adhiberi, quae eisdem praesentibus adhiberetur si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVI februarii MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Resumitur constitutio Benedicti XIII, qua praedictae omnes confirmantur.

§ 13. Nos ergo, eidem Ioanni Rubeo procuratori generali ac clericis supradictis specialem gratiam facere volentes, ipsosque et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti poenis absolventes et absolutos fore censentes, Clementis VII, Pauli IV, Pii V, Gregorii XIV, Pauli V et Gregorii XV antecessorum respective litteras praedictas, et omnia ac singula respective in eisdem contenta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus, approbamus et innovamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, et a[1] quibusvis, quorum interest sive pro tempore intererit, inviolabiliter observari volumus.

Confirmatur rescriptum Urbani VIII praeposito pro tempore eorumdem

§ 14. Insuper dilecto etiam filio moderno et pro tempore existenti praedictae Congregationis praeposito generali,

1 Forsan *promovere* (R. T.).

2 Male ed. M. 1. *accedant* pro *audeant* (R. T.).

1 Praeposit. *a* nos addimus (R. T.).

clericorum regularium consensum. ut ipse pro arbitrio suo religiosorum numerum in singulis regularibus domibus praedictae Congregationis praefigere possit iuxta eleemosynarum pro tempore sponte oblatarum quantitatem, prout aliàs felicis recordationis Urbanus Papa VIII pariter antecessor noster per suum apostolicum rescriptum eidem praeposito pro tempore existenti super hoc facultatem concessit, nosque facultatem huiusmodi apostolicâ auctoritate praedictâ concedimus atque indulgemus.

Clausulae. § 15. Praesentes etiam nullo unqam tempóre de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel quocumque alio defectu notari vel impugnari ullatenus posse decernimus, minusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, modificationibus, limitationibus, restrictionibus, aliisque contrariis dispositionibus, tam per nos ipsos quam etiam per successores nostros quomodolibet, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliis efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque decretis, pro tempore factis et faciendis, quorumcumque tenorum existant, includi; sed, illis non obstantibus, in suo robore et efficacià persistere, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenariae reintegratas, etiam sub datâ per Congregationem et clericos praedictos eligendâ de novo concessas esse; et ita incommutabilis voluntatis et intentionis nostrae esse, et, ad hoc ut perpetuâ firmitate subsistant, vim validi et efficacis contractus inter Sedem Apostolicam et eiusdem Congregationis clericos haberi[1]; sicque per quoscumque iudices, etiam causarum palatii apostolici auditores et S. R. E. cardinales a latere legatos, vicelegatos et Sedis Apostolicae nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et autoritate, iudicari debere; irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Deputantur exequutores. § 16. Quocirca dilecto filio curiae causarum Camerae Apostolicae auditori generali per easdem praesentes motu proprio mandamus, quatenus ipse, per se, vel alios[1], praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte Congregationis et clericorum praedictorum, vel alicuius eorum fuerit requisitus, solemniter publicans, eosdem praemissis omnibus pacifice frui et gaudere faciat, non permittens eos vel eorum quempiam super illis quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, et nihilominus, legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatoriae. § 17. Haec autem decernimus atque statuimus, non obstantibus recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII etiam antecessoris nostri de unà, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas quis vigore praesentium ad iudicium non trahatur, et aliis apostolicis, necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus, ordinationibus, et quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscum-

1 Potius lege *habere* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *alias* (R. T.).

que tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliis efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque, atque aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, atque apostolicae potestatis plenitudine, ac aliàs quomodolibet, etiam consistorialiter concessis, approbatis, confirmatis et saepius innovatis; quibus omnibus, etiamsi de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio, seu aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse ac latissime et plenissime derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Nemo has litteras infringere audeat.

§ 18. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, confirmationis, approbationis, roboris adiectionis, concessionis, impartitionis, decreti, voluntatis et derogationis infringere, vel ei temerario ausu contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVI, kalendis septembris, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 1 septembris 1726, pontif. anno III.

CXLVI.

Restituitur pristinae suae provinciae Calabriae monasterium de Sagittario Anglonensis diocesis in provinciâ Basilicatae Ordinis Cisterciensis [1].

1 Dismembratum fuerat dictum monasterium ab Alexandro VII, const. ed. MDCLXIV, die 1 octobris, pontif. II.

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a consuetudine immutandi ea quae aliàs constituta fuere.

Ex iniuncto nobis divinitus apostolicae dispensationis officio ea interdum, quae certis rationabilibus ex causis a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessa sunt, ipsâ subinde rerum experientiâ suadente, et maioribus ex causis, quibus praesertim felici christifidelium sub suavi religionis iugo Altissimo famulantium statui et prosperae directioni consulitur, revocamus et immutamus, in hisque sollicitudinis nostrae partes interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Ab Alexandro VII praedictum monasterium a provincia Calabriae dismembratum, provinciae Tusciae Congregationis S. Bernardi Italiae unitum fuit.

§ 1. Aliàs siquidem per felicis recordationis Alexandrum PP. VII praedecessorem nostrum accepto quod Congregatio S. Bernardi Italiae monachorum Ordinis Cisterciensis, quae ex duabus provinciis Tusciae scilicet et Lombardiae constabat, eximiâ regularis observantiae laude florebat, eâque de causâ omnia dicti Ordinis monasteria in Statu Ecclesiastico et pleraque in regno Neapolitano respective consistentia memoratae provinciae Tusciae auctoritate apostolicâ ab ipso Alexandro praedecessore unita fuerunt, unde divini servitii augumentum exactiorque disciplinae regularis observantia, et maior quies et tranquillitas religiosorum dictorum monasteriorum consequta erant, idem Alexander, praedecessor, spirituali temporalique monasterii S. Mariae de Sagittario nuncupati Ordinis praefati Anglonensis dioecesis (quod unicum in provinciâ Basilicatae dicti regni, et tum ob monachorum multitudinem, tum ob regularis disciplinae vigorem conspicuum existebat, ac dudum a recolendae memoriae Urbano PP. VIII praedecessore etiam nostro per quasdam suas desuper expeditas litteras provinciae Calabriae Ordinis praedicti decretum

fuerat) utilitati pariformiter prospectum esse cupiens, praefatum monasterium S. Mariae de Sagittario a dictâ provinciâ Calabriae perpetuo separavit et dismembravit, ipsumque monasterium, cum omnibus et singulis eius personis et bonis illius mensae conventualis, Congregationi S. Bernardi et provinciae Tusciae praefatis itidem perpetuo univit, annexuit et incorporavit; et aliâs, prout in ipsius Alexandri praedecessoris litteris in simili formâ Brevis die I octobris MDCLXIV desuper editis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Hinc lites ortae quibus in Congregationem episcoporum et regularium discussis, decretum fuit servandas litteras Alexandri VII.

§ 2. Et postmodum emanatâ[1] super dismembratione ac unione huiusmodi respective inter tunc existentes praesidentem supradictae provinciae Calabriae, ex unâ, ac abbatem et monachos praefati monasterii S. Mariae de Sagittario, ex alterâ partibus, controversiâ, eâque in Congregatione tunc similiter existentium S. R. E. cardinalium negociis et consultationibus episcoporum et regularium propositâ[2] diu discussâ, emanavit ab ipsâ Congregatione cardinalium decretum, quo enarratas Alexandri praedecessoris litteras servandas, et ab eiusdem S. R. E. cardinali dicti Ordinis apud hanc Sanctam Sedem protectore curandum fore demandavit ut visitationes in praefato monasterio S. Mariae de Sagittario omnino suo tempore fierent; quod decretum subinde, occasione aliarum litium hac super re diversis temporibus motarum, tam a praedictâ quam aliâ Congregatione super disciplinâ regulari dictâ auctoritate deputatâ fuit confirmatum.

Causae praesentis constitutionis.

§ 3. Cum autem, sicut accepimus, dictum monasterium S. Mariae de Sagittario trecentis et amplius millibus passuum a Tusciâ distare reperiatur, et ob eiusmodi distantiam nec abbates ipsius monasterii pro tempore existentes ad capitulum provinciale dictae provinciae, quam in civitatibus Mediolanensi et Ferrariensi, longe etiam inde dissitis, alternis vicibus celebrari consuevit, absque gravi suo ac dicti monasterii incommodo et dispendio accedere, nec praesidens et definitores praefatae Congregationis S. Bernardi ac provinciae Tusciae illius regimini[1], prout par est, intendere et advigilare valeant, indeque factum sit quod visitationes in eodem monasterio, tametsi a praefatâ cardinalium Congregatione rebus et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ sicut praemittitur demandatae, viginti quinque ab hinc annis per visitatores regulares dictae provinciae Tusciae factae non fuerint, multiplicesque abusus in dictum monasterium sensim irrepserint, inter quos ille praesertim memoratur quod munus abbatis ipsius monasterii per monachos de unâ eâdemque familiâ seu consanguineos quasi per manus et ad instar haereditariae successionis, a tempore quo idem monasterium ipsi provinciae Tusciae unitum reperitur, ferme semper exercitum fuerit, licetque venerabilis frater episcopus Anglonensis, quem novissime in visitatorem apostolicum eiusdem monasterii deputaveramus, plura decreta pro monasticae disciplinae instauratione ac recto dicti monasterii gubernio ediderit, nihilominus, nisi dictae[2] provinciae Calabriae, cui adiacet, ac cuius proinde praesidens et definitores salubri eius regimini facile incumbere possunt denuo uniatur, vix sperari possit quod reli-

1 Potius lege *enatâ* (R. T.).
2 Potius lege *praepositâ* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *alius regiminis* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *dicti* pro *dictae* (R. T.).

giosa inibi quies et tranquillitas ac regularis observantia usquequaque reintegretur:

Revocatio unionis praedictae, et restitutio eiusdem monasterii pristinae suae provinciae Calabriae.

§ 4. Hinc est quod nos, praefati monasterii eiusque monachorum statui et indemnitati, quantum cum Domino possumus, prospicere ac opportune providere volentes, supplicationibus dilecti filii abbatis Alexandri Magni, monachi expresse professi dictae provinciae Calabriae, ac procuratoris generalis totius Ordinis Cisterciensis, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac etiam motu proprio et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praefati monasterii S. Mariae de Sagittario a dictâ provinciâ Calabriae separationem ac dismembrationem, atque congregationi S. Bernardi et provinciae Tusciae praefatis unionem, annexionem et incorporationem, a memorato Alexandro praedecessore, sicut praemittitur, facta[1], et expeditas desuper eiusdem Alexandri praedecessoris litteras praedictas, harum serie, revocamus, cassamus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac revocatas, cassatas, irritas et annullatas, viribusque et effectu penitus et omnino vacuas esse et fore decernimus et declaramus, ipsumque monasterium S. Mariae de Sagittario, cum omnibus et singulis eius personis et bonis illius mensae conventualis, supradictae provinciae Calabriae restituimus, ac, prout ante praedictas Alexàndri praedecessoris litteras erat, eidem provinciae Calabriae denuo unimus, annectimus et incorporamus, salvis tamen decretis per praefatum episcopum Anglonensem in actu visitationis huiusmodi editis, quae praesentium litterarum dispositioni ac huic reunioni non adversantur.

1 Potius lege *factam vel factas* (R. T.).

Clausulae.

§ 5. Decernentes, easdem litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab[1] illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, neque de subreptionis et obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, aut in controversiam revocari, seu ad terminos iuris reduci, vel adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos et alios quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus praefatis Alexandri praedecessoris litteris aliisque praemissis, ac, quatenus opus sit, de non tollendo iure quaesito, aliisque nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, necnon Ordinis et Congregationis ac monasterii et provinciarum huiusmodi, aliisque quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate

1 Praeposit. *ab* nos addimus (R. T.).

aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis etiam Ordini et Congregationi ac monasterio et provinciis praefatis eorumque superioribus et personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expresso habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II septembris MDCCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 2 septembris 1726, pontif. anno III.

CXLVII.

Erigitur ecclesia cathedralis Lucana in sedem archiepiscopalem [1].

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a curâ omnium ecclesiarum.

Inscrutabili divinae providentiae arcano super speculâ militantis Ecclesiae, meritis licet imparibus, constituti, illiusque vices gerentes in terris qui gloriosus regnat in caelis, in omnes agri dominici partes oculos nostrae mentis, vigilis more pastoris, intendimus, inspicientes quod ecclesiarum omnium, praesertim cathedralium insignium statui et decori maxime conveniat, cumque id etiam per aliquam tituli et praerogativae specialitatem fieri nobilium personarum aliquâ dignitate fulgentium vota exposcant, et nos ad omnipotentis Dei eiusque genitricis B. Mariae semper Virginis gloriam, animarumque salutem et fidelium disciplinam confirmandam, augendamque in eis devotionem pertinere cognoscimus, ut a nobis gratias et favores reportasse laetentur, in his sollicitudinis nostrae partes favorabiliter interponimus, opemque et operas nostras impendimus efficaces, prout, personarum ipsarum ac locorum et temporum qualitatibus et circumstantiis maturâ consideratione pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Laudes civitatis et ecclesiae Lucanae.

§ 1. Sane, cum, sicut accepimus, pervetusta civitas Lucana (quae in amoeno et fertili solo Etruriae sita, nobilium aeque ac divitum familiarum splendore conspicua, inclytae etiam comitissae Matildis de Romanâ Ecclesiâ egregie meritae origine clara, moenium praesidio munitissima, aedificiorum magnificentiâ celebris, et sola in Etruriâ praedictâ reipublicae ac strenue defensae libertatis dignitate illustris existit, quaeque prima fuit in eâdem Etruria civitas,

[1] Aliâ huius Pontificis const. ed. MDCCXXV, die XVI iulii, pontif. II, confirmata fuit erectio ecclesiae Setinae in cathedralem; et const. ed. MDCCXXVIII, die XV novembris, pontif. V, erigitur collegiata S. Venantii in cathedralem, et terra Fabriani in civitatem.

quae semen evangelicum a beato Petro apostolorum principe per S. Paulinum, primum illius antistitem tunc ad regiones illas transmissum, in sinu suo alacriter prompteque excepit, ac fideliter tot revolventibus saeculis, benedicente Domino, conservavit) illiusque ecclesia cathedralis a felicis recordationis Alexandro Papa II praedecessore nostro, qui ante et post adeptam Apostolicae Sedis dignitatem fuit episcopus Lucanus, magnificentius extructa, ac B. Martino episcopo Turonensi consecratione dicata, celeberrimâ crucifixi imagine et pluribus sanctorum corporibus insignibusque reliquiis copiose ditata, praeclaris etiam Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum et imperatorum privilegiis condecorata extiterit, eiusque antistes nulli unquam metropolitano, sed tantum eidem Sedi Apostolicae a primaevâ ipsius ecclesiae Lucanae institutione immediate subiectus reperiatur, omnibusque archiepiscopalis dignitatis potiatur insigniis, pro divini cultus et catholicae religionis augumento maiorique decore et praeeminentiâ in archiepiscopalem erigi mereatur:

Erectio praefata.

§ 2. Nos, quorum humilitatem Altissimus per ineffabilem divinae suae bonitatis abundantiam ad apostolicae dignitatis fastigium evehere et sublimare dignatus est, quique pro nostri pastoralis officii debito curis excitamur assiduis ut ad illa sollicite intendamus per quae nostrae provisionis ope et ministerio singularium ecclesiarum (in illis praesertim civitatibus quae frequenti nobilium personarum interventu et praesentiâ decorantur) gloriae et ornamento consulitur, attentis dictae civitatis Lucanae antiquitate et splendore, eiusque in orthodoxae fidei assiduo cultu, praecipuis et illustribus meritis, ac ipsius civitatis et Reipublicae Lucanae dilectorum filiorum gonfalonerii et optimatum precibus nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, civitatis et ecclesiae Lucanae praedictarum decori et dignitati in praemissis opportune consulere volentes, ac infrascriptum Bernardinum Guinigi episcopum a quibusvis suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, post habitam cum venerabilibus fratribus nostris eiusdem S. R. E. cardinalibus maturam deliberationem, de eorum consilio atque apostolicae potestatis plenitudine, ecclesiam Lucanam praefatam, ad laudem et honorem omnipotentis Dei, ac beatissimae Virginis Mariae, ac sanctorum apostolorum Petri et Pauli, necnon fidei catholicae exaltationem, et totius militantis Ecclesiae gloriam, in archiepiscopalem ecclesiam, et sedem episcopalem Lucanam in archiepiscopalem archiepiscopalis praesidis sedem pro uno deinceps archiepiscopo qui pallii et crucis usum, aliorum archiepiscoporum more, habeat, prout antea habebat, omnibusque aliis insigniis archiepiscopalibus, necnon privilegiis, honoribus et praerogativis archiepiscopis debitis et concessis, quibus praefatus Bernardinus episcopus ac pro tempore existentes dictae ecclesiae Lucanae praesules, qui Sedi Apostolicae ab ipsâ institutione immediate subiecti iamdudum potiri consueverunt, ad praesens gaudent, firmis tamen remanentibus privilegiis, honoribus et praerogativis huiusmodi, et citra ullum illorum praeiudicium, etiam in posterum frui, potiri et gaudere libere et licite possit et valeat, apo-

stolicâ auctoritate in omnibus et per omnia iuxta decretum in consistorio nostro secreto desuper editum perpetuo erigimus et instituimus, ac nomine, titulo et honore archiepiscopali decoramus. Necnon venerabilem etiam fratrem nostrum Bernardinum Guinigi modernum illius episcopum et pro tempore existentes ecclesiae Lucanae praefatae praesules in archiepiscopos declaramus, eique et eorum cuilibet, ut ipsi cetera singula, prout archiepiscopis in earum civitatibus et dioecesibus a iure indultum existit, facere, exercere, administrare et exequi possint [1], eâdem auctoritate concedimus et indulgemus; ita quod idem Bernardinus episcopus, absque aliâ de eius ecclesiâ Lucanâ praedictâ de novo faciendâ provisione seu praefectione, in archiepiscopum Lucanum praefectus esse intelligatur. Praeterea eidem Bernardino archiepiscopo, ut ipse omnia et singula quaecumque, quae de iure vel consuetudine aut aliàs [2] quoquomodo ad archiepiscopos et archiepiscopale munus spectare et pertinere solent et debent, gerere, facere et exercere libere et licite possit, plenam et omnimodam auctoritatem, earumdem tenore praesentium, etiam concedimus et indulgemus.

Clausulae irritantes et derogatoriae.

§ 3. Decernentes ex nunc irritum et inane si secus super his a quoquàm, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus, necnon praefatae ecclesiae Lucanae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis eidem ecclesiae illiusque praesulibus et administratoribus, dilectis filiis capitulo et canonicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ ac de apostolicae potestatis plenitudine praefatâ, et consistorialiter, et de simili consilio, aut aliàs quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, latissime et plenissime ac specialiter et expresso derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum absolutionis, erectionis, institutionis, decorationis [1], declarationis, concessionis, indulti, assignationis, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVI, III idus septembris, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 11 septembris 1725, pontif. anno III.

1 Edit. Main. legit *possit* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *alia* (R. T.).

1 Edit. Main. ad marginem habet 2 (R. T.).

CXLVIII.

Statuuntur nonnulla pro civitate Ravennae, praesertim super illius civitatis collegio iurisconsultorum, locumtenente legationis Romandiolae, nec non agente in urbe civitatis Ravennatis [1].

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. Divina providentia, quae nos regimini S. R. E. praefecit, voluit etiam ut curae civili populorum et civitatum B. Petri, cui, licet immeriti, in apostolatu successimus, praeficeremur.

Ravennatium civitatis laudes. § 1. Quare oculos pastoralis nostrae sollicitudinis ad primariam et huic sanctae Apostolicae Sedi fidelissimam civitatem Ravennatium convertentes, quae doctrinam evangelicae veritatis a strenuo Christi martyre et beati Petri discipulo Apollinari audire meruit, quaeque non solum est sacra metropolis sed etiam civilis et caput Flaminiae provinciae, iustum in nobis desiderium excitari sensimus pontificiae benevolentiae significationibus eam honestandi, ut, quemadmodum piae recordationis Romani Pontifices antecessores nostri alias perinsignes civitates beati Petri eximiis et multis privilegiis, quibus caret Ravennatium civitas, largitate apostolicâ honestaverunt, ita et nos Ravennam honestaremus, quo, sic honestata, in beati Petri fidelitate, cuius imperio plurimis ab hinc saeculis feliciter subest, iucundius et alacrius in posterum perseveret. Haec cogitatio, quae animo nostro, erga populos nobis subiectos summe benevolo, perquam digna visa est, eò nos libenter inducit, ut, post maturam deliberationem, motu proprio, ex certâ scientiâ, spontaneâ et deliberatâ voluntate, ac plenitudine apostolicae auctoritatis, eidem civitati Ravennatium atque eius populo et civibus universis privilegia et gratias mox recensendas concederemus.

Collegii iurisconsultorum Ravennae privilegia confirmantur et ampliantur. § 2. Quum liberalibus disciplinis et praesertim iurisprudentiae studiis populorum concordia et fortunae innitantur, quas in oculis nostris unice gerimus, propterea tam gravis et necessariae doctrinae fundamenta in S. R. E. subiectis populis perpetuo servaturi, utriusque iuris doctorum collegium et universitatem Ravennae olim conditam adprobamus, cum omnibus et singulis privilegiis, facultatibus, exemptionibus, praerogativis, legibus et statutis, quibus hactenus eiusdem collegii et universitatis doctores et professores potiti fuerunt, quae omnia nostrae apostolicae auctoritatis munimine undequaque confirmamus et roboramus. Praeterea, quia honos alit artes, et praemium est calcar virtutis, eidem collegio et universitati Ravennatium ab hac die, qua haec nostra constitutio promulgatur, facultatem et privilegium perpetuis futuris temporibus duraturum concedimus et largimur coronandi viros poëticae facultatis praestantiâ probatos, praesertim latine doctos; spurios etiam et nothos legitimis natalibus restituendi, non tamen sacrilegos; eximios quoque viros ut arctius ad praeclare agendum incitentur, splendore nobilitatis et equestri ac militari dignitate donandi amplissimam auctoritatem concedimus.

Locumtenentis civilis et generalis legationis Romandiolae munus reserva- § 3. Etsi munus locumtenentis civilis et generalis legationis provinciae Flaminiae seu Romandiolae, habens cu-

[1] Aliâ huius Pontificis const. ed. MDCCXXV, die 20 aprilis, pontif. I, erectum fuit collegium theologorum in civitate Caesenatensi, et const. ed. MDCCXVI, die 5 februarii, pontif. II, statuuntur nonnulla pro rectâ iustitiae in almâ Urbe administratione.

tur uni ex iurisconsultis Ravennatibus.

mulativam iurisdictionem respective cum praetore et gubernatore civitatis Ravennae atque etiam cum vicario generali venerabilis fratris nostri archiepiscopi Ravennatis, iuxta veterem consuetudinem et stilum per S. R. E. cardinales legatos, praesides et rectores eiusdem provinciae, pro eorum arbitrio administrandum, viris egregiis et iurisprudentiae consultis hactenus traditum fuerit; nihilominus volumus et iubemus, ut in posterum idem munus nobis tantum et successoribus nostris Romanis Pontificibus nullo medio reservatum intelligatur, a nobis ipsis per litteras apostolicas in formâ Brevis postmodum conferendum ad decennium uni ex civibus et iurisconsultis eiusdem collegii civitatis Ravennatium, qui iurisprudentiae studium expleverit, inque[1] curiis huius almae Urbis nostrae, vel saltem Bononiae, per septennium se in forensi iurisprudentiae exercuerit: vacaturo eodem munere locumtenentis civilis legationis provinciae Romandiolae, si nemo ex civibus et doctoribus collegii civitatis Ravennatium reperietur eiusdem officii et muneris obeundi capax, volumus, ut ad idem munus tunc aliquis ex provinciâ Romandiolae evehatur, in collegio et universitate praemissâ iurisconsultorum Ravennatium probatus, et laureâ iurisprudentiae ibidem post annum saltem studiorum legalium completum insignitus, qui postmodum in eodem studio iurisprudentiae in curiâ forensi et tribunalibus huius almae Urbis vel Bononiae per septennium se laudabiliter exercuerit.

Praescribitur quid praedictus locumtenens in sui muneris ingressu peragere debeat.

§ 4. Hunc locumtenentem civilem et generalem legationis et provinciae Romandiolae, a nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus eo modo, quem diximus, electum vel eligendum, et per litteras apostolicas declaratum vel declarandum, volumus in primo sui muneris ingressu coram publico et generali coetu consiliariorum civitatis Ravennatium, adsistente corpore collegii iurisconsultorum, iureiurando in manibus cancellarii seu secretarii eiusdem coetus publici consiliariorum se adstringere, et solemniter iurare, se iustitiam populo administraturum, deque litibus universis, unâ veritate et ratione prae oculis habitâ, iudicaturum. Volumus etiam, et praesentibus litteris nostris statuimus, ut huiusmodi locumtenens civilis et generalis a nobis, ut dictum est, creatus et declaratus, vel creandus et declarandus, facultatem et iurisdictionem habeat cognoscendi, terminandi et decidendi omnes et singulas causas civiles inter cives quoscumque civitatis Ravennatis vertentes, cuiuscumque summae, interque cuiuscumque conditionis personas, cumulative cum praedictis iudicibus ordinariis eiusdem civitatis, secundum stilum et consuetudinem hactenus observatam, atque in iudiciis ad easdem causas pertinentibus idem locumtenens procedere possit summarie, simpliciter, de plano, absque strepitu et figurâ iudicii, tantummodo inspectâ veritate facti. Item facultatem habeat cognoscendi et decidendi causas agitatas et vertentes inter eiusdem civitatis et locorum provinciae incolas in primâ, secundâ et ulteriori instantiâ, etiam in casu et casibus, in quibus cameralis obligatio concurreret. In congregationibus causarum criminalium in eâdem civitate Ravennae coram S. R. E. cardinalibus legatis praesidentibus vel provinciae rectoribus haberi solitis, idem locumtenens civilis et generalis intersit, suumque suffragium decisivum pronunciet, omnesque et singulos actus, facultates

1 Male ed. M. legit *in quae* pro *inque* (R. T.).

1 Male ed. M. legit *eorum* pro *coram* (R. T.).

et iurisdictiones exerceat, aliàs a locumtenente civili et generali exerceri solitas, quas omnes approbamus et confirmamus.

Variis privilegiis idem decoratur.

§ 5. Volumus, ut idem noster locumtenens civilis et generalis Ravennae eiusdemque futuri successores fruantur usu et habitatione in aedibus nostri palatii apostolici legationis Ravennatis, in quo habitavit et nunc habitat locumtenens civilis et generalis ipsius legationis. Item volumus, ut idem noster locumtenens speciatim et distinctim a ceteris doctoribus collegii Ravennatis possit et debeat palam induere pallium nigrum, quo nostrae aulae consistorialis advocati induere consueverunt; quod indumentum et pallium concedimus etiam gubernatori eiusdem civitatis Ravennatis. Volumus etiam, ut praedictus locumtenens tamquam civis nativus et originarius civitatis Ravennae sessionem et locum habeat atque suffragium in publicis consiliis et coetibus generalibus eiusdem civitatis Ravennae sedens statim post magistratum sapientum. Quum sit mos ut singuli doctores collegii Ravennatis tres patentes litteras exemptionis a represaliis aliasque facultates in iisdem patentibus litteris exprimi solitas distribuant, volumus ut noster locumtenens non tres tantum sed decem distribuere possit, eas ad universam legationem et provinciam extendens. Item volumus, ut idem locumtenens pro iudice suspecto haberi et allegari non possit, nisi speciatim et iuridice probata et ostensa fuerit una ex causis, ob quas, secundum dispositionem iuris communis, iudex ordinarius recusari possit. Cognitio autem huiusmodi exceptionis et causae tantummodo spectet ad S.R.E. cardinales legatos, praesidentes vel rectores provinciae Romandiolae, itaut, non probatâ ullâ ex iisdem causis, iudex locumtenens sub poenâ nullitatis iudicii reiici non possit. Atque haec voluntas nostra, quod ad exercitium muneris eiusdem nostri locumtenentis civilis et generalis, statim post completam legationem dilecti filii Cornelii S. R. E. tituli S. Hieronymi Illyricorum presbyteri cardinalis Bentivoli nuncupati, provinciae Romandiolae legati apostolici, vel eodem munere locumtenentis vacaturo, suum effectum et exequutionem obtineat.

Eidem stipendium quinquaginta scutorum singulis mensibus praeter sportulas ordinarias adsignatur.

§ 6. Licet idem locumtenens civilis et generalis olim pro suâ honestâ sustentatione propinas tantum vel sportulas, aliosque proventus incertos eiusdem muneris exigere consueverit, nihilominus, quum ob temporum difficultates eaedem propinae, sportulae, aliique proventus incerti plurimum diminuti reperiantur, itaut ferme impares sint sustinendo oneri et muneri, propterea eidem nostrae civitati Ravennatium concedimus, ut in posterum singulis annis tria millia mensurarum tritici, quae *rubbia* vulgo appellantur, ex totâ ditione S.R.E. per aquas extrahere possit, illuc ferendam, quò emptoribus utilius videbitur. Lucris vero ex huiusmodi extractione percipiendis, eidem nostro locumtenenti civili et generali anticipate solvatur singulis mensibus summa scutorum romanorum quinquaginta, si pretium eductum fuerit, sin vero, ex pretio postea educendo statim solvatur: quam summam idem locumtenens totam percipiat praeter sportulas, propinas ceterosque proventus incertos superius nominatos, ex eodem munere percipi solitos, quibus per praesentes litteras nostras neutiquam derogamus. Reliqua pecuniae summa, ex eâdem trium millium rubbiorum tritici extractione percipienda, in communitatis Ravennae beneficium vertatur; quibus eo modo frui possit, quo personae quibuscumque privilegiis hone-

statae[1] huiusmodi beneficiis frui consueverunt. Volumus, ut facultas et extractio eiusmodi trium millium rubbiorum tritici, singulis annis facienda, per acta unius ex secretariis Camerae nostrae Apostolicae expediatur, et singulis vicibus in regestis cancellariae seu secretariae civitatis Ravennatium cum suo valore et pretio describatur, ut hoc pacto commode et facile cognosci possit quaenam tritici quantitas extracta fuerit et extrahenda supererit. Ne communitas civitatis Ravennae nostris gratiis et beneficiis unquam abuti ullo modo possit, utque omnia et quaecumque incommoda evitentur, volumus ut extractiones separatim concedendas unus noster locumtenens civilis et generalis subscribat, non vero alii; qua in re ceterorum quorumcumque, etiam Camerae nostrae ministrorum, iuri, quod signandi et subscribendi habent, derogari omnino volumus et derogamus; utque similiter extractionem pro totâ eâdem summâ trium millium rubbiorum tritici subscribat, onusque eidem nostro locumtenenti incumbat, quolibet anno evoluto, pro futuris annis attestationem et schedulam iureiurando firmatam de exitu et venditione summae eiusdem tritici ad unum ex secretariis nostrae Camerae Apostolicae Romam transmittendi: quae attestatio et scheda iurerando firmata inseri et redigi debeat in acta eiusdem secretarii eo prorsus modo quo inserta et redacta fuerit in cancellariâ civitatis Ravennae. Haec extractio, eidem civitati gratis concedenda, locum habeat post praesentium litterarum nostrarum, motu proprio editarum, promulgationem. Totius vero frumenti extracti, ut diximus, venditio ad nostrum locumtenentem civilem et nostram civitatem Ravennae cumulative pertineat, itaut unus seorsum ab alio illud separatim pro pretio sibi placito vendere non possit. Si vero pars tantum vendita fuerit, haec supradicto eiusdem locumtenentis stipendio computetur.

Declarantur nonnulla si locumtenens praedictus, deficiente Ravennate, extraneus eligatur.

§ 7. Cum nostram hanc dispositionem pro paternâ benevolentiâ, qua civitatem Ravennatium respicimus, in beneficium iurisconsultorum et civium eiusdem civitatis et provinciae Romandiolae cessuram, edere decreverimus, peculiari animadversione monendum putamus, ut, si quando ex iuris doctoribus et civibus eiusdem civitatis et provinciae deesset promovendus ad munus nostri locumtenentis civilis et generalis, itaut propterea extraneus et non natus in eâdem civitate et provinciâ ad munus istud promoveri deberet, tunc idem locumtenens, sic, ut dicitur, non Ravennas, neque ex provinciâ Ravennate, sed extraneus, a successoribus nostris electus, nullo modo iam dicta scuta quinquaginta menstrua percipere possit aut debeat, sed tantummodo propinas aut sportulas aliosque proventus incertos locumtenenti civili et generali provinciae Romandiolae olim dari solitos (nostra enim intentio est et voluntas expressa, ut idem salarium et stipendium scutorum quinquaginta menstruorum in beneficium et utilitatem locumtenentis dumtaxat vertatur qui Ravennae aut in Romandiolâ natus fuerit, ut supra copiosius dictum est), quo casu extractio trium millium rubbiorum tritici in beneficium civitatis Ravennae vertatur; neque propterea aut ex quacumque aliâ causâ eadem extractio suspensa intelligatur, nisi specialim ea nominetur, vel ubi aliorum etiam extractiones suspenderentur qui summis privilegiis gauderent. Hoc enim munus atque hoc emolumentum iisdem tantum civitati et provinciae pro ordinario iudice ex illis eli-

[1] Male edit. Main. legit *honestate* (R. T.).

gendo, qui sit locumtenens civilis et generalis, assignamus, itaut reliquae civitates et provinciae ab eiusdem honoris et muneris perceptione excludantur. Declaramus etiam, ut, quotiescumque munus locumtenentis civilis ab aliquo extraneo iurisconsulto exerceri contigerit, ubi postmodum civis aliquis Ravennas, aut ex provinciâ Romandiolae repertus fuerit, qui doctrinâ et legum peritiâ, ut superius expressum est, eidem muneri obeundo idoneus reputetur, tunc ipso facto idem locumtenens et iudex extraneus suum munus iam absolvisse censeatur, locum daturus civi Ravennati aut ex Ravennatium provinciâ orto, a nobis et successoribus nostris de more, quem diximus, eligendo, qui virtutibus et dotibus, quas enumeravimus, ornatus existat. Obeunte vero locumtenente, collegium iurisconsultorum locumtenentem eligat hoc munere potiturum, donec nos aut successores nostri Romani Pontifices ad eius electionem per litteras apostolicas in formâ Brevis deveniamus.

Thomas Sebastianus Barbuchiellus iurisconsultus Ravennas creatur locumtenens eiusdem legationis.

§ 8. Interim, cum nobis innotuerit dilectus filius Thomas Sebastianus Barbuchiellus Ravennas, iurisconsultus multis et praecipuis doctrinae, fidei probitatis aliisque dotibus supra aetatem praestans, eidemque collegio Ravennae adnumeratus, quique in curiis forensibus huius almae Urbis nostrae septennale studium complevit: motu proprio, non ad eius vel alterius pro eo super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex nostrâ merâ et certâ scientiâ et deliberato animi consilio volumus, ut hac primâ vice idem Thomas Sebastianus Barbuchiellus sit primus noster locumtenens civilis et generalis in eâdem nostrâ provinciâ et legatione Æmiliae seu Romandiolae cum omnibus praemissis potestate, iurisdictione, honoribus, oneribus, attinentiis, emolumentis et ceteris quibuscumque; ideoque nostrâ et dictae Sedis Apostolicae auctoritate, tenore praesentium, illum constituimus et deputamus primum nostrum locumtenentem civilem et generalem Ravennae, inque totâ legione Æmiliae et Romandiolae.

Decernitur, ut agens in Urbe negocia civitatis Ravennatis in posterum a communitate Ravennae ad decennium eligatur.

§ 9. Quamvis in hac almâ Urbe agens sive gestor et procurator negotiorum civitatis Ravennae antehac a nobis ipsis vel ab antecessoribus nostris Romanis Pontificibus electus fuerit, nihilominus volumus ut deinceps electio huiusmodi hominis, qui agat et curet negotia communitatis Ravennatium, ad eamdem civitatem pertineat simul cum nostro locumtenente civili et generali, qui, tamquam civis, in consilio civitatis, ubi electio fieri debet, suffragium habeat, atque agentis officium et munus non amplius sit vitalitium, sed temporaneum decennali spatio terminandum.

Modus eligendi eumdem agentem praescribitur.

§ 10. In publico et generali coetu consiliariorum civitatis Ravennae omnes eorum libelli supplices legantur qui ad hoc munus captandum concurrere voluerint, omnesque sint ex corpore civium et collegii iurisconsultorum eiusdem civitatis, quae pluralitate suffragiorum unum ex concurrentibus eligat, cui litterae patentes pro munere agentis negocia civitatis Ravennatis, manu nostri gubernatoris, atque etiam manu primi ex magistratu civitatis subscriptae, tradantur, remotâ et sublatâ qualibet facultate contra eiusdem electionem reclamandi, appellandi et quocumque praetextu ad tribunalia recurrendi. Huiusmodi agens negotia civitatis Ravennatis in munere, ad quod hoc pacto admotus fuerit, toto decennio perseveret, stipendium consuetum singulis mensibus a communitate Ravennae solvendum percipiens, non tamen si iustis ex causis eodem suo munere a suis electoribus esset privandus: quae causae examini

et cognitioni coetus generalis consiliariorum civitatis Ravennatis subiiciantur. Ubi hoc idem munus agentis post exactum decennium, eidem praefixum, vel aliàs quomodocumque vacaverit, coetus consiliariorum cum locumtenente civili et generali, ut dictum est, ad novam eius electionem perpetuis futuris temporibus deveniat, et locum non habeat ante obitum dilecti filii Ioannis Francisci Fagnani nostrae consistorialis aulae advocati. Si vero post decennium completum, ob munus laudabiliter actum confirmandus esset, is modo quem diximus denuo eligatur.

Cautelae et clausulae.

§ 11. Demum, cupientes ut haec nostra constitutio ab omnibus inviolate observetur, motu proprio et ex certâ nostrâ scientiâ eam, cum omnibus, et quibuscumque in illâ descriptis, auctoritate nostrâ perpetuo firmamus et comprobamus, illique perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti et solemnitatum etiam substantialium, in eis forsan omissarum, defectus, si qui sint, supplemus, et pro illarum firmiori subsistentiâ, quaecumque his nostris litteris continentur, eâdem auctoritate perpetuo stabilimus. Decernentes, easdem praesentes nostras litteras nullo unquam tempore de subreptionis et obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel quocumque alio defectu, ex eo quod rem habentes ad id vocati non fuerint, notari, in ius vel controversiam seu aliàs quomodocumque revocari posse, aut contra mentem et intentionem nostram obtentas praesumi, et ob id viribus carere, minusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus et aliis contrariis dispositionibus, quantumvis generalibus et fortissimis clausulis et decretis irritantibus roboratis, comprehendi posse; sed semper pro exceptis habendas, et, quotiescumque illae emanabunt, toties in pristinum et in eum, in quo ante praemissa quomodolibet erant, statum, etiam sub datâ per collegium et civitatem huiusmodi eligendâ, plenarie restituendas, sicque et non aliàs ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices quavis auctoritate fungentes, etiam praedictae Camerae camerarium, illiusque clericos, et etiam causarum palatii apostolici auditores, ac praedictae S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vice-legatos, dictaeque Sedis nuncios, et[1] sublatâ eis et cuilibet eorum quavis aliter iudicandi et definiendi facultate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 12. Non obstantibus nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, ac felicis recordationis Pii Papae IV de registrandis in Camerâ praedictâ gratiis interesse Camerae eiusdem quomodolibet tangentibus, necnon eiusdem Pii IV et similis recordationis Pauli V Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de non extrahendis frumentis, nisi ex causâ vere onerosâ, et quibusvis aliis apostolicis, etiam per nos, necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus, ac quibusvis etiam Camerae praedictae et Annonae nostrarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, indultis et litteris apostolicis quibusvis, etiam Camerae, illiusque camerario, thesaurario et clericis, necnon Annonae praedictis, illiusque praefecto aliisque ministris, necnon

Derogatoriae.

1 Coniunct. *et* redundat (R. T.).

S. R. E. cardinali etiam de latere legato in provinciâ et civitate praedictis in posterum pro tempore commoranti, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu simili et ex certâ scientiâ concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse motu pari derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Nemo hanc constitutionem infringere audeat.

§ 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis, sanctionis, electionis et declarationis infringere, aut ei temerario ausu contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVI, XIV kalendas octobris, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 18 septembris 1726, pontif. anno III.

CXLIX.

Conceditur indulgentia plenaria, semel in anno lucrifacienda, peregrinantibus ad capellam B. M. V. Lauretanae sitam in collegio S. Gregorii clericorum regularium Societatis Iesu civitatis Mexicanae in Indiis[1].

Benedictus Papa XIII,
universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Concessio praedictae indulgentiae.

§ 1. Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris piâ charitate intenti, ac supplicationibus carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus ad capellam B. M. V. Lauretanae sitam in collegio S. Gregorii clericorum regularium Societatis Iesu civitatis Mexicanae in Indiis devotionis causâ peregrinantibus, qui vere poenitentes et confessi, ac sacrâ communione refecti, praedictam capellam devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem semel tantum in anno per unumquemque lucrifaciendam misericorditer in Domino concedimus: praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Fides habenda transumptis.

§ 2. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, etc.[2].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII septembris MDCCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 23 septembris 1726, pontif. anno III.

1 Ab Alexandro VIII in Indiis existentibus quamplures indulgentiae concessae fuerunt et patribus Societatis nonnullae facultates factae const. edit. MDCXC, die 30 martii, pontif. I.

2 Reliqua de more ut pag. 59 *b* (R. T.).

CL.

***Erigitur hospitale pro curandis pauperibus, tineâ et scabie laborantibus sub titulo deiparae Virginis et B. Gallicani, eique dos et ministri adsignantur, privilegia et indulgentiae conceduntur, cum aliis ordinationibus*[1].**

**Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium a curâ exhibendâ pauperibus morbis laborantibus.

Bonus ille aeternusque Pastor, qui pro ovibus suis e veteri labe et priscâ servitute peccatis redimendis, purisque et liberis ad caelestia pascua adducendis, salutarem pretiosissimi Sanguinis sui fontem aperire, et in arâ Crucis in pretium immolari voluit, quique nostram humilitatem, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, ad eius vices in terris gerendas eligere dignatus est, praecipuam paternae charitatis nostrae sollicitudinem assidue excitat, ut ad ea vigili studio intendamus, per quae miserabilium personarum praesertim, non solum rerum inopiâ, verum etiam morbosâ corporum calamitate oppressarum, temporalibus spiritualibusque occurramus necessitatibus, ut, per impensa eis pietatis munera, inter morborum languores divinam agnoscant misericordiam, et deinde mundana membra exhibeant servire iustitiae in sanctificationem. Quapropter piis christifidelium desideriis, quae huic nostrae consonant voluntati, ut votivos, secundum cor nostrum, sortiantur effectus, opem et operam nostram libenter impendimus, ac omnia et singula, quae hujus nostri consilii executioni destinatique operis stabilitati ac felici faustoque successui fore agnoscimus opportuna, quantum nobis ex alto permittitur, elargimur, concedimus, statuimus et ordinamus.

Perlustratis urbanis hospitalibus, nullum leprâ, tineâ et scabie laborantibus excipiendis reperitum.

§ 1. Sane, attendentes quod inter tot nosocomia, seu hospitalia, aliaque loca pia in almâ Urbe nostrâ, quemadmodum sanctam decet civitatem, ad christianae pietatis et caritatis laudem et ad levandas miserabilium personarum tam dictae Urbis incolarum quam exterarum ad illam uti ad piam matrem confluentium inopiam, infirmitates aliasque humanas calamitates, christifidelium liberalitate fundata et erecta, quae prope omnia ex debito pastoralis officii nostri summâ cum paterni animi nostri iucunditate perlustravimus, nullum adhuc hospitale pro miserabilibus personis leprâ, scabie ac tineâ seu prurigine in capite respective affectis inibi recipiendis curandisque destinatum atque institutum reperimus; et, quamvis aliàs felicis recordationis Alexander Papa VII praedecessor noster, laudabilibus nonnullorum aliorum Romanorum Pontificum etiam praedecessorum nostrorum tunc suorum vestigiis insistens, ac necessitatibus morbis huiusmodi laborantium, qui, cum in hospitalibus praefatis non admittebantur, nec ibi curabantur, in viis publicis languescere omnique humano auxilio carentes animam misere agere coacti erant, subvenire, eisque in hospitalibus praefatis locum patere cupiens, statuerit et voluerit, ut in nonnullis eiusdem Urbis hospitalibus aliquot cubilia, seorsim ac separatim a cubilibus aliorum aegrotorum inibi decumbentium, in miserabilium personarum leprâ, scabie tineâ seu prurigine laborantium in illis curandarum usum et commodum instruerentur ac retinerentur, nihilominus haec Alexandri praedecessoris tametsi saluberrima dispositio debitae

[1] Aliâ huius Pontificis const. edit. MDCCXXVI, die 15 augusti, pontif. III, nonnulla statuta fuerunt pro recto regimine hospitalium civitatis Caesenae.

executioni demandari nequivit, propterea quod timor, ne huiusmodi morbis infecti non solum alios aegrotos, sed etiam ministros illis in dictis hospitalibus inservientes eorumdem morborum contagione foedarent, rectores et administratores ipsorum hospitalium receptione hucusque avertit et deterrit, unde hoc pietatis subsidio a memorato Alexandro praedecessore praescripto frustrati, atque a dictis hospitalibus exclusi, gravi morborum suorum sarcinâ onusti, per Urbem, vicos, plateas, ac etiam templa, non sine intuentium nauseâ, errare, in eisque deficere, et, quod magis dolendum est, quandoque etiam sine sacramentis perire visi sunt; alii vero, pauperes quidem, sed non adeo miserabiles, in propriis domibus absque opportunis medicamentis tabescere coguntur, suosque consanguineos eisdem morbis identidem inficiunt; quin immo, cum istiusmodi morbi etiam in locis Urbi propinquis ac universo ferme Statu[1] nostrae et huius Sanctae Sedis ditioni temporali subiecto[2] passim serpant, illis laborantes, omni curâ et remedio ac corporali et spirituali ope destituti ac derelicti, iacere conspiciuntur;

Hospitale S. Lazari unitum archiospitali S. Spiritus in Saxia pro curandis leprosis tantum constructum.

§ 2. Licet autem iamdudum nonnulli ex Romanis Pontificibus praedecessoribus itidem nostris hospitale S. Lazari nuncupatum prope et extra moenia Urbis praefatae non procul a Portâ Angelicâ ad radices clivi Cinnae seu Montis Marii etiam nuncupati[3] situm, quod deinde archihospitali S. Spiritus in Saxiâ de eâdem Urbe auctoritate apostolicâ perpetuo unitum fuit, curandis leprosis dumtaxat reputaverint; quia tamen scabie ac tineâ seu prurigine affecti nusquam inibi etiam nunc respiciuntur, immo ob redditauum ipsius hospitalis tenuitatem, propter quam ad illius unionis huiusmodi deventum fuit, nec omnes quidem leprosi, nec quocumque anni tempore, sed mendici solummodo, ac nonnisi duobus verni temporis mensibus in eo admittuntur, et acceptâ potione medicâ inde dimittuntur; unde fit ut tam ipsi leprosi mendici reliquo anni, ac praesertim hiemali tempore, quo lepra pertinacius saevire solet, quam alii non adeo miserabiles leprosi, Urbis incolae ac exteri nec non omnes scabie ac tineâ seu prurigine laborantes a dicto hospitali exclusi, non habeant quò confugiant; praecipue vero pauperes puellae et mulieres, quae, tametsi miserrimae, in eodem hospitali nunquam recipiuntur;

Privata domus a tribus annis Transtyberim curandis eiusmodi morbis aperta.

§ 3. Simulque animo recolentes, quod, inspirante bonorum omnium auctore Domino, dilectus filius Æmilius Lanius presbyter Sabinensis, seu alterius civitatis vel dioecesis, prior S. Gallae vulgo in Urbe cognominatus, qui quaedam medicamina et unguenta his malis medendis apta apprime callet, in privatâ domo, quam ipse in regione Transtyberim iuxta Pontem Quatuor Capitum nuncupatum de Urbe praefatâ conduxerat et aperuerat, eleemosynarum sibi a recolendae memoriae Innocentio Papa XIII praedecessore itidem nostro nonnullisque ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus ac aliis piis christifidelibus collatarum subsidiis, duobus et amplius ab hinc annis multos huiusmodi morbis infectos, tum in eâdem domo receptos ac decumbentes, aut ad illam accedentes, eximiâ charitate curaverat atque sanaverat, prout nos ipsi, dum cardinalatus honore adhuc fungebamur, et etiam postquam ad summi apostolatus apicem evecti fuimus, non sine intimo animi nostri gaudio, coram

1 Edit. Main. legit *Statui* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *subiectio* (R. T.).
3 Edit. Main. *nuncupatae* (R. T.).

vidimus sedulam quae eisdem aegrotis per ipsum Æmilium impendebatur operam, vel maxime commendantes, quod illam nedum ad eorum corporum sanitatem, sed etiam ad animarum salutem plurimum conferre animadvertebamus propter colloquia spiritualia et alia pietatis exercitia ab eodem Æmilio in dictam domum inducta peragi solita, quandoquidem (quod valde dolendum est) experientiâ ipsâ compertum sit, omnes pene praedictas miserabiles personas, quae inibi recipiuntur et curantur, primorum catholicae fidei ac doctrinae christianae elementorum plane rudes et ignaros illuc adventare, ac aetate etiam provectiores diu vel nunquam peccata sua sacramentali confessione expiasse:

Aedificium novum Transtyberim pro eiusmodi morbis curandis constructum.

§ 4. Quamobrem nos, eiusmodi miserabilium personarum aerumnas paternâ charitate commiserantes, earumque levamini opportunâ ratione, quantum cum Domino possumus, prospicere cupientes, de consilio et ad enixas quoque preces nonnullorum ex eisdem venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, ac potissimum dilecti filii nostri Petri Marcellini tituli S. Ioannis ante Portam Latinam ipsius S. R. E. presbyteri cardinalis Corradini nuncupati, pro-datarii nostri, qui laudabile illud ac eisdem miserabilibus personis tam salutare et proficuum opus, a memorato Æmilio ut praefertur inchoatum, omni curâ iuvare, illiusque incrementum impensius promovere non desistit, pastorali officio nostro dignum et consentaneum esse duximus in eâdem Urbe, piorum operum alitrice, in qua aliis morbis ac corporum infirmitatibus oppressi habent ubi solamen accipiant, publicam domum instituere, in qua leprâ, scabie, tineâ seu prurigine in capite tamen laborantes recipiantur, alantur, foveantur ac curentur, eisque ad eiusmodi morbos depellendos remedia subministrentur, ac non minus corporum quam animarum suarum saluti consulatur; in eumque finem, locum eidem domui vicinum, intra duos pontes Quatuor Capitum ac Sixtum nuncupatos situm, in praefatâ regione Transtyberinâ, in qua ac circumvicinis regionibus praedictarum miserabilium personarum frequenter solet esse incolatus, destinavimus, ac multis coëmptis privatis aedibus amplum inibi aedificium cum ecclesiâ, quae viros a mulieribus separet, magnâ expensâ a fundamentis ereximus, ac officinis aliisque rebus necessariis apprime instruximus, et, benedicente Domino, aedificium huiusmodi pene omnibus suis numeris et partibus absolvimus, ac in eum statum reduximus, ut iam praefatarum miserabilium personarum usui inserviat, et miserabiles personae huiusmodi iam illuc introductae existant.

Idem in hospitale sub invocatione S. Gallicani erigitur.

§ 5. Hinc est quod nos, qui hodie aedificium huiusmodi, sic, ut praefertur, a nobis cum impensâ fere septuaginta mille scutorum monetae romanae absolutum, unâ cum illius ecclesiae mansionibus aliisque pertinentiis suis ritu solemni ad omnipotentis Dei gloriam et in honorem B. Mariae Virginis ac S. Gallicani personaliter consecravimus, illaque sacro pii loci nomine omnibusque privilegiis et immunitatibus ceteris piis locis competentibus debitisque apostolicâ auctoritate donavimus, et publicae venerationi exposuimus, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, unum in loco ac domo praedictis novum hospitale, sub invocatione S. Mariae, et S. Gallicani nuncupandum, pro miserabilibus personis tam mendicis quam aliis pauperibus Urbis et ditionis ecclesiasticae praefatarum atque exteris

in eâdem Urbe degentibus, utriusque sexus, leprâ, scabie, tineâ seu prurigine in capite, seu quae caput obsideant, laborantibus, ut inibi recipiantur et curentur, cum suis ecclesiâ, sacristiâ, coemeterio, campanili, campanis, dormitoriis, officinis et supellectilibus, tenore praesentium, perpetuo erigimus, fundamus et instituimus, his tamen legibus et conditionibus, ut non alii, quam mox dictis morbis affecti, inibi admittantur et curentur, exclusis semper iis qui leprâ et scabie venereâ seu gallicâ infecti forent, quos recipi prohibemus in eodem hospitali, utpote his malis medendis minime apto, ac ad illud aegrotos[1] utriusque pariter sexus, qui a dicto Æmilio in privatâ domo, sicut praemittitur, curabantur, in huiusmodi hospitali transtulimus, et in illud translati reperiuntur.

Cubilia pro singulis virorum et feminarum morbis huiusmodi adsignatur.

§ 6. In quo, pro viris videlicet, et in eorum classe, triginta cubilia pro eorum triginta pruriginosis, ac alia tria pro eorum aliis tribus pruriginosis febricitantibus, ac alia sex pro eorum aliis sex pruriginosis scabiosis, ac alia sex pro eorum aliis sex scabiosis in capite, ac alia novem pro aliis novem leprosis, ac alia duo pro eorum aliis duobus leprosis pruriginosis, ac alia quatuor pro eorum aliis quatuor leprosis non pestilentibus, et in eorumdem virorum hospitali parvo reliqua quinque cubilia pro reliquis eorum quinque leprosis pestilentibus; pro mulieribus vero, et in earum classe, quae semper a dictâ virorum classe per intermediam ecclesiam divisa ac distincta debeat esse, decem et octo cubilia pro earum decem et octo pruriginosis, ac alia decem pro earum aliis decem febricitantibus, Lancisianis nuncupatis, ac aliud unum pro earum unâ leprosâ non pestilente, ac alia duo pro earum aliis duabus pruriginosis febricitantibus, ac aliud unum pro unâ earum aliâ scabiosâ in capite, ac alia duo pro duabus earum aliis pruriginosis scabiosis, ac alia quinque pro earum aliis quinque leprosis, ac in earumdem mulierum hospitali parvo reliqua quinque cubilia pro reliquis earum quinque puriginosis pestilentibus, pro tempore ad hospitale per nos ut praefertur erectum, et, quoad mulieres febricitantes Lancisianas praefatas, prout infra, respective admittendis, et in eo curandis, perpetuo erigi et instrui fecimus, prout iam in utrâque classe et in utroque hospitali parvo huiusmodi iam erecta et instructa reperiuntur, ac in eorumdem respective cubilium singuli viri et singulae mulieres morbis praefatis respective affecti et affectae incumbentes[1] debitam experiuntur in suos respective morbos curam.

Haereditas Lancisiana pro hospitali feminarum construendo, huic novo hospitali adnectitur.

§ 7. Cumque non ita pridem eidem hospitali, per nos ut praefertur erecto, tunc erigendo, haereditatem cum omnibus suis iuribus, bonis ac fructibus a quondam Ioanne Maria Lancisio, dum viveret, piae memoriae Clementis PP. XI praedecessoris pariter nostri cubiculario intimo ac medico secreto dicto, archihospitali S. Spiritus in Saxiâ haeredi per eum ex asse instituto relictam ad hoc ut iuxta idem archihospitale aliud hospitale pro mulieribus morbo acuto laborantibus, et in proximis Transtyberim utriusque burgi et pontis regionibus ac viis Longarâ et Iuliâ respective nuncupatis commorantibus, quae morbo acuto huiusmodi adeo debilitatae forent ut ad hospitale mulierum apud S. Ioannem in Laterano de eâdem Urbe positum non sine earum vitae discrimine ex itinere sibi imminente transportari nequirent, per chirographum die VI

1 Edit. Main. legit *aegroti* (R. T.).

1 Aptius *decumbentes* (R. T.).

octobris anno MDCCXXIV manu nostrâ signatum sub certis modo et formâ ac conditionibus et oneribus tunc expressis auctoritate praefatâ perpetuo applicaverimus et approbaverimus, ipsiusque Ioannis Mariae voluntati ad praemissorum effectum opportune derogaverimus, illamque, quatenus opus esset, commutaverimus: eiusdem chirographi dispositioni inhaerentes, volumus ut in praedicto novo hospitali S. Mariae et S. Gallicani, a nobis sicut praemittitur erecto, praeter et ultra decem lectos pro mulieribus febricitantibus Lancisianis nuncupatis, ut praefertur, assignatos supradictos[1] inibi retineri debebunt, alii quinque lecti, pro mulieribus in supradictis regionibus et viis per dictum Ioannem Mariam designatis pro tempore habitantibus, retineantur pro leprâ aut scabie in capite, non tamen gallicâ, vel prurigine laborantibus, ac propter eiusmodi morbi gravitatem atque pravitatem eò redactae, ut vitae periculum adirent, si illas ad dictum hospitale apud S. Ioannem in Laterano omnibus mulieribus aegrotis de Urbe praefatâ destinatum transferri contingeret, iuxta ipsius Ioannis Mariae dispositionem admittantur et curentur, itaut in dictis decem nullae aliae mulieres quam in regionibus et viis a praefato Ioanne Maria praescriptis degentes, in aliis vero quinque lectis, ex his mulieribus regiones et vias huiusmodi incolentibus, illae dumtaxat morbo acuto correptae, ac memorato vitae periculo si ad hospitale apud S. Ioannem in Laterano adsportarentur, expositae recipiantur; idque demum, si et postquam ipsius novi hospitalis per nos erecti priori pro tempore existenti exhibitum fuerit testimonium medici, qui sit publicus ac notus et facultatem medendi in Urbe habeat, quique iuratus testetur, quod infirma sine evidenti vitae suae discrimine ad supradictum hospitale S. Ioannis in Laterano traduci nequeat, vel si prior praedictus infirmam in tali statu ac imminenti periculo versari re ipsâ agnoverit, ut hoc pacto eiusdem Ioannis Mariae voluntas ex parte saltem adimpleretur.

Praescribitur ne utli infirmi in novum hospitale ex ceteris Urbis hospitalibus advehantur.

§ 8. Ut autem hospitale per nos ut praefertur erectum huiusmodi in pacis amoenitate et charitatis foecunditate feliciora in dies, Deo favente, suscipiat incrementa, universis et singulis commendatoribus, commissariis, gubernatoribus, administratoribus, deputatis, oeconomis, aliisque officialibus et ministris, quocumque nomine nuncupatis, hospitalium et locorum piorum dictae Urbis, in quibus personae miserabiles morbis praefatis respective affectae inibi curandis recipiuntur et retinentur, vel recipi et retineri consueverunt, in virtute sanctae obedientiae, ac sub poenis nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio, in rebelles et contradictores infligendis, districte praecipiendo mandamus, quatenus ipsi omnes et singulas personas miserabiles praefatis morbis affectas, etiam febricitantes, eorum hospitalia et pia loca huiusmodi pro tempore ut praefertur adeuntes, iuxta eorum respective consuetudinem, in hospitalibus et piis locis praefatis omnino ut prius recipiant et retineant, nec, sub hospitalis per nos ut praefertur erecti huiusmodi vel quopiam alio praetextu, ab eis reiicere, neque ad hospitale per nos ut praefertur erecti huiusmodi, nisi requisito prius ad id hospitalis per nos ut praefertur erecti huiusmodi priore pro tempore existente praefato, ac de eius consensu seu licentiâ, et quatenus locus seu lectus vacuus sit in dicto hospitali, et

1 Videtur deesse *qui* (R. T.).

non aliàs, transmittere ullatenus audeant seu praesumant, sed eas in hospitalibus locisque piis praefatis, donec et quousque locus praefatus eis aut earum alicui ut praefertur factus fuerit, ut prius retinere prosequantur, debeant et teneantur, personasque ipsas Urbem praefatam in civium nauseam et scandalum circumvagari nullo modo permittant.

Æmilius Lamius presbyter prior huius novi hospitalis deputatur et agenda illi iniunguntur.

§ 9. Ipsum autem Æmilium Lamium presbyterum in praedicti novi hospitalis a nobis erecti priorem ad eius vitam per praesentes constituimus et deputamus, volentes ut laudabilia instituta, per eum ante duos circiter annos in domum, quam de praesenti inhabitat, invecta, nempe enarratis morbis affectas doctrinae christianae rudimenta edocendi, et advigilandi ut sanctissimae Eucharistiae et Poenitentiae sacramenta frequenter et devote suscipiant, iugiter in novo hospitali huiusmodi serventur et exacte custodiantur, utque in mansionibus tum viris tum mulieribus assignatis medicabulum seu locus medendi destinetur, in quo curentur omnes pauperes utriusque sexus scabiosi, aut ulcuscula in cruribus aut aliâ corporis parte ex eiusmodi morbis procedentia habentes, licet scabie in capite infecti non sint, qui deinceps ad dictum hospitale ad suam curationem procurandam recurrent, tametsi in hospitali et lectis praefatis non decumbant, nec aliud ab eodem hospitali quam unguenta et medicamenta, quibus curentur, accipiant, et propriis domibus habitent.

Mendicantibus per Urbem hyberno tempore tectum atque ligna in loco novo hospitalis parantur.

§ 10. Et quia dictis morbis laborantes brumali praesertim tempore ob saevientes algores maxime periclitari solent, potissimum vero mendici, qui, prae aerumnis ac morborum huiusmodi pertinaciâ viribus exhausti, postquam totâ die victum per Urbem mendicatum quaeritando defessi sunt, sub dio ac gelido caelo miseras dolentesque noctes ducere coguntur; nos, ad eos etiam qui in dicto hospitali recipi nequeunt, pietatis ac liberalitatis nostrae dexteram extendere, illisque aliquâ ratione opitulari cupientes, amplam[1] et quadraginta miserabilium personarum huiusmodi capacem prope hospitale praedictum cameram seu habitationem, quò tot ex dictis personis, quae in dicto hospitali ob praeoccupata ab aliis cubilia admitti non poterunt, sese recipere, ibique noctem transigere valeant, extruximus et paravimus, ignemque ad eas calefaciendas et refocillandas accendi ac teneri mandemus, ita tamen, ut, antequam cubitum eant, aliquis ad illas de divinis rebus et ad aeternam salutem spectantibus sermo habeatur, ac in aliquo pietatis opere congruo temporis spatio exerceantur.

Dos eidem novo hospitali adsignatur pro eius subsistentione.

§ 11. Ad haec, cum eidem hospitali sic erecto, pro eius dote ac subsistentiâ aegrotorumque inibi pro tempore existentium sex[2] curandorum, necnon illius prioris, officialium et ministrorum ei inservientium alimoniâ et sustentatione, aliorumque onerum et expensarum ipsis incumbentium supportatione, praeter et ultra haereditatem supradicti Ioannis Mariae Lancisii ei sicut praemittitur a nobis applicatam, infrascripta alia res et bona itidem perpetuo assignaverimus, donaverimus atque concesserimus (nimirum unum vacabile seneschallatus nuncupatum seu custodiae Cancellariae nostrae Apostolicae, quod dilectus filius nobilis iuvenis Stephanus de Comitibus, terrae Guadagnoli Tiburtinae dioecesis dux, ex concessione ab ipso Innocentio praedecessore sibi de eo ad sui vitam factâ, obtinebat ac etiam nunc obtinet, ex tunc postquam illud per cessum vel decessum, seu

1 Edit. Main. legit *amplum* (R. T.).

2 Locum, si opus est, corrigat lector scius (R. T.).

aliàs quomodolibet, ex personâ eiusdem Stephani ducis vacavisset, et alterum officia custodiae Portae Ostiensis seu S. Pauli nuncupatae de Urbe praedictâ, per obitum quondam Iuliani Capranicae, ultimi, dum viveret, ipsius portae custodis, tum vacans, cum omnibus eorumdem officiorum proventibus et emolumentis; item duas aquae perennis uncias ex aquâ Paulâ etiam nuncupatâ[1] de Urbe praefatâ desumendas; necnon, occasione suppressionis confraternitatis sub titulo Redemptoris in parochiali ecclesiâ S. Mariae de Monticellis dictae Urbis aliàs erectae, illiusque bonorum unâ cum ipsâ parochiali ecclesiâ dilectis filiis presbyteris saecularibus Congregationis Doctrinae Christianae applicationis novissime secutarum, vineam, quam de Gagliano vocant, in regione ubi vulgariter dicitur *Monteverde* extra portam S. Pancratii sitam, de directo dominio dilectorum pariter filiorum capituli et canonicorum saecularis et insignis collegiatae S. Mariae Transtyberim de eâdem Urbe, sicuti etiam triginta loca montium Camerae nostrae Apostolicae non vacabilium, diversarum erectionum, cum sexaginta centesimis partibus alterius loci similis, iniuncto tamen onere celebrationis missarum, ac demum alia triginta octo loca, ac quinque centesimas partes alterius loci paris montis non vacabilis restaurati, primae, secundae et tertiae erectionis, quae ad Datariam Apostolicam spectabant; et aliàs, prout in diversis pariter chirographis manu nostrâ subscriptis, cedulâ motusproprii sub plumbo, seu aliis litteris et scripturis desuper confectis uberius continetur): nos, praemissorum firmissimae validitati providere maiusque robur et pleniorem efficaciam eis adiungere volentes, ac omnium et singulorum chirographorum, cedulae motusproprii, litterarum et scripturarum praefatarum tenores etiam veriores et datas ac occasiones, et alia etiam speciali ac individuâ expressione digna, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, specificatis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, haereditatis, officiorum, duarum unciarum aquae, vineae et locorum montium huiusmodi applicationem, assignationem, concessionem ac donationem dicto hospitali per nos factas ut praefertur, necnon chirographa, cedulam motusproprii sub plumbo, seu alias litteras ac scripturas quascumque desuper emanatas, cum omnibus et singulis in eis contentis et expressis, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, harum serie confirmamus et approbamus, ac, quatenus opus sit, illa omnia et singula innovamus, ac exacte et inconcusse servari praecipimus, eisque inviolabilis et perpetuae firmitatis robur adiungimus, necnon omnes et singulos iuris et facti ac solemnitatum quarumcumque, tam ex iuris communis et constitutionum apostolicarum praescripto, quam aliàs quomodolibet in similibus etiam de necessitate observandarum, et alios quoslibet defectus, si qui in praemissis quovis modo intervenerint, seu intervenisse dici, censeri, intelligi vel praetendi possent, amplissime ac latissime supplemus et sanamus.

§ 12. Quoniam vero idem hospitale ex primodicto seneschallatus officio nullum capere poterit emolumentum, quamdiu praefatus dux vixerit, illudque obtinuerit, ne interea necessariis redditibus careat, quadringenta scuta monetae, ad rationem iuliorum decem pro quolibet scuto, ex eleemosynis quae ex componendis dispensationum matrimo- *Annuus proventus eidem hospitali ad tempus tribuitur.*

[1] Edit. Main. legit *nuncupatum* (R. T.).

nialium proveniunt; ac in subventionem pauperum erogari consueverunt, eidem hospitali per Datariam Apostolicam praedictam et earumdem componendarum officialem seu administratorem quotannis solvi praecipimus, donec tamen [illegible] officium ex personâ ipsius Stephani ducis ut praefertur vacaverit, adeout, statim secutâ illius vacatione, Dataria praefata ab obligatione solvendi dicta quadringenta scuta immunis ac libera sit et esse conseatur, nec ulterius eam pecuniarum summam ipsi hospitali pendere teneatur.

A morbo curatis et mundatis vestimenta alia adsignantur.

§ 13. Et ne pauperes mendici, qui in hospitali praedicto ab eiusmodi morbis mundati ac sanitati restituti inde dimittentur, reassumptis suis veteribus vestibus in pristinos depositosque morbos misere recidant, iisque denuo inficiantur, statuimus ut deinceps modernus ac pro tempore existens victualium commeatuum pro classe nostrâ triremium conductor seu provisor, quem *assentistam* earumdem triremium vulgo appellant, ipsi hospitali eiusve priori omnes et singulas vetustas vestes seu lacernas ac spolia remigum eiusdem classis singulis annis in Urbe praefatâ tradere et consignare debeat, ut eis, probe expurgatis, ablutis et reconcinnatis, pauperes praedicti, cum e dicto hospitali dimittuntur, indui et operiri valeant, volentes insuper ut in locationibus seu appaltis, quae in posterum per Cameram nostram Apostolicam eiusmodi assentistis fient, hoc onus eisdem assentistis expresse iniungatur et in instrumentis desuper conficiendis adiiciatur.

Novum hoc hospitale a solvendis vectigalibus eximitur.

§ 14. Ac insuper ulteriori eiusdem hospitalis levamento intendentes, illud, pro emptione et introductione in Urbem ratae seu quantitatis sexcentorum cadorum vini ac mille salmarum carbonis dumtaxat quolibet anno, atque aromatum, olei, lignorum, telarum, stragulorum et utensilium pro ipsius hospitalis infirmorum ac personarum illi actu pro tempore inservientium usibus, a quibuscumque vectigalibus, gabellis, datiis, dohanis, pedagiis et transitibus, aliisque oneribus ordinariis et extraordinariis nunc et pro tempore impositis, itaut hospitale praedictum nihil omnino horum aut aliorum similium pro rebus supradictis subire teneatur, nec per Camerae Apostolicae aut alios commissarios, seu vectigalium aut datiorum huiusmodi redemptores, conductores et exactores, ad id valeat coarctari, eximimus et liberamus, mandantes quoque ut Camera praefata eidem hospitali eam salis quantitatem, qua illi opus fuerit, prout ceteris Urbis hospitalibus praestare consuevit, annuatim subministrare debeat.

Indulgentiae in eodem hospitali decumbentibus et ministris conceduntur.

§ 15. Ut autem hospitale praefatum per nos erectum, et temporalium rerum subsidiis ut praefertur munitum, ac personae in eo degentes caelestibus quoque spiritualium gratiarum et indultorum locupletentur thesauris, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus in eodem hospitali decumbentibus, illiusque officialibus et ministris inibi commorantibus, qui in Nativitatis domini nostri Iesu Christi, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, SS. Trinitatis, et Corporis eiusdem domini nostri Iesu Christi, necnon Purificationis, Annunciationis, Assumptionis et Nativitatis beatae Mariae Virginis, ac Nativitatis S. Ioannis Baptistae atque Apostolorum, Commemorationis Omnium Sanctorum festivitatibus, ac Dedicatione huius ecclesiae, vere poenitentes et confessi,

ac sacrâ communione refecti, pro christianorum principum concordiâ, haeresum et schismatum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam, quae etiam animabus purgatorii per modum suffragii applicari possit; necnon omnibus et singulis infirmis, ministris et officialibus praefatis, quos in hospitali sic erecto, ac in camerâ seu habitatione contiguâ quam aedificare intendimus, ad humanis decedere contigerit, si vere poenitentes et confessi, ac sacrâ communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus, corde devote invocaverint, in eorum mortis articulo similiter plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Eisdem vero christifidelibus utriusque pariter sexus, qui infirmis in hospitali vivorum seu mulierum respective degentibus, cum cibo reficiuntur, seu aliàs, ministraverint vel deservierint, eosque praecepta Dei et quae ad salutem necessaria sunt docuerint, aut quodcumque aliud pietatis vel charitatis opus erga infirmos praefatos exercuerint, atque presbyteris, qui sacramentales eorum confessiones exceperint, quotiescumque id egerint ac in ecclesiâ dicti hospitalis aliquo temporis spatio oraverint, toties pro quolibet praefatorum operum exercitio septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis, seu aliàs quomodolibet debitis poenitentiis in formâ Ecclesiae consuetâ relaxamus. Praeterea, ut quandocumque sacerdos aliquis saecularis, vel cuiusvis Ordinis, congregationis seu instituti regularis, missam defunctorum pro animâ cuiuscumque christifidelis, quae Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit, ad altare maius ecclesiae dicti hospitalis celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut eiusdem domini nostri Iesu Christi ac beatissimae Virginis sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatorii poenis liberetur, auctoritate praefata concedimus itidem et indulgemus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Morbis eiusmodi affecti a cibis vetitis dispensantur, utque a quibusvis ecclesiasticis poenis absolvi possint, eorum confessariis facultas datur.

§ 16. Praeterea pauperibus utriusque sexus huiusmodi praefatis morbis affectis, et in dicto hospitali pro tempore degentibus, quorum infirmitas vel nimium imbecillis valetudo ieiunium seu carnium et lacticiniorum abstinentiam ferre non poterit, ut de utriusque medici consilio quibusvis quadragesimalibus, aut quatuor anni temporibus et vigiliis, aliisque diebus in quibus ieiunium ab Ecclesiâ indictum, aut carnium, ovorum, lacticiniorum usus de iure vel consuetudine seu aliàs prohibitus existit vel fuerit, carnibus, ovis, butyro, lacticiniis et aliis cibis prohibitis huiusmodi uti et vesci; singulis quoque pro tempore existentibus eiusdem hospitalis priori praefato, ac infra dicendis presbyteris, ut quoscumque huiusmodi hospitalis infirmos, ministros et servientes a quibusvis excommunicationis, etiam maioris, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, quibus innodati fuerint, necnon quibuscumque eorum peccatis, criminibus, excessibus ac delictis quantumcumque gravibus et enormibus, etiam talibus de quibus dicta Sedes merito consulenda foret, videlicet in casibus tam Ordinariis locorum quam etiam eidem Sedi reservatis, non tamen in iudicium deductis, neque contentis in litteris die

Coenae Domini legi solitis, semel in ingressu dicti hospitalis, et iterum ab omnibus supradictis, nullo prorsus excepto, in mortis articulo, confessione tamen eorum diligenter auditâ, in foro tantum conscientiae absolvere, iniunctâ inde eis pro modo culpae suo arbitrio poenitentiâ salutari; quodque eisdem infirmis, ministris ac inservientibus omnia et singula Ecclesiae sacramenta etiam Viatici et Extremae Unctionis, servatis tamen sacris ritibus et caeremoniis a rituali romano praescriptis, administrare libere, licite et valide, respective possint, facultatem itidem perpetuo tribuimus et impartimur: moderno ac pro tempore existenti parocho seu rectori parochialis ecclesiae, intra cuius limites hospitale praefatum consistit, districtius inhibentes, ne in eorumdem sacramentorum (excepto dumtaxat sacramento matrimonii quoad ministros et alios inservientes, qui hac tantum ratione parocho et parochiae huiusmodi subsint) in dicto hospitali administratione se ingerere, aut defunctorum sepulturae seu exequiis inibi faciendis interesse, ullumve pro funere aut aliud quolibet ius vel emolumentum parochiale petere et praetendere, ac desuper hospitale, personas, priorem ac presbyteros praedictos seu eorum aliquem molestare audeat seu quovis modo praesumat.

Hospitale eximitur a iurisdictione spirituali vicarii Urbis eiusdemque vicesgerentis et cardinali protectori prorsus subiicitur.

§ 17. Ac proinde hospitale praefatum, illiusque priorem, presbyteros, ministros, inservientes, ac in eo pro tempore degentes infirmos, a quacumque[1] dilecti filii nostri et pro tempore existentis Romani Pontificis in Urbe praefatâ eiusque districtu vicarii in spiritualibus generalis illiusque vicesgerentis iurisdictione tum ordinariâ tum etiam delegatâ Ordinariis locorum in vim decretorum sacri Concilii Tridentini seu aliàs quomodolibet attributâ, prout etiam a parochiâ seu parochiali ecclesiâ praefatâ dictique rectoris seu parochi curâ et subiectione, totaliter eximimus, illudque et illos omnimodae iurisdictioni pro tempore existentis eiusdem S. R. E. cardinalis dicti hospitalis protectoris, ut infra deputandi, pleno iure subiicimus, ac curam animarum, tum infirmorum tum eiusdem hospitalis ministrorum et inservientium, eius priori similiter pro tempore existenti committimus et demandamus, eumque in ipsorum parochum et animarum suarum rectorem constituimus, itaut in ecclesiâ hospitalis praedicti sacramenta etiam tempore Paschatis recipere, sicque praecepto Ecclesiae satisfacere, ac defunctorum corpora in coemeterio dicti hospitalis absque ullâ quartae funeralis vel aliorum iurium parochialium praestatione seu solutione tumulari possint et debeant.

Decernitur ut idem sit haeres infirmorum ab intestato et sine legitimis haeredibus decedentium.

§ 18. Insuper ut omnibus et singulis infirmis in eodem hospitali ab intestato et sine legitimis haeredibus pro tempore decedentibus hospitale praefatum loco et vice fisci dictae Camerae nostrae in eorum bonis succedere debeat, utque ipsi infirmi, qui in dicto hospitali decedent, testamentum condere, ac confessarius, qui postremam eiusmodi infirmi sacramentalem confessionem exceperit, illud rogare ac conscribere respective valeat, et scripturae desuper confectae, dummodo coram duobus testibus idoneis facta fuerit, plena fides adhibeatur, illaque vim ac robur legitimi et coram publico tabellione et ad formam a iure praescriptam conditi testamenti in iudicio et extra illud obtineat, decernimus atque concedimus.

1 Edit. Main. legit *quocumque* (R. T.).

Eiusque protector sit cardinalis a Pontifice cum plenaria iurisdictione deputandus.

§ 19. Pro salubri autem eiusdem hospitalis regimine, progressu atque incremento, statuimus quoque ut perpetuis futuris temporibus unus ex ipsis S. R. E. cardinalibus dicti hospitalis protector ac defensor a Romano Pontifice pro tempore existente eligatur et ad sui vitam deputetur, qui non solum ordinariam ac plenariam iurisdictionem, non tamen contentiosam, in hospitale illiusque priorem, ministros ac servientes exerceat, verum paternae quoque charitatis viscera erga pauperes infirmos gerat, et solerti studio curet quatenus eiusdem hospitalis redditus fideliter administrentur, statuta et ordinationes pro felici ac prosperâ illius directione condantur, conditaque exacte observentur, pauperes infirmi qua maiori fieri potest diligentiâ, charitate et munditiâ curentur et bene alantur, necnon exercitia spiritualia ac alia pietatis opera suis temporibus fiant, ac demum omnibus tam ad rectam disciplinam quam ad providam oeconomiam et administrationem ipsius hospitalis eiusque bonorum et redditum spectantibus serio incumbat et invigilet.

Cui subiaceat prior hospitalis qui hac prima vice electus praedictus Æmilius, tamen a solo Pontifice removeri possit. Eo decedente, alius a presbyteris hospitalis eligatur, et haec electio a protectore confirmetur.

§ 20. Adsitque perpetuo unus prior dicti hospitalis, qui eidem cardinali protectori subiaceat, ac eius praeceptis et mandatis veluti membrum capiti suo debite pareat et obediat; ipsorum vero hospitalis, ecclesiae, eisque annexorum et ab eis dependentium, necnon infirmorum, ministrorum ac servientium superior existat. Cumque supradictum Æmilium presbyterum in primum priorem dicti hospitalis ad eius vitam supra deputaverimus, volumus, eum nunquam ab eiusmodi munere, etiam a praefato cardinali protectore, sed dumtaxat a nobis seu Romanis Pontificibus successoribus nostris, idque eo dumtaxat casu, quo eumdem Æmilium, ipsi hospitali minime utilem ac proficuum fore revera compertum haberemus, amoveri posse. Post vero dicti Æmilii obitum, alius ex numero infra dicendorum presbyterorum ipsi hospitali tunc inservientium, qui charitatis, humilitatis, prudentiae et vigilantiae laude et exemplo aliis praecellat, in priorem eligatur, illiusque electio ab eisdem presbyteris coram cardinali protectore praefato per secreta suffragia fiat, ac, postquam facta fuerit, ab ipso cardinali protectore, qui electi qualitates mature perpendere debebit, confirmetur. Quod si electum minus aptum ac idoneum gubernio dicti hospitalis iudicaverit, super quo ipsius conscientiam oneramus, sicuti etiam si suffragia seu vota numero paria fuerint, tunc eidem cardinali protectori alium magis habilem et idoneum deputare, illique patentes litteras expedire licebit.

Prior sit perpetuus nec nisi a cardinali protectore ex gravibus causis deponi possit.

§ 21. Neque prior sic electus et confirmatus seu deputatus a prioratus munere, vitâ suâ durante, praeterquam a memorato cardinali protectore, idque iustis et gravibus de causis, removeri valeat, nec ad ipsum prioratum alius assumi possit, quam qui ex dictis presbyteris in omnibus rebus, ad curam et regimen hospitalis praedicti spectantibus apprime versatus et exercitatus fuerit, atque antea per quadriennium post peractum inibi novitiatum seu probationem in eodem hospitali commoratus fuerit, ac curae et servitio pauperum infirmorum illic sedulam operam navaverit.

Hospitalis infirmos curent viri ecclesiastici ex numero praeter priorem, vel bis plures, arbitrio protectoris, qui biennali novitiatu probentur et priori subsint.

§ 22. Illi vero, qui in dictum hospitale ad medendum infirmis eorumque necessitatibus inserviendum admittentur, sint pariter presbyteri, vel saltem personae ecclesiasticae quae ad sacrum presbyteratus ordinem promoveri possint, sexque numero ultra praefatum

priorem, aut plures, arbitrio ipsius cardinalis protectoris, iuxta indigentiam constituantur, qui in humilitate ac charitatis spiritu, et aeterni tantum, nulliusque terreni praemii mercedem sperantes et prae oculis habentes, soloque victu et vestitu ac aliis necessariis impensis sibi per hospitale praefatum gratis subministrandis contenti, ac uni Deo placere desiderantes, omnem operam et animum ponere et intendere debeant non modo ad curandum corporales aegrotorum infirmitates huiusmodi, sed etiam ad eos, qui in tenebris et in umbrâ mortis sedent, in viam salutis dirigendum, verae et orthodoxae fidei dogmata edocendum, atque caelesti sacramentorum dape et verbi Dei pabulo frequenter pascendum et enutriendum, quemadmodum eis a dicto priore, cui, sicut mox dispositum fuit, subesse ac obtemperare debebunt, iniunctum fuerit. Presbyteri autem seu personae ecclesiasticae huiusmodi, qui in dictum hospitale ut supra admittentur, novitiatum seu probationem per biennium agere teneantur; quo tempore durante, mane et vespere intersint, dum infirmi curantur, ac medicamenta conficiuntur et applicantur, ut exinde tam unguenta ac olea, quae in praefatis morbis adhibentur, componendi parandique, quam morbos ipsos curandi et sanandi methodum et artem addiscant; expletoque novitiatus seu probationis biennio praefato, qui presbyterorum personarumque ecclesiasticarum praedictarum numero adscribi et aggregari voluerit, se examini, per supradictum priorem, accersito et adhibito secum, si ei libuerit, medico ordinario ipsius hospitalis habendo, supponere debeat; sique minus idoneus inventus fuerit, senario seu maiori numero eiusmodi minime adscribatur; sin vero habilis et aptus repertus sit, idem prior testimonium super eius idoneitate perhibeat ipsi cardinali protectori tradendum ut illum recipi mandet.

Quid praedicti, exacto novitiatu, agere debeant.

§ 23. Et qui exacto novitiatu praefato sic admissi fuerint, die illorum admissionem immediate sequenti exercitiis spiritualibus in eodem hospitali vacare, et, postquam illa per octo dies peregerint, votum simplex perseverantiae in ipso hospitali, ac infirmis inibi pro tempore existentibus deserviendi, illosque curandi et instruendi, donec vixerint, in manibus prioris praedicti, praesentibus reliquis presbyteris seu clericis eiusdem hospitalis, in illius ecclesiâ seu aliâ capella privatâ, expresse emittere debebunt, ac eiusmodi actus libro ad id destinando et in archivio dicti hospitalis asservando describantur et registrentur, ne eorum memoria depereat: hocque perseverantiae votum dictus Æmilius prior in manibus memorati cardinalis protectoris absque aliâ solemnitate ac obligatione exercitia spiritualia huiusmodi peragendi, sicuti etiam presbyteri qui in primâ dicti hospitalis aperitione de numero senario praefato erunt, utpote in his rebus periti et experti, nempe qui enarratos morbos in domo per dictum Æmilium conductâ diu curarunt, similiter emittere teneantur.

Clerici hospitalis ad sacros ordines ad titulum eius servitii per Urbis vicarium promoveri possint.

§ 24. Porro clericis, qui senario seu maiori numero huiusmodi adscripti fuerint, ac enarratum votum perseverantiae emiserint, ut ipsi ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, ad titulum servitii eiusdem hospitalis et alimentorum eis a dicto hospitali praebendorum, a supradicto Urbis vicario seu ab eo deputando, servatis aliàs servandis, promoveri libere et licite valeant, concedimus pariter et indulgemus; ita tamen ut, si quem ex tali-

ter promotis, sive ex gravibus causis et a dicto cardinali protectore approbatis, a servitio eiusdem hospitalis dimitti, aut a voto perseverantiae per eum emisso quomodolibet absolvi quandoque evenerit, nisi ei de patrimonio aut reddito ecclesiastico, ad congruam sui iuxta taxam quae in Urbe servatur sustentationem sufficienti, aliunde provisum sit, ab executione sacrorum ordinum per eum ad titulum servitii huiusmodi susceptorum suspensus remaneat.

Puellae curandis feminis deputatae novitiatu probandae.

§ 25. Et quoniam hospitali mulierum scabie, leprâ et tineâ seu prurigine in capite laborantium feminas deservire decet, volumus ut prior praefatus de consensu eiusdem cardinalis protectoris septem, aut etiam plures[1], arbitrio dicti cardinalis protectoris, si necessitas exegerit, ad id puellas honestas ac probatae vitae deligat, quae biennium novitiatus similiter peragere teneantur ad hoc ut interim infirmas bene curare eisque assistere discant. Puellae vero praefatae, postquam servitiis dicti hospitalis laudabiliter in demandatis sibi respective officiis insteterint per octo annos continuos, seu etiam minoris temporis spatio, si eidem cardinali protectori ita expedire visum fuerit, illaeque ceteroquin habiles et idoneae dignoscantur, ad enarratum perseverantiae votum admittantur, illudque emittant eisdem modo et formâ, quos pro septem presbyteris ut supra praescripsimus, atque cum eisdem conditionibus, et praecipue ut infra terminum octo annorum praefatorum iustis de causis ab ipso cardinali protectore approbatis ac etiam post emissum perseverantiae votum ob graves causas similiter approbatas per dictum cardinalem protectorem ab ipso hospitali dimitti et removeri valeant.

1 Edit. Main. legit *pluries* pro *plures* (R. T.).

Puellae in hospitali servientes priori pareant et sua munera sedulo obeant.

§ 26. Omnes autem puellae, eidem hospitali pro tempore deservientes, illius priori praefato tamquam suo superiori pareant et obediant, iniunctisque sibi ab ipso priore muneribus sedulo fungantur. Aliquae nempe pauperibus infirmis mederi, illas catholicae fidei rudimentis instruere, aliae eas in christianae pietatis operibus exercere, et reliquae linearum vestium lixiviis, culinae et penarii curam gerere teneantur; itaut unicuique officium diversum ac distinctum, prout sibi a dicto priore demandatum fuerit, destinetur, ipsique priori liceat officia huiusmodi etiam quolibet anno ad sui nutum et pro suo arbitrio commutare.

Possint etiam curare feminas extra hospitale.

§ 27. Demum eisdem puellis onus incumbat nedum curandi mulieres, leprâ, scabie et tineâ seu prurigine in capite laborantes et in ipso hospitali decumbentes, sicuti superius dispositum fuit, verum etiam medendi aliis pauperibus mulieribus et puellis huiusmodi morbis correptis, etiam extra hospitale degentibus, ad illum pro habendis medicaminibus accedentibus, quibus unguenta pro scabie, aut ulculsculis, plagis, tuberculis exinde vel a tineâ ortis propellendis, gratis subministrent, easque curent, et modum unguenta praefata adhibendi eisque utendi amanter ac patienter doceant, necnon etiam illis assistendi et serviendi, quae ad morbos praefatos sanandum balneis, vaporario, seu hypocausto, ac corniculis, sanguisugis egere dignoscentur, itaut mulieres his morbis infectae eamdem plane opem, quam viris praebere decrevimus, inde accipiant, ad divini nominis gloriam ac christianae charitatis exemplum.

Deputatur primus hospitalis protector Petrus Marcellinus

§ 28. Ceterum eidem hospitali de valido et idoneo protectore providere cupientes, ac de memorati Petri Marcellini

Corradinus S. R. E. cardinalis.

cardinalis et prodatarii nostri pietate, integritate et religionis zelo plenam notitiam habentes, ac propterea ex eius protectione plurimum commodi et ornamenti hospitali praefato accessurum fore merito sperantes, motu, scientiâ et potestate similibus ipsum Petrum Marcellinum cardinalem ac prodatarium nostrum hospitalis huiusmodi illiusque bonorum, rerum et iurium quorumcumque apud nos et dictam Sedem protectorem et defensorem, cum omnibus supradictis aliisque facultatibus, honoribus et oneribus solitis et consuetis, ad sui vitam, tenore praesentium, facimus, constituimus et deputamus; mandantes propterea dilectis filiis hospitalis praefati priori, presbyteris, officialibus, ministris, ceterisque personis nunc et pro tempore existentibus, aliisque ad quos spectat et in futurum spectabit, ut eumdem Petrum Marcellinum cardinalem ac prodatarium nostrum, in dicti hospitalis protectorem et defensorem iuxta tenorem praesentium recipientes, eâ qua decet reverentiâ prosequantur.

Clausulae peculiares.

§ 29. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod in praemissis seu eorum aliquo interesse habentes seu habere[1] quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae, vel dignitatis, seu aliâ specificâ et individuâ mentione et expressione digni existant, eisdem praemissis non consenserint, nec ad ea vocati seu auditi fuerint, minusque causae, propter quas eaedem praesentes emanaverint, adductae, verificatae, seu aliàs sufficienter aut etiam nullatenus iustificatae fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, excogitato et substantiali, etiam quod solemnitates et alia quaevis in praemissis servanda et adimplenda servata et adimpleta non fuerint, aut etiam ex quovis alio capite a iure vel facto aut statuto seu consuetudine aliquâ resultante, seu etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, aut quocumque alio colore etiam in corpore iuris clauso, seu occasione vel causâ, etiam quantumvis iustâ, rationabili et privilegiatâ, etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostrâ huiusmodi et aliis superius expressis seu relatis nihil ullibi appareret seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illa restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato vel concesso quempiam uti seu se iuvare[1] in iudicio vel extra posse, neque ipsas praesentes litteras, et in eis contenta, sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, sed semper ab illis excepta, perpetuoque valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per omnes et singulos, ad quos spectat et quomodolibet spectabit, in futurum, inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et

1 Edit. Main. legit *haberi* (R. T.).

1 Edit Main legit *iuvari* (R. T.).

nuncios, aliosve quoslibet, quavis auctoritate et potestate fungentes, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, definiendi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; irritum, etc., decernimus.

Derogatoriae amplissimae.

§ 30. Non obstantibus praemissis, ac praefati Ioannis Mariae ultimâ voluntate huiusmodi, necnon felicis recordationis Symmachi, Calisti, Gregorii IX et XIII, Ioannis XXI, Clementis VII, Innocentii VI et VII, Pauli II, III et IV, Iulii etiam III, Pii similiter IV et V, ac Sixti pariter V, et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrum, de rebus Ecclesiae et Camerae praefatae non alienandis, et male alienatis recuperandis, itidemque praefati Pii IV de gratiis, qualecumque interesse dictae Camerae concernentibus, in eâdem Camerâ intra certum inibi praescriptum tempus praesentandis et registrandis, itaut praesentes in eâ praesentari et registrari nullo unquam tempore vel modo necesse sit, necnon de iure quaesito non tollendo, et de non concedendis gratiis ad instar, ac de exprimendo vero valore, aliisque nostris et Cancellariae nostrae Apostolicae regulis, ac apostolicis, et in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, ac Urbis, Camerae, archihospitalis, et quorumcumque superius explicite nominatorum et comprehensorum quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, usibus, stylis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, etiam motu et potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, ac etiam per modum statuti perpetui ac initi et stipulati contractus, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, in genere vel in specie, et ad quorumvis instantiam, vel aliàs quomodolibet in contrarium eorumdem praemissorum concessis, ac etiam pluries approbatis, confirmatis, iteratis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut quaecumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas, occasiones et causas, etiam quantumvis praegnantes, pias et privilegiatas, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur et insererentur, iisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis et exactissime adductis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, harum serie specialiter et expresse, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, plenissime et sufficienter hac vice dumtaxat derogamus, ac derogatum esse volumus et mandamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Nemo has litteras infringere audeat.

§ 31. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum erectionis, fundationis, institutionis, approbationis, confirmationis, innovationis, roborationis, conditionum, statutorum, concessionum, applicationum, exemptionum, subiectionum, voluntatum, mandatorum, sanationis, suppletionis, decretorum, deputationis, constitutionis, commutationis et derogationis, aliorumque praemissorum infringere, seu ei ausu te-

merario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVI, pridie nonas[1] octobris, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 30 septembris 1726, pontif. anno III.

CLI.

Declaratur iterum ac ampliatur constitutio Innocentii XII de exemptione praesulum regni Neapolis a spoliis Camerae Apostolicae debitis[2].

Benedictus Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanum decet Pontificem, aequi bonique supremum assertorem in terris a Domino constitutum, illa, quae ex circumspectâ suâ ac praedecessorum suorum providentiâ pie sapienterque processerunt, cum aliorsum quam iustitiae ratio postulet detorqueri intelligit, ita declarare ac extendere, ut sequioris et ab eorum intentione deflectentis interpretationis occasio cuilibet praecidatur.

Ab Innocentio XII archiepiscopi et episcopi regni Neapolis a spoliis Camerae Apostolicae debitis exempti fuere.

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Innocentius Papa XII praedecessor noster (animo recolens, ingentem extare in regno Neapolis numerum metropolitanarum, cathedralium et aliarum ecclesiarum, quibus praelati inferiores vel dignitates quasi episcopalem iurisdictionem seu Ordinariorum iura habentes praeerant, congruis pro maiori parte carentium redditibus, adeoque illâ, quam Dei domus exposceret, maiestate et eleganti structurâ, necnon decenti supellectili sacrâ, et ministris ecclesiasticis sufficientibus ac idoneis, ceterisque divino cultui necessariis, ob earum inopiam, ut plurimum destitutarum; simulque considerans multiplices angustias et graves molestias, quibus earumdem ecclesiarum archiepiscopi et episcopi ac alii praelati inferiores, dum aegritudine premebantur, et quandoque etiam in extremis laborabant, a[1] subcollectoribus spoliorum, sub praetextu assecurandi iura ad Cameram nostram, tunc suam, Apostolicam pertinentia[2], identidem vexari ac perturbari consueverant) per quamdam suam constitutionem, cuius initium est: *Inscrutabili aeternae sapientiae*, anno Incarnationis dominicae MDCXCIII, III kalendas februarii, pontificatus sui anno III editam, ab omni et quocumque iure, quod ad Cameram Apostolicam praedictam ex antiquissimâ consuetudine et constitutionibus apostolicis càtenus spectasse dignoscebatur, percipiendi, exigendi, habendi et assequendi omnes, singulas et quascumque pecunias, res, effectus, iura, semoventia, et bona etiam stabilia, cuiuscumque pretii, valoris, speciei, qualitatis et quantitatis existerent, per memoratos archiepiscopos, episcopos et praelatos inferiores dicti regni, etiam ex Ordinibus regularibus assumptos, ex redditibus, fructibus et proventibus praefatarum ecclesiarum quomodocumque vere et propie acquisita, spolia nuncupata, necnon fructus naturales a solo separatos et civiles tempore mortis perceptos seu

1 Ex notâ marginali quae ponit *30 septembris* oporteret legere *pridie kalendas* vel in notâ marginali oportet legere *4 octobris* (R. T.).

2 Hac de re vide Innocentii XII constit. edit. MDCXCIV, die 28 ianuarii, pontif. III, et huius Pontificis constit. edit. MDCXXIV, die 10 ianuarii pontif. I.

1 Praeposit. *a* nos addimus (R. T.).

2 Pessime ed. Main. legit *pertinentiam* (R. T.).

exactos ex redditibus earumdem ecclesiarum, etiam inconsumptos et incommixtos, non tamen pendentes seu inexactos, ex specialis dono gratiae, perpetuis futuris temporibus, archiepiscopos, episcopos, et praelatos inferiores regni praedicti omnino exemit et liberavit, ac exemptos et liberatos esse et fore censeri voluit et mandavit, ad effectum tamen, et non aliàs, aliter, nec alio modo, ut praemissa omnia et singula ad supradictas metropolitanas aliasque cathedrales et reliquas quibus ipsimet archiepiscopi et episcopi seu praelati inferiores praesedissent, illisque non indigentibus, ad parochiales ecclesias eorum regimini commissas, spectare, et ad earumdem favorem, beneficium seu utilitatem cedere, applicari, converti et erogari deberent:

In ipsâ exemptione comprehendi praesules extra dioecesim decedentes declaratum postea fuit.

§ 2. Ac subinde (per nos accepto, quod, postquam eiusmodi constitutio promulgata fuerat, debitaeque executioni demandari coeperat, Camerae praefatae thesaurarius ac commissarius generales, necnon spoliorum in memorato regno Neapolis collectores et subcollectores, pro tempore existentes, praetenderent sub eàdem constitutione minime comprehendi nec comprehensa censeri debere spolia bonorum et fructuum quorumcumque spectantium ad archiepiscopos, episcopos et praelatos inferiores eiusmodi decedentes extra fines ecclesiarum et dioecesum, apud quas personalem residentiam facere tenebantur) nos, aequum fore censentes ut nullum hac in re constitueretur discrimen inter praesules extra residentiam vel in residentiâ decedentes, cum eorum factum obesse minime deberet ecclesiis, quarum favor, utilitas et beneficium in eiusdem Innocentii praedecessoris constitutione principaliter consideratum, ipsique Pontifici, quemadmodum ex toto illius tenore manifeste colligebatur, propositum in primis fuerat, statuimus et declaravimus, memoratam Innocentii praedecessoris constitutionem, expeditasque super praemissis eius litteras, suum integrum, plenarium ac omnimodum effectum atque executionem imposterum sortiri ac obtinere debere in praedicto regno Neapolis etiam in casibus in quibus archiepiscopos, episcopos et inferiores praelatos praedictos extra residentiam obire contingeret, et, quatenus opus esset, easdem Innocentii praedecessoris litteras ad omnes et singulos eiusmodi casus extendimus et ampliavimus: et aliàs, prout tam in praefatis Innocentii praedecessoris, quam in nostris itidem Incarnationis dominicae MDCCXXIV, IV idus iulii, pontificatus nostri anno I confectis desuper litteris, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Causae praesentis declarationis.

§ 3. Cum autem, sicut ad apostolatus nostri notitiam pervenit, nonnulli enarratas litteras apostolicas minime obsistere aut impedire praetendant, quominus archiepiscopi, episcopi et praelati inferiores dicti regni bona ex redditibus suarum ecclesiarum acquisita, seu provenientia, ad aliorum, quam ipsarum ecclesiarum favorem, reservatis sibi, quamdiu in humanis egerint, eorumdem bonorum fructibus, seu usu aut commoditate, inter vivos donare, sive aliàs de eis disponere valeant: nos, animadvertentes, non aliam praefati Innocentii praedecessoris ac nostram in praemissis mentem atque consilium fuisse, quam ut gravibus metropolitanarum, cathedralium, aliarumque ecclesiarum praedictarum necessitatibus subveniretur, ipsaeque ecclesiae, post praesulum suorum obitum, ex bonis eis e reditibus

earumdem ecclesiarum quaesitis aliquod levamen recipere, illisque iuvari, instaurari, ornari, rebusque ad divinum praesertim cultum necessariis instrui possent; facilis vero praeberetur aditus saluberrimas eiusmodi sanctiones evertendi ac eludendi, dictasque ecclesias earum effectu, destinatoque sibi inde subsidio frustrandi et defraudandi, si per donationem seu alios contractus, qui fieri dicuntur inter vivos, eisdem praesulibus de dictis bonis, cum reservatione eorum fructuum, usus vel commoditatis, donec viverent, disponere liberum esset; quandoquidem ex eiusmodi dispositione ipsi nullum pene incommodum sentirent, ecclesiae autem praefatae ingens acciperent detrimentum: ac propterea omnem, quae hac in re enasci posset, controversiam et ambiguitatem tollere, ipsarumque ecclesiarum quieti, tranquillitati ac indemnitati, quantum cum Domino possumus, prospicere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, supradictas Innocentii praedecessoris litteras, per nos ampliatas et extensas, ut praefertur, illa etiam pecunias, res, iura, ceteraque bona praefata tam[1] stabilia per archiepiscopos, episcopos ac praelatos inferiores dicti regni ex redditibus et proventibus suarum ecclesiarum acquisita, de quibus ab eisdem archiepiscopis, episcopis et praelatis per donationem seu alios contractus inter vivos, cum reservationibus illorum fructuum, usus, vel cuiusvis alterius commoditatis ad sui vitam, aliter quam in praedictarum ecclesiarum beneficium et utilitatem quomodolibet dispositum fuerit, seu disponi quandocumque contigerit, comprehendere, ac in illis locum obtinere, et ad illa extendi, tenore praesentium declaramus; nec per eiusmodi donationes, contractus et dispositiones ullum metropolitanis, cathedralibus et aliis ecclesiis praedictis, earumque iuribus, praeiudicium inferri ac generari debere aut posse perpetuo statuimus.

Declaratur bona huiusmodi pro utilitate ecclesiarum esse impendenda, nec donari posse inter vivos, etc.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta, etiam ex eo quod quilibet, etiam speciali et individuâ mentione digni, in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, neque causae, propter quas ipsae praesentes emanarunt, sufficienter aut ullatenus adductae, verificatae et iustificatae fuerint, seu ex aliâ quacumque, quantumvis piâ, iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu vel capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs[1], aliove quolibet, quamtumvis magno, formali, substantiali ac inexcogitabili defectu notari, infringi, impugnari, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illa aperitionis oris, restitutionis in integrum, vel aliud quodcumque iuris, facti seu gratiae remedium impetrari, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus concessô quempiam in iudicio vel extra illud uti posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque in praemissis censeri, atque ita et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum

1 Videtur legendum *etiam*, vel aliquid deest (R. T.).

1 Male edit. Main. legit. *consensu* (R. T.).

palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et Apostolicae Sedis nuncios, et alios quoslibet quavis auctoritate et potestate fungentes et quandocumque functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatoriae. § 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, necnon omnibus et singulis quae tam Innocentius praedecessor, quam nos in litteris praefatis concessimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis. § 6 Volumus autem ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra illud, quae eisdem praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII octobris MDCCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 12 octobris 1726, pontif. anno III.

CLII.

Statuuntur nonnulla pro monachis provisis de prioratibus Congregationis Ss. Vitoni et Hidulphi Ordinis S. Benedicti [1].

Benedictus episcopus, ad futuram rei memoriam.

Expositio facti. **§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii abbates ac superiores Congregationis Ss. Vitoni et Hidulphi Ordinis S. Benedicti, quod dicta Congregatio, quae a felicis recordationis Paulo Papa V praedecessore nostro approbata et confirmata memoratur, quinquaginta circiter monasteriis in Lotharingiae et Barri ducatibus Campaniae ac Burgundiae provinciae** [1] **et comitatu sitis constet; ab eisdem vero monasteriis nonnulli curâ conventuque carentes, nec personalem residentiam requirentes,** simplices prioratus dependent, quorum collatio seu dispositio, in mensibus Sedi Apostolicae reservatis, ad nos ac Romanum Pontificem pro tempore existentem, cessantibus reservationibus et affectionibus apostolicis, ad abbates tunc pariter existentes monasteriorum a quibus dicti prioratus respective dependet, spectare et pertinere dignoscitur.

Causae praesentium statutorum. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, monachi praedictae Congregationis, apostolicâ vel ordinariâ auctoritate de eiusmodi prioratibus provisi, a monasteriis, eis a capitulo generali vel superioribus dictae Congregationis destinatis et assignatis, absque eorumdem superiorum licentiâ recedere, ac in praefatis prioratibus, in quibus nulla viget regularis observantia, soli vel cum famulo residere aut commorari, non sine evidenti animarum suarum discrimine et monasticae disciplinae detrimento, quandoque praetendant, occasionem vagandi, seque ab obedientiâ, quam suis superioribus debent, subtrahendi inde captantes, ac

1 Aliâ huius Pontificis const. edit. MDCCXXVI, die 19 augusti, pontif. III, statutus fuit modus electionis in posterum abbatis monasterii de Monte Serrato Ordinis S. Benedicti Congregationis Vallisdemnae, et const. edit. MDCCXXIX, die 21 martii, pontif. V, confirmatur summarium indulgentiarum quae a dicti monasterii abbate Rosariis applicatur.

1 Forsan *provinciâ* vel *provinciis* (R. T.).

insuper documenta, iura [1] vel scripturas originales ad ipsos prioratus pertinentes penes se retinere, seu etiam occultare, in grave prioratuum ac monasteriorum praefatorum damnum et irreparabile praeiudicium praesumant, necnon de fructibus eorumdem prioratuum ad sui libitum interdum disponant: nobis propterea exponentes praedicti humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Statuta praedicta pro monachis de prioratibus praefatis provisis.

§ 3. Nos igitur, eorumdem exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod de cetero nullus ex dictis monachis de prioratibus praefatis etiam apostolicâ auctoritate provisis, seu in posterum providendis, in eisdem prioratibus, seu apud eos eorumve ecclesias, sine superiorum suorum regularium licentiâ residere seu commorari, atque aliter de fructibus eiusmodi prioratuum, quam ad formam et praescriptum constitutionis recolendae memoriae Urbani Papae VIII praedecessoris itidem nostri quae incipit *In supereminenti* pro monachis Congregationis S. Mauri in Galliâ eiusdem Ordinis S. Benedicti anno MDCXXVII editae, disponere possit et valeat; quodque praeterea omnes et singuli monachi de dictis prioratibus provisi et providendi documenta et scripturas originales, ipsos prioratus, illorumve iura, bona et res quomodolibet spectantes, vel saltem earum exempla authentica, in archivio monasteriorum, a quibus dicti prioratus dependent, reponere omnino debeant ac teneantur, sub excommunicationis ac privationis vocis activae et passivae per contrafacientes et contumaces in praemissis eo ipso incurrendis poenis, eâdem auctoritate, harum serie, statuimus, decernimus et ordinamus.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis, Congregationis, monasteriorum et prioratuum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 5. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum et gentium tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die v decembris MDCCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 5 decembris 1726, pontif. anno III.

---

1 Male edit. Main. legit *cura* pro *iura* (R. T.).

CLIII.

Promulgatur canonizatio B. Thuribii archiepiscopi Limani[1].

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium ex eo quod orationes sanctorum plurimum valeant apud Deum.

Quoniam Spiritus Sancti oraculo per B. Ioannem apostolum dictum est, odoramenta in phialis aureis visa coram Agno extincto esse orationes sanctorum, quae ad expiandas nostrorum criminum sordes ante conspectum Altissimi odorem suavitatis emittunt; ideo nos, quibus, licet immeritis, idem Spiritus Sanctus regendae totius Ecclesiae curam iniunxit, aeternae christifidelium saluti plurimum credimus expedire, si eorum memoriam solemnibus praeconiis ubique celebrari decernimus, quorum assiduis deprecationibus et patrocinio gregem catholicum, nostrae fidei commissum, in caelo adiuvari speramus.

B. Thuribii ortus, vitae institutio, et archiepiscopatus sancte initus.

§ 1. Itaque summa B. Thuribii merita et signa, iamdudum apud hanc sanctam Apostolicam Sedem per venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales sub piae memoriae antecessoribus nostris Romanis Pontificibus in longum examen adducta, nos, in B. Petri apostolorum Principis cathedrâ, disponente Domino, vix constitutos, magnopere excitaverunt, ut de insigni viro publicis Sanctorum honoribus honestando cogitaremus; quem, Maiorgae oppido Hispaniae Tarraconensis in episcopatu Legionensi XVI kalendas decembres anno Christi domini MDXXXVIII ex praenobili Mogroveiâ gente ortum, per vias Domini perpetuo ambulantem, inque omnium virtutum studio laudabiliter proficientem, Hispania primum, et postmodum orae Americanae, quas Indias Occidentales vocamus, conspicere meruerunt. Is enim liberalibus disciplinis et vere christianis institutionibus educatus, doctrinisque evangelicis Salmanticae optime instructus in collegio Ovetensi ubi eius brachium magnâ veneratione adservatur, ex sacro munere apostolici quaesitoris fidei in regno Granatensi, quod magnâ innocentiâ et pietate subibat, ad archiepiscopalem cathedram ecclesiae Limanae, inscius atque onus refugiens, americanos populos pastorali officio recturus, divino consilio vocatus est, quò se vir Dei supremo nutu trahi sentiens, per ingentes difficultates et vitae pericula invicto animo properavit. Limanam gentem, moribus foede corruptam variisque superstitionibus turpiter inquinatam, ad christianam pietatem alacriter excolendam summo studio traducere contendit; rebusque ecclesiae Limanae dispositis, dioecesim et sacram provinciam nudis pedibus totam lustravit, unde factum ut incredibilis Thuribii charitas vitia et mutua odia, quae passim dominabantur, ex animis suae plebis prorsus evelleret. Tum vir Dei, probe gnarus nihil aptius ad disciplinam et Evangelii semina, quae bonum fructum redderent, in agro dominico seminanda[1], quam sacra synodorum statuta reperiri, mox ad presbyterorum et confratrum episcoporum dioecesana et provincialia concilia identidem celebranda omnem suam sollicitudinem vertit, quae, huius etiam Sedis Apostolicae munimine roborata, multa et probatissima habuit. Tum sacris viris et virginibus pauperibus et infirmis praesenti ope consuluit, sibi ipsi pernecessaria in eorum usum impendens, unde christianitas illarum partium, Deo favente, mirifice aucta est, ita ut ad nongentos et

[1] Vide constit. edit. MDCCXXIII, die 4 iunii, pontif. I, et constit. sequentes.

[1] Male edit. Main. legit *seminandi* pro *seminanda* (R. T).

eo amplius mille fideles, salutari fonte renatos, ipse unus per manus impositionem chrismatis sacramento confirmaverit. His ancilla Dei Rosa ex nostro Ordine Praedicatorum adnumeratur, quam postea signis aeque ac virtutibus claram felicis recordationis antecessor noster Clemens Papa X in sanctarum virginum canonem retulit.

Dioecesim perlustrans pie obiit et beatis postea adscribitur ab Innocentio XI.

§ 2. Interea Limanus pontifex ad sui gregis salutem impigre incumbens, dioecesim de more perlustrans, in oppido Sannae lethali morbo corripitur, quo ingravescente, sanctissimis Eucharistiae et Extremae Unctionis sacramentis probe munitus, fide et spe in Deum summe laetus, hilari vultu proximae resolutionis suae nuncium accepit, atque ingeminatis davidicis verbis, *Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi*, spiritum Deo commendans, sanctissimam efflavit animam decimo kalendas apriles, anno Christi domini MDCVI, aetatis LXVIII, archiepiscopatus XXV. Thuribii animae in caelum receptae mirabilis Deus signis quamplurimis sanctitatem patefecit, Limae praesertim, quo sacrae eius exuviae, prodigiis eas comitantibus, advectae fuerunt. Quare eximiis servi Dei virtutibus per plura miracula comprobatis, piae memoriae antecessor noster Innocentius Papa XI nono kalendas iulias, anno Christi domini MDCLXXIX, Thuribium beatis adscripsit, in eius honorem sacris precibus et missae sacrificio celebrari permissis, annoque insequenti in tabulas martyrologii romani cum beatis relatus est.

Promulgatur eius canonizatio ab hoc Pontifice peracta.

§ 3. Postmodum per nos ipsos, novis miraculis post eius beatificationem patratis aeque discussis, inque[1] tribus consistoriis et plenario conventu venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, atque etiam patriarcharum, archiepiscorum et episcoporum nobiscum Romae praesentium, rite perpensis, unanimi eorumdem sententiâ per Sedis Apostolicae notarios[1] coram nobis exceptâ, regumque ac principum christianorum ac cleri populique Limani precibus pro B. Thuribio in Sanctorum confessorum pontificum canonem referendo Apostolicae Sedi porrectis, post tantae rei perficiendae solemnem diem indictam, perque orationes, ieiunia et eleemosynas omnipotentis Dei opem ferventissime imploratam, demum universis, quae ex antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum constitutionibus et S. R. E. disciplinâ peragenda erant, omni religione peractis, hac die in honorem antecessoris nostri pontificis et martyris Melchiadis Deo sacrâ, qua etiam Incarnati Verbi mysterium in annuâ translationis almae Domus Lauretanae memoria recolitur, unâ cum iisdem venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ac utriusque cleri et populi frequentiâ, in sacrosanctam basilicam Principis apostolorum Deo supplicantes convenimus: ubi, semel, iterum et tertio pro viro Dei in sanctorum Confessorum Pontificum canonem referendo precibus repetitis per venerabilem fratrem nostrum Franciscum S. R. E. episcopum cardinalem Barberinum nuncupatum, post decantatas sacras orationes et Spiritus Sancti gratiam humillime imploratam, ad honorem sanctissimae et individuae Trinitatis, fidei catholicae exaltationem, et christianae religionis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei Patris, Filii et Spiritus Sancti, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostrâ, de eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et epi-

1 Male ed. Main. legit *in quae* pro *inque* (R.T.).

1 Male ed. M. h. *notario* pro *notarios* (R.T.).

scoporum nobiscum in plenario conventu Basilicae Vaticanae praesentium consilio et unanimi consensu, B. Thuribium, Limanae sedis archiepiscopum, de cuius sanctitate, fidei sinceritate et ceterarum virtutum ac miraculorum excellentiâ plene constabat et constat, unâ cum beatis Iacobo a Marchiâ confessore, Ordinis Minorum, et Agnete Politianâ virgine, nostri Ordinis Praedicatorum, sanctum esse definivimus, sanctorum confessorum pontificum canoni adscribendum decrevimus et adscripsimus, eumdemque per universos christifideles tamquam vere sanctum honorari mandavimus et mandamus, statuentes ut ab universâ Ecclesiâ in eius honorem aedes sacrae et altaria, in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, aedificari et consecrari, et quotannis v kalendas maias, quo eius exuviae Limam translatae sunt, Thuribii Limani festa solemnia ut sancti confessoris et pontificis celebrari possint.

Indulgentiae concessae eiusdem die festo concessae.

§ 4. Insuper eâdem auctoritate omnibus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui eodem die festo in memoriam B. Thuribii ad eius exuvias visitandas accesserint, annum et quadragenam; iis vero, qui in octavâ eiusdem festi, quadraginta dies de iniunctis seu quomodolibet eis debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavimus et relaxamus.

Indulgentia plenaria in die canonizationis.

§ 5. Postremo, gratiis Deo actis quod Ecclesiam suam insigni hoc novoque luminari illustrare dignatus fuisset, cantatâ in honorem Sanctorum Thuribii, Iacobi a Marchia et Agnetis Politianae solemni oratione, in arâ Principis Apostolorum sacrosanctum missae sacrificium celebravimus cum eiusdem Confessoris Pontificis et ceterorum commemoratione, omnibusque christifidelibus tunc praesentibus plenariam peccatorum indulgentiam concessimus.

Gratiarum actio.

§ 6. Decet igitur ut pro tam peculiari insignique benificio caelitus nobis concesso omnes benedicamus et glorificemus in trinis Personis unum Deum, omnium bonorum auctorem, cui est honor et gloria in saecula, assiduis precibus ab eo postulantes ut per intercessionem electi sui Thuribii a peccatis nostris indignationem suam avertens, ostendat nobis faciem misericordiae suae, immittatque timorem sui super gentes quae non cognoverunt eum, ut tandem cognoscant quia non est alius Deus nisi Deus noster.

His litteris ubique fides adhibeatur.

§ 7. Ceterum, quia difficile foret praesentes nostras litteras ad singula loca ad quae opus esset adferri, volumus[1] ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem ubique fides habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si essent exhibitae vel ostensae.

Nemo infringere audeat.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae definitionis, decreti, adscriptionis, relationis, mandati, statuti, relaxationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVI, IV idus decembris, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 10 decembris 1726, pontif. anno III.

✠ EGO BENEDICTUS
CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS[2].

†
†
†

1 Particulam *autem* delemus (R. T.).
2 Seq. forma sigilli ut supra pag. 6 a (R. T.).

† Ego Franciscus episcopus Praenestinus cardinalis Barberinus.

† Ego Petrus episcopus Sabinensis cardinalis Ottobonus, S. R. E. vicecancellarius.

† Ego Laurentius episcopus Tusculanus cardinalis Corsinus.

† Ego Ioseph Renatus tituli S. Georgii in Velabro presbyter cardinalis Imperialis.

† Ego Philippus Antonius tituli S. Praxedis presbyter cardinalis Gualterius.

†

†

†

†

†

†

† Ego Annibal tituli S. Clementis presbyter cardinalis S. Clementis Albanus, S.R.E. camerarius.

† Ego Ludovicus tituli S. Silvestri in Capite presbyter cardinalis Picus de Mirandula.

† Ego Ioannes Antonius tituli S. Calixti presbyter cardinalis de Viâ.

†

† Ego Antonius Felix tituli S. Balbinae presbyter cardinalis Zondadarius.

†

† Ego Petrus Marcellinus tituli S. Ioannis ante Portam Latinam presbyter cardinalis Corradinus.

†

†

† Ego Curtius S. Eustachii presbyter cardinalis Origus.

† Ego Melchior tituli S. Mariae Angelorum presbyter cardinalis de Polignac.

†

†

†

†

†

†

†

† Ego Nicolaus tituli Ss. Nerei et Achillei presbyter cardinalis Spinula.

†

†

†

† Ego Georgius tituli S. Agnetis presbyter cardinalis Spinula.

† Ego Cornelius tituli S. Hieronymi Illyricorum presbyter cardinalis Bentivolus de Aragonia.

†

†

† Ego Ludovicus tituli S. Priscae presbyter cardinalis Belluga et Moncada.

† Ego Ioseph tituli S. Susannae presbyter cardinalis Pereyra de la Cerda.

†

† Ego Alvarus tituli S. Bartholomaei in Insulâ presbyter cardinalis Cienfuegos.

† Ego Bernardus Maria tituli S. Bernardi ad Thermas presbyter cardinalis de Comitibus, maior poenitentiarius.

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Matthaei in Merulanâ presbyter cardinalis de Alteriis.

† Ego Vincentius tituli S. Onuphrii presbyter cardinalis Petra.

† Ego Prosper tituli S. Chrysogoni presbyter cardinalis Marifuscus.

† Ego frater Augustinus tituli S. Xisti presbyter cardinalis Pipia.

†

†

† Ego Nicolaus Maria S. R. E. presbyter cardinalis Lercarius.

† Ego frater Laurentius S. R. E. presbyter cardinalis Cozza.

†

† Ego Benedictus S. Mariae in Viâlatâ diaconus cardinalis Pamphilius.

† Ego Laurentius S. Agathae ad Montes diaconus cardinalis de Alteriis.

† Ego Carolus S. Angeli in Foro Piscium diaconus cardinalis Columna.

†

†

†

† Ego Iulius tituli S. Adriani diaconus cardinalis Alberonus.

† Ego Alexander S. Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis Albanus.

† Ego Alexander S. Mariae de Scala diaconus cardinalis Falconerius.

† Ego Nicolaus tituli S. Mariae ad Martyres diaconus cardinalis Iudice.

†
†
†
†

P. cardinalis prodatarius.
Pro domino cardinali Oliverio.
C. archiepiscopus Emissenus.
Visa de Curia I. archiep. Ancyranus.
L. Martinettus.
Registrata in Secretariâ Brevium.

CLIV.

Promulgatur canonizatio B. Iacobi a Marchia Ordinis Minorum de Observantiâ inter sanctos relati [1].

**Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium

Summi Dei gloria maxime postulat ut Romanus Pontifex, auditis magnis virtutibus et miraculis quae Christus dominus per servos suos operari dignoscitur, illorum memoriam super candelabrum totius Ecclesiae collocari decernat, unde universis christifidelibus clara lux effundatur, qua, per viam salutis tuto ambulantes, eorumdem exemplis et patrocinio in superna tabernacula perduci mereantur.

Iacobi a Marchia ortus, vitae ratio pie acta, obitus, miracula et veneratio.

§ 1. Itaque nos, animo revolventes, beatum virum Iacobum a Marchia christianis virtutibus signisque omnipotentis Dei manu per merita eius patratis excelluisse, quem in Piceni agro Asculano ortum anno Christi domini MCCCXCI, pieque educatum, inter suos excepit Ordo fratrum Minorum qui a regulari Observantiâ nuncupantur, in hanc deliberationem maturo consilio devenimus, ut eum, caelestium donorum copiâ spectassimum, aspero vitae genere insignem, et compluribus legationibus pro re christianâ susceptis de Ecclesiâ praeclare meritum, ac iamdudum beatis adnumeratum, in plenario conventu sanctorum confessorum canoni adscriberemus. Etenim Dei virum, B. Bernardini Senensis discipulum, inque avertendis ab agro dominico ingruentium contagionum afflatibus B. Ioannis a Capistrano socium, magna quaeque commendant; quippe quem, ut vitae sanctimoniâ percelebrem, a Caesaribus, regibus et principibus pro religionis causâ expetitum, septemque decessorum nostrorum piae recordationis Romanorum Pontificum, Martini V, Eugenii IV, Nicolai V, Calixti III, Pii II, Pauli II et Xisti IV legationes contra haereticos, fraticellos, manichaeos redivivos, patarenos, hussitas, thaboritas et turcas ipsos magnâ doctrinae et zeli apostolici laude in Italiâ, Pannoniâ, Germaniâ, Bohemiâ et Sarmatiâ per innumera vitae pericula obeuntem, universa Ecclesia mirata est. Quare probatissimum virum, qui, multis magnisque meritis plenus, VI kalendas decembres anno MCCCCLXXV Neapoli in Campaniâ obdormivit in Domino, perplura miracula, nutu divino per eum patrata, sacris illius exuviis in aede S. Mariae Novae corruptionis expertibus ac suavi et perenni odore perfusis, undequaque inclytum reddiderunt: quas quidem exuvias nos ipsi, adhuc in minoribus constituti, hisce manibus contrectantes, carissimo in Christo filio nostro Philippo V Hispaniarum regi catholico venerandas ostendimus. Hinc factum, ut, Carolo V Romanorum imperatore apud felicis memoriae antecessorem nostrum Clementem Papam VII flagitante, de Iacobo inter sanctos referendo actum fuerit, atque iterum Philippo III Hispaniarum rege catholico adnitente apud

1 Vide praecedentem et sequentem constitutionem.

similis memoriae decessores nostros Paulum V et Urbanum VIII, qui, Iacobi virtutibus et miraculis comprobatis, officium de eo recitare missamque in eius honorem universo Ordini fratrum Minorum, ac toti civitati, dioecesi Neapolitanae, cuius patronus electus fuerat, decreto apostolico celebrare permisit.

Promulgatur eius canonizatio ab hoc Pontifice solemni ritu peracta.

§ 2. Deinde novis miraculis post Iacobi beatificationem per venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales coram nobis in examen adductis, decessorumque nostrorum constitutionibus respondere omnino repertis, inque tribus consistoriis et plenario conventu eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium atque etiam patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum nobiscum Romae praesentium rite perpensis, unanimi eorumdem sententiâ per Sedis Apostolicae notarios coram nobis exceptâ, tum pro B. Iacobo sanctorum confessorum fastis adnumerando regum et principum christianorum supplicationibus sanctae Apostolicae Sedi porrectis etiam Ordo fratrum Minorum cum Neapolitanâ et Asculanâ civitatibus suas adiunxissent, solemni caeremoniae et maximo ritui de more complendis die indictâ, perque orationes, ieiunia et eleemosynas ope omnipotentis Dei ferventissime imploratâ, ac universis, quae ex S. R. E. disciplinâ peragenda erant, religiose peractis, tandem hac die in honorem antecessoris nostri pontificis et martyris Melchiadis Deo sacrâ, qua etiam Incarnati Verbi mysterium in anuuâ translationis almae Domus Lauretanae memoria recolitur, nos ipsi unâ cum iisdem venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ac utriusque cleri et populi frequentiâ in sacrosanctam basilicam Principis apostolorum Deo supplicantes convenimus; ubi, semel, iterum et tertio pro viro Dei Iacobo a Marchia in sanctorum confessorum canonem referendo per venerabilem fratrem nostrum Franciscum S. R. E. episcopum cardinalem Ostiensem, Barberinum nuncupatum, repetitis precibus, post cantatas de more orationes, et Spiritus Sancti gratiam humillime invocatam, ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, fidei catholicae exaltationem, et christianae religionis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei Patris, Filii, et Spiritus Sancti, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostrâ, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum nobiscum in plenario conventu basilicae Vaticanae praesentium consilio et unanimi consensu, beatum Iacobum a Marchia Ordinis fratrum Minorum, de cuius sanctitate, fidei sinceritate, et ceterarum virtutum ac miraculorum excellentiâ plane constabat et constat, unâ cum beatis Thuribio archiepiscopo Limano confessore pontifice, et Agnete Politianâ virgine nostri Ordinis Praedicatorum, sanctum esse definivimus, sanctorum confessosorum non pontificum canoni adscribendum decrevimus, prout praesentium tenore definimus, decernimus et adscribimus, eumdemque per omnes christifideles tamquam vere sanctum honorari mandavimus et mandamus, statuentes ut ab Ecclesiâ universali in eius honorem aedes sacrae et altaria, in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, aedificari et consecrari, et quotannis IV kalendas decembres, quo die ad caelestem patriam evolavit, eius festa solemnia ut sancti confessoris non pontificis celebrari possint.

[illegible]

§ 3. Insuper eâdem auctoritate omni-

eius exuvias visitantibus concessae.

bus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui eodem die festo in memoriam B. Iacobi a Marchia quotannis ad eius exuvias visitandas accesserint, annum et quadragenam; iis vero, qui in octavâ eiusdem festi, quadraginta dies de iniunctis seu quomodolibet eis debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavimus et relaxamus.

Indulgentia plenaria in die canonizationis.

§ 4. Postremo gratiis Deo actis quod Ecclesiam suam insigni hoc novorum sanctorum luminari lustrare dignatus fuisset, cantatâ in honorem Ss. Iacobi a Marchia, Thuribii archiepiscopi Limani, et Agnetis Politianae solemni oratione, in arâ maximâ supra confessionem Principis Apostolorum sacrosanctum missae sacrificium cum eiusdem confessoris et ceterorum commemoratione [1], omnibusque christifidelibus tunc praesentibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessimus.

Gratiarum actio.

§ 5. Decet igitur ut pro tam peculiari insignique beneficio etc.[2]

His litteris plena fides adhibeatur.

§ 6. Ceterum quia difficile foret, praesentes nostras litteras etc.[3].

Sanctio poenalis.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam etc.[4].

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVI, IV idus decembris, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 10 decembris 1726, pontif. anno III.

✠ EGO BENEDICTUS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS[5].

1 Deest *celebravimus* (R. T.).

2 Ut supra pag. 462 *b* solo mutato nomine *Iacobi a Marchia* (R. T.).

3 Ut supra pag. 462 *b* (R. T.).

4 Ut supra pag. 462 *b* (R. T.).

5 Eadem forma sigilli et eaedem omnino subscriptiones sequuntur, ut supra pag. 462 *b* et seq. (R. T.).

CLV.

Promulgatur canonizatio B. Agnetis ex Monte Politiano Ordinis Praedicatorum in sanctarum virginum canonem relatae[1].

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium ex eo quod sanctae virgines prae aliis Deo carae sint.

In omnium sanctorum, sed praecipue Dei virginum meritis celebrandis, Deum ipsum glorificari constat, qui publicae salutis palmam semper virginibus dedit. In Veteri Testamento filios Israël, terrâ marique clausos, virgo pedes per mare duxit incolumes. In Evangelio auctorem mundi et redemptorem nostrum Virgo genuit. Virgo est Ecclesia, quam Paulus apostolus castam virginem Christo domino exhibuit. Virgo quoque est filia Sion. Virgo est caelestis illa Hierusalem, in quam nihil commune, nihil immundum ingreditur. Virgines demum Dei sponsas, sacrata Deo corpora, Dei templa ab Ecclesiâ catholicâ passim dici non ignoramus.

Beatae Agnetis Politianae ortus, vitae integritas, et signa ab illâ patrata.

§ 1. Ex his una beata Agnes in nostro Ordine Praedicatorum quatuor abhinc saeculis floruit, orta in agro Montis Politiani in Tusciâ anno salutis MCCLXVIII, eximiisque virtutibus, quas maiores nostri in Dei virginibus laudaverunt, ante faciem Domini summe conspicua. Hanc a primâ aetate luculentis futurae sanctimoniae praesagiis multoque signorum numero et claritate Deus illustravit, praesertim ubi etiamnum adolescentula religiosum institutum amplexa est. Ex patrio enim monasterio ad aliud Proceni in agro Urbevetano extruendum missa, eidem extructo praefecta est, ubi annis quindecim pane et aquâ ieiunavit, more futuri parentis sui beati Dominici confessoris

1 Vide constitutiones antecedentes.

humi cubans, nec nisi maiorum imperio sibi gratissimum vitae ordinem mutare visa. Orationi tam ferventer inhaesit ut Deus ancillam suam a solo extolleret, ac caelesti mannâ, quasi nive, tunicam ei non semel contegeret; immo et ecclesiam ipsam mannae granis, figuram crucis referentibus, episcopo ad Agnetem solemni caeremoniâ consecrandam accessuro, conspersit. Ei secreta caelestia patuerunt, et princeps tenebrarum, eâ veniente, ex corporibus ab se truculenter obsessis procul fugere coactus est. Tanto Dei amore flagravit, ut nocte Assumptae in caelum B. Mariae Virginis infantem Iesum inter ulnas matris videre meruerit. Ex quamplurimis gratiae suae donis, quibus Dominus ancillam suam cumulavit, omnium maximum praeterire non licet, ei nimirum ab angelo allatum dominici corporis Sacramentum. Sanctae etiam Palaestinae regiones, ubi Salvator conceptus, natus, conversatus et passus est, ut visitaret, a Domino cum lacrymis flagitanti, portiuncula terrae, Christi sanguine aspersae, divinitus data est. De reliquiis quoque sanctorum apostolorum Petri et Pauli idem ei contigisse proditum est. Quibus et illud accedit, tantâ in Deum fide excelluisse, ut oleum, panem et nummos multiplicare potuerit.

Eius obitus.

§ 2. Quare Agnetis famâ circumquaque diffusâ, Politiani cives sibi eam restitui summis votis et precibus exorare non destiterunt, donec in patriam redux, inque visu a beatis viris Augustino, Francisco et praecipue Dominico ad se illam attrahente mirifice recreata, sibi et suis nutu Dei monasterium sacramque aedem condere statuit, impuro feminarum habitaculo in piarum Dei virginum domicilium ad honorem B. Mariae Virginis sub regulâ Ordinis Praedicatorum converso, quo in loco daemones, corvorum specie, unguibus et rostro Agnetem adhuc adolescentulam tamquam sibi aliquando infestam futuram vexare tentaverant. Monasterio feliciter absoluto invita omnium consensu praeficitur, ubi in dies christianis virtutibus signisque et prophetico etiam spiritu inclaruit. Tandem, horâ indictâ, qua ad caelestis Sponsi nuptias properaret, peracerbis aliàs morbis pie constanterque toleratis, afflicta decubuit, sumptisque magnâ religione Ecclesiae sacramentis, sororesque appropinquante sui transitu moestas solata, ac Dei patrocinio ob sanctam regulae observantiam illis promisso, in earum amplexibus pie obiit XII kalendas maias anno Christi domini MCCCXVII. Prima Dei virgo claustralis nostri Ordinis Praedicatorum multis post dormitionem suam miraculis clara, beatae Catharinae Senensis veneratione ac laudibus inclyta, et eumdem, ac Senensis virgo, beatum Raymundum a Capuâ, totius postea Praedicatorum familiae generalem magistrum, vitae suae scriptorem nacta.

Summi Pontifices eam ut sanctam virginem venerandam agnoverunt.

§ 3. Ad sacras Agnetis exuvias corruptionis expertes et mirifico rore assidue perfusas, ob beneficia a Deo per eius intercessionem accepta, christifidelibus magnâ religione confluentibus, felicis recordationis decessor noster Clemens Papa VII apostolicis litteris indulsit ut fratres Praedicatores et Politiana ecclesia ac cives B. Agnetis festum officiumque solemniter celebrarent, quod similis memoriae Clemens Papa VIII adprobavit, lectiones proprias confirmans eodem festo die a toto Praedicatorum Ordine recitandas in honorem Agnetis, quam piae recordationis Gregorius Papa XIII in martyrologio romano describi iusserat. Alii quoque antecessores nostri Romani Pontifices

Pius Papa V et Clemens X compluribus ex S. R. E. ritu editis indulgentiis fidelium pietatem erga B. Agnetem fovere studuerunt.

In sanctarum virginum canonem ab hoc eodem Pontifice relata fuit.

§ 4. Quibus omnibus sub similis memoriae Clemente XI discussis, Deique ancillae virtutibus et miraculis, post concessum a Sede Apostolicâ eius cultum, de more coram nobis in examen adductis, et veteri disciplinae ac sanctorum Patrum constitutionibus respondere per omnia repertis, inque tribus consistoriis et plenario conventu venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium atque etiam patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum nobiscum in Urbe praesentium rite perpensis, unanimi eorumdem sententiâ per Sedis Apostolicae notarios coram nobis exceptâ, regumque et principum christianorum atque Ordinis Praedicatorum enixis precibus pro Agnete in sanctarum virginum non martyrum canonem referendâ Apostolicae Sedi porrectis, post tantae rei perficiendae solemnem diem indictam, perque orationes, ieiunia et eleemosynas omnipotentiis Dei opem ferventissime imploratam, nos demum, universis, quae ex antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum constitutionibus et S. R. E. disciplinâ peragenda erant, omni religione peractis, hac die in honorem antecessoris nostri pontificis et martyris Melchiadis Deo sacrâ, qua etiam Incarnati Verbi mysterium in annuâ translationis almae Domus Lauretanae memoria recolitur, unâ cum iisdem venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis ac utriusque cleri et populi frequentiâ in sacrosanctam basilicam Principis Apostolorum Deo supplicantes convenimus; ubi, semel, iterum et tertio pro beatâ Agnete Politianâ in sanctarum virginum non martyrum canonem referendâ precibus repetitis per venerabilem fratrem nostrum Franciscum S. R. E. episcopum cardinalem Ostiensem, Barberinum nuncupatum, post decantatas sacras orationes, et Spiritus Sancti gratiam humillime imploratam, ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, fidei catholicae exaltationem, et christianae religionis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei Patris, Filii, et Spiritus Sancti, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostrâ, de eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum nobiscum in plenario conventu basilicae vaticanae praesentium consilio et unanimi consensu, beatam Agnetem Politianam Ordinis Praedicatorum, de cuius sanctitate, fidei sinceritate, et ceterarum virtutum ac miraculorum excellentiâ plene constabat et constat, unâ cum B. Thuribio confessore et pontifice ecclesiae Limanae, et B. Iacobo a Marchia confessore non pontifice Ordinis Minorum, sanctam esse definivimus, sanctarum virginum non martyrum canoni adscribendam decrevimus, prout praesentium tenore definimus, decernimus et adscribimus, eamdemque per universos christifideles tamque vere sanctam honorari mandavimus et mandamus, statuentes ut ab universâ Ecclesiâ in eius honorem aedes sacrae et altaria, in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, aedificari et consecrari possint, et quotannis XII kalendas maias, quo ad caelestem patriam evolavit, eius festa solemnia ut sanctae virginis non martyris celebrari possint.

Sacras eius exuvias visitantibus peculiares indulgentias concessae.

§ 5. Insuper, eâdem auctoritate, omnibus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui eodem die festo in memoriam B. Agnetis ad eius exuvias visitandas accesserint, annum et qua-

dragenam; iis vero, qui in octavâ eiusdem festi, quadraginta dies de iniunctis seu quomodolibet eis debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavimus et relaxamus.

Indulgentia plenaria in die canonizationis.

§ 6. Postremo gratiis Deo actis quod Ecclesiam suam insigni hoc novoque luminari illustrare dignatus fuisset, cantatâ in honorem sanctorum Agnetis Politianae virginis, Thuribii confessoris pontificis, et Iacobi a Marchiâ confessoris solemni oratione, in arâ Principis Apostolorum sacrosanctum missae sacrificium celebravimus cum eiusdem virginis et ceterorum commemoratione, omnibusque cristifidelibus tunc praesentibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessimus.

Gratiarum actio.

§ 7. Decet igitur, etc.[1].

Fides transumptorum.

§ 8. Ceterum quia difficile foret, etc.[2].

Sanctio poenalis.

§ 9. Nulli ergo etc.[3].

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVI, IV idus decembris, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 10 decembris 1726, pontif. anno III.

 EGO BENEDICTUS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS[4].

CLVI.

Decernitur ut quidam fundus seu cumulus instituatur pro agendâ beatificatione seu canonizatione eorum, qui in Ordine Servorum B. M. V. cum sanctitatis famâ obierunt[5].

1 Ut supra pag. 462 *b*, solo substituto nomine *Agnetis* (R. T.).

2 Ut supra pag. 462 *b* (R. T.).

3 Ut supra pag. 462 *b* (R. T.).

4 Eadem forma sigilli et eaedem formas sequuntur ut supra pag. 462 *b* et seq. (R. T.).

5 Aliâ huius Pontificis const. ed. MDCCXXIV, die 4 iunii, pontif. I, promulgata fuit canonizatio B. Philippi Benitii dicti Ordinis.

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Procemium a curâ sanctorum venerationis promovendae.

Apostolatus cura, quam divinae sapientiae atque bonitatis altitudo humilitati nostrae, meritis licet et viribus longe impari, imponere dignata est, nos urget, ut piis fidelium quorumcumque, praesertim sub suavi religionis iugo Domino assidue famulantium, votis ad promovendam in terris Christi servorum et ancillarum cum eo in beatâ aeternitate regnantium venerationem tendentibus, favorabilem assensum paterno affectu praebeamus.

Petitio exponentium.

§ 1. Cum itaque, sicut dilecti filii Petrus Maria Pieri, prior, ac Iosephus Maria procurator generalis Ordinis fratrum Servorum B. Mariae Virginis nobis nuper exponi fecerunt, idem inclytus Ordo plurimos pietate, virtutibus, atque vitae sanctimoniâ eximios filios tamquam vitis abundans in agro dominico omni fore tempore protulerit, quorum memoria in tenebris ac oblivione hominum delitescit eo quod nulli redditus ad eorum causas coram Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositâ, ut moris est, agendas, seu illorum inter beatos aut sanctos relationem procurandam suppetunt[1], destinative reperiuntur; ipsi exponentes, praecipua sui Ordinis luminaria, quae super candelabrum posita omnibus, qui in domo Dei sunt, praelucerent, ita in abscondito et sub modio iacere aegre ferentes, animum adiecerunt ut quamdam rationem inirent, qua, absque gravi eiusdem Ordinis incommodo, pecuniae in hanc adeo piam causam comparari et congeri possent. Cumque, re universâ accurate perpensâ, cognovissent usum olim in dicto Ordine invaluisse ante duodecim circiter annos a Congregatione tunc existen-

1 Corrigat, si opus est, lector scius (R. T.).

tium dictae S. R. E. cardinalium et Romanae Curiae praelatorum super disciplinâ regulari specialiter deputatâ sublatum, quod secretariis prioris sive vicarii generalis pro tempore existentis ipsius Ordinis scutum unum monetae romanae pro certis patentibus litteris, quae illius fratribus expediebantur, exsolveretur, unde trecentorum vel quadringentorum scutorum paris monetae summa, quae in privatam prioris seu vicarii generalis eiusve secretariorum praedictorum utilitatem tunc cedebat, quotannis retrahebatur; exponentes praedicti usum huiusmodi retineri seu instaurari, ac ex pecuniis inde proventuris quemdam cumulum seu fundum ac multiplicum, sumptibus eorum qui in Ordine praefato cum sanctitatis famâ floruerunt ac decesserunt causis instruendis et agitandis seu beatificationi ac canonizationi procurandae et faciendae necessariis deputandum, institui summopere desiderent: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Instituitur fundus ut in rubricâ.

§ 2. Nos igitur, ipsorum exponentium propositum hac in re, quantum cum Domino possumus, iuvare cupientes, eosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ac illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas[1] fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod memoratus usus solvendi ac exigendi respective scutum monetae praefatae pro dictis patentibus litteris, qui in eodem Ordine ante paucos annos vigebat sicut praemittitur, deinceps retineatur ac servetur, sive de novo inducatur, nec ipsae patentes litterae antea relaxentur quam solutio realiter et cum effectu secuta fuerit; pecunia vero inde proventura a supradictis exponentibus, ac pro tempore existentibus priore et procuratore generalibus eiusdem Ordinis fideliter custodiantur, atque de semestri in semestre penes Montem Pietatis de almâ Urbe nostrâ deponantur, et in tot locis montium Camerae nostrae Apostolicae non vacabilium investiantur, ex quorum fructibus cumulus, seu multiplicum, ac fundus sumptibus necessariis pro causis seu beatificatione vel solemni canonizatione dicti Ordinis alumnorum seu religiosorum, qui pie ac cum sanctitatis famâ obierunt, peragendis, et non in aliam quamcumque causam destinandus ac deputandus instituatur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, statuimus, praecipimus et mandamus.

Nonnullae ordinationes hac super re.

§ 3. Ubi autem aliquot expensas in opus huiusmodi facere necesse fuerit, tunc priori ac procuratori generalibus Ordinis praefati pro tempore pariter existentibus, ut, cum consensu eiusdem S. R. E. cardinalis dicti Ordinis apud Apostolicam Sedem protectoris, et non aliter, eam dumtaxat pecuniae quantitatem, quae necessaria ab eis coniunctim diiudicabitur, ex cumulo seu multiplico ac fundo praedicto desumere, seu pro illâ ratâ tot ex dictis locis montium vendere et alienare, eamque in expensas praedictas et non in alios usus erogari libere et licite possint et valeant, opportunam facultatem et licentiam eâdem auctoritate harum serie impertimur. Quod[1] si aliqua fraus vel dolus pro parte prioris seu procuratoris

[1] Edit. Main. legit *absolutos* (R. T.).

[1] Edit. Main. legit *quo* (R. T.).

generalium praedictorum in praemissis quomodolibet admissi seu pecuniae praefatae aliò conversae fuerint, ultra poenas per canonicas sanctiones adversus res sacras et ecclesiasticas alienantes et diripientes inflictas per eos propterea incurrendas, officiis suis ac voce activâ et passivâ perpetuo quoque privati sint ac esse censeantur eo ipso.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ordinis praefati, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI decembris[1] MDCCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 11 decembris 1726, pontif. anno III.

1 Male, ut puto, ed. M. legit *21 augusti* (R. T.).

CLVII.

Confirmantur declarationes et sanctiones quaedam editae in capitulo generali Congregationis Cassinensis, et monasteria eiusdem a depositi capitularis solutione absolvuntur [1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a curâ gerendâ Ordinum regularium.

Commissi nobis divinitus pastoralis officii ratio exigit, ut, paternam monasticorum Ordinum in Ecclesiâ Dei pie sancteque institutorum ac multiplicibus meritis fulgentium curam gerentes, ipsos in salutari eorum vivendi normâ regularique observantiâ confovere atque conservare satagamus, ac proinde ea quae pro felici prosperoque eorum regimine et gubernio provide prudenterque facta atque ordinata esse noscuntur, quo firmiori stabilitate perennent, apostolici muniminis praesidio roboremus, aliasque ad id sollicitudinis nostrae partes libenter interponamus, sicut, omnibus maturae considerationis trutinâ pensatis, salubriter in Domino expedire arbitramur.

Expositio facti.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Seraphinus Tansius, abbas et procurator generalis Congregationis Cassinensis monachorum Ordinis S. Benedicti, quod, cum suborta essent quaedam dubia super rectâ intelligentâ constitutionum eiusdem Congregationis a Sede Apostolicâ confirmatarum, et ab illius capitulo generali novissime celebrato plures dictae Congregationis abbates, viri pietate, prudentiâ, doctrinâ, ac rerum usu praestantes, qui ea diligenter et sedulo examinarent, atque iuxta mentem et spiritum constitutionum

1 Aliâ huius Pontificis const. edit. MDCCXXV, die 4 augusti, pontif. II, confirmatae fuerunt quaedam litterae apostolicae in favorem ecclesiae et abbatis Ordinis sancti Benedicti.

praedictarum dirimerent, selecti et deputati fuissent: ipsi abbates nonnulla ex praefatis dubiis rite et ordine emanarunt[1] ac resolverunt, constitutionesque praedictas intelligendas ac in posterum servandas fore declararunt in hunc modum, videlicet:

Declarationes praedictae.

I. Antiquior visitator, qui successit praesidentiae ob mortem praesidis, eligi possit in definitorem in capitulo proxime subsequenti. — II. Qui in uno capitulo electus est visitator, nonnisi expleto sexennio a die electionis, eligi rursus possit in visitatorem. — III. Si visitatorum quispiam ad diaetam venire non possit, in supplementum advocetur viciniorís monasterii praelatus, quamvis esset illius tantum abbas administrator. — IV. Constitutio, quae extat secundâ parte *Constit. Cassin.*, cap. III, num. II, decernens unum tantum ex Siciliae visitatoribus ad diaetam venire posse, intelligenda est solum in eo casu, quo ambo visitatores pro provinciâ Siculâ ex praelatis eiusdem provinciae assumentur, et tunc solum abbas localis monasterii in quo diaeta celebratur, vel alius ex viciniori monasterio, supplere debet locum alterius visitatoris absentis, non vero quando unus tantum ex eâdem provinciâ assumeretur et alter ex provinciis Italiae, quam enunciatae constitutionis declarationem approbavit et confirmavit sacra Congregatio episcoporum et regularium III septembris MDCCXXIII. — V. Dum contingit aliquem praelatum deputatum in administratorem alicuius monasterii tamdiu illi praeesse, ut tempus in administratione impensum computetur pro regimine praedicti monasterii, dictum tempus computari quoque debeat pro vacatione a priori monasterio, prout declaravit sacra Congregatio Concilii die III martii MDCCXXV. — VI. Nullus in capitulo generali eligi possit in visitatorem, qui tunc primo in eodem capitulo electus est in abbatem, sed illi eligantur, qui saltem in diaetâ praecedenti electi fuerint abbates. — VII. Per verba illa declaratorii tertii ad XXXII regulae: *Cum effectu et realiter*, nedum intelligantur omnes res mobiles pretio aestimabiles apud defunctum extantes, sed etiam quae habentur loco pignoris, dummodo res pignorata extet apud ipsum; nam, si extat apud alium, censeri debet pro pecuniâ creditâ. Sicut etiam pecunia credita censeri debet illa, pro qua defunctus rem stabilem haberet hypothecae obnoxiam. Syngraphae pariter bancariae quaecumque vulgo *Cedole*, *Fedi di credito*, *Biglietti di cartulario*, et si quae aliae sint eiusdem naturae, habeantur pro pecuniâ numeratâ, ac proinde intelligantur esse illius monasterii in quo monachus moritur. — VIII. Verba illa eiusdem declaratorii tertii *Nisi forte ad levandam conscientiam, etc.*, id unum tantum significent, quod solum possit et debeat monachus decedens ad conscientiam suam levandam declarare res aliquas pertinere ad hoc vel illud monasterium, quando scit et credit res illas ad tale monasterium spectare titulo iustitiae ex motivo rigorosae restitutionis. — IX. Æs alienum quod monachus extra monasterium suae professionis decedens contraxerit legitime ad formam declaratorii decimi ad cap. XXXIII *regulae*, persolvatur a monasteriis, proportione habitâ ad bona et credita, quae illi respective cesserint. — X. Mortuo abbate vel administratore alicuius monasterii, prior, vel qui superior ex praescripto constitutionum praeest, accitis omnibus decanis, et, si isti pauciores sint quam tres, advocatis ad supplendum ternarium numerum monachis antiquioribus, conficiat inventarium omnium quae destinata erant in usum eiusdem abbatis vel administratoris defuncti, a praedictis subscribendum et sigillo monasterii signandum, et nihil amoveatur vel distrahatur quod conservari potest, usque dum abbas monasterii aliquis a patre praeside et visitatoribus administrator destinatus accesserit, vel ipsemet prior aut alius in monasterii pastore viduati administratione persistat, vel ad eam deputetur. — XI. Ad ordines promovendi examinentur a patribus visitatoribus in actu visitationis pro omnibus ordinibus, ad quos per subsequens triennium ascendere possunt, habito prius tractatu inter superiores, qui etiam pro sacerdotibus ad decanatum pro-

[1] Forsan *examinarunt* (R. T.).

movendis habendus est, prout statuitur parte I *Constit.*, cap. XXII, n. III *De conventuum ordinatione*; eoque tractatu praemisso, nomina promovendorum tum ad ordines, tum ad decanatum, non per supplicem libellum a superioribus subscriptum, sed in simplici schedulâ absque ullâ subscriptione patribus visitatoribus exhibeantur; ut ipsi deinde in examine de singulorum meritis exquirant, et iuratum testimonium a superioribus exigant ad formam in eâdem constitutione praescriptam. Qui vero clerici fuerint ad ordines a patribus visitatoribus approbati, suo quoque tempore novo subiiciantur examini, et circa scientiam et circa mores coram praelato et patribus monasterii instituendo, per secreta eorum suffragia approbandi vel reprobandi. — XII. Ad praescriptum decreti sanctissimi domini nostri Benedicti XIII emanati die V iulii MDCCXXIV pro reductione missarum, quolibet anno in perpetuum celebretur uno die infra octavam Commemorationis omnium defunctorum anniversarium in uno monasterio ex singulis septem provinciis, pro quibus destinantur monasteria Montis Cassini, S. Martini de Panormo, S. Vitalis Ravennae, et S. Mariae de Florentiâ, necnon monasterium S. Iustinae de Padua, S. Ioannis evangelistae Parmae, et S. Catharinae de Ianuâ.

Quaedam novae sanctiones additae.

Praeterea quaedam novae sanctiones pro salubri providâque ipsius Congregationis directione in nupero capitulo generali praedicto editae fuerunt tenoris qui sequitur, nimirum:

I. Excludantur a capitulo generali abbates, qui taxas et annuas quindenniorum portiones non persolverint, non solum quando monasterio debitori praesunt, sed etiam a primo generali capitulo quod habebitur postquam ad alterius monasterii regimen translati fuerint; cui tamen interesse poterit abbas in diaetâ praecedenti destinatus ad regimen praedicti monasterii debitoris, dummodo solutionibus eo anno debitis ex integro satisfecerit, non tamen qui per longius tempus illi praefuerit, et saltem partem aliquam debiti a suo praedecessore contracti non persolverit. — II. Patres visitatores, dum monasteria visitant, studentes, quos in eis repererint, diligenter examinent, ut definitorio voce vel scripto testimonium proferre possint de idoneitate vel sufficientiâ eorum qui ad collegium Romanum S. Anselmi admitti proponuntur. — III. Dum nova confici Congregationis nostrae publica regesta opus fuerit, vetera Romam transmittantur, asservanda cum aliis in archivio procuratoriae generalis.

Confirmatio relatarum declarationum et sanctionum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ipsi Seraphino a memorato capitulo generali iniunctum fuerit, ut declarationum eiusmodi constitutionum novarumque sanctionum sicut praemittitur editarum, quo firmius subsistant et serventur exactius, approbationem et confirmationem a nobis impetrare procuraret, simulque nomine ipsius capituli generalis enixe peteret, quatenus monasteria Congregationis a solutione depositi capitularis, ut vocant, cui propter reductionem illius capitulorum generalium ac diaetarum intermediarum de biennio ad triennium aliâs factam, iuxta quasdam felicis recordationis Innocentii Papa XI praedecessoris nostri in simili formâ Brevis die XXVI martii MDCLXXXI desuper expeditas litteras, obnoxia reperiuntur, eximeremus, cum modo alia suppetant congrua remedia sublevandi dictam Congregationem ab aere alieno quo premitur, quin monasteriis praedictis, decimis extraordinariis iam gravatis, alia onera imponere opus sit: quare Seraphinus praefatus nobis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur: nos igitur, praedicti capituli generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, ipsumque Seraphinum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensio-

nis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum, qui relationem dilecti filii nostri Bernardi Mariae eiusdem S. R. E. cardinalis de Comitibus nuncupati dictae Congregationis apud nos et hanc Sanctam Sedem protectoris sibi desuper factam attenderunt, consilio, omnes et singulas supradictarum constitutionum declarationes ac novas respective in praefato capitulo generali editas sanctiones praeinsertas, et in eis contenta quaecumque, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Praeterea monasteriis praedictae Congregationis Cassinensis petitam a solutione enarrati depositi capitularis exemptionem eâdem auctoritate harum serie concedimus et indulgemus.

§ 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras, ac declarationes et sanctiones praeinsertas, necnon exemptionem eiusmodi semper firmas, etc. [1].

Clausulae.

§ 4. Non obstantibus, quoad ea quae praesentibus adversantur, Innocentii praedecessoris litteris supradictis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae Congregationis Cassinensis, etiam iuramento, etc.[2].

Fides habenda transumptis.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etc. [1].

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII decembris[2] MDCCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 23 decembris 1726, pontif. anno III.

1 Ut in const. praeced. pag. 471 *a* (R. T.).
2 Ut ibid. pag. 471 *a* (R. T.).

CLVIII.

Promulgatur canonizatio B. Francisci Solani Ordinis Minorum de Observantiâ, Sanctis adscripti. [3]

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a curâ manifestandi in terris servorum Dei gloriam.

Ad fidelium Dei servorum gloriam in terris manifestandam, unde cultus divinus maxime augeri et frigescentia corda hominum ad verae pietatis opera praeclaris eorum exemplis inflammari atque erigi possint, libenti et pervigili animo intendimus; quoniam Christum Dominum in sanctis eius laudare iubemur. Hinc beatum Dei servum Franciscum Solanum ex Ordine fratrum Minorum, qui a regulari Observantiâ nuncupantur, christianarum virtutum praestantiâ et miraculorum numero illustrem nacti, magnum populis nostrae sollicitudini creditis praesidium nos allaturos putavimus, si eum solemni S. R. E. caeremoniâ hac die in honorem B. Ioannis apostoli et evangelistae Deo sacram, sanctorum confessorum non pontificum canoni adscriberemus.

B. Francisci Solani ortus, pia educatio, vitaeque religiosae institutio.

§ 1. Montiliae, Hispaniae Baeticae oppido, sub ecclesiâ Cordubensi, quam complures Christi martyres nobilitarunt, Franciscus Solanus, voluntate martyr futurus, lucem vitalem adspexit VI idus

1 Ut supra, pag. 59 *b* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *novembris* (R. T.).
3 Vide constit. MDCCXXVI, die 10 decembris, pontif. III, et sequentes.

martias anno Reparatae Salutis MDXLIX ingenuis piisque parentibus ortus, qui filium timorem Dei virtutesque christiano homine dignas sollicite docendum curarunt. Quibus ipse animo accensus, in fratrum Minorum, qui a regulari Observantiâ nuncupantur, sacram familiam adolescens cooptatus est. In eâ miris et multis severioris[1] disciplinae christianaeque humilitatis argumentis eluxit, diu noctuque divinae pietatis assiduaeque poenitentiae exercitiis intentus, beatos etiam illos patres Benedictum et Franciscum imitatus, qui se nudos inter pungentissimas spinas proiecerunt, ut omnem vim sensuum domarent. His aliisque praeclaris animi dotibus ex eius admirando tenore vitae identidem prodeuntibus, sacris ipse concionibus, quas ardentissima charitas ceteraeque eximiae virtutes in eo fulgentes ornabant, animas lucrifaciens, sancti elogium passim consecutus est, praesertim ubi aegri pueri corpusculum, totum ulceribus tectum, amotis linteis, lambens[2], sanitati restituit.

Eius pietas erga pestifero morbo tabescentes.

§ 2. Sed, lue crudeli grassante in Hispaniâ Baeticâ, maximam suam charitatem Dei famulus morbo pestifero tabescentibus patefecit, ubi humano et spirituali solatio destitutis in tantâ calamitate opem laturus, pereuntium animabus corporibusque curandis, nullâ mortis formidine territus, summam operam dedit; immo et ipse mortali contagione infectus et manu Dei sospes redditus, in pristino ministerio usque ad lethalis morbi finem se alacrius exercere porrexit.

Magna eiusdem modestia et charitas erga proximorum salutem.

§ 3. Per ora omnium Solani sanctitatis famâ percrebescente, vir modestissimus, qui Dei, non suam, gloriam quaerebat, se ei clam subducere cogitavit.

1 Edit. Main. legit *sevioris* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *labens* (R. T.).

Quare martyrii pro Christo subeundi percupidus, hanc sibi gratiam a maioribus dari humillime flagitavit ut in Africam verbum Dei praedicaturus traiiceret. Compos tamen voti nequaquam factus, hoc tandem obtinuit ut ad remotissimos Indos evangelicâ doctrinâ imbuendos cum aliis verbi Dei praeconibus navigaret. Animarum salutem multis iisque gravissimis maris terraeque periculis vir Dei praeferens, non sine prodigio ad vineam sibi a Domino paratam laboriose excolendam cum sociis adplicuit, utque oves errantes ex lupi faucibus ereptas Summo Pastori servaret, nullis incommodis et vigiliis pepercit. Alienas aerumnas suas ratus, Deique[1] amore et proximi aestuans, linguâ gentium divinitus perceptâ suavissimos sermones habens, Dei gratiâ id praestitit, ut barbari, depositâ feritate, ad Solanum instruendi ultro et certatim accurrerent; unde factum, ut innumeram eorum multitudinem sacro fonte regeneraret, tanti apud omnes habitus, ut ipse ab iis facile obtineret, quae aliàs poenarum metus et rigor extorquere non poterant. Quantum eius praesentia piique sermonis vis apud Indos posset, tunc maxime patuit, quum multa millia infidelium christianis de more in dominicae Passionis mysteriis recolendis feriâ v in Coenâ Domini sancte occcupatis cruentam caedem iam iam allatura ipse Dei verbo exarmavit, diversaeque ac sibi ignotae linguae barbaros homines uno idiomate allocutus, non solum pacem suasit, sed ad Christi fidem supra novem millia convertit. Pervulgatâ Francisci famâ, miris gestis identidem auctâ, ipse ad latibula confugiens, eam declinare conabatur, nec nisi maiorum imperio obtemperans, munera sibi

1 Pessime edit. Main. legit *eique* pro *Deique* (R. T.).

imposita obivit, donec Limam orbis Americani principem civitatem missus, incolarum animos ad poenitentiam cohortatus, ni agant, alter Ionas, extremam cladem interminatur. Nec mora, omnes ad seriam criminum suorum poenitentiam agendam perduxit.

Eiusdem obitus. Miraculis clarus beatis adscribitur per Clementem X.

§ 4. Interim summis pro Dei gloriâ amplificandâ laboribus confectus, supremae vocationis diem sibi imminentem agnoscens, sanctissimis Ecclesiae sacramentis muniri voluit, et pridie idus iulias anno Christi Domini MDCX in honorem beati Ecclesiae doctoris Bonaventurae, cuius patrocinio se olim addixerat, Deo sacrâ, manibus in Crucis figuram compositis, pias oratiunculas recitans, semperque in Domino fixus, in coenobio Limano SS. Nominis Iesu expiravit. Francisci animâ in coelum receptâ, sacrae eius exuviae antea subnigrae, mox pulchrae et candidae apparuerunt, suavique odore perfusae, undique ad eas venerandas concurrentibus populis, eiusque vestium particulas sibi pro sacris reliquiis servandas parare contendentibus. Solani postea virtutibus et miraculis omnium praeconio ubique diffusis, et apud hanc sanctam Apostolicam Sedem probatis, piae memoriae antecessor noster Clemens Papa X, IX kalendas februarias, anno salutis MDCLXXV, Franciscum Solanum ritu S. R. E. beatis adscripsit.

Sanctis ritu solemni adnumeratur per eumdem hunc Pontificem.

§ 5. Postmodum vero, per venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales novis miraculis a tempore eius beatificationis patratis in praesentiâ nostrâ aeque discussis, inque tribus concistoriis et plenario conventu eorumdem venerabilium fratrum S. R. E. cardinalium, atque etiam patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum nobiscum Romae praesentium rite perpensis, unanimi eorumdem sententiâ per Sedis Apostolicae notarios coram nobis exceptâ, regumque ac principum christianorum totiusque Ordinis fratrum Minorum pro B. Francisco Solano in sanctorum confessorum non pontificum canonem referendo precibus nobis enixe porrectis, post tantae rei perficiendae solemnem diem indictam, perque orationes, ieiunia et eleemosynas omnipotentis Dei opem ferventissime imploratam, demum universis, quae ex antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum constitutionibus et S. R. E. disciplinâ agenda erant, omni religione peractis, hac die in honorem B. Ioannis apostoli et evangelistae Deo sacrâ, unâ cum iisdem venerabilibus fratribus nostris S. R. E cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis ac utriusque cleri et populi frequentiâ in sacrosanctam basilicam Principis apostolorum Deo supplicantes convenimus; ubi, semel, iterum et tertio pro viro Dei Francisco Solano in sanctorum confessorum canonem referendo, per venerabilem fratrem nostrum Laurentium S. R. E. episcopum cardinalem Tusculanum Corsinum nuncupatum precibus repetitis, post decantatas sacras orationes et Spiritus Sancti gratiam humillime invocatam, ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, fidei catholicae exaltationem, et christiani nominis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei Patris, Filii, et Spiritus Sancti, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostrâ, de eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum nobiscum in plenario conventu basilicae Vaticanae praesentium consilio et unanimi consensu, B. Franciscum Solanum Hispanum Ordinis fratrum Minorum, qui a regulari Observantiâ appellantur, de cuius sanctitate, fidei sinceritate et ceterarum virtutum et miraculorum excellentiâ plene con-

stabat et constat, unà cum beatis viris perinde confessoribus non pontificibus Peregrino Latioso a Forolivii Ordinis fratrum Servorum B. M. V., et Ioanne a Cruce Ordinis fratrum Excalceatorum B. Mariae Virginis a Monte Carmelo, sanctum esse definivimus, sanctorum confessorum non pontificum canoni adscribendum decrevimus et definivimus, prout praesentium tenore decernimus, definimus et adscribimus, eumdemque per omnes christifideles tamquam vere sanctum honorari mandavimus et mandamus, statuentes ut ab Ecclesià universali in eius honorem aedes sacrae et altaria, in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, construi possint, et quotannis pridie idus iulias, quo die ad caelestem patriam evolavit, solemnia eius natalitia ut sancti confessoris non pontificis celebrari possint.

Indulgentiae eius exuvias visitantibus concessae.

§ 6. Insuper eàdem auctoritate, omnibus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui eodem solemni die natalitio in memoriam B. Francisci Solani quotannis ad sacras eius exuvias venerandas accesserint, annum et quadragenam; iis vero, qui in octavà eiusdem festi, quadraginta dies de iniunctis seu quomodolibet eis debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavimus et relaxamus.

Indulgentia plenaria in die canonizationis.

§ 7. Postremo gratiis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc novoque luminari illustrare voluisset, cantatà in honorem sanctorum Francisci Solani, Peregrini Latiosi et Ioannis a Cruce solemni oratione, in arâ maximâ supra confessionem Principis Apostolorum sacrosanctum missae sacrificium celebravimus, cum eiusdem confessoris et ceterorum commemoratione, omnibusque christifidelibus tunc praesentibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessimus.

Gratiarum actio.

§ 8. Decet igitur, ut pro tam peculiari magnoque beneficio etc.[1].

Fides transumptorum.

§ 9. Caeterum quia difficile foret, praesentes nostras litteras, etc.[2].

Sanctio poenalis.

§ 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, etc.[3].

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVI, VI kalendas ianuarias, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 27 decembris 1726, pontif. anno III.

✠ EGO BENEDICTUS
CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS[4].

CLIX.

Promulgatur canonizatio B. Peregrini Latiosi Ordinis Servorum B. M. Virginis, Sanctorum fastis adscripti[5].

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a consuetudine Ecclesiae praecipuos honores decernendi eis qui meritis supra alios claruerunt.

Redemptor humani generis Christus dominus, qui fideles famulos suos caelestis beatitudinis consortes efficere consuevit, eos peculiari praemiorum retributione prosequitur, quos ingentior meritorum excellentia commendat, sicque sancta mater Ecclesia sui sponsi vestigiis insistens, licet omnes cum ipso viventes in caelo sollicitis studiis honoret, illos tamen, qui supra ceteros virtutum et miraculorum praestantiâ in terris fulserunt, praecipuis honoribus venerari disponit. Tam piis causis inducti, beatum Peregrinum a Forolivii,

1 Ut supra pag. 462 *b* solo substituto nomine *Francisci Solani* (R. T.).

2 Ut supra pag. 462 *b* (R. T.).

3 Ut supra pag. 462 *b* (R. T.).

4 Sequuntur eadem forma sigilli et eaedem subscriptiones ac supra pag. 462 *b* et seq (R. T.).

5 Vide const. praeced. et sequentes.

quatuor ab hinc saeculis in Ordine fratrum Servorum B. Mariae Virginis asperrimâ poenitentiâ et christianis moribus clarum, ac signis etiam quae omnipotens Deus per eius merita ostendit, nos hac ipsâ[1] die, in honorem B. Ioannis apostoli et evangelistae Deo sacrâ, solemni Ecclesiae Romanae caeremoniâ in sanctorum confessorum canonem referre decrevimus, ut, in magnis multisque tanti viri virtutibus, earumdem auctoris summi Dei nomen per omnes gentes celebrari audiatur.

Peregrini ortus, educatio, mores, conversio et sanctitas.

§ 1. In Forolivii, praecipuâ B. Petri civitate in Æmiliâ ex perhonestâ Latiosâ prosapiâ ortus est Peregrinus anno Christi domini MCCLXV, quem, licet christiane educatum atque a teneris annis Deiparae Virgini speciali studio addictum, tamen corrupti saeculi mores eò abduxerunt, ut, civilibus patriae discordiis et seditionibus involutus, a legitimo imperio sanctae Apostolicae Sedis unâ cum reliquis suis conterraneis deficeret; eò etiam prolapsus, ut Philippum Benitium eiusdem familiae fratrum Servorum B. Mariae Virginis, postea ob vitae sanctimoniam Dei confessoribus adnumeratum, quem recolendae memoriae antecessor noster Martinus Papa illuc miserat ut sacris concionibus Liviensem populum ad saniorem sensum revocaret, contumeliis et lapidibus caesum, atque extra civitatem eiectum, alapâ in faciem percuteret. Philippo tamen pro hostibus suis Deum exorante, Peregrinus admissi criminis dolore tactus, flevit amare, ac Philippum extra civitatem propere adiens, veniam supplex deprecatus est, inque[2] viam salutis a pio viro ductus, regulae fratrum Servorum nomen daturus, monitu Deiparae Virginis, atque angelo comite, Senas, quae est civitas Virginis, statim profectus est, ubi novum plane hominem induens, omni genere poenitentiae se totum Deo dicavit, ut praeteritum facinus undequaque expiaret. Itaque in alterum plane hominem immutatus, diuturnis ieiuniis et macerationibus corpus domans, meditationibus, vigiliis ac lacrymis, perque totos triginta annos nunquam sedens, sed parieti vel saxo incumbens quiescere solitus, omnium admirationem in se convertit. Charitati maxime studens, ad peccatorum salutem tantâ sollicitudine operam dedit ut triginta latrones, in silvis alienae vitae et bonis inhiantes, adire non formidaverit, omnesque, Deo favente, ad seriam poenitentiam attraxerit, propterea Æmiliae Apostolus vocatus.

Magna eiusdem fides et virtus gravi morbo probata.

§ 2. Quantâ in Deum fide excelluerit, inde fit palam, quod deficientem annonam in pauperes erogandam divinitus multiplicaverit. Sed manus Domini excelsam Peregrini virtutem morbo omnium truculentissimo adhuc probare voluit. Crus enim viri Dei mortifero tumore contabuit: quique per triginta annos nunquam sederat, in lectulo decumbere coactus est. Mox graveolenti gangrenâ cruciatus, ac Iobo persimilis, ab omnibus derelictus, neque ideo moestus, quum de crure amputando supremum consilium iniretur, praesenti Dei ope convaluit, ut nec vestigium ullum plagae appareret. Quare Peregrini, Deo cari, virtutum famâ ubique diffusâ, omnium ore Sancti elogio passim vocari meruit.

Meritis inclytus pie obit et miraculis illustratus.

§ 3. Tandem, post exactum in perfectissimo Dei famulatu octoginta annorum curriculum, febri correptus, in coenobio fratrum Servorum, quod in patriâ excitandum curaverat, meritorum plenus obdormivit in Domino kalendis maii anno Reparatae Salutis MCCCXLV, tantâ sanctimoniae laude inclytus, ut finitimis populis corpusculum eius veneraturis

1 Edit. Main. legit *ipse* pro *ipsâ* (R. T.).

2 Male ed. Main. leg. *in quae* pro *inque* (R.T.).

magnâ frequentiâ undique adcurrentibus, portae ipsae civitatis noctu claudi, et sacrae exuviae, suavem odorem emittentes, nisi post multos dies terrae mandari nequiverint. Nec illud silendum, caeco, ad Beati viri feretrum[1] per densam multitudinem irrepenti, visum caelitus restitutum.

Miracula per merita B. Peregrini a Deo patrata et eius cultus.

§ 4. Quapropter ad viri Dei tumulum christifidelibus ob receptas vel recipiendas eius intercessione a summo bonorum omnium largitore gratias assidue confluentibus, sub felicis recordationis praedecessore nostro Paulo Papa V de Peregrini sanctitate, miraculis et veteri cultu actum est, rem totam exponente Dei servo Roberto S. R. E. tituli B. Mariae in Viâ presbytero cardinali Bellarmino nuncupato; inque Peregrini honorem, de eius officio in ecclesiis et coenobiis totius familiae Servorum recitando, deque eius nomine in tabulas martyrologii romani referendo, rite sancitum est. Postmodum, sedente alio antecessore nostro felicis memoriae Urbano Papa VIII, eaedem Peregrini exuviae corruptionis expertes, ex veteri in novum atque aptius sacellum permagnâ totius civitatis veneratione translatae sunt, eius officio sub ritu duplici toti Ordini Servorum recitari permisso.

Inter sanctos ritu solemni refertur.

§ 5. Eximiis deinde et vere christianis Peregrini virtutibus sub aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus[2] nostris Innocentio XII et Clemente XI ad canonicas maiorum sanctiones discussis[3], miracula etiam post concessam viri Dei ab Apostolicâ Sede venerationem et cultum patrata, in examen per venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales coram nobis de more adducta fuerunt: quibus veteri disciplinae per omnia respondere

1 Sic edit. Main.; forsan *feretrum* (R. T.).
2 Vocem *praedecessoribus* addimus (R. T.).
3 Male edit. Main. legit *discussi* (R. T.).

compertis, inque tribus consistoriis et plenario conventu eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium atque etiam patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum nobiscum in Urbe praesentium rite probatis, unanimi eorumdem sententiâ per Sedis Apostolicae notarios coram nobis exceptâ, regumque ac principum christianorum, civitatis Liviensis, atque Ordinis Servorum enixis precibus pro Peregrino in sanctorum confessorum non pontificum canonem referendo Apostolicae Sedi[1] porrectis, tantae rei perficiendae solemnem diem indiximus, perque orationes, ieiunia et eleemosynas omnipotentis Dei opem ferventissime imploravimus, et implorari mandavimus. Ac tandem universis, quae ex antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum decretis agenda erant, omni religione peractis, nos hoc die festo beati Ioannis apostoli et evangelistae, unâ cum iisdem venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis ac utriusque cleri et populi frequentiâ, in sacrosanctam basilicam Principis apostolorum Deo supplicantes convenimus; ubi, semel, iterum et tertio pro beato Peregrino a Forolivii ex Ordine fratrum Servorum B. Mariae Virginis in sanctorum confessorum non pontificum canonem referendo precibus repetitis per venerabilem fratrem nostrum Laurentium S. R. E. episcopum cardinalem Tusculanum Corsinum nuncupatum, post decantatas sacras orationes et Spiritus Sancti gratiam humillime imploratam, ad honorem sanctissimae et individuae Trinitatis, fidei catholicae exaltationem, et christianae religionis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei Patris, Filii, et Spiritus Sancti, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac

1 Edit. Main. legit *Sedis* (R. T.).

nostrâ, de eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum nobiscum in plenario conventu basilicae Vaticanae praesentium consilio et unanimi consensu, beatum Peregrinum a Forolivii ex Ordine fratrum Servorum B. Mariae Virginis, de cuius sanctitate, fidei sinceritate et ceterarum virtutum ac miraculorum excellentiâ plene constabat et constat, unâ cum beatis viris perinde confessoribus non pontificibus Ioanne a Cruce Ordinis fratrum Excalceatorum B. Mariae Virginis a Monte Carmelo, et Francisco Solano Ordinis fratrum Minorum qui a regulari Observantiâ nuncupantur, sanctum esse definivimus, sanctorum confessorum non pontificum canoni adscribendum decrevimus, prout praesentium tenore definimus, decernimus et adscribimus, eumdemque per universos christifideles tamquam vere sanctum honorari mandavimus et mandamus, statuentes ut ab universâ Ecclesiâ in eius honorem aedes sacrae et altaria, in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, aedificari et consecrari, et quotannis pridie kalendas maias eius festa solemnia ut sancti confessoris non pontificis celebrari possint.

Indulgentiae eius exuvias visitantibus conceduntur.

§ 6. Insuper eâdem auctoritate omnibus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui eodem die festo in memoriam B. Peregrini ad eius exuvias visitandas accesserint, annum et quadragenam; iis vero, qui in octavâ eiusdem festi, quadraginta dies de iniunctis seu quomodolibet eis debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavimus et relaxamus.

Indulgentia plenaria in die canonizationis.

§ 7. Postremo gratiis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc novoque luminari illustrare dignatus fuisset, cantatâ in honorem sanctorum Christi confessorum Peregrini a Forolivii, Ioannis a Cruce, et Francisci Solani solemni oratione, in arâ supra confessione Principis Apostolorum sacrosanctum missae sacrificium celebravimus, cum eiusdem Peregrini et ceterorum commemoratione, omnibusque christifidelibus tunc praesentibus plenariam peccatorum indulgentiam concessimus.

Gratiarum actio.

§ 8. Decet igitur, ut pro tam peculiari insignique beneficio, etc. [1].

Transumptorum fides.

§ 9. Ceterum quia difficile foret, etc. [2].

Sanctio poenalis.

§ 10. Nulli ergo etc. [3].

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVI, VI kalendas ianuarias, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 27 decembris 1726, pontif. anno III.

 EGO BENEDICTUS
CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS [4].

CLX (*al.* 161).

Promulgatur canonizatio B. Ioannis a Cruce Ordinis Carmelitarum Excalceatorum inter sanctos relati [5].

**Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad futuram rei memoriam.**

Prooemium.

Pia mater Ecclesia praecipuis universalis honorificentiae praeconiis illos ornari decernit, qui olim sanctissimis disciplinis et moribus eam illustrantes divini nominis gloriam et Deo famulantium numerum dictis et factis augere, perque viam salutis ducere summâ curâ studuerunt. Huiusmodi virum christia-

1 Ut sup. pag. 462 *b* solo mutato nomine (R. T.).
2 Ut supra pag. 462 *b* (R. T.).
3 Ut supra pag. 462 *b* (R. T.).
4 Eadem forma sigilli et eaedem subscriptiones sequuntur ut supra pag. 462 *b* et seq. (R. T.).
5 Vide const. praecedentes et sequentes.

nis virtutibus, caelesti doctrinâ, iugi poenitentiâ, multisque signis probatum Ecclesiae catholicae dedit ea pars Hispaniae Tarraconensis, cui Castellae-veteris nomen est, nosque illum hac die, in honorem B. Ioannis apostoli et evangelistae Deo sacrâ, sanctorum confessorum non pontificum canoni solemni S. R. E. caeremoniâ adnumerare decrevimus.

B. Ioannis a Cruce ortus, pietas, et vitae institutio.

§ 1. Is est B. Ioannes a Cruce Ordinis fratrum B. Mariae Virginis a Monte Carmelo, qui Excalceati appellantur, primus professor et parens, qui anno Christi domini MDXLII ex perhonestâ Lepesiâ familiâ ortus est in oppido quod dicitur Fons Tiberii in episcopatu Abulensi. A primis annis egregiae animis dotes in eo, pie christianeque educato, plurimum emicuerunt; quamque dilectus et carus esset Deiparae Virgini, in cuius patrocinium confugerat, inde patuit, quod aquam e puteo hausturus, in illum prolapsus, Patronae manu sublatus incolumis prodiit. Adolescens eximiae pietatis ducto Metymnaecampi hospitalem domum ingressus, aegrotantium et pauperum famulatui se addixit, maximâ charitate diu noctuque languentibus assidens, nec modo spiritualia, sed ne vilissima quidem officia in iis iuvandis obire detrectans; unde factum ut ceteri in nosocomio, christiana Ioannis acta demirati, aegrotorum corporibus animisque curandis certatim eius exemplo alacrem et sollicitam operam darent. Quidquid interim tam pio ministerio supererat, praeclarus iuvenis assiduis precibus, vigiliis, lacrymis et dominicae Passioni religiosissimo animo recolendae, impendebat. Quae tandem ipsi ad fratrum Ordinis B. Mariae Virginis a Monte Carmelo institutum ineundum iucundissimam viam aperuerunt. Hoc ita amplexus est ut vota emissa purioris disciplinae studio accurate observaret, ad primitivi Ordinis normam se omnino conformans, nec nisi cum timore et tremore ac iussu maiorum, ob summam rei divinae praestantiam, ad sacratissimum presbyteratus gradum evectus.

Fit comes B. Theresiae in primaevâ disciplinâ promovendâ inter Carmelitas.

§ 2. Quum vero Dei virgo Theresia, quae postea, excelsis eius virtutibus signisque flagitantibus, per felicis memoriae antecessorem nostrum Gregorium Papam XV in sanctarum virginum canonem relata est, inter sorores iam dicti Ordinis B. Mariae Virginis a Monte Carmelo primaevi instituti regulam felici exitu restituisset, idemque pro fratribus eiusdem familiae animo volutaret, Dei ancillae magni operis comes Ioannes a Cruce, strictioris disciplinae promovendae ardore vehementer accensus, plane caelitus datus est. Quare tantae rei negocio inter sacram virginem et Dei famulum agitato, Ordo fratrum Carmelitarum communi omnium bonorum plausu, licet fremente humani generis hoste, mirifice instauratus et per universam Europam non sine ingenti Dei gloriâ diffusus est, plurimis Theresiae virginis curâ per totam Hispaniam erectis atque optime institutis coenobis, quae ipse, nullis vitae incommodis et periculis territus, singula perlustravit.

Idem multa pro Deo passus die et horâ a se praedictis obit.

§ 3. Ubi vero admirandâ innocentiâ, assiduâ rerum divinarum contemplatione, asperrimo vitae rigore summisque virtutibus inclytus suorum corda in perfecto Dei cultu undequaque firmaverat, diro morbo et in crure quinque plagis sanie manantibus patientissime toleratis, totus in Deo, quem semper in corde atque ore habuerat, fixus, sanctissimis Ecclesiae sacramentis summâ fide et religione susceptis, inter sodalium collacrymantium amplexus, Davidici psalmi versiculo, *In manus*

nostrâ, de eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum nobiscum in plenario conventu basilicae Vaticanae praesentium consilio et unanimi consensu, beatum Peregrinum a Forolivii ex Ordine fratrum Servorum B. Mariae Virginis, de cuius sanctitate, fidei sinceritate et ceterarum virtutum ac miraculorum excellentiâ plene constabat et constat, unâ cum beatis viris perinde confessoribus non pontificibus Ioanne a Cruce Ordinis fratrum Excalceatorum B. Mariae Virginis a Monte Carmelo, et Francisco Solano Ordinis fratrum Minorum qui a regulari Observantiâ nuncupantur, sanctum esse definivimus, sanctorum confessorum non pontificum canoni adscribendum decrevimus, prout praesentium tenore definimus, decernimus et adscribimus, eumdemque per universos christifideles tamquam vere sanctum honorari mandavimus et mandamus, statuentes ut ab universâ Ecclesiâ in eius honorem aedes sacrae et altaria, in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, aedificari et consecrari, et quotannis pridie kalendas maias eius festa solemnia ut sancti confessoris non pontificis celebrari possint.

Indulgentiae eius exuvias visitantibus conceduntur.

§ 6. Insuper eâdem auctoritate omnibus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui eodem die festo in memoriam B. Peregrini ad eius exuvias visitandas accesserint, annum et quadragenam; iis vero, qui in octavâ eiusdem festi, quadraginta dies de iniunctis seu quomodolibet eis debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavimus et relaxamus.

Indulgentia plenaria in die canonizationis.

§ 7. Postremo gratiis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc novoque luminari illustrare dignatus fuisset, cantatâ in honorem sanctorum Christi confessorum Peregrini a Forolivii, Ioannis a Cruce, et Francisci Solani solemni oratione, in arâ supra confessione Principis Apostolorum sacrosanctum missae sacrificium celebravimus, cum eiusdem Peregrini et ceterorum commemoratione, omnibusque christifidelibus tunc praesentibus plenariam peccatorum indulgentiam concessimus.

§ 8. Decet igitur, ut pro tam peculiari insignique beneficio, etc.[1]. — Gratiarum actio.

§ 9. Ceterum quia difficile foret, etc.[2]. — Transumptorum fides.

§ 10. Nulli ergo etc.[3]. — Sanctio poenalis.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVI, VI kalendas ianuarias, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 27 decembris 1726, pontif. anno III.

 EGO BENEDICTUS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS[4].

CLX (*al.* 161).

Promulgatur canonizatio B. Ioannis a Cruce Ordinis Carmelitarum Excalceatorum inter sanctos relati[5].

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Pia mater Ecclesia praecipuis universalis honorificentiae praeconiis illos ornari decernit, qui olim sanctissimis disciplinis et moribus eam illustrantes divini nominis gloriam et Deo famulantium numerum dictis et factis augere, perque viam salutis ducere summâ curâ studuerunt. Huiusmodi virum christia-

1 Ut sup. pag. 462 *b* solo mutato nomine (R. T.).
2 Ut supra pag. 462 *b* (R. T.).
3 Ut supra pag. 462 *b* (R. T.).
4 Eadem forma sigilli et eaedem subscriptiones sequuntur ut supra pag. 462 *b* et seq. (R. T.).
5 Vide const. praecedentes et sequentes.

nis virtutibus, caelesti doctrinâ, iugi poenitentiâ, multisque signis probatum Ecclesiae catholicae dedit ea pars Hispaniae Tarraconensis, cui Castellae-veteris nomen est, nosque illum hac die, in honorem B. Ioannis apostoli et evangelistae Deo sacrâ, sanctorum confessorum non pontificum canoni solemni S. R. E. caeremoniâ adnumerare decrevimus.

B. Ioannis a Cruce ortus, pietas, et vitae institutio.

§ 1. Is est B. Ioannes a Cruce Ordinis fratrum B. Mariae Virginis a Monte Carmelo, qui Excalceati appellantur, primus professor et parens, qui anno Christi domini MDXLII ex perhonestâ Lepesiâ familiâ ortus est in oppido quod dicitur Fons Tiberii in episcopatu Abulensi. A primis annis egregiae animis dotes in eo, pie christianeque educato, plurimum emicuerunt; quamque dilectus et carus esset Deiparae Virgini, in cuius patrocinium confugerat, inde patuit, quod aquam e puteo hausturus, in illum prolapsus, Patronae manu sublatus incolumis prodiit. Adolescens eximiae pietatis ducto Metymnaecampi hospitalem domum ingressus, aegrotantium et pauperum famulatui se addixit, maximâ charitate diu noctuque languentibus assidens, nec modo spiritualia, sed ne vilissima quidem officia in iis iuvandis obire decrectans; unde factum ut ceteri in nosocomio, christiana Ioannis acta demirati, aegrotorum corporibus animisque curandis certatim eius exemplo alacrem etsollicitam operam darent. Quidquid interim tam pio ministerio supererat, praeclarus iuvenis assiduis precibus, vigiliis, lacrymis et dominicae Passioni religiosissimo animo recolendae, impendebat. Quae tandem ipsi ad fratrum Ordinis B. Mariae Virginis a Monte Carmelo instututum ineundum iucundissimam viam aperuerunt. Hoc ita amplexus est ut vota emissa purioris disciplinae studio accurate observaret, ad primitivi Ordinis normam se omnino conformans, nec nisi cum timore et tremore ac iussu maiorum, ob summam rei divinae praestantiam, ad sacratissimum presbyteratus gradum evectus.

Fit comes B. Theresiae in primaevâ disciplinâ promovendâ inter Carmelitas.

§ 2. Quum vero Dei virgo Theresia, quae postea, excelsis eius virtutibus signisque flagitantibus, per felicis memoriae antecessorem nostrum Gregorium Papam XV in sanctarum virginum canonem relata est, inter sorores iam dicti Ordinis B. Mariae Virginis a Monte Carmelo primaevi instituti regulam felici exitu restituisset, idemque pro fratribus eiusdem familiae animo volutaret, Dei ancillae magni operis comes Ioannes a Cruce, strictioris disciplinae promovendae ardore vehementer accensus, plane caelitus datus est. Quare tantae rei negocio inter sacram virginem et Dei famulum agitato, Ordo fratrum Carmelitarum communi omnium bonorum plausu, licet fremente humani generis hoste, mirifice instauratus et per universam Europam non sine ingenti Dei gloriâ diffusus est, plurimis Theresiae virginis curâ per totam Hispaniam erectis atque optime institutis coenobis, quae ipse, nullis vitae incommodis et periculis territus, singula perlustravit.

Item multa pro Deo passus die et horâ a se praedictis obit.

§ 3. Ubi vero admirandâ innocentiâ, assiduâ rerum divinarum contemplatione, asperrimo vitae rigore summisque virtutibus inclytus suorum corda in perfecto Dei cultu undequaque firmaverat, diro morbo et in crure quinque plagis sanie manantibus patientissime toleratis, totus in Deo, quem semper in corde atque ore habuerat, fixus, sanctissimis Ecclesiae sacramentis summâ fide et religione susceptis, inter sodalium collacrymantium amplexus, Davidici psalmi versiculo, *In manus*

tuas, Domine, commendo spiritum meum, piissime pronunciato, die et horâ a se praedictis, in Ubedae coenobio, XXIX kalendas ianuarias, anno Salutis MDXCI, aetatis XLIX, vitae coenobiticae XXIX, purissimam efflavit animam vir Deo percarus, daemoni formidatus, animi lenitate, constantiâ in adversis, miraculorum ac prophetiae dono per totam Hispaniam illustris, inque mysticae theologiae arcanis scripto explicandis, aeque ac Theresia, divinitus instructus, quam, decreto S. R. E. nondum beatis adnumeratam, ipse sodali suo inter sanctas Dei virgines, eo superstite, referendam praenunciavit.

Ut sanctus agnoscitur et beatis adnumeratur.

§ 4. Ad servi Dei exuvias, quasi[1] odore perfusas, et postea corruptionis expertes, eumdem veluti placido somno sopitum referentes, populi eas osculantis multitudo copiosa turmatim confluxit, vestium et ipsius etiam corpusculi particulas, venerationis instinctu, auferre conata. Tanti viri, quem Theresia ut sanctum suspexerat sanctique elogio compluries ornaverat, virtutum et prodigiorum famâ in dies percrebescente, gesta eius maturo iudicio venerabilium fratrum S. R. E. cardinalium, sedente piae recordationis decessore nostro Alexandro Papa VII, ad canonicos ritus discussa et probata fuerunt, unde per similis memoriae Clementis Papae X apostolicas litteras inter beatos relatus est.

Solemni ritu inter sanctos refertur.

§ 5. Novis deinde miraculis, post solemnem beatificationem ob eius merita a Deo patratis, iussu Dei servi[2] Innocentii Papae XI undique conquisitis, et coram nobis ipsis per venerabiles fratres nostros in examen adductis, ac veteri disciplinae et maiorum constitutionibus respondere per omnia compertis, inque tribus consistoriis et plenario conventu eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, atque etiam patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum nosbiscum in Urbe praesentium conventu rite perpensis, unanimi eorumdem sententiâ per Sedis Apostolicae notarios coram nobis exceptâ, regumque ac principum christianorum atque ipsius Ordinis fratrum Exalceatorum B. Mariae Virginis a Monte Carmelo enixis precibus pro B. Ioanne a Cruce in sanctorum confessorum non pontificum canonem referendo Apostolicae Sedi porrectis, post tantae rei perficiendae solemnem diem indictam, perque orationes, ieiunia et eleemosynas omnipotentis Dei opem ferventissime imploratam, demum universis, quae ex antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum constitutionibus et S. R. E. disciplinâ agenda erant, omni religione peractis, hac ipsâ die in honorem B. Ioannis apostoli et evangelistae Deo sacrâ, unâ cum iisdem venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis ac utriusque cleri et populi frequentiâ in sacrosanctam basilicam principis Apostolorum Deo supplicantes convenimus; ubi, semel, iterum et tertio pro viro Dei in sanctorum confessorum non pontificum canonem referendo precibus repetitis per venerabilem fratrem nostrum Laurentium S. R. E. episcopum cardinalem Tusculanum Corsinum nuncupatum, post decantatas sacras orationes et Spiritus Sancti gratiam humillime invocatam, ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, fidei catholicae exaltationem, et christiani nominis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei Patris, Filii et Spiritus Sancti, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostrâ, de

1 Videtur legendum *suavi* pro *quasi* (R. T.).
2 An recta lectio iudicet lector scius (R. T.).

eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum nobiscum in plenario conventu basilicae Vaticanae praesentium consilio et unanimi consensu, B. Ioannem a Cruce Hispanum ex Ordine fratrum Excalceatorum B. M. Virginis a Monte Carmelo, de cuius sanctitate fidei, sinceritate et ceterarum virtutum et miraculorum excellentiâ plene constabat et constat, unâ cum beatis perinde confessoribus non pontificibus Peregrino a Forolivii Ordinis fratrum Servorum B. M. V., et Francisco Solano Ordinis fratrum Minorum qui a regulari Observantiâ nuncupantur, sanctum esse definivimus, sanctorum confessorum non pontificum canoni adscribendum decrevimus, prout praesentium tenore definimus, decernimus et adscribimus, eumdemque per universos christifideles tamquam vere sanctum honorari mandavimus et mandamus, statuentes ut ab universâ Ecclesiâ in eius honorem aedes sacrae et altaria, in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, aedificari et consecrari, et quotannis XIX kalendas ianuarias, quo die ad caelestem patriam evolavit, eius natalis ut sancti confessoris non pontificis festa solemnia celebrari possint.

Indulgentiae eius exuvias visitantibus concessae.

§ 6. Insuper eâdem auctoritate omnibus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui eiusdem diei natalis festo in memoriam B. Ioannis a Cruce quotannis ad sacras eius exuvias venerandas accesserint, annum et quadragenam; iis vero, qui in octavâ eiusdem festi quadraginta dies de iniunctis seu quomodolibet eis debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavimus et relaxamus.

Indulgentia plenaria in die canonizationis.

§ 7. Postremo gratiis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc novoque luminari illustrare voluisset, cantatâ in honorem S. Ioannis a Cruce, Peregrini a Forolivii, et Francisci Solani oratione solemni, in arâ maximâ supra confessionem Principis Apostolorum sacrosanctum missae sacrificium celebravimus cum eiusdem confessoris non pontificis et ceterorum commemoratione, omnibusque christifidelibus tunc praesentibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessimus.

Gratiarum actio.

§ 8. Decet igitur, ut pro tam peculiari magnoque beneficio, etc. [1].

Fides transumptorum.

§ 9. Ceterum, quia difficile foret praesentes nostras litteras, etc. [2].

Sanctio poenalis.

§ 10. Nulli ergo omnino etc. [3].

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVI, VI kalendas ianuarias, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 27 decembris 1726, pontif. anno III.

 EGO BENEDICTUS
CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS. [4]

CLXI (*al.* 160).

Promulgatur canonizatio B. Aloysii Gonzagae Societatis Iesu, sanctorum confessorum canoni adnumerati [5].

**Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium a consuetudine summi Pontificis servorum Dei sanctitatem toti Ecclesiae manifestandi

Christianae virtutes et summa vitae innocentia strenuos Dei milites, post triumphum de hoc mundo perquam dignos efficiunt, qui inter caelestis Hie-

1 Ut supra pag. 462 *b* solo mutato *Ioannis a Cruce* nomine (R. T.).
2 Ut supra pag. 462 *b* (R. T.).
3 Ut supra pag. 462 *b* (R. T.).
4 Eadem forma sigilli et eaedem subscriptiones sequuntur ut supra pag. 462 *b* (R. T.).
5 Vide const. praecedentes et sequentem.

rusalem emeritos cives connumerentur. Atque hinc nobis universalis Ecclesiae regimini praepositis maxime convenit apostolicâ voce eorumdem sanctitatem manifestare, ut omnes, tanto patrocinio in caelis muniti, optimisque piae illorum conversationis exemplis instructi, per viam salutis incedere valeant, unde et ipsi tandem, huius vitae cursu feliciter consummato, eorum consortio adiungi mereantur, quorum se regulis conformare studuerunt. Itaque nos, hac die in honorem antecessoris nostri Silvestri confessoris atque pontificis Deo sacrâ, cum ingenti exultatione et celebritate in basilicam Principis Apostolorum convenientes, angelicum iuvenem inque regulari militiâ probatissimum clericum Aloysium Gonzagam sanctorum canoni adscripsimus, ut christifideles in eius meritis solemni praeconio ad Dei gloriam recolendis propitium in caelo deprecatorem obtineant.

Beati Aloysii Gonzagae ortus, pia educatio virtusque admiranda.

§ 1. Castellione, Galliae Cisalpinae ad fines Mantuani ducatus nobili oppido, quod discriminis causâ *Stiverorum* appellatur, marchionatus olim dein principatus titulo insigni, ex primariâ Gonzagâ familiâ VII idus martias anno Christi domini MDLXVIII natus est Aloysius, antea baptizatus quam totus in lucem editus. Ab ipsis infantiae et eo magis pueritiae primordiis magna in illo et multa futurae sanctitatis argumenta apparuerunt, quae B. Carolus Borromaeus S. R. E. cardinalis et archiepiscopus Mediolanensis coram miratus, illum adhuc duodennem in rebus divinis adeo instructum reperit, ut dignum putaverit quem sanctissimo Eucharistiae sacramento suis manibus ipse primus reficeret. Tum vero in patriis aedibus et Florentiae, ubi Aloysius novennis Deiparae virginitatem suam vovit, quam semper unâ cum innocentiâ baptismali illibatam servavit, tum maxime in aulâ regiâ Hispaniarum, quo tredecennis cum parentibus in comitatu Mariae Augustae petierat, caelestes eius animi dotes patuerunt. Ibi enim rara eius pietas in dies prodiens, omnium oculos et admirationem in se convertit, nullis mundi illecebris innocentissimum puerum aliò trahentibus: cuius etiam tactus pudoris[1] fuit, ut matronas consanguineas quoque ac matrem ipsam adspicere et seorsum alloqui refugeret. Quin, ut Dei famulatum tutius amplecteretur, vix annum decimum quintum egressus, in Societatem Iesu migrare constituit: quam cogitationem nullae regum et principum blanditiae, nullae a parentibus toto triennali spacio adhibitae machinae ex eius animo evellere potuerunt.

Societati Iesu nomen daturus magnâ animi fortitudine suis valedicit et Romam petit ubi christianis virtutibus omnium oculos in se convertit.

§ 2. Quare, mirantibus et lugentibus consanguineis, Romam iturus, siccis oculis avito se principatu abdicavit, inque almâ Æde Lauretanâ votum, quo eum pia mater incolumen paritura Deo se obstrinxerat, incredibili religione persolvit. Romae vero in primariis septem ecclesiis Deum propitium sibi precatus, mox in domum probandis spiritibus Societati Iesu nomen daturis destinatam maximo gaudio convolavit, ubi eximiis eius virtutibus patefactis, votisque postea regularibus de more ab eo nuncupatis, in clericum adscitus, primisque ordinibus initiatus est: quantâ verecundiâ se spectandum, quantâque humilitate, paupertatis studio suique contemptu viliora officia ultro subire gestiens, se toti Urbi admirandum ostenderit, oculati et probatissimi testes litterarum monumentis consignaverunt. Sed eius charitas praecipuo sermone celebranda est, quippe quae maxima fuit, et praesertim enituit dum ex annonae inopiâ saevo in Urbe contagio

1 Forsan legendum *tantus pudor* (R. T.).

ingruente, quod multa millia hominum sustulit, ipse, quamvis corpusculi macerationibus pene confectus pedibus vix consisteret, a maioribus impetravit ut in publicis valetudinariis lethaliter aegrotantes inviseret, stipem vicatim per Urbem esurientibus erogaret, inque communi vastitate languidos ipsos in hospitales domos suis humeris latos exueret, sordibus mundaret, ac cibo etiam verbi Dei pasceret: quae omnia tanto studio peregit ut et ipse pestilenti halitu afflatus aliquandiu novo hoc experimento probandus contabesceret.

Pie obit et pro sancto agnoscitur.

§ 3. Tandem suae migrationis tempus appropinquare animadvertens, Ecclesiae sacramentis ad magnum iter munitus, dulcissimoque Iesu nomine, quod semper in corde atque ore habuerat, repetito, nocte quam praedixerat ante diem XI kalendas iulias anni MDXCI, plurimis admirandae et consummatae virtutis speciminibus editis, placidissimâ in pace quievit, anno aetatis suae XXIII, religionis VI, clericatus IV. Ad eius exuvias venerandas tanta populi Romani turba confluxit ut aedis portas claudi oportuerit, ne sacrum pignus devotionis causâ in frusta discerperetur. Et quamvis loculum sepulchralem, ei servando adsignatum, nullus foris titulus distingueret, fidelium tamen pietas accensis facibus, votivisque tabellis ac donariis subinde allatis, eum probe distinxit. Aloysii sanctitatem diserto etiam praeconio vulgavit in mentis excessu Dei ancilla, postmodum sanctis virginibus adnumerata, Maria Magdalena de Pazzis.

Eius virtutes et miracula comprobata deque eo horas canonicas et missam vel beari posse a Paulo V concessum.

§ 4. Quin crebra et maxima signa per servi sui intercercessionem a Deo patrata eiusdem sanctitatis famam per universam Italiam eò usque vulgarunt, ut synodus Mantuana recolendae memoriae antecessori nostro Paulo Papae V enixas preces obtulerit pro Aloysio in beatorum numerum referendo. Eodemque relato, quum multi christiani principes a Sede Apostolicâ flagitarent ut inter sanctos quoque numeraretur, res tanta venerabilium fratrum S. R. E. cardinalium sacris ritibus examinandis praepositorum iudicio perpendenda commissa est. Hi vero B. Aloysii virtutes et miracula, de quibus plene constabat, ad sacros Ecclesiae canones et disciplinam suffragiis suis omnino comprobaverunt, itaut Dei servum inter sanctos referri, deque eo tamquam de beato confessore officium recitari posse iudicarent. Tres deinde antiquiores sacri palatii apostolici causarum iudices hac de re suam relationem, quinquennali discussione compositam, ediderunt; in praevio examine et approbatione virtutum ac miraculorum causam in eo statu esse dixerunt, ut tuto, et quandocumque id luberet, beatus Dei servus inter sanctos confessores, referri posset. Postmodum cardinales simul iterum congregati, inhaerendo his quae antea censuerant et praesertim relationi eorumdem trium sacri palatii iudicum, pridem a se acta et iudicata, uno ore et nemine discrepante, confirmaverunt. Quare Paulus Papa V, his auditis, auctoritate apostolicâ, non solum Romae, sed in quibuscumque locis Italicis Mantuani ducis et principum ex Gonzagâ gente imperio subiectis inque ecclesiis Societatis Iesu sacrosanctum missae sacrificium atque Horas canonicas in B. Aloysii honorem celebrari et recitari posse decrevit: quod indultum, apostolicis litteris traditum, per alios postea Romanos Pontifices antecessores nostros ad universam Societatem Iesu et complura alia loca, de eorumdem venerabilium fratrum consilio suffragioque, extensum est.

Sanctorum confessorum canoni adnumeratur ab hoc eodem Pontifice.

§ 5. Hinc Aloysii ubique celeberrimi virtutes et signa omnibus ferme christianis principibus apud Apostolicam Sedem aeque laudantibus, proque eius inter sanctos Domini confessores adscriptione sub proximis antecessoribus nostris Romanis Pontificibus Clemente XI et Innocentio XIII, ac etiam nobis ipsis dum in minoribus essemus, enixe deprecantibus, tandem singulis, quae ad novissima antecessorum nostrorum decreta impleri debebant, accurate et sedulo impletis, inque conventu venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium unâ congregatorum repetitâ omnium eorum, quae acta iam fuerant, absolutâ notione, plenâque ex omni parte et iuridicâ expositione, tum quoad miracula olim plene discussa atque approbata, nos eumdem Aloysium, cuius nomen inclytae memoriae antecessor Clemens Papa X in tabulis martyrologii romani describendum curaverat, sanctorum confessorum fastis adnumerare decrevimus. Itaque in tribus consistoriis et plenario conventu eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium atque etiam patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum nobiscum Romae praesentium universis ad eum pertinentibus pro more discussis, unanimi patrum sententiâ per Apostolicae Sedis notarios coram nobis exceptâ, regumque ac principum christianorum et Societatis Iesu pro beato Aloysio, quem scholis eiusdem Societatis patronum apostolicis litteris nostris pridem adsignavimus, in sanctorum confessorum canonem referendo multis precibus eidem sanctae Apostolicae Sedi nobisque porrectis, post tantae rei perficiendae solemnem diem indictam, perque orationes, ieiunia et eleemosynas omnipotentis Dei opem ferventissime imploratam, demum, omnibus quae ad antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum constitutiones et S. R. E. disciplinam agenda erant, summâ religione peractis, hac ipsâ die in honorem antecessoris nostri Silvestri confessoris atque pontificis Deo sacrâ, cum iamdictis venerabilibus fratribus nostris S.R.E. cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis ac utriusque cleri et populi frequentiâ in sacrosanctam basilicam Principis Apostolorum Deo supplicantes convenimus; ubi, semel, iterum et tertio pro Dei servo Aloysio Gonzagâ clerico Societatis Iesu sanctorum confessorum canoni adscribendo iteratis precibus per dilectum filium nostrum Alvarum S. R. E. tituli S. Bartholomaei in Insulâ presbyterum cardinalem Cienfuegos nuncupatum, post cantatas sacras orationes et Spiritus Sancti gratiam humillime invocatam, ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, fidei catholicae exaltationem, et christianae religionis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei Patris, Filii et Spiritus Sancti, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostrâ, de eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum nobiscum in plenario conventu basilicae Vaticanae praesentium consilio et unanimi consensu, beatum Aloysium Gonzagam Societatis Iesu, de cuius sanctitate, fidei sinceritate et ceterarum virtutum ac miraculorum excellentiâ plene constabat et constat, unâ cum beato adolescente Stanislao Kostka eiusdem Societatis Iesu novitio, sanctorum confessorum non pontificum canoni adscribendum decrevimus et definivimus, prout praesentium tenore decernimus, definimus et adscribimus, eumdemque per omnes christifideles tamquam vere sanctum honorari mandavimus et mandamus, statuentes ut in

Ecclesiâ universali in eius honorem aedes sacrae et altaria, in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, construi, et quotannis XI kalendas iulias, quo die migravit ad Dominum, solemnia eius natalitia ut sancti confessoris non pontificis celebrari possint.

Sacras eius exuvias visitantibus peculiares indulgentias concessit.

§ 6. Insuper eâdem auctoritate, omnibus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui eodem solemni die natalitio in memoriam B. Aloysii Gonzagae quotannis ad sacras eius exuvias, quae in aede ad honorem B. Ignatii confessoris Deo sacrâ adservantur, venerandas accesserint, annum et quadragenam; iis vero, qui in octavâ eiusdem festi, quadraginta dies de iniunctis seu quomodolibet eis debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavimus et relaxamus.

Indulgentia plenaria in die eius canonizationis.

§ 7. Postremo gratiis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc novoque luminari illustrare voluisset, cantatâ in honorem Ss. Aloysii Gonzagae et Stanislai Kostkae solemni oratione, in arâ maximâ supra confessionem Principis Apostolorum sacrosanctum missae sacrificium celebravimus, cum eiusdem et alterius confessoris commemoratione, omnibusque christifidelibus tunc praesentibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessimus.

Gratiarum actio.

§ 8. Decet igitur, ut pro tam peculiari, magnoque beneficio etc [1].

Fides transumptorum.

§ 9. Ceterum quia difficile foret, praesentes nostras litteras etc [2].

Sanctio poenalis.

§ 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam etc [3].

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVI, pridie kalendas ianuarias [1], pontificatus nostri anno III.

Dat. die 31 decembris 1726, pontif. anno III.

✠ EGO BENEDICTUS
CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS [2].

1 Ut supra pag. 4?2 *b* solo nomine *Aloysii Gonzagae* subrogato (R. T.).

2 Reliqua omittimus, quia eadem omnino sunt verba ut supra pag. 462 *b* (R. T.).

3 Ut supra pag. 462 *b* (R. T.).

1 Male ed. Main. legit *quarto idus decembris*, et male etiam ad marg. legit 27 *decembris* (R. T.).

2 Eadem forma sigilli et subscriptiones sequuntur ut supra pag. 462 *b* (R. T.).

CLXII.

Promulgatur canonizatio B. Stanislai Kostkae Societatis Iesu inter Sanctos connumerati [3].

**Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium ex eo quod Dei cultus in sanctis eius amplificetur.

Dum Christi voce compertum est, a nemine lucernam accendi et poni eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt: nos, Dei cultus in sanctis eius amplificandi summe solliciti, hinc monemur, pium et iustum esse, ut quos Deus stolâ gloriae indutos ob merita sanctitatis coronat in caelis, eosdem nos quoque publicae venerationis praeconio in terris laudantes, ipsum Deum in iis glorificemus, cuius magnitudinem in gestis sanctorum coruscare certissimum est. Hos inter fulsit beatae memoriae adolescens Stanislaus Kostka, christianis virtutibus magnisque miraculis clarus, quae, ad S. R. E. canonicas regulas maturo consilio comprobata, nos induxerunt, ut hac die, in honorem antecessoris nostri Silvestri confessoris atque pontificis Deo sacrâ, eum sanctorum confessorum fastis adscriberemus.

Beati Stanislai ortus, institutio et magna-um virtutum praestantia.

§ 1. Stanislaus in avito oppido Masoviae ducatus regni Polonici medio saeculo Christi domini decimosexto ex

3 Vide constitutionem praecedentem.

senatoriâ familiâ natus, Viennam Augustam in seminario Societatis Iesu liberalibus disciplinis imbuendus profectus est. Prae multis virtutibus, quibus excelluit, illibatum morum candorem tam sancte servavit, ut si quem minus honeste loquentem audiret, veluti exanimis statim concideret. Ob rerum et temporum vices soluto seminario Viennensi, Stanislaus, post annum inde egressus, in tenerâ aetate magnae virtutis, christiano more exercendae, occasionem offendit. Hospes enim in cuius aedes cum fratre migrare coactus est, lutheranâ haeresi infectus, nimiusque fratris rigor, innocentissimi adolescentis animum non modicâ perturbatione impleverunt. Sed invicta Stanislai virtus nunquam succubuit, unam dumtaxat aerumnarum omnium durissimam ratus, quod, in domo a rectâ fide alienâ graviter decumbens, sanctissimo Eucharistiae sacramento refici non posset. Divino tamen prodigio per caelestes iuvenes, praesente beatâ Barbarâ virgine et martyre, cuius patrocinio in re tantâ se commendaverat, pane angelico recreari meruit; unde animae et corporis viribus mirifice confirmatus, de quibuscumque vexationibus strenue triumphavit, quem aliâs rerum caelestium assidua contemplatio, summe innocens corpus in servitutem redactum, incredibilis mansuetudo, inque fratris asperitate triennali spacio tolerandâ christianum animi robur supra aetatem plane admirandum reddiderunt. Mox deiparae Virginis monitu, quae divinum infantulum ei amplectendum porrexit, iam dictae Societati Iesu, ingenti plausu tunc recens natae, nomen dare constituit; utque citius votis compos fieret, sub habitu peregrini, licet ab omni re tam longo itineri necessariâ imparatus, Romam properare contendit, a fratre, citatis equis eum quaeritante, divinae gratiae praesidio nequaquam agnitus, et rursus a choro angelorum caelesti pabulo in viâ recreatus.

Societatis Iesu tirocinium Dei amore inflammatus init et pie obit.

§ 2. Aliquandiu in famulatu seminarii Diligensis in dioecesi Augustanâ, tamquam religiosae vocationis experimento, commoratus, Romam tandem per viarum ambages et vitae discrimina ingressus, inque tirocinium Societatis Iesu a beato confessore Francisco Borgia, tunc praeposito generali, admissus est; ubi nullis suorum minis perterritus, in omnium christianarum virtutum agone se veteranum Dei militem spectandum exhibuit, a perspicuae pietatis viris, interque hos a beato confessore et pontifice Francisco Salesio singulari praeconio cumulatus. Deiparam Virginem ut dulcem patronam suam maximo semper cultu observavit, tantoque divini amoris aestu ardere visus est, ut brumali tempore pectus linteis frigidâ aquâ conspersis madefaceret. Morbo demum levi correptus, vehementique Dei amore inflammatus, in eius sinum translatus est anno Reparatae Salutis MDLXVIII[1], die festo, ut praedixerat, deiparae Virginis in caelum Assumptae, XVIII kalendas septembres, anno aetatis XVIII, regularis tirocinio mense decimo.

Stanislai miraculis clari exuviae incorruptae, proque eo sanctorum canoni adscribendo christianorum principum supplicationes.

§ 3. Mirae innocentiae adolescentis exuviae biennio ab eius depositione incorruptae suavique odore perfusae repertae sunt. Postmodum triumphalem in caelesti Hierusalem servi sui gloriam, quem piae memoriae antecessor noster Paulus Papa V beatorum numero adscripserat, Deus miraculo comprobavit, dum Sigismundo rege Poloniae in Turcas, christianorum cervicibus imminentes, bella Domini praeliante, sublimis in aëre visus est Stanislaus in splendido curro cum deiparâ Virgine et filio Iesu; unde Polonorum animi in dubiâ certaminis

1 Male edit. Main. legit *1618* (R. T.).

aleâ viribus aucti, immanissimos hostes fuderunt, quo tempore beati adolescentis caput, a felicis memoriae praedecessore nostro Gregorio PP. XV in Poloniam missum, adventu suo victores populos novo gaudio cumulavit. His atque aliis, omnium christifidelium veneratione dignissimis, per Stanislai preces apud Deum editis signis, sanctitatis eius famâ ubique diffusâ, apud Apostolicam Sedem exorantibus Poloniae regibus Sigismundo Vladislao et Ioanne Casimiro, de eo sanctorum canoni adscribendo actum est, praecipue sub Romanis Pontificibus antecessoribus nostris Paulo V, Innocentio X et Clemente X, quorum postremus sacrum officium a Societate Iesu, itemque a clero saeculari totius Poloniae magnique ducatus Lituaniae certâ die de eo recitari auctoritate apostolicâ indulsit: quod, propriâ subinde oratione additâ, confirmavit alius venerandae memoriae antecessor Innocentius XI.

Polonis et Lituanis patronus datur, deque eo in sanctorum confessorum canonem referendo decretum vulgatur.

§ 4. Denique Stanislai virtutibus per Clementem X qui eum Polonis et Lituanis primarium apud Deum patronum adsignavit, undequaque adprobatis, piae quoque recordationis Clemens XI eiusdem miracula, coram se per venerabiles fratres S. R. E. cardinales in examen adducta, pontificiâ auctoritate adprobavit, decreto edito de beato Dei servo in sanctorum confessorum [1] canonem referendo. Clemente [2] vero, priusquam solemni ritu rem tantam absolveret, viam universae carnis ingresso, nos, qui, meritis licet imparibus, eidem in cathedrâ B. Petri successimus, in tribus consistoriis et plenario conventu eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, atque etiam patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum nobiscum Romae praesentium, gestis B. Stanislai rite perpensis, unanimi omnium sententiâ per Sedis Apostolicae notarios coram nobis exceptâ, regumque ac principum christianorum et Societatis Iesu pro illo in sanctorum canonem referendo precibus Apostolicae Sedi et nobis exinde porrectis, rei perficiendae solemnem de more diem indiximus.

Beatus Stanislaus solemni ritu inter sanctos connumeratur.

§ 5. Mox per orationes, ieiunia et eleemosynas omnipotentis Dei ope ferventissime imploratâ, ac universis, quae ex S. R. E. disciplinâ receptisque constitutionibus agenda erant, omni religione peractis, hac ipsâ die in honorem antecessoris nostri Silvestri confessoris atque pontificis Deo sacrâ, unâ cum iamdictis venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis ac utriusque cleri et populi frequentiâ in sacrosanctam basilicam Principis apostolorum Deo supplicantes convenimus; ubi, semel, iterum et tertio pro Dei servo Stanislao sanctorum confessorum canoni adnumerando per dilectum filium nostrum Alvarum S. R. E. tituli S. Bartholomaei in Insulâ presbyterum cardinalem Cienfuegos nuncupatum precibus repetitis, post decantatas sacras orationes et Spiritus Sancti gratiam humillime invocatam, ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, fidei catholicae exaltationem, et christiani nominis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei Patris, Filii et Spiritus Sancti, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostrâ, de eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum nobiscum in plenario conventu basilicae Vaticanae praesentium consilio et unanimi consensu, B. Stanislaum Kostkam Polonum, Societatis Iesu novitium, de cuius sanctitate, fidei et ceterarum virtutum et miraculorum excellentiâ plene constabat

1 Edit. Main. legit *confessorem* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *Clementem* (R. T.).

et constat, unà cum B. Aloysio Gonzaga eiusdem Societatis Iesu clerico, sanctorum confessorum non pontificum canoni adscribendum decrevimus et definivimus, prout praesentium tenore adscribimus, decernimus et definimus, eumdemque per omnes christifideles tamquam vere sanctum honorari mandavimus et mandamus, statuentes ut ab universà Ecclesià in eius honorem aedes sacrae et altaria, in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, aedificari, et quotannis idibus novembris eius solemnia ut sancti confessoris non pontificis celebrari possint.

Sacras eius exuvias visitantibus peculiares indulgentiae conceduntur.

§ 6. Insuper eàdem auctoritate omnibus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui eodem solemni die in honorem B. Stanislai quotannis ad eius exuvias, quae in aede ad honorem B. Andreae apostoli Deo sacrà in Quirinali adservantur, venerandas accesserint, annum et quadragenam; iis vero, qui in octavà eiusdem diei festi, quadraginta dies de iniunctis seu quomodolibet eis debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavimus et relaxamus.

Exponitur quidquid gestum in eius canonizatione.

§ 7. Postremo gratiis Deo actis quod Ecclesiam suam insigni hoc novoque luminari illustrare voluisset, cantatà in honorem Ss. Stanislai Kostkae et Aloysii Gonzagae solemni oratione, in arà maximà supra confessionem Principis Apostolorum sacrosanctum missae sacrificium celebravimus, cum eiusdem et alterius confessoris commemoratione, omnibusque christifidelibus tunc praesentibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessimus.

Gratiarum actio.

§ 8. Decet igitur, ut pro tam peculiari magnoque beneficio, etc.[1].

Fides transumptorum.

§ 9. Ceterum, quia difficile foret, praesentes nostras literas, etc.[2].

1 Ut supra pag. 462 *b* solo substituto nomine *Stanislai Kostkae* (R. T.).

2 Ut supra pag. 462 *b* (R. T.).

Sanctio poenalis.

§ 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, etc.[1].

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVI, pridie kalendas ianuarias, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 31 decembris 1726, pontif. anno III.

 EGO BENEDICTUS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS[2].

CLXIII.

Confirmatur decretum capituli generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini, constituens certum numerum triginta magistrorum in provincià Baeticà eiusdem Ordinis[3].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio facti.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus de Espinossa, prior provincialis provinciae Baeticae Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini, quod, lectis in novissimo capitulo generali eiusdem Ordinis, die I mensis novembris proxime praeteriti in civitate nostrà Perusinà celebrato, quibusdam nostris in simili formà Brevis litteris ad ipsum capitulum generale directis, quibus inter alia mandaveramus ut certus in dictà provincià triginta nimirum magistrorum numerus, qui praeteriri nequiret, in posterum constitueretur, omnes Ordinis praefati fratres in definitorio generali congregati, eo quo par erat obsequio, mandatis nostris huius-

1 Ut supra pag. 462 *b* (R. T.).

2 Sequuntur eaedem subscriptiones et eadem forma sigilli ut supra pag. 462 *b* et seq. (R. T.).

3 Hac de re vide Innocentii XII const. edit. MDCXCII, die 11 februarii, pontif. II, et aliam huius Pontificis edit. MDCCXXVII, die 3 octobris, pontif. IV.

modi unanimiter consenserunt, prout plenius continetur in decreto, ab eodem capitulo generali desuper edito, tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum capituli generalis.

Ego infrascriptus, quibuslibet, ad quos attinet, fidem facio et testimonio veritatis attestor, quemadmodum in litteris apostolicis sanctissimi domini nostri Papae Benedicti XIII in formâ Brevis, quod incipit *Etsi praeclari Ordinis vestri*, ad generale Ordinis nostri capitulum datis, inibique perlectis, inter alia multa beatissimi Patris documenta, duos hosce paragraphos contineri, quorum alter quartus est numero, et alter quintus: horum primus est: *In eam vero curam magnopere vos decet incumbere ne Ordinis provinciae magistrorum multitudine supra idoneum certumque numerum redundante graventur; et quoniam provincias Aragonensem et Baeticam hoc prae ceteris incommodo laborare inaudivimus, mandamus ut in Aragonensi quidem magistri in posterum constituantur triginta sex, in Baeticâ vero triginta, nec novis magistris creandis locus esse intelligatur, nisi, postquam vacantibus subinde magisteriis iam collatis, viginti novem in Baeticâ et triginta quinque in Aragonensi superstites magistri remanserint. Certum autem quem definitum volumus numerum nemini, quacumque sibi concessâ facultate, liceat praeterire et excedere, quavis consuetudine, quae in contrarium inoleverit, penitus sublatâ. In quorum fidem has parvo Ordinis sigillo munitas dedi Perusiae* v *novembris* MDCCXXVI. — Magister frater ANGELUS GUILLELMUS Artesiani Rocchensis Ordinis secretarius. — Similiter fidem facio praedictis, iis omnibus sanctissimi domini nostri Papae lectis et auditis documentis, patres omnes, in definitorio generali congregatos [1], summâ et unanimi veneratione in omnibus consensisse. *Idem qui supra Ordinis secretarius.*

Preces provincialis provinciae Baeticae.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Franciscus praemissa, quatenus ad dictam provinciam Baeticam attinent, pro firmiori eorum subsistentiâ et exactiori observantiâ, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, necnon dubia, quae super eorum intelligentiâ et executione suboriri possent, declarari ac tempestive dirimi summopere desideret: nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio relati decreti.

§ 3. Nos igitur, ipsius Francisci votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum praeinsertum, quoad dictam provinciam Baeticam, ac omnia et singula in eâ contenta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Ordinationes nonnullae.

§ 4. Porro supradictum triginta magistrorum numerum ita in eâdem provinciâ Baeticâ praefinitum et fixum esse volumus, ut magisteria supranumeraria in posterum non concedantur, nec aliàs numerus praefatus quomodolibet augeatur, ac in eodem numero triginta magistrorum numerus duodenarius magistrorum, quae dicta provincia antea habebat, inclusus et comprehensus sit et esse censeatur. Cumque eiusmodi numerus duodenarius magistrorum per quasdam felicis recordationis Innocentii Papae XII praedecessoris nostri in pari formâ Brevis die XI februarii MDCXCII

1 Edit. Main. legit *congregati* (R. T.).

expeditas litteras distributus reperiatur inter tres partialitates, ut vocant, in quas illa provincia dividitur, assignatâ unicuique parte ipsorum magisteriorum suae amplitudini respondente, nempe partialitati provinciae[1], quae ceteris multo maior existit, octo, partialitati Extremadurae duo, et totidem magisteriorum partialitati Hispalensi respective nuncupatis, utpote longe minoribus, quo in magisteriis ex duodecim ad triginta sicut praemittitur auctis aequa ratio distributionis pariter servetur[2], ac pax et tranquillitas in eâdem provinciâ stabiliatur, praecipimus quod ex numero sic aucto duodecim partialitati provinciae, ac tria Extramadurae, ac totidem magisteria Hispalensi partialitatibus praedictis assignentur, sicque ex[3] omnibus magisteriis provinciae partialitas viginti ac quaelibet e reliquis duabus Extremadurae et Hispalensis partialitatibus quinque magisteria obtineat: quodque, ubi tempus advenerit quo numero triginta magistrorum locus esse debeat, in eorum collatione omnes et singulae conditiones ac solemnitates, quae in collatione magisteriorum antiqui numeri duodenarii iuxta decreta provinciae praefatae ab eodem Innocentio praedecessore per memoratas suas litteras confirmatae servantur, pariter observentur et adimpleantur. Prohibitionem autem de non creandis novis magistris, nisi postquam, vacantibus subinde magisteriis iam collatis, viginti novem in provinciâ praedictâ superstites remanserint, a nobis factam, ut praefertur, sine praeiudicio antiqui numeri duodenarii nunc in trigesimo inclusi intelligendam fore declaramus, adeo scilicet, ut, quamvis numerus duodenarius in trigesimo includatur, nullusque novus magister de numero trigesimo creari possit donec alii magistri ad viginti novem redigantur, nihilominus toto eo tempore, quo praefato numero trigesimo locus factus non fuerit, creationes magistrorum dicti numeri duodenarii, prout antea, fiant quoties magisteria de hoc numero vacare contigerit; idque ne accidat (quemadmodum facile evenire posset si promotiones ad duodecim magisteria huiusmodi interea suspensae forent) quod magistri, qui diem suum obierint, sint unius vel alterius ex dictis partialitatibus, et sic aliqua ex eis magistris referta, reliquae eis destitutae remaneant, quibus officia dictae provinciae demandentur, quae secundum alternativam in eâdem provinciâ vigentem ad unamquamque partialitatem spectent, et ex ipsius provinciae consuetudine atque congruentiâ magistris semper conferuntur; quod si contingeret, magnum dictae provinciae incommodum non sine turbâ ac publicae quietis perturbatione adferre posset.

§ 5. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, etc.[1]. Clausulae.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, etc.[2]. Contrariorum derogatio.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die II ianuarii MDCCXXVII, pontificatus nostri anno III.

Dat die 2 ianuarii 1727, pontif. anno III.

CLXIV.

Confirmatur decretum definitorii generalis Ordinis S. Ioannis Dei assignans

1 Nempe *Baeticae* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *serventur* (R. T.).
3 Particula *ex* nos addimus (R. T.).

1 Reliqua ut supra pag. 471 *a* (R. T.).
2 Reliqua de more ut supra pag. 471 *a* (R.T.).

Conventum S. Catharinae Neapolitanae pro residentiâ provincialis [1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Expositio facti. § 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ioachinus Maggi, procurator generalis Ordinis fratrum S. Ioannis Dei, quod, ad sedandas controversias inter dilectos filios priorem provincialem provinciae Neapolitanae ac priorem conventus S. Mariae de Pace civitatis Neapolitanae eiusdem Ordinis aliàs enatas ex eo quod dictus conventus, qui iurisdictioni ordinariae prioris generalis ipsius Ordinis pro tempore existentis subiectus reperitur, residentiae praedicti prioris provincialis destinatus fuerat, necnon ad maiora animorum dissidia, quae exinde inter eos temporis progressu exoriri possent, antevertenda, definitorium generale dicti Ordinis, die VI mensis decembris legitime congregatum, ipsi moderno ac pro tempore pariter existenti priori provinciali provinciae praefatae conventum et hospitale S. Catharinae in colle Neapolitano situm eiusdem Ordinis pro suâ residentiâ et habitatione ordinariâ assignavit ac deputavit, iniuncto onere supradicto conventui S. Mariae de Pace, attentâ conventus praefati et hospitalis S. Catharinae paupertate, ipsi priori provinciali alimenta praestandi eodem modo, quo moderno priori provinciali antehac subministravit, et adhuc de praesenti subministrat, ac portus litterarum, prout antea, persolvendi; et aliàs, quemadmodum plenius continetur in decreto a definitorio generali huiusmodi desuper vulgari idiomate emanato tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum de quo in rubrica. *Addì 6 decembre 1724, Roma.* Congregati nella camera della solita residenza del reverendissimo padre generale, il medesimo reverendissimo padre Bernardo Banfi priore generale, il molto reverendo padre Gioachino Maggi, primo consultore e procuratore generale, il molto reverendo padre Domenico Maria Gambacorta, secondo consultore e priore di Roma, et io infrascritto, terzo consultore e segretario generale, ed invocata da me[1] la gratia dello Spirito Santo, il padre reverendissimo propose, che, avendo considerate le passate controversie insorte fra il provinciale della provincia di Napoli e il priore di S. Maria della Pace, e prevedendone anco delle maggiori, a causa che talvolta nascono tra loro motivi di giurisdizione li quali sogliono poi seco portare conseguenze nocive alla pace e buon governo di quel convento e della provincia tutta, conoscendo evidentemente esser stati cagionati simili accidenti dalla residenza assegnata al provinciale di Napoli in quel convento immediatamente soggetto alla giurisdizione ordinaria del padre generale *pro tempore*, presentaneo e provido rimedio sarebbe scegliere un altro convento per la residenza del padre provinciale, dove non solo avesse egli la residenza, ma anco la piena giurisdizione in tutto, come negli altri conventi della provincia; e che chiestone il parere de' padri consiglieri, questi unanimi risolsero, che dovesse scegliersi un convento conforme alla proposizione del reverendissimo padre generale. Laonde di comun voto fu assegnato il convento ed ospedale di S. Catarina sopra la Montagnola di Napoli per residenza ordinaria del provinciale *pro tempore* della provincia di S. Giovanni Battista di Napoli, e il convento di S. Maria della Pace, attesa la povertà del convento di S. Catarina, debba in avvenire somministrargli il mantenimento nella stessa maniera che ha praticato e pratica con il padre provinciale odierno, e che debbano anco pagargli le spese delle lettere, secondo il peso che sempre ha avuto. E perchè il presente decreto abbia efficacia maggiore,

1 Aliâ huius Pontificis const. ed. MDCCXXIV, die 13 septembris, pontif. I, confirmata fuerunt privilegia dicti Ordinis.

1 Forsan *noi* legendum (R. T.).

e non osti alli decreti della sagra Congregazione emanati li 30 aprile 1685 ***de mandato sanctissimi domini nostri Innocentii XI,*** **fu risoluto che se ne cercasse dalla sagra Congregazione de' vescovi e regolari l'approvazione con formale memoriale, in cui s'esponga l'utile e necessità del suddetto decreto. Inoltre, ecc. In fede, ecc.**

Praesens copia extracta fuit a libro congregationum definitorialium Ordinis S. Ioannis de Deo, quocum collationata de verbo ad verbum concordat. In quorum fidem praesentes meâ manu subscripsi, et sigillo pariter eiusdem Ordinis communivi in conventu et hospitali S. Ioannis Calybitae Urbis, die VI ***decembris*** MDCCXXVI. — **Frater** ANTONIUS COZZA secret. generalis.

Confirmatio relati decreti.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus Ioachinus praemissa, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, eiusdem Ioachini[1] votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, ipsas praesentes litteras firmas, etc[2].

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus

1 Edit. Main. legit *Ioannis* (R. T.).
2 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

et ordinationibus apostolicis, et Ordinis, provinciae et conventuum[1] praefatorum, etiam iuramento, etc[2].

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII ianuarii MDCCXXVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 7 ianuarii 1717, pontif. anno III.

CLXV.

Abrogantur exemptiones et privilegia personalia quaecumque, fratribus sancti Ioannis Dei provinciae Portugalliae concessa[3].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Onerosa pastoralis officii cura, nobis ex alto meritis licet imparibus commissa, crebro nos admonet ac inducit, ut, ad statum christifidelium quorumlibet praesertim regularem vitam profitentium salubriter dirigendum sollicitis studiis intendentes, quae felici eorum statui obesse, aut in observantiae regularis detrimentum vergere cognoscimus, quantum nobis ex alto conceditur, submoveamus, prout conspicimus in Domino expedire.

Exponitur quomodo in dictam provinciam praefata privilegia irrepserint.

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Ignatius Xavier, frater expresse professus provinciae Portugalliae Congregationis Hispaniarum Ordinis S. Ioannis Dei, nobis nuper exponi fecit, aliàs, dum bellum inter earumdem Hispaniarum ac Portugalliae et Algabiorum regna vigeret, tunc existenti priori provinciali dictae provinciae a Congregatione tunc temporis pariter existentium S. R. E.

1 Edit. Main. legit *conventum* (R. T.).
2 Ut supra pag. 741 *a* (R. T.).
3 A Clemente XI const. ed. MDCCIII, die 10 maii, pontif. III, revocatae fuerunt conventualitates perpetuae a prioribus dicti Ordinis; et a Clemente XII const. ed. MDCCXXXII, die 1 octobris, pontif. III, revocantur privilegia personalia pro provinciis Andalusiae et Castellae.

cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ[1] eam ipsam in dictam provinciam, quae priori generali Congregationis praefatae competebat, iurisdictionem exercendi durantibus bellicis motibus huiusmodi, quibus videlicet liber ad ipsum priorem generalem in eisdem Hispaniis degentem accessus et recursus non patebat, potestas facta fuisset; dictus vero prior provincialis concessâ sibi potestate graviter abutens, plerosque fratres provinciae praefatae ab officiis, quae iuxta Congregationis et Ordinis huiusmodi institutum gerere tenebantur, variis sub praetextibus exemisset, aliisque privilegiis et praerogativis donasset, per quae superiores conventuum dictae provinciae impediebantur quominus eos ab debitam obedientiam adigere possent, ac dicti fratres exemptiones, privilegia et praerogativas huiusmodi a Sedis Apostolicae in praedictis Portugalliae et Algarbiorum regnis pro tempore itidem existentibus nunciis confirmari et approbari, alii vero sibi per eosdem nuncios similia indulta concedi obtinuissent;

A nuncio apostolico Portugalliae praedicta omnia semel ac iterum revocata.

§ 2. Quibus ad dilectum filium priorem generalem dictae Congregationis delatis, ac perpensis per eum gravibus malis ac turbis quae exinde invecta fuerant in universam provinciam praefatam in qua septemdecim conventus ac centum septemdecim circiter et forsan ultra fratres numerantur, necnon comperto quod ex eisdem fratribus nonnulli, qui munere prioris provincialis functi fuerunt, et alii utpote sacerdotes per ipsius Ordinis constitutiones auctoritate apostolicâ confirmatas ab officiis exempti reperiebantur, necnon aliqui sexaginta suae aetatis annos excedentes ad illa exercenda inhabiles, alii vero ex privilegio, sicut praemittitur, excepti fuerant, ita ut nonnisi quadraginta octo circiter fratres aegrotis in eorumdem conventuum hospitalibus decumbentibus assisterent: de suorum definitorum consilio tunc pariter existenti in Portugalliae et Algabiorum regnis dictae Sedis nuncio maximum incommodum ac detrimentum[1] quod ex eiusmodi exemptionibus provincia, conventus et hospitalia praedicta accipiebant, illasque provide per eumdem nuncium revocari obtinuit. Verum quia fratres praedicti his minime, ut par erat, acquiescebant, nec ipsi nuncio parebant, habito propterea ad felicis recordationis Clementem PP. XI praedecessorem nostrum desuper recursu, idem Clemens praedicto nuncio serio iniunxit quatenus curaret revocationem dictarum exemptionum omnimodae executioni demandari: unde nuncius praefatus acceptum a Clemente praedecessore mandatum priori provinciali dictae provinciae statim renunciavit, ac deinde edictum super revocatione eiusmodi illiusque executione, sub poenâ privationis officiorum tam per fratres sic exemptos quam per ipsum priorem provincialem in casu contraventionis incurrendâ, publicari et palam affigi fecit.

Abrogatio praedictorum privilegiorum.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, fratres praedicti ad eludendum edictum praefatum ad varia subterfugia confugerint, ac illorum plurimi commissiones a Sede Apostolicâ super manutentione in eorum praetensis exemptionibus nulliter et subreptitie impetraverint, quarum obtentu se in eisdem exemptionibus non sine ingenti etiam laicorum scandalo etiam nunc confovere praesumunt: nobis propterea dictus Ignatius humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

1 Edit. Main. legit *propositâ* (R. T.).

1 Deest verbum *exposuit* aut simile (R. T.).

Nos igitur, eumdem Ignatium specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis, sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, exemptiones praefatas et quaecumque privilegia et indulta personalia, praerogativas et immunitates, fratribus dictae provinciae quovis titulo, praetextu, causâ et occasione, tam a supradicto priore provinciali, ac quibuslibet provinciae et Congregationis praedictarum superioribus, quam a Sedis Apostolicae in eisdem[1] regnis nunciis, seu aliàs quomodolibet contra et praeter regularia earumdem provinciae et Congregationis instituta et apostolicas constitutiones concessa aut confirmata, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo annullamus, cassamus, abrogamus et abolemus, illaque in perpetuum nulla, cassata, abrogata et abolita, viribusque et effectu vacua esse et fore, neminique ullatenus suffragari, neque de cetero a quoquam concedi posse, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis privationisque officii vocisque activae et passivae poenis eo ipso incurrendis, dilecto filio priori provinciali dictae provinciae, ut, quamprimum praesentes nostrae litterae ad eius notitiam pervenerint, omnes et singulos fratres eiusdem provinciae eiusmodi exemptiones, privilegia, indulta, praerogativas et immunitates habentes, illis eo ipso privatos et spoliatos esse declaret, nec quemquam illis uti sinat vel permittat, inobedientes quoslibet et rebelles opportunis iuris et facti remediis iuxta regularia provinciae et Congregationis praedictarum statuta, omni et quacumque appellatione, reclamatione et recursu remotis, compescendo.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis litteris apostolicis super observatione exemptionum, privilegiorum, indultorum, praerogativarum et immunitatum huiusmodi emanatis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciae et Congregationis praedictarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et et litteris apostolicis, quibusvis[1] provinciae Congregationis praedictarum huiusmodi superioribus et personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, in-

Clausulae derogatoriae.

1 Male edit. Main. legit *eiusdem* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *quibus* (R. T.).

serentur et exprimerentur, iisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis etc.[1]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x ianuarii MDCCXXVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 10 ianuarii 1727, pontif. anno III.

CLXVI.

Conceditur fratribus Carmelitis antiquae Observantiae provinciae Portugalliae facultas, ut certis oneribus missarum, quas celebrare non poterunt, satisfacere valeant unâ missâ solemni[2].

Benedictus Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Ob oculos Pontifici proposita causa ad eum impellendum ut praedictam facultatem concedat.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii prior provincialis ac fratres provinciae Portugalliae Ordinis B. M. de Monte Carmelo antiquae observantiae, quod conventus eiusdem provinciae non mediocri paupertate laborant propterea quod redditus quos possident proveniunt ex capellaniis antiquis et modernis in eorum ecclesiis cum obligatione missas solemniter et privatim pro illarum fundatorum animabus quotidie celebrandi erectis, necnon ex simili onere missarum ab aliquot christifidelium confraternitatibus in eisdem ecclesiis ab immemorabili tempore institutis, ac eiusmodi reddit1uum pars aut adeo tenuis existit ut eleemosynae manuali non respondeat, vel, tempore absumptis seu deperditis bonorum proprietatibus, plane disperiit; ipsisque insuper exponentibus obligatio pro quolibet religioso, quem ab humanis decedere pro tempore contigerit, iuxta dicti Ordinis constitutiones apostolicâ auctoritate confirmatas, missas, necnon illas, quas *ternariorum* vocant, celebrandi incumbit: unde fit, quod hi redditus, etiam proventibus qui ex aliquot capellaniis maioris eleemosynae nuncupatis percipiuntur coniuncti, congruae sustentationi[1] religiosorum conventuum praefatorum, et maxime conventus Ulyssiponensis in quo supra centum et quadraginta fratres degunt, pares non sint, nec eorumdem conventuum reaedificationi, ecclesiarum reparationi, fabricae, paramentis, aliisque expensis, quae pro cultu divino ac divinorum officiorum celebratione fieri debent, minime sufficiant, in primis in dicto conventu Ulyssiponensi, ubi in hanc cultus ac officiorum divinorum causam quatuormilia cruciatorum monetae illarum partium, non computatis sumptibus paramentorum ordinariorum, quotannis insumuntur, prout ex libris sacrarii dicti conventus aperte colligi dicitur, quin expensae huiusmodi absque notâ et fidelium scandalo ac ipsius Ordinis dedecore minui valeant, quoniam in regno Portugalliae divinas functiones splendide et magnifice peragere mos est.

Preces et vota praedictorum fratrum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, exponentes praedicti, eo quod redditus praefati tot tantisque expensis obnoxii sibi satis non sint, eleemosynas sibi per eosdem fideles in ultimis eorum voluntatibus relictas pro missis in ipsorum exponentium ecclesiis praesente cadavere vel aliàs canendis

1 De more ut supra pag. 66 *a* (R. T.).

2 De iure suffragandi pro fratribus dictae provinciae vide aliam huius Pontificis const. ed. MDCCXXVI, die XX februarii, pontif. II.

1 Edit. Main. legit *sustentationis* (R. T.).

aut recitandis, quae missae maioris eleemosynae esse consueverunt, accipiant, missis vero capellaniarum ac confraternitatum praedictarum minoris eleemosynae, et illarum quarum proventus tempus imminuit seu absumpsit, ac pro religiosis defunctis, et quas ternariorum vocant, celebrandis singulis annis quandoque satisfacere non possint: iidem exponentes, ut, quotiescumque aliquis ex conventibus supradictae provinciae has missas celebrare nequiverit, idem conventus unam missam solemnem sive generalem cum anniversario et absolutione generali quolibet mense, loco missarum praefatarum, celebrare valeat, concedi plurimum desiderent, prout dudum fratribus provinciae Baeticae eiusdem Ordinis B. M. de Monte Carmelo a felicis recordationis Leone PP. X praedecessore nostro concessum fuisse memoratur: nobis propterea exponentes praefati humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio praefatae facultatis, ut nempe fratres praedicti in quibuslibet eorum ecclesiis, singulis mensibus celebrando unam missam solemnem, satisfaciant ceteris oneribus missarum, quas non potuissent celebrare.

§ 3. Nos igitur, pro paternae qua regulares Ordines complectimur charitatis affectu, memoratae provinciae illiusque conventuum inopiam, quantum cum Domino possumus, levare cupientes eosdemque exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ipsis modernis ac pro tempore existentibus priori provinciali ac fratribus provinciae et Ordinis praefatorum, ut, si propter paupertatem vel paucitatem fratrum alicuius dictae provinciae conventûs, illius fratres missas et divina officia, eis ratione capellaniarum praedictarum incumbentia, per memoratas confraternitates iniuncta, minoris eleemosynae et quarum proventus tempore notabiliter diminuti aut absumpti fuerint, vel pro fratre defuncto iuxta constitutiones Ordinis praedicti, seu quae ternariorum vocant celebranda, minime celebrare poterunt, loco ac vice missarum et divinorum officiorum eiusmodi, unam generalem et solemnem missam cum anniversario et absolutione generali quolibet mense celebrare libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, de specialis dono gratiae, quae non transeat in exemplum, concedimus et indulgemus, ipsumque conventum ac illius fratres per missae cum anniversario et absolutione generali quolibet mense celebrationem huiusmodi, ab onere et obligatione missarum et divinorum officiorum praefatorum, auctoritate et tenore praedictis, absolvimus et liberamus, eosque absolutos et liberos esse et fore declaramus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, etc.[1].

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis, et in universalibus provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon Ordinis, provinciae ac conventuum praefatorum, etiam iuramento, etc.[2].

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV ianuarii MDCCXXVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 14 ianuarii 1727, pontif. anno III.

1 Reliqua ut supra pag. 209 *a* (R. T.).

2 Reliqua ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

CLXVII.

Deputatur patriarcha Ulyssiponensis in executorem constitutionis ipsius Benedicti XIII super abrogatione privilegiorum fratrum Ordinis S. Ioannis Dei provinciae Portugalliae[1].

**Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.**

Referuntur praedictae litterae apostolicae eiusdem Benedicti hac super re.

§ 1. Nuper ad supplicationem dilecti filii Ignatii Xavier fratris expresse professi provinciae Portugalliae Congregationis Hispaniarum Ordinis S. Ioannis Dei emanarunt a nobis litterae in simili formâ Brevis tenoris qui sequitur, videlicet;

Benedictus PP. XIII ad futuram rei memoriam. Onerosa pastoralis officii cura, etc[2].

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x ianuarii MDCCXXVII, pontificatus nostri anno III.

Earum executio committitur.

§. Nunc autem, easdem litteras debitae executioni, ut par est, demandari cupientes, ac memoratum Ignatium amplioris favore gratiae prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine denuo nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, venerabili fratri patriarchae Ulyssiponensi occidentali ac dilecto filio eius officiali per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum, per se, vel alium, seu alios, easdem praesentes et praeinsertas litteras ac in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit et quoties pro parte eiusdem Ignatii aut aliorum quorumcumque in praemissis interesse habentium fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant omnia et singula praemissa ab iis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis[1], vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 3. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii PP. VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore praesentium in iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae in litteris praesentibus concessimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII februarii MDCCXXVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 13 februarii 1727, pontif. anno III.

---

1 A Clemente XII const. edit. MDCCXXXII, die 1 octobris, pontif. III, revocantur privilegia personalia pro provinciis Andalusiae et Castellae eorumdem fratrum.

2 Reliqua omittimus, quia const. hic citata legitur paulo supra pag. 464 *b* et seq. (R. T.).

CLXVIII.

Confirmatur decretum Congregationis S. Officii quoad Hebraeos denuncia-

1 Edit. Main. legit *iuratis* pro *iteratis* (R.T.).

tos, quod voluntatem suam declaraverint de suscipiendo Baptismo[1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Decretum praedictum refertur.

§ 1. Emanavit nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium in totâ republicâ christianâ adversus haereticam pravitatem generalium inquisitorum auctoritate apostolicâ deputatorum decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Feriâ IV, die XII februarii MDCCXXVII, in congregatione generali sanctae Romanae et universalis Inquisitionis habitâ in conventu S. Mariae super Minervam coram eminentissimis et reverendissimis dominis S. R. E. cardinalibus in totâ republicâ christianâ contra haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus a sanctâ Sede Apostolica specialiter deputatis. Cum plures exortae sint controversiae super intelligentiâ et executione decreti ab hac sacrâ Congregatione editi die VIII iulii MDCXLI, quoad Hebraeos utriusque sexus denunciatos de eorum animi declaratione suscipiendi Baptismum, eminentissimi et reverendissimi domini cardinales generales Inquisitores praedicti, dictum decretum declarando et quatenus opus sit reformando, in posterum illud sequenti modo exequi mandarunt et decreverunt: nempe, quod testes, qui hebraeos denunciabunt sive mares sive feminas de declaratione animi suscipiendi Baptismum, per notarium iuxta interrogatoria generalia a reverendo patre domino vices-gerente praescribenda, cum speciali monitione relevantiae iuramenti, in scriptis coram eodem reverendo patre domino vicesgerente, et, eo impedito, coram eius auditore examinentur, qui etiam examen praefatum subscribere debeant; et, quatenus duo testes sint de loco, tempore et occasione contestes, tunc denunciati ad domum catechumenorum duci, et collocari in loco separato ad hunc effectum destinato, in eoque per duodecim dies detineri possint, ut super veritate et constantiâ declarationis eorum voluntatis suscipiendi Baptismum explorentur. Si autem testes erunt singulares, vel unus adest testis idoneus et fide dignus, tunc denunciati non statim post denunciationem et testium examen educendi erunt ad domum catechumenorum, sed per reverendum patrem dominum vicesgerentem extra ghettum, vel in eius domo, vel in aliquâ ecclesiâ, vel alio loco sibi beneviso, et intra tempus necessarium et opportunum, iuxta facti speciem et circumstantias, pro arbitrio et prudentiâ dicti reverendi patris domini vicesgerentis, eorum voluntas exploranda erit. — ANTONIUS LANCIONUS sanctae Romanae et universalis Inquisitionis notarius. *Loco † sigilli.*

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Nunc autem nos, perenni decreti huiusmodi robori exactaeque illius observantiae peramplius providere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, decretum praeinsertum, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illique inviolabilis ac irrefragabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint seu intervenisse dici, censeri, praetendi vel intelligi unquam[1] possent, plenissime supplemus et sanamus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis

1 Innocentii XIII const. edit. MDCCXXIV, die 10 februarii, pontif. III, reservata decernuntur pro Ruthenis ad fidei unitatem revertentibus omnia ipsorum bona, et Clementis XI constit. edit MDCCIV, die 3 martii, pontif. IV, ampliata fuere privilegia neophitorum quoad temporalia.

1 Edit. Main. legit *nunquam* (R. T.).

respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis, etiam iuramento, etc.[1].

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV februarii MDCCXXVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 14 februarii 1727, pontif. anno III.

CLXIX.

Confirmantur constitutiones nonnullae Pontificum; quibus gratiae, privilegia ac indulgentiae locis Terraesanctae ac Minoribus de Observantiâ inibi morantibus concessa fuere[2].

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium a consuetudine Romanorum Pontificum concedendi locis Terraesanctae indulgentias, vel concessas approbandi.

Loca sancta Palaestinae, in quibus Christus dominus redemptionis humanae mysteria ortu, vitâ et morte suâ consummavit, ab ipsis nascentis Ecclesiae primordiis in tantâ semper veneratione et honore ab universis christianis habita fuerunt, ut per omnes aetates ad ea religionis causâ invisenda undique fidelium turba confluxerit, proptereaque antecessores nostri Romani Pontifices plurimas indulgentias et privilegia, tam in eos qui sacram illuc peregrinationem susceperunt, quam in alios qui in eisdem sanctis locis commorantes divino cultui et proximorum ac peregrinantium saluti, nullis incommodis et vitae periculis territi, famularentur, largâ manu contulerint, et alii postmodum successores eadem collata probaverint, novisque gratiis spiritualibus et largitionibus auxerint. Hinc maxime decet ut nos quoque ad indulgentias et privilegia huiusmodi apostolicae auctoritatis nostrae munimine salva et illaesa servanda prompto animo occurramus.

Preces procuratoris generalis Minorum de Observantia.

§ 1. Siquidem nobis dilectus filius frater Mariae ab Ebora procurator generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum nuper exponi curavit, se, ad Terraesanctae subsidium ac suorum dicti Ordinis fratrum vineae Domini excolendae inibi multis saeculis operam dantium peregrinosque ex omnibus christianis provinciis ad eadem loca sancta pie veneranda accurrentes religiosâ charitate foventium et catholicis illarum partium opportuna solatia praebentium, optare ut omnia et singula privilegia, gratiae, indulgentiae, criminum remissiones et relaxationes, hactenus eiusdem Terraesanctae locis, suis fratribus, aliisque personis auctoritate apostolicâ concessae et confirmatae, per nos eâdem auctoritate approbarentur et speciali formâ rursus confirmarentur.

Confirmatio praedicta.

§ 2. Nos igitur, qui eiusdem Terraesanctae ubi steterunt pedes Domini, frequentiam et venerationem, quantum

1 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

2 Omnium Pontificum constitutiones, initio facto a Gregorio IX usque ad Innocentium XIII, quibus dictae gratiae conceduntur, ordine temporis, quo editae fuerunt, hic distinctis citationibus enumerantur.

possumus, promovere studemus, huiusmodi piis votis libenter annuentes, ipsumque Iosephum spiritualibus favoribus et gratiis cumulare omnino cupientes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus nobis eius nomine humiliter porrectis inclinati, omnia et singula privilegia, concessiones, facultates, exemptiones, iura, indulta, indulgentias, peccatorum remissiones, ceterasque gratias spirituales et temporales, eisdem locis sanctis, eademque visitantibus, atque illorum custodi et guardiano coenobii Hierosolymitani et fratribus dicti Ordinis ibidem commorantibus, necnon eorumdem fratrum interpretibus qui Hierosolymis, Bethlehem, Nazareth, inque aliis quibuscumque Terraesanctae et Palaestinae locis existunt et vivunt, per infrascriptos antecessores nostros Romanos Pontifices, Sedemque Apostolicam, in genere et in specie, aut aliàs quomodocumque concessas, tenore praesentium iterum confirmamus, atque formâ amplissimâ approbamus et innovamus, prout ab iisdem Romanis Pontificibus antecessoribus nostris in suis apostolicis litteris olim indultae et concessae fuerunt.

Enumerantur apostolicae constitutiones, quibus praedictae gratiae, privilegia et indulgentiae Minoribus de Observantiâ in locis Terraesanctae degentibus concessae fuere.

§ 3. Hae vero sunt, videlicet:

1. Gregorii IX litterae incipientes *Si Ordinis fratrum Minorum*, datae Perusii kalendis februarii anno MCCXXX.

2. Aliae eiusdem incipientes *Pro zelo fidei*, datae Laterani III kalendas februarii anno MCCXXXVIII.

3. Aliae eiusdem incipientes *Cum messis*, datae Laterani XVI kalendas iunias MCCXXXVIII.

4. Innocentii IV incipientes *Cum hora undecima*, datae Lugduni XII kalendas apriles anno MCCXLV.

5. Alexandri IV incipientes *Ex relatu fide*, datae Laterani IV kalendas apriles anno MCCLVII.

6. Aliae eiusdem incipientes *Quum hora iam undecima*, datae Viterbii XIII kalendas maias anno MCCLVIII.

7. Clementis V incipientes *Quum hora undecima*, datae Pictavii X halendas augustas anno MCCCVI.

8. Ioannis XXII etiam incipientes *Quum hora undecima*, datae Peiirae VI idus augustas anno MCCCXXV.

9. Clementis VI incipientes *Gratias agimus*, datae Avenione XI kalendas decembris MCCCXLII.

10. Innocentii VI incipientes *Piis fidelium studiis*, datae apud Villamnovam dioecesis Avenionensis IX septembris MCCCLVI.

11. Aliae eiusdem incipientes *Ad ea quae in laudem*, datae Avenione V idus novembris MCCCLX.

12. Urbani V incipientes *Rationi congruit*, datae Avenione VI idus novembres MCCCLXII.

13. Gregorii XI incipientes *Sicut de damnabili*, datae Avenione VII kalendas decembres MCCCLXXV.

14. Aliae eiusdem incipientes *De religiosâ discretione*, Avenione eodem die, mense et anno.

15. Aliae eiusdem incipientes *Inter cunctos Ordines*, datae Avenione eodem die et anno.

16. Urbani VI incipientes *Ad ea quae piorum locorum*, datae Neapoli III idus iunias MCCCLXXXIV.

17. Ioannis in suâ obedientiâ XXIII incipientes *Cum a nobis*, datae Bononiae IV kalendas iulias MCDX.

18. Martini V incipientes *Ad assiduum Christi servitium*, datae Florentiae VII kalendas iulias MCDXX.

19. Aliae eiusdem incipientes *Sincerae devotionis affectus*, datae Florentiae VII idus iulias MCDXX.

20. Aliae eiusdem incipientes *Cum a nobis quod iustum est*, datae eodem loco, die, mense et anno.

21. Aliae eiusdem incipientes *Provenit ex vestrae devotionis*, datae eodem loco, die, mense et anno.

22. Aliae eiusdem incipientes *Votis vestris*, datae Florentiae IV idus iulias MCDXX.

23. Aliae eiusdem incipientes *Exigit vestrae devotionis*, datae ibidem eodem die, mense et anno.

24. Aliae eiusdem incipientes *Votis vestris*, datae Florentiae XIV kalendas septembres MCDXX.

25. Aliae eiusdem incipientes *Votis vestris*, datae Florentiae VII kalendas septembres MCDXX.

26. Aliae eiusdem incipientes *His quae per ecclesiasticarum*, datae Romae XVI kalendas martias MCDXXI.

27. Aliae eiusdem incipientes *Salutare studium*, datae Romae eodem die, mense et anno.

28. Aliae eiusdem incipientes *Studium et sincerum*, datae eodem loco, die, mense et anno.

29. Aliae eiusdem incipientes *Sinceritas vestrae devotionis*, datae Romae IV idus martias MCDXXI.

30. Eugenii IV incipientes *Dum onus*, datae Bononiae V idus iulias MCDXXXVII.

31. Aliae eiusdem incipientes *Bonus Pastor*, datae Bononiae IV idus iulias MCDXXXVII.

32. Aliae eiusdem incipientes *Exultantes in Domino*, datae eodem die, mense et anno.

33. Aliae eiusdem incipientes *Per haec proxima tempora*, datae Florentiae XVII kalendas ianuarias MCDXLI.

34. Aliae eiusdem incipientes *Sacrae religionis*, datae Romae kalendis februariis MCDXLIV.

35. Aliae eiusdem incipientes *Dum praeclara merita*, datae Romae V idus februarias MCDXLVI.

36. Nicolai V incipientes *Sincerae devotionis*, datae Romae VI kalendas augustas MCDXLVIII.

37. Aliae eiusdem incipientes *Apostolicae Sedis*, datae Romae XI kalendas augustas MCDLI.

38. Aliae eiusdem incipientes *Quum a vobis petitur*, datae Romae pridie kalendas apriles MCDLII.

39. Aliae eiusdem incipientes *Romanus Pontifex*, datae Romae XIV kalendas maias MCDLII.

40. Aliae eiusdem incipientes *Solers Romani Pontificis*, datae Romae XVI kalendas martias MCDLIII.

41. Calixti III incipientes *Apostolicae Sedis*, datae Romae IV idus ianuarias MCDLV.

42. Aliae eiusdem incipientes *Quum nuper*, datae Romae XIV kalendas ianuarias MCDLV.

43. Aliae eiusdem incipientes *Etsi ex debito*, datae Romae IV idus ianuarias MCDLV.

44. Aliae eiusdem incipientes *Quum itaque*, datae eodem loco, die, mense et anno.

45. Aliae eiusdem incipientes *Illius cuius in pace*, datae Romae IV nonas februarias MCDLV.

46. Aliae eiusdem incipientes *Licet pro nostrâ*, datae Romae V idus maias MCDLV.

47. Aliae eiusdem incipientes *Devotionis vestrae ardor*, datae Romae pridie nonas februarias MCDLVII.

48. Sixti IV incipientes *Suscepti cura*, datae Romae pridie idus februarias MCDLXXV.

49. Alexandri VI incipientes *Quum sicut accepimus*, datae Romae idibus augusti MCDXCVI.

50. Pii IV incipientes *Divinâ disponente clementiâ*, datae Romae die IX aprilis MDLXI.

51. Urbani VIII incipientes *Ut dilecti filii*, datae Romae die XXI aprilis MDCXXXII.

52. Aliae eiusdem incipientes *Aliàs a felicis recordationis*, datae Romae die XVIII iunii MDCXLIV.

53. Innocentii X incipientes *Salvatoris et domini*, datae Romae XIX septembris MDCXLV.

54. Aliae eiusdem incipientes *Quum sicut dilecti*, datae Romae XXIII septembris MDCXLV.

55. Alexandri VII incipientes *Piis christifidelium*, datae Romae III augusti MDCLV.

56. Clementis X incipientes *Quum sicut dilectus*, datae Romae die VII iulii MDCLXX.

57. Innocentii XI incipientes *Ad augendam*, datae Romae die XX septembris MDCLXXXI.

58. Aliae eiusdem incipientes *Piis chri-*

stifidelium votis, datae Romae die XXII iunii MDCLXXXIV.

59. Aliae eiusdem incipientes *Exponi nobis*, datae Romae XXX aprilis MDCLXXXVI.

60. Alexandri VIII incipientes *Ex iniuncto nobis*, datae Romae die X novembris MDCXC.

61. Innocentii XII incipientes *Aliàs a felicis recordationis*, datae Romae V decembris MDCXCVI.

62. Innocentii XIII incipientes *Piis christifidelium votis*, datae Romae die VI iunii MDCCXXI.

63. Aliae eiusdem incipientes *Quum ad infrascriptam*, datae Romae die XIII septembris MDCCXXI.

Confirmatio earumdem constitutionum.

§ 4. Hucusque antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum ad fratres Minores de Observantiâ nuncupatos in locis sanctis Christo domino militantes editae litterae apostolicae. Quas omnes, et quaslibet alias in eiusdem Ordinis annalibus et monumentis laudatas, ad eos per quoscumque Romanos Pontifices quomodolibet scriptas, praesertim quoad indulgentias, dummodo de earumdem existentiâ valide et legitime constet, inque[1] eisdem tam enunciatis quam aliis quibusvis contenta quaecumque, etiamsi talia forent quae specialem et specificam mentionem requirerent, ubi tamen Concilii Tridentini decretis non adversentur, cum integris suis tenoribus et datis plene et sufficienter expressas, ac si de verbo ad verbum praesentibus insertae essent, habentes, apostolicâ auctoritate, praesentium tenore, perpetuo approbamus et confirmamus, ac, in plenam observantiam ac pristinum et validissimum suum statum restituentes et revocantes, innovamus et, quatenus opus sit, omnia et singula praedicta denuo concedimus et indulgemus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnes et singulos[1] tam iuris quam facti et quarumcumque solemnitatum, de iure, usu vel consuetudine aut aliàs quomodolibet requisitarum ac in praemissis fortasse omissarum, necnon quoscumque alios quantumvis substantiales defectus, si qui forsan in iisdem omnibus et singulis quomodolibet intervenerint, supplemus.

Nemo contra huiusmodi privilegia Minoribus eisdem praeiudicium inferat.

§ 5. Insuper omnibus et singulis cuiuscumque ecclesiasticae dignitatis, status et conditionis quantumvis privilegiatis personis expresse inhibemus, quominus contra vim et sensum privilegiorum, concessionum, facultatum, iurium et indultorum, ut praefertur, per nos approbatorum et confirmatorum, ac etiam innovatorum, loca sive personas praedicto guardiano Hierosolymitano subiectas eiusque curae mandatas respicientium, ullum iurisdictionis aut superioritatis actum sub quocumque praetextu in locis et personis praedictis, absque nostrâ expressâ facultate, sub poenarum, in iisdem litteris apostolicis pro locis sanctis et guardiano praedicto concessis, approbatis et innovatis contentarum incursu, exercere praesumat.

Praesens etiam constitutio ab omnibus perpetuo observetur

§ 6. Praesentes quoque litteras nostras, inque eis comprehensa quaecumque, ex[1] quavis legitimâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo[2] unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae aut alio quantumvis substantiali defectu notari, impugnari, infringi, restringi, limitari, ad viam et terminos iuris reduci, vel adversus eas quodcumque iuris vel facti aut gratiae remedium impetrari posse, decernimus; sed illas semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus in

1 Male edit. Main. legit *in qua* (R. T.).
1 Edit. Main. legit *singulas* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *et* pro *ex* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *ullo* (R. T.).

omnibus et per omnia sortiri et obtinere, necnon ab omnibus et singulis, ad quos nunc spectat et pertinet, et pro tempore quomdolibet spectabit et pertinebit, cuiuscumque qualitatis, dignitatis, ordinis, gradus et conditionis extiterit[1], perpetuo et inviolabiliter observari debere, nec sub ullis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis excipi, et, quoties illae emanabunt et vulgabuntur, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas censeri, ac de novo etiam, sub quacumque posteriori datâ per guardianum et fratres praedictos quomodocumque eligendâ, concessas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus in omnibus et per omnia sortiri et obtinere, eisque perpetuo suffragari, sicque et non aliàs per quoscumque iudices ordinarios et delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, iudicari et definiri debere volumus; et quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Cardinales protectores faciant easdem inviolabiliter observari.

§ 7. Quocirca dilectis filii nostris dicti Ordinis fratrum Minorum de Observantiâ, vel etiam praedictae Terraesanctae cardinalibus protectoribus nunc et pro tempore existentibus, seu, illorum arbitrio et defectu, et aliis ex parte S. R. E. cardinalibus munus protectoris huiusmodi exercentibus, mandamus, quatenus ipsi cardinales protectores, seu munus huiusmodi gerentes, vel unus eorum, per se, vel alium, seu alios, easdem praesentes litteras, inque eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte praedictorum guardiani et fratrum seu procuratoris generalis pro tempore existentium, sive alterius eorum, vel aliorum interesse in praemissis habentium, fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, ipsas praesentes litteras, inque eis contenta huiusmodi, ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, faciant auctoritate nostrâ inviolabiliter observari, ipsosque guardianum et fratres, et alios, quos eaedem litterae concernunt, vel concernent[1] in futurum, praesentium litterarum et in eis contentorum commodo et effectu pacifice frui et gaudere; non permittentes illos, seu eorum quempiam, super his quomodolibet molestari, perturbari, inquietari vel impediri; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo; legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando: invocato etiam ad hoc, si fieri poterit atque opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 8. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri apostolicis litteris, quibus cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, ubi deputatus fuerit, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere audeat seu praesumat, inque concilio generali editâ constitutione de duabus dietis, aliisque quibuslibet in contrarium praemissorum facientibus quomodolibet, editis vel edendis, specialibus vel generalibus, ordinationibus apostolicis, sub

1 Aptius lege *extiterint* (R. T.).

1 Verba *vel concernent* nos addimus (R. T.).

quibuscumque tenoribus et formis per Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos ipsos, et Sedem praedictam, cum quibusvis irritativis, annullativis, cassativis, revocativis, modificativis, praeservativis, exceptivis, restitutivis, derogativis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu pari, ac etiam consistorialiter, aut aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, in contrarium praemissorum concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut quaecumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, latissime et plenissime ac specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus coniunctim vel divisim ab eâdem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Harum exempla omnimoda fides habeatur.

§ 9. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis, manu alicuius ex secretariis ministri vel commissarii generalis Ordinis eorumdem fratrum Minorum de Observantiâ seu notarii publici subscriptis, et sigillo officii eiusdem ministri vel commissarii aut procuratoris generalis ipsius Ordinis vel alterius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Nemo hanc infringere audeat.

§ 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, approbationis, confirmationis, innovationis, novae concessionis, roboris adiectionis, defectuum suppletionis, inhibitionis, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVII, V nonas martias, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 3 martii 1727, pontif. anno III.

CLXX.

Conceditur facultas fratribus Carmelitis provinciae Baeticae suscipiendi lauream doctoratus in collegio S. Rochi civitatis Cordubensis [1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Facti expositio et causae ad Pontificem impellendum ut huiusmodi facultatem indulgeat.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Iosephus de Castro et Iosephus Barinono, fratres expresse professi ac procuratores provinciae Baeticae Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo, quod, inter alia laudabilia eiusdem Ordinis statuta apostolicâ auctoritate confirmata, cautum reperitur ut illius fratres, postquam studiorum cursum ac philosophiae et sacrae theologiae lecturam expleverint, quibus peragendis unius et viginti annorum spatio elaborare consueverunt, in aliquâ publicâ studii generalis universitate doctoratus gradum consequi teneantur, ad hoc ut

1 Similis facultas facta ab eodem Pontifice const. edit. MDCCXXV, die 30 augusti, pontif. II, fratribus eiusdem Ordinis provinciae Aragoniae.

privilegiis et praerogativis in retributionem laborum in dicto Ordine concedi solitis, ac voce activâ et passivâ in capitulis frui possint. Verum, quia experientiâ compertum fuerat quod religiosi Ordinis praedicti ad effectum assequendi gradum huiusmodi non sine distractione a proprio instituto ac certo ordine disciplinae regularis plerumque longe vagari et pecunias necessarias contra paupertatis votum parare cogebantur, proinde a felicis recordationis Urbano VIII, Clemente IX ac Clemente X Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris attributa fuit facultas priori generali dicti Ordinis pro tempore existenti gradum praefatum religiosis sub immediatâ eius obedientiâ degentibus concedendi; cumque nihilominus religiosi in provinciis ultramarinis inde sibi minime consultum doluerint, pluresque suorum laborum praemio frustrarentur ob difficilem accessum ad memoratum priorem generalem et rerum necessariarum inopiam, recolendae memoriae Innocentius PP. XIII, praedecessor etiam noster, priori provinciali ac nonnullis in sacrâ theologiâ magistris provinciae Portugalliae indulsit ut illius religiosos, debitis qualitatibus praeditos, doctoratus laureâ, sub certis modo et formâ tunc expressis, insignire valerent, nosque simile indultum provinciis Aragoniae et Valentiae eiusdem Ordinis etiam concessimus; et aliàs, prout in ipsius Innocentii praedecessoris ac nostris desuper in simili formâ Brevis expeditis litteris uberius continetur.

Preces fratrum procuratorum provinciae Baeticae.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, provincia Baetica praefata conventuum numero ac religiosorum frequentiâ floreat, et in civitate Cordubensi, in eius centro sita, ubi nulla adest publica universitas huiusmodi, duo eiusdem Ordinis conventus reperiantur, quorum alter est insigne collegium sub invocatione S. Rochi, ubi eiusdem theologiae studia non sine ingenti plausu vigent: dicti exponentes, ut fratres provinciae Baeticae praefatae ad litterarum studia alacriori animo suscipienda ac perficienda excitentur spe aliquando laborum suorum praemium in propriâ provinciâ consequendi, quod aliàs aut nunquam vel sine maximâ difficultate ac dispendio obtinere nequirent, opportune in praemissis a nobis provideri et ut in infra indulgeri plurimum desiderent:

Concessio praedicta.

§ 3. Nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut omnes et singuli fratres provinciae et Ordinis praefatorum, qui peracto cursu, et lecturae scientiarum iuxta statuta dicti Ordinis ad supradictum collegium S. Rochi Cordubensis accesserint, lauream doctoratus inibi, praevio rigoroso examine, coram eiusdem collegii rectore et actualibus sacrae theologiae lectoribus, duobusque in dictâ theologiâ magistris Ordinis praefati, ac cum eorum approbatione, servatisque aliis servari solitis, ab ipso rectore suscipere libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas, etc.[1].

[1] Ut supra pag. 471 a (R. T.).

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, provinciae Baeticae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, etc.[1].

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III martii MDCCXXVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 3 martii 1727, pontif. anno III.

CLXXI.

Statuitur ab omnibus observandum caeremoniale episcoporum ab ipsomet Pontifice emendatum.

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam

Caeremoniale vetus innumeris scatebat erroribus.

§ 1. Licet aliàs felicis recordationis Clemens VIII ac subinde Innocentius X Romani Pontifices praedecessores nostri caeremoniale episcoporum edendum atque a mendis expurgandum curaverint, processu tamen temporis compertum est novos errores non minus typographorum imperitiâ quam aliorum culpâ et negligentiâ in illud irrepsisse. Ac proinde nos, qui in minoribus constituti per annos quinquaginta episcopi ac metropolitae munere et dignitate perfuncti sumus, cum nihil antiquius habuerimus quam ut sacros ritus et caeremonias secundum antiquam ac laudabilem Romanae Ecclesiae disciplinam adamussim perageremus, diuturno eorum usu ac studio animadvertimus utile ac necessarium maxime futurum, si rursus idem caeremoniale novis curis recognitum ederetur, obscura quaedam in eo et ambigua illustrarentur, corrupta alia et depravata emendarentur, nonnulla praeterea inter se pugnantia et contraria conciliarentur, aliaque demum hactenus praetermissa suis locis opportune adderentur.

[1] Ut supra pag. 471 a (R. T.).

Caeremoniale praedictum ab ipsomet Pontifice emendatum, ab omnibus servandum praecipitur.

§ 2. Ubi primum igitur ad summi apostolatus fastigium licet immeriti et obluctantes evecti fuimus, in hanc etiam sollicitudinem cogitationes nostras direximus, nosque ipsi hoc opus aggressi, illud, nonnullis etiam adhibitis piis ac eruditis viris sacrorum rituum apprime peritis, qui operam suam in ipso caeremoniali emendando ac restituendo nobis contulerunt, benedicente Domino, perfecimus. Itaque, ne tam utilis Ecclesiae catholicae hac in re labor suo frustretur effectu, motu proprio ac ex certâ scientiâ nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, caeremoniale episcoporum huiusmodi a nobis ut praemittitur recognitum et emendatum perpetuo confirmamus et approbamus, illudque in universali Ecclesiâ ab omnibus et singulis personis, ad quas spectat et in futurum spectabit, perpetuo observandum esse in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, ac caeremoniale huiusmodi, sic emendatum, nullo unquam tempore, in toto vel in parte mutari vel ei aliquid addi aut omnino detrahi posse, ac quascumque personas praefatas, quae pontificalia et sacerdotalia munera exercere aut alia quaecumque in ipso caeremoniali contenta facere aut exequi debent, ad ea peragenda et praestanda iuxta huius caeremonialis formam et praescriptum teneri, neminemque, ex iis quibus ea exercendi et faciendi munus impositum existit, nisi formulis, quae hoc caeremoniali continentur, servatis, satisfacere posse, perpetuo statuimus et ordinamus. Per praesentes autem antiqua caeremonialia in his, quae praefato caerimoniali emendato sunt conformia, minime aboleri aut abrogare censeri volumus, sed illorum etiam usum, salvâ emendatione praedictâ, permittimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac

apostolicis et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quarumvis ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, aut quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis ecclesiis et personis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda huius constitutionis exemplis.

§ 4. Volumus autem, et pari motu et auctoritate decernimus, ut, qui in Romanâ Curiâ sunt praesentes, lapsis duobus, qui vero circa montes, octo, et qui ultra ubique locorum degant, duodecim mensibus integre excursis, vel aliàs ubi venalium huius caeremonialis voluminum notitiam et facultatem habuerint, sacras caerimonias et ritus in eodem caeremoniali praescriptos, iuxta illius modum et normam in quibuscumque actibus exercere et observare teneantur; quodque earumdem praesentium litterarum exemplis manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae aut illius Curiae munitis, vel in ipsis voluminibus absque praefato vel alio quopiam adminiculo Romae impressis, eadem ubique locorum et gentium fides adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII martii MDCCXXVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 7 martii 1727, pontif. anno III

CLXXII.

Erigitur archiconfraternitas Conceptionis B. Virginis Mariae in ecclesiâ de Aracaeli conventus Minorum de Observantia [1].

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex quo Sedes Apostolica diem festum in honorem Conceptionis B. Mariae Virginis Immaculatae supremâ suâ auctoritate olim instituit, caelestibus indulgentiarum thesauris eum ditare, precibusque christifidelium pro illo pie celebrando sibi porrectis benignas frequenter aures praebere consuevit. Quare nos quoque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigia sectantes, supplicibus petitionibus, quae nobis pro cultu erga eamdem beatissimam Virginem per alicuius sodalitatis erectionem promovendo, porriguntur, libenter annuimus.

Preces procuratoris generalis Observantium pro huiusmodi erectione.

§ 1. Itaque dilectus filius frater Iosephus Maria ab Ebora procurator generalis Ordinis fratrum Minorum B. Francisci de Observantiâ nuncupatorum exponi nobis nuper fecit, huiusmodi fratres (qui caelorum Reginae verbo et scriptis augendae venerationis in terris usque a primo sui Ordinis exordio studiosissimos sese ostenderunt, et piarum precum, quas Coronam B. Mariae Virginis vocant, recitatione christifidelibus propositâ, sacrisque laudibus in festi eiusdem Conceptionis obsequium rite compositis, aliisque quamplurimis argumentis suum erga praedictam Virginem devotionis affectum ferventius confovere non de-

1 Innocentii XI const. ed. MDCLXXXIX, die 11 maii, pontif. XIII, erecta fuit in archiconfraternitatem confraternitas B. M. V. in ecclesiâ S. Stephani de Cacco de Urbe.

stiterunt, nec desistunt) summopere optare ut christianus populus ad pia opera sub auspiciis eiusdem Conceptionis B. Mariae Virginis Immaculatae excitetur, et propterea in ecclesiâ eorum conventus S. Mariae de Arâcaeli nuncupatae de Urbe unam utriusque sexus archiconfraternitatem auctoritate nostrâ institui postulare sub invocatione eiusdem Conceptionis, illamque, postquam ut infra erecta et instituta fuerit, in locum archiconfraternitatis etiam Conceptionis B. Mariae Virginis, nuper, certis de causis tunc adductis in insigni saeculari et collegiatâ ecclesiâ S. Laurentii in Damaso nuncupatâ de eâdem Urbe per nos suppressae et extinctae, quoad indulgentias, privilegia, ac indulta spiritualia tantum substitui et subrogari, ac alia ei per nos ut infra concedi et impertiri.

Erectio praedictae archiconfraternitatis cum concessione privilegiorum et indulgentiarum aliarum archiconfraternitatum.

§ 2. Nos, qui Ordinem praedictum de Ecclesiâ catholicâ optime meritum semper eximiâ dilectione prosecuti sumus, eorumdem fratrum propositum plurimum in Domino commendantes, ac Conceptionis ipsius Virginis Dei matris Mariae cultum et venerationem augere animarumque salutem paternâ charitate promovere cupientes, dictumque Iosephum Mariam specialis favore gratiae prosequi volentes, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, dilecto filio moderno ministro, sive, in eius defectu, vicario aut commissario generalibus totius Ordinis praedicti, harum serie indulgemus, ut in dictâ ecclesiâ S. Mariae de Arâcaeli de Urbe unam utriusque sexus christifidelium archiconfraternitatem, quae non sit pro hominibus unius specialis artis, sub eâdem invocatione et denominatione Conceptionis B. Mariae Virginis Immaculatae auctoritate nostrâ apostolicâ erigat atque instituat, ad omnipotentis Dei laudem animarumque salutem, et eiusdem B. Mariae Virginis honorem, cum privilegiis ab Apostolicâ Sede collatis, quibus archiconfraternitates SS. Rosarii ac B. Mariae Virginis de Monte Carmelo, et, quem nos ipsi professi sumus, fratrum Praedicatorum et eiusdem B. Mariae Virginis de Monte Carmelo Ordines, exceptis tamen indulgentiis his Ordinibus quomodolibet concessis, utuntur, fruuntur et gaudent, dilecti filii nostri in Urbe praedictâ eiusque districtu vicarii in spiritualibus generalis vel cuiusvis alterius licentiâ desuper minime requisitâ; utque eamdem archiconfraternitatem, sic ut praefertur erigendam, eidem primodicto Ordini, pro infrascriptâ participatione indulgentiarum eidem concessarum ac piorum operum per illius fratres exercendorum, uniat et incorporet, apostolicâ auctoritate praedictâ, tenore praesentium, facultatem concedimus et impertimur.

Subrogatur praedicta archiconfraternitas in locum alterius in ecclesia S. Laurentii in Damaso extinctae.

§ 3. Ceterum, ut christifideles, spiritualium gratiarum et privilegiorum muneribus illecti, se eidem archiconfraternitati alacrius inscribant, nos eam substituimus et subrogamus in locum alterius archiconfraternitatis Conceptionis B. Mariae Virginis, per nos in praedictâ ecclesiâ S. Laurentii in Damaso ut praefertur suppressae et extinctae, quoad participationem indulgentiarum, privilegiorum, facultatum, indultorum aliarumque gratiarum spiritualium, quibus ultimodicta archiconfraternitas tempore suppressio-

mis et extinctionis gaudebat et gaudere poterat; dummodo tamen sacri Concilii Tridentini decretis non adversentur; non vero eamdem archiconfraternitatem subrogamus in locum alterius quoad iura quaecumque conferendi et nominandi ac temporalia bona quaecumque.

Nonnullae aliae indulgentiae eidem conceduntur.

§ 4. Insuper indulgentias, per felicis recordationis Iulium Papam II aliosque Romanos Pontifices praedecessores nostros concessas, ad deferentes et pie recitantes dictam Coronam B. Mariae Virginis, per fratres iamdicti Ordinis benedictam, eisdem modo et formâ quae a confratribus dictae archiconfraternitatis SS. Rosarii observantur, auctoritate nostrâ, tenore praesentium, extendimus et ampliamus, unâ cum quibuscumque aliis indulgentiis et gratiis spiritualibus, quae confratribus quarumcumque confraternitatum, sub eâdem invocatione Conceptionis B. Mariae Virginis hactenus ubicumque erectarum, quas firmas esse volumus, ac tribus Ordinibus B. Francisci hucusque per Romanos Pontifices quomodolibet respective concessae fuerunt, earum omnium tam[1] sub plumbo quam in formâ Brevis confectarum litterarum tenores, ac si praesentibus de verbo ad verbum insererentur, pro expressis et insertis habentes.

Conceditur magistris generalibus Ordinis Minorum de Observantia facultas confraternitates Conceptionis ubique erigendi.

§ 5. Ministro autem seu vicario vel commissario generalibus primodicti Ordinis nunc et pro tempore existentibus tenore earumdem praesentium concedimus pariter et indulgemus, ut utriusque sexus confraternitates sub praedictâ invocatione Conceptionis B. Mariae Virginis Immaculatae ubisvis locorum, tam in eorumdem fratrum primodicti Ordinis, quam in quibusvis aliis ecclesiis vel oratoriis, sub eorum directione aut regimine quomodolibet existentibus vel non existentibus, erigere et instituere possint, necnon easdem et quascumque sub eâdem invocatione ad praesens canonice erectas et institutas et in posterum canonice erigendas et instituendas confraternitates, et, quoad erectas et institutas, praeviâ cessatione et revocatione quarumcumque aliarum indulgentiarum ipsis quovis modo per viam cuiusvis aggregationis et communicationis cuilibet archiconfraternitati aut aliàs concessarum, dictae archiconfraternitati ut praedicitur erigendae aggregare libere et licite valeant, servatâ tamen formâ constitutionis piae memoriae Clementis Papae VIII similiter praedecessoris nostri super dictarum confraternitatum erectionibus et aggregationibus editae, privative quoad alios, circa huiusmodi erectiones in posterum faciendas.

Clausulae.

§ 6. Decernentes, easdem praesentes ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae seu quopiam alio defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, aut revocari nullatenus unquam posse, sed illas semper et perpetuo validas existere, suosque plenarios et integros effectus in omnibus et per omnia sortiri et obtinere, sicque et non aliàs per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 7. Non obstantibus piae memoriae antecessorum nostrorum eiusdem Clementis PP. VIII et Pauli V similium gratiarum revocatoriâ seu moderatoriâ aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus

1 Vocem *tam* nos addimus (R. T.).

sit, nostris et Cancellariae Apostolicae regulis de indulgentiis non concedendis ad instar, ac de iure quaesito non tollendo, primodictique Ordinis, etiam iuramento roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Confraternitates praedictae erigendae Ordinariis subsint.

§ 8. Volumus autem, ut confraternitatum, quas in posterum archiconfraternitati ut praedicitur erigendae aggregari contigerit, officiales seu administratores, pro redditione rationis administrationis bonorum temporalium, Ordinariis locorum subiecti permaneant.

Sanctio poenalis.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis, substitutionis, subrogationis, extensionis, ampliationis, indulti et absolutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVII, kalendis aprilis, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 1 aprilis 1727 pontif. anno III.

CLXXIII.

Confirmantur et declarantur privilegia super exemptione a decimis, aliàs universo Ordini Carmelitarum Excalceatorum concessa, in favorem Congregationis Hispaniarum eiusdem Ordinis[1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium

Iniuncti nobis caelitus pastoralis officii sollicitudo nos admonet, ut ea, quae ad sacrarum religionum et congregationum uberes bonorum operum fructus in Ecclesiâ Dei proferre iugiter satagentium favorem et levamen ex huius S. Sedis providentiâ emanata noscuntur, quo firmiora semper atque illibata persistant, apostolici muniminis praesidio roboremus.

Universus Ordo praedictus a Romanis Pontificibus aliàs exemptus fuit a solutione decimarum.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Michaël a Christo procurator generalis fratrum Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniarum, quod, licet universus Ordo adeoque etiam Congregatio huiusmodi, iuxta privilegia apostolica eis concessa, exempti reperiantur a solutione decimarum etiam per Romanos Pontifices pro tempore existentes impositarum, nedum ratione fructuum cuiusvis speciei qui intra septa murata locorum Ordinis et Congregationis praefatarum colliguntur, sed etiam reliquorum bonorum eis quomodolibet legitime acquisitorum et acquirendorum, tametsi extra septa conventuum positorum, prout in quibusdam felicis recordationis Clementis IV, Clementis VI et Sixti IV Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum litteris respective plenius continetur; ac proinde, in vim eorumdem privilegiorum, quilibet conventus Congregationis praefatae in Hispaniarum ac Portugalliae et Algabiorum regnis vigentis, cuius fratres exactam paupertatem profitentes bona extra septa eorum conventum non possident, sed dumtaxat congruum hortum muro circumdatum dictisque conventibus inclusum et incorporatum quem propriis sumptibus colunt, immunitate a decimis praefatis ab immemorabili tempore gavisi et potiti fuerint:

[1] Dicta privilegia concessa fuerunt a Clemente IV, Clemente VI et Sixto IV, quorum constitutiones, quae hic laudantur, in Bullario antiquo exaratae non reperiuntur.

A parochis et capitulis nonnullis adversus fratres praedictae Congregationis in quibusdam provinciis hac super re excitatae fuere lites.

§ 2. Nihilominus in aliquot eiusdem Congregationis provinciis, ac praesertim illâ S. Philippi regni Portugalliae et alterâ Baeticae nuncupatâ in Hispaniis, nonnulli ecclesiarum rectores, sive parochi, ac canonici et capitula eiusmodi exemptionem impugnare, et ab aliquot conventibus, ac praecipue illis B. Mariae Virginis de Remedios nuncupatae, civitatis Hispalensis, et de Carnide nuncupato, extra moenia civitatis Ulyssiponensis posito, dictae Congregationis, decimas pro fructibus ex eorum hortis seu terrenis huiusmodi collectis et in posterum colligendis exigere praetendunt, atque lites, quae etiamnum pendent, eis desuper moverunt, eo potissimum, quoad illum de Carnide, quod in memoratis praedecessorum nostrorum litteris dispositioni cap. *Nuper de decimis* derogatum minime fuerit, et, quoad alium civitatis Hispalensis conventum praedictum, quod eaedem litterae apostolicae suffragari nequeant pro illâ ratâ fructuum quae a fratribus praefatis interdum venditur. Ipse vero Michaël neutram ex his obiectionibus, etiamsi ad tramites et rigorem iuris examinari ac discuti deberent, subsistere posse pro certo tenet: tum quia si aliqua portio fructuum, olerum et aliarum rerum, quae supersunt a fratribus dicti Hispalensis seu aliorum eiusdem Congregationis conventuum vendatur, pretium inde retractum in alios usus et necessitates ipsorum conventuum et fratrum dictae Congregationis, horumque alimoniam et substentationem, quibus, utpote bona extra septa praefata possidendi incapacibus, aliter provideri nequit, converti et erogari consuevit, adeoque dicti fructus, qui etiam venduntur, usibus ipsorum conventuum et fratrum semper deserviunt: tum quia expressam derogationem supradicti capituli *Nuper de decimis*, ut enarratae praedecessorum litterae Ordini et Congregationi praefatis suffragarentur, nusquam de iure necessariam fuisse existimat, et, quatenus etiam illa requireretur, satis esset quod in similibus privilegiis et exemptionibus a decimis, nonnullis aliis Ordinibus seu institutis vel societatibus regularibus concessis, quorum omnium communicationem recolendae memoriae Clemens VIII, praedecessor etiam noster, Ordini et Congregationi praefatis indulsit, derogatio eiusmodi diserte opposita legitur.

Preces procuratoris generalis.

§ 3. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, ipse Michaël, pro religiosâ Congregationis, conventuum ac fratrum praedictorum tranquillitate, eorumque indemnitate ac liberatione a quibuscumque dispendiis litium pendentium et quae progressu temporis adversus eos excitari possent, exemptionem a solutione decimarum praedictarum, eis, sicut praemittitur, concessam, quo firmius subsistat ac servetur exactius, apostolicae confirmationis robore communiri, ac, quatenus opus sit, innovari, et ad bona tam primae erectionis quam post fundationem acquisita intra muros eorumdem conventuum consistentia, illorumque fructus, qui a dictis fratribus consumuntur, aut interdum ad subveniendum aliis eorum necessitatibus venduntur, extendi plurimum desideret: nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Supprimuntur praedictae lites, ac privilegia praefata super exemptione a solutione decimarum eidem Congregationi aliàs concessa confirmantur, atque extenduntur.

§ 4. Nos igitur, eiusdem Michaëlis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, eumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poe-

nis, a iure vel ab homine, quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac supradictorum Clementis IV, Clementis VI et Sixti IV litterarum datas et tenores, necnon litium causarum huiusmodi in quibusvis tribunalibus pendentium statum et merita, nominaque et cognomina ac qualitates iudicantium et colligitantium, et alia quaecumque etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et specificatis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, easdem lites et causas a quibusvis iudicibus et tribunalibus ad nos auctoritate apostolicâ tenore praesentium avocamus, illasque penitus et omnino supprimimus et extinguimus, perpetuumque desuper silentium imponimus, ac privilegia super exemptione a solutione decimarum, Congregationi, conventibus et fratribus praefatis concessa seu quomodolibet competentia, expeditasque desuper memoratorum Clementis IV, Clementis VI et Sixti IV praedecessorum litteras praedictas, cum omnibus et singulis in eis contentis, *quoad bona quaecumque, intra muros tamen eorumdem conventuum, ac sub verâ et formali eorum clausurâ existentia dumtaxat, ac fructus qui inde colliguntur*, auctoritate et tenore praefatis confirmamus et approbamus, atque innovamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiungimus; necnon, quatenus opus sit, dicta privilegia et litteras ad eadem bona illorumque fructus, qui non solum per fratres praedictos pro eorum ac ipsorum conventuum usu consumuntur, sed interdum ad aliis eorum indigentiis subveniendum venduntur, extendimus et ampliamus, et ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inconcusse observari mandamus.

Clausulae.

§ 5. Decernentes, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet etiam specificâ et individuâ mentione digni in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, neque causae, propter quas ipsae praesentes emanarint, iustificatae et verificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensûs, aliove quilibet, etiam quantumvis magno et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illos aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et Apostolicae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et fun-

cturos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatoriae. § 6. Non obstantibus memorato cap. *Nuper de decimis*, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae nostrae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon, quatenus opus sit, Congregationis, Ordinis et conventuum praefatorum, et quarumcumque ecclesiarum et capitulorum, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Beneventi, sub annulo Piscatoris, die III aprilis MDCCXXVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 3 aprilis 1727, pontif. anno III.

CLXXIV.

***Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium super erectione unius seminarii pro missionariis in qualibet provinciâ familiae ultramontanae ac Indiarum Orientalium et Occidentalium Minorum de Observantiâ Discalceatorum et Recollectorum*[1].**

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Nuper, pro parte dilectorum filiorum fratrum provinciarum familiae Ultramontanae ac Indiarum tam Orientalium quam Occidentalium Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Discalceatorum et Recollectorum nuncupatorum, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod ipsi, ut animarum pretioso sanguine domini Iesu Christi redemptarum saluti proficere possent, in unâquaque ex dictis provinciis unum ex earum conventibus, per fratres definitorii provincialis cuiuslibet respective provinciae huiusmodi designandum, in collegium seu seminarium missionariorum, qui apostolicae missioni unice essent dediti, erigendi facultatem sibi concedi plurimum desiderabant; cuius quidem collegii seu seminarii guardianus et alii fratres, pariterque ipsum collegium, seu Expositio facti.

1 De confirmatione similis decreti pro erectione seminarii missionariorum in provinciâ S. Pauli Castellaeveteris eorumdem fratrum, vide aliam huius Pontificis edit. MDCCXXIV, die 5 septembris, pontif. I.

seminarium, strictissimis earumdem provinciarum constitutionibus gubernarentur, et ministris et definitoriis provincialibus pro tempore existentibus subiici deberent, quibus etiam electiones guardianorum eiusmodi collegiorum seu seminariorum necnon novitiorum receptio competeret, sicuti in aliis conventibus observabatur, non autem praelato generali subiicerentur, quemadmodum in quibusdam recolendae memoriae Innocentii PP. XI praedecessoris nostri in simili formâ Brevis expeditis litteris pro collegiis missionariorum ad familiam Hispanicam spectantibus disponebatur; prohibendo simul expresse, quod, dummodo in dictis provinciis praedicta collegia seu seminaria iam erecta existerent, nullus frater unius ex memoratis provinciis de illâ, titulo missionis, ad aliam provinciam transire possit; concedendo pariter his novis missionariis omnia et singula privilegia ac praerogativas in dictis Innocentii praedecessoris litteris contenta, quibusque alia missionariorum etiam regularis Observantiae seminaria fruebantur; remanente tamen intactâ et illaesâ eâdem praelati generalis auctoritate, quam in omnibus provinciis et conventibus totius Ordinis exercebat, exceptis immediatâ subiectione, electione guardianorum ac novitiorum receptione, quae, ut supra dictum est, ad ministros et definitoria provincialia spectare deberent, quemadmodum ab eâdem Congregatione cardinalium diebus XX augusti MDCCXXIII et VII decembris MDCCXXV provinciae Ss. Pauli et Gabrielis Ordinis praedicti indultum, ac subinde per quasdam nostras desuper in pari formâ Brevis editas litteras confirmatum fuerat: emanavit ab eâdem Congregatione cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum praedictum.

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentis narratis, referente eminentissimo Belluga, benigne indulsit ut patres provinciales praedictarum provinciarum, veris existentibus narratis, ad fundationem praedictorum collegiorum seu seminariorum missionariorum in uno ex conventibus earumdem provinciarum sibimet ipsis et definitoribus provincialibus beneviso, iuxta formam, praerogativas, privilegia et onera contenta in praecitatis Brevibus sanctae memoriae Innocentii XI, pro eorum arbitrio et conscientiâ, servatis servandis, deveniant, immediatâ tamen iurisdictione et electione guardiani et receptione novitiorum exceptis, quae reservatae intelligantur eisdem provincialibus modo supra descripto, cum expressâ etiam conditione ut religiosi praedictarum provinciarum de uno ad aliud seminarium alterius provinciae transire, et guardiani horum seminariorum erigendorum religiosos aliarum Ordinis provinciarum acceptare minime possint et valeant, firmis ceteroquin integris et illaesis remanentibus omnibus aliis praerogativis, auctoritatibus ac superioritatibus debitis et competentibus patri praelato generali Ordinis: constitutionibus apostolicis et Ordinis praedicti ceterisque contrariis quibuscumque non obstantibus, etc. — Romae XXIV ianuarii MDCCXXVII. — Card. FRANCISCUS BARBERINUS. — P. A. archiepiscopus Larissae, secretarius.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Ioannes Diaz a Conceptione, sacrae theologiae lector ac fratrum Discalceatorum et Recollectorum dicti Ordinis in Romanâ Curiâ procurator generalis, nobis subinde exponi fecit, ipse praemissa, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, specialem ipsi Ioanni procuratori generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a

iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae. § 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras firmas, validas etc [1].

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis, provinciarum et conventuum huiusmodi, etiam iuramento, etc [2].

Datum Beneventi, sub annulo Piscatoris, die III aprilis MDCCXXVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 3 aprilis 1727, pontif. anno III.

CLXXV.

Confirmantur litterae patentes magistri generalis Ordinis Minorum super institutione alternativae tripartitae in provinciâ Marianâ Minorum Reformatorum in Hungariâ [3].

Benedictus Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Expositio facti. § 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius procurator generalis Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ Reformatorum nuncupatorum, quod, cum dilectus filius Matthaeus a Pareta, minister generalis Ordinis eorumdem fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ etiam nuncupatorum, animadvertisset officia et dignitates in provinciâ Marianâ nuncupatâ praedicti Ordinis non sine maximâ partialitate distribui, itaut illius fratres natione Germani praesertim notabile inde detrimentum acciperent, ipse Matthaeus minister generalis, ut huic malo congruum adhiberet remedium, quamdam alternativam tripartitam inter fratres totidem nationum, Hungaricae scilicet, Germanicae et Slavonicae, quibus dicta provincia constituitur, statuit, aliaque ad servandam inter eos aequalitatem praescripsit, prout uberius continetur in ipsius Matthaei ministri generalis litteris patentibus desuper emanatis tenoris qui sequitur, videlicet:

Litterae patentes praedicti magistri generalis. *Fr. R. Matthaeus a Pareta lector iubilatus, sacrarum Congregationum Indicis et Rituum consultor, supremae et universalis Inquisitionis qualificator, et totius Ordinis sancti patris nostri Francisci minister generalis et servus.* — Cum, sicut accepimus a nonnullis probis fideque dignis religiosis specialiter requisitis, nostra reformata provincia Mariana in Hungariâ plurimos conventus locatos habeat, ubi vel integer populus aut pars illius linguam dumtaxat germanicam callet, ubique degere assolent Germani gubernatores, aliique tam ecclesiastici quam saeculares benefactores, cum quibus religiosi praesertim superiores iugiter agere debent; propterea opportunum ac necessarium semper putavimus, quod ibidem de familiâ ii religiosi collocentur, qui germanico idiomate rite concionari valeant, quodque, quantum distributiva iustitia patitur, superiores locales praeficiantur, qui eamdem germanicam linguam perfecte te-

1 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

2 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

3 Innocentii XIII constit. edit. MDCCXXI, die 16 iunii, pontif. I, confirmatum fuit decretum Congregationis episcoporum de alternativâ officiorum pro provinciâ S. Antonii in Lusitaniâ; et Clementis XII const. edit. MDCCXXXII, die 10 septembris, pontif. III, agitur de distributione officiorum provinciae Terrae Laboris eorumdem fratrum.

nent. Quia pariter abunde nobis probatum est, Germanos patres in praememoratâ nostrâ provinciâ, etsi prae ceteris in vineâ Domini laborantes, praedicationibus imprimis ac directionibus populorum inter haereticos et schismaticos degentium, ad provinciae tamen praefecturas, dignitates et officia, quam raro vix promoveri, nec ad habitum et professionem tot Germanos admitti, quot pro relatis laboribus forent necessarii, quinimo ex ipsis catalogis a provincialibus pro tempore transmissis satis superque constat easdem praefecturas, dignitates et officia non sine maximâ partialitate retineri ut plurimum ab uno vel altero ex quatuor nationibus ex quibus provincia praefata constat, cum notabili praeiudicio iustitiae distributivae et aliorum religiosorum; ex quibus profecto non sine publico detrimento, religiosa pax et quies nimium obturbari dignoscitur: idcirco, ad fraternam charitatem iustitiamque distributivam fovendam, et inter tantos haereticos animarum salutem magis procurandam, in[1] tres partes eamdem provinciam ingenii[2] linguis et nationibus divisam considerantes, videlicet in Hungaricam modo habentem circiter centumquadragintasex fratres, Germanicam religiosos itidem dugentos quadragintaunum continentem, et Slavonicam, sub qua Croatae comprehenduntur, numerum centumoctogintaunum constituentem, alternativam quoque in tribus his partibus in Domino statuere censemus, prout praesenti nostro decreto futuris perpetuis temporibus statutam decernimus et declaramus: itaut unâ electione fiat Germanus provincialis, Hungarus custos, definitores duo ex Slavonicâ parte, unus ex Hungaricâ et unus ex Germanicâ, ac secretarius ad libitum provincialis de natione Slavonicâ assumatur, et amanuensis scriptor de Hungaricâ: alterâ electione fiat Hungarus provincialis, Slavus custos, definitores duo Germani, unus Hungarus et unus de Slavis, secretarius Germanus, amanuensis Slavus: tertiâ electione fiat de Slavonicâ parte provincialis, custos Germanus, definitores duo Hungari, unus de Slavis, unus Germanus, secretarius Hungarus, amanuensis Germanus: sicque singulis in electionibus futuris hac methodo alternativâ continuari iubemus et praecipimus. Quoad guardianos tertialitas de qualibet parte dictarum nationum instituatur, ita tamen distributa, ut, quantum fieri potest, in locis ubi sola una natio populo in praedicationibus inservit, eiusdem nationis superior ponatur cum vicario; in locis vero, ubi duobus vel tribus nationibus servitur, alternativa conservetur, ut semel superior localis de unâ natione, aliâ vice de aliâ fiat, vicario semper existente de alterâ natione, quam sit guardianus, et discretus de tertiâ natione, ubi tribus nationibus insimul servitur concionibus. Novitiatum quaelibet natio in suo loco habeat sub suo primario et secundario magistro, ita et professorium sub duobus magistris. Quoad lectores, omnis possibilis aequalitas vel alternativa trium partium servanda erit, sine exclusione tamen magis dignorum. Quia tamen ex Croatis et Slavis una componitur pars, ideo in praedictâ unitate semper utrisque habenda erit ratio, adeout in officiorum et dignitatum distributione nunquam Croatae rationabiliter conqueri possint. Volumus autem, etiam ad maiorem omnium praefatorum firmitatem, ut, antequam hae nostrae definitiones executioni demandentur, confirmatio S. Sedis per patrem procuratorem generalem Reformatorum obtineatur et sollicitetur. — Datum Romae ex nostro conventu Aracaelitano, XI martii MDCCXXVII. — Fr. MATTHAEUS A PARETTA minister generalis. *Loco † sigilli.* — De mandato suae reverendissimae paternitatis, FRANCISCUS ANTONIUS MARIA SPINELLI secretarius generalis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus procurator generalis praemissa, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsius procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, beni- *Confirmatio relatarum litterarum patentium.*

1 Edit. Main. legit *ad* pro *in* (R. T.).

2 Ed. Main. legit *ingenti* pro *ingeniis* (R. T.).

gne annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas memorati Matthaei ministri generalis patentes litteras, omniaque et singula in eis contenta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae. § 3. Decernentes, praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces, etc[1].

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, praefatorum Ordinis, provinciae, etiam iuramento, etc.[2].

Datum Beneventi, sub annulo Piscatoris, die IV aprilis MDCCXXVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 4 aprilis 1727, pontif. anno III.

CLXXVI.

Conceditur capitulo S. Petri de Urbe facultas concedendi dimissorias ad omnes sacros ordines subditis monasteriorum eidem capitulo unitorum[3].

1 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

2 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

3 Pius IV anno MDLXIV, die XX iunii, univit mensae capitulari dictae basilicae, inter alias, abbatiam S. Rufilli Foropompilensis; et Innocentius XI const. ed. MDCLXXVIII, die XXV februarii, pontif. II, approbavit decretum dicti capituli de distributione beneficiorum clericis subditis dictae abbatiae.

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. **In apostolicae dignitatis fastigio, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam constituti, ad statum omnium catholici orbis ecclesiarum, praesertim almae Urbis nostrae basilicarum, quarum specialis nobis a** Domino credita est sollicitudo, personarumque in eis Altissimo assidue famulantium, propensis studiis iugiter intendimus, earumque decori, ornamento ac dignitati paternâ benignitate libenter consulimus, sicuti, omnibus maturae considerationis trutinâ perpensis, salubriter expedire in Domino arbitramur.

A Pio IV nonnulla monasteria capitulo praefato unita fuere cum eorum iurisdictionibus. § 1. Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum capituli et canonicorum basilicae S. Petri de Urbe nobis expositum fuit, quod, cum aliâs (postquam felicis recordationis Pius PP. IV praedecessor noster, intuitu ac in remunerationem quorumdam subsidiorum a capitulo ac tunc existentibus canonicis eiusdem basilicae in Sedis Apostolicae levamen collatorum, per suam cedulam motusproprii XII kalendas iulii anno MDLXIV seu alio veriori tempore expeditam, diversa monasteria abbatias nuncupata, et praesertim illa[1] S. Rufilli oppidi Foropompilii, in Ravennatensi, et Ss. Petri de Cusato ac Nazarii, in Salernitanâ respective seu aliis provinciis consistentia, unâ cum universis eorum iurisdictionibus, vassallis et subditis, eidem capitulo perpetuò univerat et incorporaverat, et a quacumque superioritate tunc et pro tempore existentium episcoporum Britonoriensis, Policastrensis et Caputaquensis tum[2] in spiritualibus tum in temporalibus exemerat) anno MDXCV tunc existens episcopus Policastrensis ius ecclesiam eiusdem

1 Male edit. Main. legit *illae* (R. T.).

2 Particulam *tum* nos addimus (R. T.).

Lites subortae et super his decisiones S. Congregationis.

S. Petri de Cusatis aliasque ab eâ dependentes parochiales ecclesias, in vim decretorum Concilii Tridentini, ac tamquam Sedis Apostolicae delegatus, visitandi sibi competere praetendisset, exhibitâ pro parte capituli et canonicorum praefatorum dictâ cedulâ motusproprii super unione et incorporatione eiusmodi Congregationi tunc temporis pariter existentium S. R. E. cardinalium ipsius Concilii interpretum, et rationum utrinque deductarum momentis per eosdem cardinales mature expensis, prodiit resolutio: *Non licere praefato episcopo dictas parochiales ecclesias tamquam unitas post concilium praefatum visitare.* Postmodum vero, nempe anno MDCLXXI, cum tunc etiam existens episcopus Britonoriensis, qui ad almam Urbem nostram limina Ss. apostolorum Petri et Pauli visitatum venerat, coram eâdem Congregatione cardinalium licet immerito conquestus fuisset, quod spolium suae ordinariae iurisdictionis in dicto oppido Foripompilii et Terrae de Meldola, quae a praefato monasterio S. Rufilli itidem dependent, passus fuisset, ipsaque Congregatio cardinalium eidem episcopo Britonoriensi mandasset ut iura sua, citatis capitulo et canonicis praedictis, deduceret: plura dubia in dictâ Congregatione cardinalium, et, inter alia, an praedicti capitulum et canonici litteras dimissoriales personis iurisdictionis eiusdem monasterii concedere possent, die XII martii MDCLXXII disputata fuere. Super quibus nullâ decisivâ captâ resolutione, eiusmodi causa et controversia per plures annos siluit, donec, illâ reassumptâ, ac praesertim super facultate concedendi dictas litteras dimissoriales, eadem Congregatio cardinalium (postquam die XXI ianuarii MDCCXIX, proposito sibi dubio, an, etiamsi constaret de territorio separato, capitulum et canonici praedicti dimissorias concedere possent, negative responderat) subinde die XXIII augusti MDCCXX inter cetera rescripsit, quod iidem capitulum et canonici Romano Pontifici pro obtinendo indulto litteras dimissoriales praedictas concedendi supplicarent. Unde ipsi felicis recordationis Innocentio PP. XIII praedecessori nostro preces porrexerunt, quatenus eis eiusmodi litteras dimissoriales suis subditis tam ratione S. Rufilli quam Ss. Petri de Cusato et Nazarii monasteriorum praefatorum dandi potestatem faceret. Quae memoratae Congregationi cardinalium pro voto, ita quod instantia proponeretur citatis episcopis praedictis, remissae fuerunt. Ubi die XXIII maii MDCCXXII proposito altero dubio, num praestandum foret consilium pro concessione eiusmodi indulti, directa[1] fuit resolutio, et rescriptum ut expectaretur exitus causae super territorio separato pendentis in causarum palatii apostolici auditorio, de cuius voto aliàs cognoscendam[2] esse censuerat; et in huius rescripti executionem capitulum et canonici eamdem causam in dicto auditorio prosecuti sunt. A quo, iuribus hinc inde deductis, strictim et apprime discussis, favore eorumdem capituli et canonicorum decisum ac resolutum fuit, constare de territorio separato in dicto monasterio S. Rufilli. Et deinde praefatus episcopus Britonoriensis decisiones ac resolutiones Rotales huiusmodi acceptavit, et liti super articulo dicti territorii separati cessit, ipsique demum capitulum et canonici enarratum votum ab ipso auditorio desuper expediri obtinuerunt.

[illegible]

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, capitulum et canonici

1 Videtur legendum *dilata* (R. T.).

2 Videtur legendum *cognoscendum* (R. T.).

praefati graves expensas in eiusmodi controversiâ, ac praesertim super territorio separato, pro cuius comprobatione multiplicia documenta invenire ac parare debuerunt, sustinendâ facere coacti fuerint, eorumque annui proventus aliquot ab hinc annis ob temporum calamitates notabiliter diminuti requirantur[1], novaque dispendia, si res denuo in dictâ Congregatione cardinalium pro illius voto impetrando agitanda foret, subire compellerentur; ex praemissis vero non obscure appareat ipsam Congregationem cardinalium concessionem praefati indulti rationi et aequitati consentaneam agnovisse, illiusque mentem fuisse ut illud concederetur si et quando de dicto territorio separato constaret, prout nunc de eo plane constat; plures autem Romani Pontifices praedecessores nostri, etiam post supradictum Concilium Tridentinum, facultatem dandi litteras dimissoriales huiusmodi monasteria similia obtinentibus concesserint: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio facultatis praedictae.

§ 3. Nos, eamdem basilicam S. Petri, quae speciale Sedis Apostolicae membrum et propria Romani Pontificis Sedes nec non ceterarum Urbis et orbis ecclesiarum speculum et decus existit, illiusque capitulum et canonicos amplioris honoris praerogativâ donare, ac aliquod peculiaris devotionis nostrae, quam erga eamdem basilicam gerimus, affectûs monumentum extare cupientes, ipsorumque capituli et canonicorum votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, memoratorum praedecessorum nostrorum exemplo, eisdem capitulo et canonicis, ut subditis praefatorum monasteriorum S. Rufilli oppidi Foripompilii, Ravennatensis, et Ss. Petri de Cusato ac Nazarii, Salernitanae respective seu aliarum provinciarum, nunc et pro tempore existentibus, litteras dimissoriales ad clericalem characterem et ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines suscipiendos concedere libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, facultatem perpetuo tribuimus et impartimur.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras, etiam ex eo quod quicumque, etiam specificâ et individuâ mentione digni, in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarunt, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque, quantumvis iustâ, legitimâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quocumque, etiam quantumvis magno et substantiali, ac incogitato et inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, limitari, ad terminos iuris reduci, aut in controversiam vocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitu-

[1] Videtur leg. *reperiantur* aut simile (R. T.).

tionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari vel intentari, aut impetrato, seu etiam motu proprio ac ex certâ scientiâ deque apostolicae potestatis plenitudine concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed ipsas praesentes litteras semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam caurarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et Apostolicae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac quacumque litis seu litium pendentiâ, et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon, quatenus opus sit, dictorum monasteriorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro eorum sufficienti dèrogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, iisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Beneventi, sub annulo Piscatoris, die XXVI aprilis MDCCXXVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 26 aprilis 1727, pontif. anno III.

CLXXVII.

Confirmantur universo Praedicatorum Ordini privilegia omnia ei concessa, et apostolicae constitutiones in eiusdem gratiam emanatae pariter approbantur et extenduntur, ac nonnulla quoque eidem conceduntur [1].

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a laudibus Ordinis Praedicatorum.

Pretiosus in conspectu Domini fratrum Praedicatorum inclytus Ordo, quem divinus sponsus ad cumulandos dilectae sponsae suae sacrosanctae Ecclesiae in

[1] Catalogus constitutionum privilegiorum omnium a praedecessoribus Romanis Pontificibus dicto Ordini concessorum hic fuse retexitur.

terris militanti caelestes triumphos excitavit, et quem nos ab ineunte aetate nostrâ expresse professi sumus, promeretur, ut ea quae, ob innumera et in dies adolescentia erga Sedem Apostolicam merita, de plurium Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, diversis sic meritis et ipsis exigentibus temporibus, gratiâ processerunt, in unum a nobis redigantur, approbentur, confirmentur, et de novo, novis etiam supervenientibus meritis, concedantur, ut ex eis omnibus sic in unum redactis debita privilegiorum amplitudo, et ex eâ altitudo appareat meritorum, et Ordo ipse in nobis filii expertus obedientiam et reverentiam, paterni nunc quoque, divinâ sic disponente bonitate, nostri amoris affectum experiatur et liberalitatem.

Confirmantur constitutiones omnes Romanorum Pontificum quibus indulgentiae, gratiae ac privilegia eidem Ordini concessa fuer.

§ 1. Hinc nos, qui dudum inter alia voluimus quod litterae super indulgentiis non expediantur *ad instar*, nisi specificentur, Ordinem Praedicatorum huiusmodi amplioribus gratiis et favoribus prosequi volentes, ac dilectos filios fratrem Thomam Ripoll magistrum et fratrem Angelum Gulielmum Molum procuratorem generales Ordinis, omnesque et singulos illius superiores et fratres, aliasque personas suo loco subiungendas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon omnium et singulorum infrascriptorum Romanorum Pontificum praedecessorum, et nostrarum mox referendarum litterarum, ac Congregationum decretorum inferius dicendorum respective tenores praesentibus, perinde ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso inserti forent, pro expressis habentes, motu proprio, non ad alicuius super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ merisque deliberatione et liberalitate nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eidem Ordini omnes et singulas successive recensendas, ac alias quascumque gratias, exemptiones, indulgentias et peccatorum remissiones, necnon concessiones cuiuscumque generis, conditionis et speciei, fratribus et sororibus quibuscumque praedicti Ordinis Praedicatorum ac etiam Tertii Ordinis de Poenitentiâ S. Dominici nuncupatis de apostolicâ largitate concessas, tam generaliter quam specialiter et in individuo, confirmamus, innovamus, et, quatenus opus sit, de novo concedimus.

Confirmantur primo indulgentiae Confraternitatis SS. Nominis Iesu, quae ab Ordine Praedicatorum originem traxit concessae

§ 2. Et primo quidem omnes et singulas indulgentias, confraternitati sanctissimi Nominis Iesu sive aliàs Nominis Dei et iuramentorum (quam ab ipso Ordine Praedicatorum originem duxisse praedecessor noster S. Pius V in litteris *Decet Romanum Pontificem* XXI iunii MDLXXI animadvertit, eiusque auctorem antea fratrem Didacum de Victoriâ conventus S. Pauli Burgensis praedicti Ordinis, eumdemque egregium verbi Dei praedicatorem, dixerat Pius PP. IV in constitutione *Salvatoris* idibus aprilis MDLXIV[1]) a praedicto Pio IV in aliâ constitutione incipiente *Iniunctum nobis*, eisdem die et anno, Gregorio XIII in litteris suis *Aliàs per felicis recordationis Pium PP. IV*, et duabus aliis incipientibus *Aliàs felicis recordationis Pius PP. IV*, IX iulii et V septembris MDLXXX, et XXII septembris MDLXXXIII, ceterisque aliis Romanis Pontificibus deinde concessas: declarantes eas o-

1 Male edit. Main. legit *1571* (R. T.).

nınes indulgentias accipiendas esse ad normam litterarum Pauli V *Quum certas unicuique confraternitati*, xxxi octobris MDCVI, *Pias christifidelium*, xxviii septembris MDCXII, *Quum sicut nuper accepimus*, I aprilis MDCXIII, atque venerabilis recordationis Innocentii XI *Quum dudum*, xviii aprilis anno MDCLXXVIII; declarantes insuper ac mandantes, iuxta praelibatas litteras S. Pii V, confraternitatem eamdem in locis, in quibus conventus Ordinis praefati existunt aut quandocumque sunt extituri, in solis eiusdem Ordinis ecclesiis existere posse, ac in eisdem dumtaxat per fratres praedictos functiones quaslibet ad dictam confraternitatem spectantes esse peragendas, nisi aliàs speciali indulto aliud ab Apostolicâ Sede forte concessum reperiatur, necnon, ad normam praedictarum Pauli V litterarum *Quum certas*, potestatem tales confraternitates erigendi et fundandi, ac indulgentias communicandi, aliàs a S. Pio V, in memoratis litteris, provincialibus ac etiam conventuum prioribus permissam, soli Ordinis generali magistro vel vicario generali esse privative adiudicandam.

Indulgentiae pariter et gratiae concessae confraternitati SS. Corporis Christi in ecclesiâ S. M. super Minervam praedicti Ordinis.

§ 3. Indulgentias quoque ac gratias omnes confraternitati SS. Corporis Christi in ecclesiâ domus B. M. V. super Minervam praedicti Ordinis Praedicatorum (ex qua tamquam a primâ et principe innumerae aliae in totum, qua late patet, christianum orbem, in perpetuum tanti sacramenti cultum, prodiere) a praedecessoribus nostris ab eiusdem origine benigne concessas, nimirum a Paulo Papa III in constitutione *Dominus noster Iesus Christus transiturus*, pridie kalendas decembris MDXXXIX, et *Ad providam;* Gregorio XIII *Pastoris aeterni*, VIII idus augusti MDLXXIII; Paulo V in constitutione *Quum certas*, III novembris MDCVI.

Indulgentiae insuper et gratiae concessae societati SS. Rosarii ab ipso S. Dominico instituti.

§ 4. Insuper indulgentias societatis SS. Rosarii ab ipso Ordinis Praedicatorum fundatore patre S. Dominico cum insigni animarum fructu et B. M. V. honore instituti, a quocumque et quomodocumque concessas, nominatim vero a laudato S. Pio V (LXXXVI[1]) *Inter desiderabilia*, XXVIII iunii MDLXIX, et a Sixto V (XXI) *Dum ineffabilia*, XXX ianuarii MDLXXXVI, Urbano IV, Ioanne vulgo XXI, Sixto IV, Innocentio VIII, Alexandro VI, Iulio II, Leone X (qui in constit. XLVI *Pastoris aeterni*, pridie nonas octobris MDXX, concesserat ut confratres et consorores Rosarii per confessarium praedicti Ordinis Praedicatorum in certis diebus ab eodem assignatis absolvi possent ab omnibus casibus et censuris etiam Apostolicae Sedi reservatis, exceptis contentis in Bullâ Coenae, eorumque iuramenta quaecumque, sine praeiudicio alicuius, relaxari, et vota, ultramarinis, visitationis liminum beatorum Apostolorum Petri et Pauli, necnon castitatis et religionis votis exceptis, in alia pietatis opera commutari, Ordinarii loci vel cuiusvis alterius licentiâ desuper minime requisitâ; quae quidem, ut supra, pariformiter confirmamus, innovamus et de novo concedimus, sed intelligenda et accipienda volumus et declaramus iuxta sancita a Clemente VIII in constitutione CXV *Quaecumque a Sede*, VII decembris MDCIV, § 9, nimirum ut confessarii praedicti ab Ordinario loci et a suis superioribus sint approbati, neque absolvere possint a gravioribus casibus praedictae Sedi reservatis, et ab ipso Clemente VIII ibidem expressis aut reservatis Ordinario loci, neque ab excommunicatione ab homine latâ, neque dispensare valeant cum praedictis super quacumque irregularitate ex defectu vel delicto proveniente), Adriano VI, Cle-

[1] Numerus const. citatur iuxta edit. Cherub.; in nostrâ edit. Main., ista est 132 (R. T.).

mente VII, Paulo III, Iulio III, Paulo IV, Pio IV et praedicto S. Pio V, ac Gregorio XIII, necnon a nonnullis praedictae Sedis de latere legatis et nuntiis, ac demum ab Innocentio XI *Nuper pro parte*, XXXI iulii MDCLXXI, simulque decreta novissima per Congregationem sacris indulgentiis praepositam edita XIII aprilis et XIII augusti MDCCXXVI, et per nos approbata: ad consolationem personarum vere rudiorum ac divinis meditandis mysteriis in praefato SS. Rosario comprehensis minus idonearum, praeterea declarantes easdem devotâ ac piâ eiusdem Rosarii recitatione praedictas indulgentias, iuxta posterius hoc decretum mysteria illa meditantibus tantummodo concessas, etiam lucrari posse; tametsi plane volumus ut iisdem Reparationis nostrae mysteriis sacratissimis meditandis iuxta Rosarii institutum assuefiant.

Conceditur praeterea indulgentia plenaria ad augendam eiusdem Rosarii devotionem.

§ 5. Ut tamen devotio Deo et[1] B.M.V. adeo accepta ac populis salutaris in dies augeatur, de apostolicâ benignitate indulgemus, quatenus in perpetuum visitantes infra octavam vel in ipsâ octavâ festi Rosarii capellam, in qua erecta sit societas eiusdem Rosarii, die per eosdem eligendâ, indulgentiam plenariam consequantur, si confessi ac sacrâ Eucharistiâ refecti pias de more Ecclesiae ad Deum preces effuderint; declarantes, ad mentem quoque praedecessorum nostrorum, hanc et ceteras superius confirmatas indulgentias, visitantibus capellam Rosarii concessas, eos solummodo lucrari posse, qui capellam ipsam sive altare, non vero quamcumque SS. Virginis Rosarii statuam extra capellam praedictam constitutam visitaverint.

Confirmantur et ampliantur et extenduntur quaecumque aliae constitutiones editae respectu quorumcumque rosariorum.

§ 6. Ne vero eadem devotio in posterum minuatur, constitutionem CXLIX Alexandri VII incipientem *In supremo*, editam die XXVIII maii MDCLXIV respectu Rosarii vulgo *Seraphici*, et aliam Clementis XI *In supremo* ad petitionem moderni Ordinis Praedicatorum procuratoris generalis VIII martii MDCCXII respectu alterius Rosarii in honorem SS. Trinitatis nuncupati consultâ sacrorum Rituum Congregatione emanatam, confirmamus et innovamus, ut supra, easque et in eis contenta quaecumque extendimus et ampliamus, motu, scientiâ et potestate similibus, ad cetera quaecumque Rosaria de novo inventa aut invenienda sine opportunâ praedictae Sedis facultate, quibus authenticum Rosarium praedictum, Deo et B. M. V. sacrum, non sine fidelium perturbatione antiquaretur. Confirmamus pari et expressâ ratione eidem Ordini privative, circa missam votivam privilegiatam praedicti Rosarii incipientem *Salve radix sancta*, constitutionem XXIX Clementis X incipientem *Caelestium munerum* XVI februarii MDCLXXI.

Necnon constitutiones super facultate privativâ societates Rosarii erigendi, magistro Ordinis concessâ.

§ 7. Praedecessorum insuper quorumvis nostrorum constitutiones, necnon Congregationis Rituum in unâ *Mediolanensi* decretum latum die IX aprilis MDCLXI, quibus, post S. Pium in praedictâ constitutione *Inter desiderabilia*, asserta est privativa facultas erigendi ac fundandi societates Rosarii, eisque praedictas indulgentias communicandi, soli magistro Ordinis aut vicario generali praedicto; ita tamen ut per praesentem constitutionem nostram motu, scientiâ et potestate praedictis indultum illud per praedecessores nostros Innocentium XII et Clementem XI in apostolicis litteris suis similiter incipientibus *Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Antonius Cloche* I martii MDCXCII et XVIII februarii MDCCXIII eidem tunc in humanis existenti Ordinis praedicti magistro quoad viveret

[1] Edit. Main. legit *a* pro *et* (R. T.).

concessum circa facultatem provinciales Canariensem, S. Crucis, S. Antonini in Indiis, Mexicanum, Peruanum, Quitensem, Chilensem, Oaxacanum, Chiapensem, Angelorum in Novâ Hispaniâ, Philippinarum, et Congregationis Indiarum Orientalium Portugalliae, necnon vicarios provinciales missionariorum in Tunkini et Sinarum regnis, pro erectione societatis Rosarii in illis regionibus longissime distantibus substituendi et delegandi, eâ lege ut iidem alios subdelegare nullatenus possent, et quotannis eumdem Antoninum de erectis confraternitatibus certiorem reddere tenerentur, ac salvâ semper auctoritate Congregationis venerabilium fratrum S.R.E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum, non solum ad modernum primodictum, sed etiam ad quemvis pro tempore futurum praedicti Ordinis magistrum, etiam respective ad provincialem de Buenos Ayres et ad vicarios Congregationis SS. Nominis Iesu et SS. Rosarii in Americâ, ac etiam in ordine ad erigendas societates supradictas eiusdem Nominis Iesu, et infra dicendas Militiae S. Thomae in praedictis omnibus regionibus, extendimus et ampliamus; ac demum declarationem praedictae Congregationis indulgentiis praepositae, VII septembris anno MDCVII, de mandato praelaudati Clementis VIII, nimirum pro erigendis novis illis aliisque societatibus non requiri distantiam illam quae per antiquiores apostolicas ordinationes sancita fuerat, dummodo cetera serventur requisita.

Indulgentiae pariter et gratiae crucesignatis ac ministris sancti officii concessae.

§ 8. Deinde indulgentias omnes ac singulas et gratias a S. Sede crucesignatis ac ministris S. Officii concessas, neque ab eâdem Sede expresse revocatas.

Insuper indulgentiae Militiae Angelicae S. Thomae.

§ 9. Ulterius indulgentias omnes et singulas et gratias societati *Militiae Angelicae* aut *Cinguli S. Thomae Aquinatis*, pro obtinendâ sub protectione eiusdem in arduo tentatae castitatis certamine victoriâ ac respective propagandâ erga sanctum doctorem devotione fundatae, concessas pro diversis ecclesiis conventuum nostri Ordinis praedicti ab Apostolicâ Sede per Innocentium X, Brevi dato ad Lovanienses XXI martii MDCLIV, Innocentium XI pro ecclesiâ sub nuncupatione Rosarii conventus Veneti, et praecipue per Innocentium XII pro ecclesiâ conventus Mutinensis sub die XXIV decembris MDCXCV, ac pro ecclesiâ conventus Caesaraugustani ad S. Idelphonsum in constitutione incipiente *Considerantes nostrae mortalitatis*, idibus septembris MDCXCIII; cui inhaerentes, praecipuum huius Societatis festum declaramus diem XXVIII ianuarii, translationi corporis sancti doctoris sacrum, eamque societatem cum praedictis indulgentiis et gratiis a praedecessoribus nostris concessis ad totum praedictum Ordinem Praedicatorum, auctoritate ut supra, extendimus et ampliamus: eidemque, quatenus opus sit, unientes et incorporantes societatem Academiae studentium eiusdem S. Thomae, fundatam in ecclesiâ Barchinonensi fratrum Praedicatorum ad honorem S. Catharinae virginis et martyris erectâ, ac cum praedictâ ferme convenientem, atque confirmatam et pluribus indulgentiis auctam a Sixto V in constitutione suâ *Salvator noster*, kalendis iunii MDLXXXVI, deinde a Paulo V in constitutione incipiente *Pietatis et christianae charitatis*, IV septembris MDCXVII, ac demum ab Innocentio XI *Dudum felicis recordationis Paulus Papa V*, XVI iunii MDCLXXXI, concedimus et communicamus quaslibet indulgentias a mox dictis praedecessoribus nostris huic societati Academiae concessas, ac

illi antea ex aliis praedictis apostolicis indultis non convenientes, ac expresse et signanter illam sexaginta dierum pro iis qui ex eâdem societate conclusionibus et disputationibus theologalibus eiusdem societatis interfuerint, quo sic angelico S. Thomae lacte pasti ac nutriti confratres et consorores, castitatis donum Deo dante felicius tueantur, aut consequantur amissum, eâdem auctoritate apostolicâ praefatas confraternitates erigendi et instituendi ubique facultatem, et quidem privativam, concedentes magistro Ordinis ac vicario generali pro tempore.

Item indulgentiae aliis societatibus et ecclesiis Ordinis concessae.

§ 10. Demum indulgentias quarumcumque aliarum societatum, in ecclesiis quibusvis Ordinis praedicti canonice erectarum, eisdem a praedictâ Sede concessas[1], sicuti et quaslibet indulgentias Ordinis ecclesias visitationibus[2] a quocumque concessas; iisque addimus indulgentiam quinque annorum totidemque quadragenarum singulis devote deosculantibus religiosum habitum Ordinis benedictum.

Bona ipsarum societatum ad Ordinem pertineant, et congregationes saeculares ipsa administrantes compescuntur.

§ 11. Quum vero nobis multiplici constet experimento, congregationes ab usu vel non usu cappae *cappatas* et respective *non cappatas*, aut quocumque nomine appellatas uniones saecularium administrantium temporalia bona ad praedictas Nominis Iesu, Rosarii, aliasque societates saeculares in ecclesiis praefati Ordinis fundatas spectantia, quaeque de directo dominio praefatorum fratrum sive eorum conventuum aut ecclesiarum, in opus pium etiam determinatum convertenda, vere et realiter sunt, et, quatenus opus sit, vere et realiter esse ac fore quandocumque, motu, scientiâ et auctoritate praedictis, declaramus et sancimus, sive ad aliquod pietatis opus vel devotionem aliquam peragendam in eisdem ecclesiis aut in aliquo oratorio ad praedictum Ordinem quoque spectante quomodocumque introductas, contra suam ipsarum institutionem, in apertam Dei, B. M. V., sanctorumque sub quorum invocatione erectae fuerant ac fundatae, gravemque iniuriam, fidelium scandalum, et praedicti Ordinis fratrum perturbationem ac praeiudicium, passim contra ipsorum superiorum eiusdem Ordinis auctoritatem per despoticam bonorum praedictorum administrationem per lites acerrimas fratribus intentatas ac nonnisi expensis societatum praefatarum in praeposterum usum conversis introductas ac terminatas, per apertum contemptum, immo quandoque, quod longe intolerabilius est, per violentam sui ipsorum introductionem in sanctuarium, sive in ea, quae mere spiritualia aut spiritualibus adnexa sunt, necnon per plures alios diversos modos, utique damnandos, sese erigere atque intromittere: hinc, ad tantum malum tollendum, per novissimum capitulum generale Ordinis Bononiae habitum MDCCXXV in commissione II ad nos delatum, et ad consulendum Dei, B. M. V., et sanctorum famulatui, ecclesiarum decori, ac fratrum Praedicatorum quieti, non solum hactenus aliquas eiuscemodi effraenes congregationes per apostolicas litteras suppressimus, verum, ut apostolica providentia nostra ad totum spectatissimum Ordinem in hoc ipso quoque sese extendat, motu, scientiâ et potestate praedictis, sub interminatione divini iudicii, necnon sub excommunicatione latae sententiae eo ipso absque aliquâ aliâ declaratione incurrendâ, a qua solum per magistrum generalem vel generalem vicarium Ordinis, et non per alium quemcumque inferiorem, ab-

1 Edit. Main. legit *concessa* (R. T.).

2 Videtur legendum *visitantibus* (R. T.).

solvi possint, omnibus et singulis fratribus et superioribus etiam provincialibus praedicti Ordinis praecipimus et mandamus hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione, ne, ubi hactenus praedictae aliaeve consimiles quaecumque congregationes aut uniones erectae, fundatae et institutae non sunt, non solum actu introducere, sed ut introducantur attentare, vel operari, inconsulto Romano Pontifice pro tempore, audeant vel praesumant. Ubi vero primum sub verae devotionis obtentu vel fratrum conniventiâ vel aliâ quacumque viâ et causâ in ecclesiis aut conventibus et oratoriis praedictis, actu erectae et institutae reperiuntur, districtissime in virtute sanctae obedientiae eisdem congregationibus, aut unionibus, earumque singulis membris praecipimus et mandamus, ut, iuxta religiosum ac pium societatum, quarum sunt ministri, institutum, omnino intra certos modestiae terminos ita sese contineant, ac in Dei famulatu exerceant, ut firma penitus ac illaesa undique sit debita respectivis superioribus praedicti Ordinis, eorumque delegatis religiosis, obedientia et subiectio in iis omnibus, quae societatem ac etiam congregationem ipsam, sive spiritualia sint, sive temporalia, et nominatim ac signanter et expresse dispensationem, custodiam ac usum praedictorum bonorum mobilium et immobilium quorumvis quomodocumque spectant, ut uno corde et ore cum praedictis fratribus directoribus Deo in odorem suavitatis ministrent.

Supprimuntur congregationes praedictae si obsistere pergant iis quae sancita sunt.

§ 12. Si vero, quod absit, congregatio aliqua, praetextu consuetudinis etiam immemorabilis aut conventionis, vel alterius cuiuscumque tituli, adhuc obsistere pergat in iis quae praesenti hac nostrâ constitutione sancita sunt, motu, scientiâ et potestate similibus eam eiusque omnia et singula membra contra praedicta quovis modo refragantia privamus tam in vitâ quam in morte et post mortem omnibus et singulis indulgentiis et gratiis spiritualibus quibuscumque ad societatem, ad quam pertinebunt, spectantibus, eamque vel eas supprimimus atque dissolvimus, quinimmo privatas, suppressas et dissolutas declaramus et decernimus; mandantes locorum Ordinariis, ut, de hoc ipso per praedictos fratres admoniti, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, talem dissolutionem et suppressionem ad exitum perfectum omnino perducant, applicatis bonis mobilibus, et quidem omnibus, in universum et quibuscumque, favore ecclesiae fratrum; immobilibus vero dumtaxat post deductam favore eiusdem ecclesiae fratrum congruam dotem pro decenti manutentione capellae seu altaris, necnon pro missis perpetuo per ipsos celebrandis, seminario clericorum, eoque deficiente, alteri operi pio sibi beneviso, quoties tamen bona praedicta tam mobilia quam immobilia praefatae capellae aut altari fratrum ex aliquâ gravissimâ causâ minime relinquenda fore visum fuerit. Si vero bona ipsa leviora sint, eadem omnino capellae sive altari et conventui plenarie applicanda sancimus et applicata declaramus.

Idem quod supra praescribitur saecularibus congregatis ad administranda bona societatis Rosarii et SS. Nominis Iesu.

§ 13. Eamdem vero subiectionem praelatis ac religiosis Ordinis circa praedicta omnia praestabunt etiam saeculares quicumque congregati ad administranda bona societatis Rosarii in iis locis, in quibus auctoritate apostolicâ vel magistri Ordinis erecta fuerit societas, postquam in ipsis locis erigi contigerit conventum dicti Ordinis, cui eo ipso plenarie ac subiective accedit societas huiusmodi, cum omnibus et singulis indulgentiis, pertinentiis ac bo-

nis quibuscumque suis spiritualibus et temporalibus, non solum ex litteris erectionis per magistrum Ordinis dari solitis, sed etiam ex apostolicâ Gregorii XIII constitutione *Dudum siquidem*, I augusti MDLXXV, quam nos confirmantes, innovantes, aut de novo concedentes (atque etiam per omnia similiter extendentes ad societatem SS. Nominis Iesu) nunc pro tunc talem societatem, cum cuiuscumque generis bonis spiritualibus et temporalibus, mobilibus et immobilibus, adiudicamus, unimus et incorporamus, et sic adiudicata, unita et incorporata declaramus conventui sive ecclesiae dicti Ordinis: mandantes, quoad societatem ipsam et bona quaevis spiritualia, ita inviolabiliter indefinite quidem et in perpetuum observari; quoad temporalia vero, quotiescumque iustâ de causâ a magistro Ordinis pro tempore expendendâ, ac de ipsius licentiâ expressâ, non contingat fratres praefatos in erectionem alicuius novi conventus consentire cum aliquorum aut omnium illorum bonorum assignatione,* ad quem effectum eidem magistro necessarias et opportunas facultates elargimur: quatenus vero a tali praedictâ subiectione iidem congregati recedant, eorum congregationem pari ratione dissolvendam, immo dissolutam ex nunc, ut praedictum est, declaramus volumus et mandamus.

De processionibus a supradicti Ordinis fratribus peragendis confirmatur decretal. Pontificum [illegible]

§ 14. Quoad processiones autem, confirmamus, innovamus et de novo concedimus, motu, scientiâ et potestate ut supra, privilegium indultum fratribus praedictis a S. Pio V in litteris in formâ Brevis datis XX iunii MDLXX, quod soli possint peragere processionem cum augustissimo Sacramento in dominicâ infra octavam Corporis Christi horâ qua maluerint, et per vias semel tantummodo per eos eligendas; quod quidem indultum, non obstantibus quibuscumque constitutionibus apostolicis, et consequenter derogando illi Gregorii XIII quae incipit *Quum interdum*, XI martii MDLXXIII, non solum confirmavit et innovavit Clemens VIII in constitutione *Dudum felicis recordationis Pius Papa V*, VIII martii MDXCII, verum etiam illud extendit ad conventus quoscumque non modo iam erectos sed quandocumque erigendos, concessâ indulgentiâ plenariâ interessentibus eidem processioni; quae omnia amplissime confirmamus, ut praedictum est, quibuscumque, ut infra, plenissime derogantes, et mandantes praedictis fratribus, quatenus, omni cunctatione sepositâ, praedictam processionem solemniter instituant praedictâ die in iis saltem locis in quibus aliam non elegerint, ac praecipientes locorum Ordinariis ut quaevis impedimenta et obstacula efficaciter submoveant, ad hoc ut quae a praedecessoribus nostris Praedicatorum Ordini (cuius filius clarissimus divus Thomas incomparabilibus ac propemodum divinis praeconiis laudibus et hymnis per sacrum huiusmodi tempus recinendis gloriam SS. Sacramenti in catholicâ Ecclesiâ auxit perennavitque), ac propterea de auctâ simul et propagatâ veneratione Corporis Christi tantopere benemerenti, beneficia iure maximo collata, restituta in Domino gaudentes videamus.

§ 15. Indultum praeterea, eidem Ordini per nostras litteras incipientes *In supremo*, X aprilis MDCCXXV, impartitum, confirmamus, volentes et mandantes, quod eiusdem Ordinis fratres processionem solemnem Rosarii iuxta dictas litteras nostras in primâ dominicâ octobris celebrare debeant et respective possint absque interventu parochi, et licentiâ ab Ordinario loci minime requisitâ, sive sint in possessione eamdem

processionem faciendi, sive non. Ex quo vero nonnullis in locis, sicut percepimus, iidem fratres legitime impediti ex concursu alterius consimilis processionis aliorum conventuum eiusdem Ordinis, vel ex aliâ causâ, talem processionem ad alium diem differre coguntur, vel etiam, iuxta consuetudinem ibidem obtinentem, uno aut altero die B. Virgini Mariae sacro quotannis publicam processionem eiusdem Rosarii peragunt, motu, scientiâ et potestate saepe dictis tale indultum quoad omnia et singula in eo contenta pro eisdem circumstantiis extendimus et ampliamus.

Quoad processiones SS. Nominis Iesu.

§ 16. Pari ratione concedimus ac volumus in quolibet primo anni die eosdem fratres solemnem SS. Nominis Iesu processionem libere et licite ubique locorum peragere posse ac debere. Similiter confirmamus consuetudinem, pluribus in locis saltem aliquibus ab hinc annis, ut accepimus, obtinentem, eique apostolicae firmitatis robur adiicimus, quod in processionibus Nominis Iesu et Rosarii, quae singulis mensibus a fratribus praedictis, iuxta supra memoratas concessiones apostolicas, cum indulgentiâ plenariâ peraguntur, eaedem fiant etiam extra ambitus conventuum, quo uberius populi commoditati et devotioni, orationum recitationi, et ad convenientius lucrandum indulgentiam consulatur; districte prohibentes, ne super his a quocumque quavis auctoritate pollente impediri possint aut molestari: immo concedimus ceteris conventibus Ordinis, in quibus nimis compendiosus videri posset intra et circa claustra circuitus pro eisdem processionibus debite instituendis, convenientem transitum extra ecclesiam et claustra, cum Ordinario loci tantummodo et semel dirigendum, illum nunc pro tunc, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, ratum habentes et perpetuo retineri mandantes.

Declaratur ex praedictis processionibus nullum parochorum iurisdictioni praeiudicium inferri.

§ 17. Et quia praedictas sacras functiones, populum a vanis retrahentes et in Dei servitio diutius continentes, inde praecipue impediri contingit, quia parochis persuasum est per easdem suam ipsorum iurisdictionem deturbari, quum de reliquo iugi ac tumultuario saecularium per easdem vias, in quibus fierent processiones, excursu, eidem propriae iurisdictioni nullum praeiudicium inferri noscant et sciant: ad huiusmodi controversiarum radicem evellendam, motu, scientiâ et potestate, ut supra, sancimus, decernimus et declaramus, ex processionibus praedictis, aut aliis quibuscumque, etiam cum cruce erectâ et stolâ, nullum aut de iure aut de facto generari et sequi posse praeiudicium parochorum iuribus, necnon fratres praedictos cum cruce erectâ ac stolam gestantes sine licentiâ Ordinarii et interventu parochi easdem processiones omnesque alias peragere posse ac debere.

Decernitur quibus processionibus interesse debeant fratres praedicti Ordinis.

§ 18. Quum insuper nobis compertum sit, quantum detrimenti adferant studiis, regulari observantiae, ac etiam ecclesiasticis functionibus extraordinariae illae processiones, ad quas quandoque fratres praedictos adigi alicubi contingit, motu, scientiâ et auctoritate similibus volumus et mandamus, quod fratres praedicti non teneantur accedere, nisi ad processiones sequentes: ad illam scilicet quae fit in die Corporis Christi, illas quae fiunt in Litaniis Maioribus et Rogationibus, et alias quae pro bono, causâ aut honore publico ab episcopis indicentur, iuxta decretum generale anni MDCXXVIII. Circa quas tamen non intendimus aliquid innovare pro illis conventibus et locis, in quibus ex apostolicâ dispensatione, decreto aliquo

Congregationum S. R. E. cardinalium, vel consuetudine, fratres ad omnes vel aliquas processiones accedere antehac nón tenebantur aut non consueverunt; quos immo in hoc ipso nullatenus posthac turbari volumus; eaque indulta et consuetudines pro iisdem confirmamus, innovamus et de novo concedimus, ipsis apostolicae firmitatis robur addentes, sublatis quibuscumque decretis Congregationum, consuetudinibus etiam centenariis ac immemorabilibus, necnon pactis et conventionibus, ac ceteris contrariis quibuscumque.

Confirmatur et declaratur quoddam indultum eidem Ordini concessum super altaribus privilegiatis.

§ 19. Aliud quoque indultum ipsi Ordini per nos concessum in litteris datis XXII septembris MDCCXXIV, et incipientibus *Exponi nobis*, circa altaria privilegio affecta, non solum, ut supra, confirmamus et innovamus et de novo concedimus, verum praeterea declaramus, accipiendum iuxta alias litteras Clementis IX *Quum felicis recordationis Alexander PP. VII*, emanatas sub die XXIII septembris MDCLXIX, ita quod missae secundum tenorem litterarum nostrarum praedictarum a fratribus Praedicatoribus celebratae intelligantur et sint eodem privilegio affectae, etsi[1] non sint defunctorum, sive sint ex obligatione sive ex devotione, quotiescumque missa defunctorum celebrari non possit.

Item aliud indultum circa translationem indulgentiarum in translatione festivitatum eiusdem Ordinis.

§ 20. Illud indultum Ordini Praedicatorum aliàs impartitum a Leone X in const. *Exposuit nobis*, XXIII iulii MDXVIII, quod scilicet *quoties festivitates sanctorum Dominici, Petri martyris, Thomae de Aquino, et Catharinae Senensis, et octavarum earumdem celebrationes qualibet ex causâ, etiam extra tempus interdicti transferrentur, etiam indulgentiae ecclesias visitantibus in festivitatibus huiusmodi et per earum octavas pro tempore concessae, ad tempus celebrationis huiusmodi sint et censeatur translatae*, auctoritate apostolicâ approbantes, innovantes et de novo concedentes, ut supra, pari ratione extendimus ad alias festivitates aliorum eiusdem Ordinis sanctorum fastis adscriptorum, vel in posterum adscribendorum, et ad festum omnium ipsius Ordinis sanctorum quod die IX novembris celebrari solet, atque ad octavas et indulgentias pro eisdem a praedecessoribus nostris vel a nobis hactenus concessas, ac quandocumque concedendas, ac etiam ad festum et octavam SS. Rosarii quoties ob occurrentes maiores festivitates vel alias causas transferri contingat.

Necnon facultas concessa praelatis Ordinis absolvendi et dispensandi sibi subditos fratres et sorores a quibuscumque casibus etiam reservatis.

§ 21. Facultatem quoque datam a saepedicto S. Pio V in constitut. CXXXII *Romani Pontificis circumspecta benignitas*, XXI iulii MDLXXI, praelatis Ordinis absolvendi sibi subditos fratres ac sorores, et cum eis dispensandi, sicut absolvere et dispensare possunt episcopi cum eorum clericis ex decreto Concilii Tridentini, sess. XXIV, cap. VI (interdicto tamen penitus iisdem fratribus et sororibus usu *Cruciatae*, sive alterius cuiuscumque privilegii, ad eligendum sibi confessarium et obtinendas eiuscemodi dispensationes et absolutiones, quem usum etiam provide interdixerunt Clemens VIII const. LXIV *Romani Pontificis*, XXIII novembris MDXCIX, et Urbanus VIII const. *Cum in speculâ*, XIX iunii MDCXXX) iisdem praelatis confirmamus ut supra, innovamus, et, quatenus opus est, de novo concedimus. Ac insuper, attendentes Iulium II praedecessorem nostrum in constit. *Exponi nobis*, inferius referendâ, decrevisse, quod omnes praelati Ordinis Praedicatorum, quibus antea a Sixto IV in const. VII *Regimini*, kalendis ianuarii MCDLXXIV, § 4, et in aliâ incipiente *Quoniam omnes*, XXVIII maii MCDLXXXI, concessa fuerat potestas absol-

1 Vocem *etsi* nos addimus (R. T.).

vendi et dispensandi suos subditos in casibus Sedi Apostolicae reservatis etiam in Bullâ Coenae, et Gregorium IX, Innocentium IV, Alexandrum IV, Clementem IV, Bonifacium VIII, ac successive alios praedecessores nostros, ut religiosorum excursibus, Ordinis decori, ac superiorum auctoritati provide occurrerent, amplam iisdem praelatis Ordinis circa sibi subditos fratres et moniales facultatem dedisse ut super casibus et censuris eidem Sedi aliàs reservatis absolverent et dispensarent, confirmamus quoque, innovamus, de novo, ut praedictum est, concedimus; atque decernimus et declaramus, praedictos Ordinis praelatos absolvere posse fratres et sorores sibi subiectos et subiectas ab omnibus et singulis casibus et censuris Sedi Apostolicae etiam per Bullam Coenae reservatis, exceptis dumtaxat illis quos laudati Sixtus IV et Iulius II in praemissis eorum constitutionibus excipiendos fore voluerunt, eosque dispensare posse super quavis irregularitate, ex homicidio voluntario ortâ dumtaxat exceptâ; possit tamen solus magister Ordinis ab irregularitate huiusmodi dispensare cum fratribus suis subditis, dummodo homicidium non fuerit appensatum et intra claustra extiterit consummatum.

Statuuntur nonnulla circa privilegia absolvendi et relaxandi iuramenta et vota commutandi pro confessariis dicti Ordinis quoad personas saeculares.

§ 22. Animo quoque repetentes, a Sede Apostolicâ fuisse concessa quamplura privilegia circa absolutionem, relaxationem iuramentorum, et votorum commutationem, pro confessariis Ordinis praedicti quoad personas saeculares, ac praecipue spectantes ad societates supramemoratas, ad tollendas super hoc quascumque dubietates ex diversis praedictae Sedis iuxta temporum et circumstantiarum diversitatem provide emanatis dispositionibus, atque ex auctorum in diversa abeuntium opinionibus subortas, volumus sancita in praedictâ constitut. Clementis VIII incipiente *Quaecumque a Sede* ab omnibus circa quaslibet personas inviolabiliter observari. Bene verum est quod circa personas praedictis societatibus adscriptas intelligimus, prout volumus, et de apostolicâ benignitate indulgemus, concedimus et declaramus, ut a confessariis Ordinis Praedicatorum absolvi, eorumque iuramenta relaxari, ac vota commutari, sicut de confratribus et consororibus Rosarii supra diximus et concessimus, possint ac valeant, pro societate quidem SS. Nominis Iesu in primo anni et tribus immediate praecedentibus diebus, iuxta superius innovatas constitutiones Pii IV *Iniunctum*, et Gregorii XIII *Aliàs felicis recordationis Pius PP. IV*; pro aliis vero societatibus, in festo praecipuo ipsarum, et tribus diebus tale festum immediate antecedentibus, et circa reliquas personas saeculares societatibus minime adscriptas, iisdem confessariis Ordinis concedimus ut easdem ab aliis praedictae Sedi reservatis casibus et censuris absolvere, eorumque vota commutare ac iuramenta solvere, iuxta privilegia quae ipsorum aut alii ex inferius recensendis, sive alteri cuicumque regularium quocumque nomine nuncupatorum Ordini, congregationi aut societati ab Apostolicâ Sede concessa esse nec abrogata fuisse constiterit, possint ac valeant.

Circa approbationem audientium confessiones saecularium personarum

§ 23. Circa audientiam vero confessionum saecularium personarum quarumcumque, servandus erit tenor constitutionis CXXXIII S. Pii V *Romani Pontificis providentia*, VIII idus augusti MDLXXI, § 2, qua nimirum cavetur, semel approbatos praevio examine ab episcopo, ab eo iterum examinari non debere, necnon const. VII (*al.* 10) Clementis X incipientis *Superna*, § 6, qua disponitur,

cunctis fratribus unius conventus simul adimi non posse facultatem confessiones audiendi inconsultâ Sanctâ Sede.

Confirmantur porro indulta quaecumque eidem Ordini concessa quoad verbi Dei praedicationem.

§ 24. Memores porro quantum ex praedicatione verbi Dei catholica religio incrementum reportaverit, et quantum proinde meritum sibi comparaverint fratres huius Ordinis, quos perinde Sedes Apostolica ab incunabulis eiusdem Ordinis praeclaro nomine *Praedicatorum* insignivit, indulta desuper a praedecessoribus nostris concessa pro insertis habentes, atque fratribus ipsis quamplenissime confirmantes, innovantes, ac de novo concedentes, motu, scientiâ et potestate praedictis confirmamus facultatem praedicandi verbum Dei, ad normam tamen Concilii Tridentini, sess. XXIV, cap. IV, et declarationis S. Pii V in constitutione *Etsi medicantium*, et *Ad hoc nos Deus*, § 8: quam declarationem intelligendam esse volumus ubi pro habendis ad saeculares concionibus episcopus non contradicat alicui determinato fratri propter particularia motiva. Ad haec declaramus, mandamus et decernimus, ut supra, quod iidem fratres ex altari aut suggestu in ecclesiis sive oratoriis Ordinis devotionem sacri Rosarii potissime, tanquam eiusdem Ordinis insigne patrimonium, eiusque indulgentias, sicuti et ceterarum societatum in ipsis ecclesiis aut oratoriis erectarum aut deinceps erigendarum, nullatenus petitâ ab Ordinario loci licentiâ, promovere et praedicare libere ac licite possint ac valeant. Privilegia quoque missionariis Ordinis, etiam num hodie cum tanto vitae discrimine et animarum fructu inter barbaras nationes in Sinis, Tunkino, Armenia, Americanis insulis, ac alibi fidem catholicam strenue propagare pergentibus, concessa ante et post Ioannem vulgo XXII in constitutione *Quum sit hora*, III idus novembris MCCCXXI, a Sede praedictâ, indulgentias insuper omnes ac ceteras quascumque gratias pro insertis habentes, iisdem in Domino, ut supra, confirmamus, innovamus ac de novo concedimus et elargimur.

De sacramentis administrandis et sepeliendis famulis, aliisque in conventibus dicti Ordinis.

§ 25. Famulis vero commorantibus in obsequiis Ordinis Praedicatorum, ut fratres eiusdem quaevis sacramenta etiam in Paschate et in mortis articulo ministrare, eorumque cadavera, quum obierint, in ipsorum coemeteriis sepelire, inconsulto prorsus ac etiam renuente parocho, pariformiter concedimus ac elargimur, iuxta litteras Innocentii IV *Qui Deum totâ mente diligitis*, III nonas februarii MCCXLIV, confirmatas ab Alexandro IV in *Mari magno*, a Gregorio XI in Bullâ similiter incipiente *Qui Deum*, et a Nicolao V in Bullâ *Iustis et honestis*, pridie kalendas augusti MCDXLVIII, et Innocentio[1] VIII in constitutione incipiente *Exponi nobis fecistis*, XXIII octobris MCDLXXXVII: et haec quidem omnia extendi volumus et mandamus ad eos, quos devotione vel casu aliquo in conventibus Ordinis infirmari, sive etiam mori contingat.

Insuper confirmatur facultas superioribus dicti Ordinis indulta benedicendi vestimenta ecclesiastica aliaque.

§ 26. Insuper facultatem, indultam superioribus quibuscumque etiam localibus fratrum Praedicatorum, benedicendi quaecumque vestimenta aut paramenta ecclesiastica, in quibus non intervenit unctio, a Bonifacio IX in const. *Sacrae religionis*, V kalendas maii MCDII, ab Innocentio VIII loco statim referendo, et a S. Pio in Brevi incipiente *Volentes iis*, XXV iunii MDLXXI, solemniter, et iuxta ritum Ecclesiae, aquâ prius a catholico episcopo benedictâ, reconciliandi pollutas ecclesias, coemeteria aut claustra, a Clemente V in Bullâ editâ VIII idus martii MCCCVII, et ab Innocentio VIII per Bullam *Be-*

1 Edit. Main. legit *Innocentii* (R. T.).

signitas, MCDLXXXIV, et a S. Pio V in Brevi edito XVI iunii MDLXIX, eidem Ordini eiusque superioribus praedictis, motu, scientiâ et auctoritate similibus, confirmamus et innovamus; et respective declaramus praedictis superioribus esse praeterea permissum, aquâ, ut supra, ab episcopo benedictâ, novas ecclesias, nova coemeteria, capitula, claustra et oratoria benedicere, et haec omnia etiam de novo concedimus: et elargimur hoc amplius, quod, ubi dioecesanus episcopus renueret aquam a se benedictam concedere, possint et debeant licite et valide iidem fratres a quocumque catholico episcopo aquam in eius dioecesi benedictam ad praedicta praestanda accipere et adsportare.

Declaratur fratres praedicatores extra tempora sacris initiari posse.

§ 27. Quia vero ad aures nostras pervenit (non obstante nostrâ ac etiam novissimi Romani Concilii per nos habiti, tit. V, cap. XI, sententiâ quod *Regulares vigore suorum privilegiorum tuto et absque novo indulto apostolico extra tempora sacris initiantur* etiam post decreta Concilii Tridentini), a nonnullis etiam episcopis in dubium revocari an inter tales regulares, licet indefinite nominatos, recenseri debeant fratres praedicti Ordinis Praedicatorum: motu, scientiâ et auctoritate praedictis declaramus eosdem fratres ex nostrâ ac etiam dicti Romani Concilii definitione eodem privilegio frui ac potiri posse et debere, et, quatenus opus sit, pariformiter dispensantes super quacumque contrariâ dispositione, de novo illud idem privilegium pro singulari nostrâ erga praedictum Ordinem, intra cuius dilectissimum sinum adhuc versari gloriamur, dilectione, iisdem fratribus signanter, specifice et individuo concedimus, quatenus a dioecesano, eoque renuente aut non valente, a quocumque catholico episcopo ordines extra tempora suscipere, et episcopi ipsis conferre, libere et licite valeant iuxta declarationem S. Pii V in Bullâ *Etsi mendicantium*, decretum Clementis VIII, et uberius explicata in dicto Concilio Romano nostro tit. V, cap. I, et tit. XXI, cap. XI.

De monialium directione eiusdem Ordinis fratribus demandatâ, earumque confessariis, confirmantur quae ab aliis Pontificibus statuta fuere.

§ 28. Recolentes quoque, quantum monialium directio et clausura debeant praeclaro huic Ordini, et in primis quidem celeberrimo eiusdem patriarchae sancto patri Dominico, utriusque in hac ipsâ almâ Urbe nostrâ institutori, ac attendentes, Clementem IV in constitutione *Affectu sincero*, VIII idus februarii MCCLXVII, apostolicâ sollicitudine commendasse filiis tanti parentis curam illam monasteriorum, quam pridem a se abdicaverant, ut uberius et felicius insisterent ministerio verbi, factâ ipsis plenissimâ potestate easdem sanctimoniales visitandi, corrigendi, earumque confessiones non solum per magistrum Ordinis et provinciales, sed etiam per alios fratres idoneos audiendi, Benedictum XI eiusdem quoque Ordinis in constitutione *Sacra vestra religio*, III kalendas martii MCCCIV, easdem moniales a iurisdictione cuiuscumque extra praedictum Ordinem existentis exemisse, quod S. Pius, in suâ constitutione *Etsi mendicantium*, aliique consequentes Pontifices confirmarunt, ac ipsa Tridentina Synodus ratum habuit, sess. XXV, cap. IX: omnia haec supradictis motu scientiâ et potestate confirmantes, innovantes, ac, quatenus opus sit, de novo concedentes, decernimus et declaramus iurisdictioni praelatorum Ordinis subesse etiam puellas educationis causâ, aliasque mulieres ex legitimâ dispensatione introductas et degentes in monasteriis eiusdem Ordinis monialium exemptis et respective subiectis ut supra praelatis dicti Ordinis; et ita pariter mandamus

et declaramus, fratres confessarios in Ordine approbatos (circa quam approbationem nos quoque praelatorum Ordinis conscientiam summopere in diem Domini oneramus), et ab Ordine ipso de more ad monialium sibi subiectarum confessiones audiendas destinatos, locorum Ordinariis debitam reverentiam, atque in iis, quae per Concilium Tridentinum et Sedem Apostolicam circa monasteria exemptorum delegatâ auctoritate ipsis Ordinariis commissa sunt, neque nostrae huic constitutioni contrariantur, quantum in Domino poterunt manus adiutrices adhibere, nullatenus vero ab iisdem Ordinariis examinandos esse pro praedictarum monialium confessionibus audiendis, quemadmodum nec examinari debent, neque examinantur ab ipsis pro fratrum Ordinis confessionibus excipiendis, tametsi quandoque contra eosdem praedictâ delegatâ auctoritate procedere possint ac valeant; multo autem minus superiores sive locales sive provinciales, sive etiam magistrum ipsum Ordinis, qui ex praedictâ apostolicâ commissione Deo plenam reddituri sunt rationem de sibi subiectis monialium animabus, ut sic illaeso ac custodito veluti primario potestatis spiritualis charactere, quemadmodum alias ligare possunt ac ligant, ita etiam libere solvere possint ac valeant sibi subiectarum animarum conscientias, si ab ipsis quandoque sese sacramentaliter audiri postulaverint, quod plane aliàs, aut nullo modo, aut aegre admodum praestare possent: non obstantibus constitutionibus Gregorii XV *Inscrutabili*, et Clementis X *Superna*, ac decretis Congregationis Concilii, aliisque quibuscumque in contrarium facientibus, quibus plenissime derogamus.

Decernuntur quaedam alia

§ 29. Iisdem omnibus et singulis superioribus, atque ab ipsis delegatis fratribus, praedicationem verbi Dei pro monialibus sibi subiectis liberam esse debere, superioribus quidem prorsus et omni modo, delegatis vero religiosis cum superiorum eorum missione et benedictione [1]. Administrationem temporalem dictarum monialium, non raro per saeculares deturbata [2] cum evidenti monasteriorum detrimento, volumus pertinere ad superiores Ordinis, prout uberius infra disponetur. Circa accessum etiam extraneorum ad moniales et monasteria sibi subiecta, praedictos superiores posse ac debere iurisdictionem suam secundum apostolicas sanctiones tueri; salvâ in reliquis iurisdictione iure delegato episcopis competente; quibus tamen auctoritate apostolicâ penitus interdicimus ac prohibemus, ne circa visitationem clausurae ultra facultates, a Concilio sibi factas et concessas, ullatenus sese extendant, neve eiusdem obtentu in iis quae Ordinis superiorum sunt se intromittant. Si vero moniales ipsae servare renuant, quae pro observantiâ regulari exacte manutenendâ a superioribus Ordinis mandata fuerint, istis plenam inesse facultatem eadem monasteria libere dimittendi, ex apostolicis litteris ad vicarium generalem Lombardiae *Exponi nobis* datis a Leone X, VI novembris an. MDXV, quas hic pariformiter confirmamus, innovamus, ac ad totum Ordinem extendimus. Eisdem demum monialibus, sicuti et fratribus novitiis, in articulo mortis ante emissam professionem constitutis, integrum esse frui et potiri indulto S. Pii V in constit. CIX *Summi sacerdotii cura*, XXIII augusti MDLXX.

quoad praedicas moniales.

Recensentur constitutiones Romanorum Pontificum, qui doctrinam Angelici

§ 30. Quum autem silere nos minime deceat de doctrinâ angelici doctoris S. Thomae Aquinatis, cui ipsemet Ordo

1 Deest *decernimus* aut simile (R. T.).

2 Legendum *deturbatam* (R. T.).

Doctoris laudibus extulerunt, quae et confirmantur.

salubriter insistit, ignoramus plane quibus illam laudibus pro magnis suis in Ecclesiam meritis extollamus. Satius ergo ad absolutum illius praeconium putamus commemorare, ipsam ex Salvatoris crucifixi ore, sicuti pie testatur historia, fuisse probatam, et constanti Summorum Pontificum testimonio orthodoxis commendatam populis. Hoc potissimum suis constitutionibus et litteris apostolicis praestitere Ioannes vulgo XXII in const. XX, cuius initium *Redemptionem misit*, XV kalendas augusti, an. Domini MCCCXXIII; Clemens VI const. *In Ordine*, VIII idus februarii MCCCXLIV, Urbanus V in diplomatibus *Copiosus et laudabilis*, dat. X kalendas iulii et pridie kalendas septembris MCCCLXVIII; S. Pius V, XXXVI, *Mirabilis Deus*, III idus aprilis MDLXVII; Sixtus V, LXXVI, *Triumphantis*, pridie idus martii MDLXXXVIII; Clemens VIII, *In quo nos*, et *Quantum prodesse*, XXII novembris MDCIII, et *Sicut angeli*...; Paulus V *Splendidissimi*, XVII decembris MDCVII, et Alexander VII *Litteras*, VII augusti MDCLX. Æquum vero erat ut angelica doctrina tanti doctoris non vulgaribus efferretur encomiis, quae solis instar mundum universum illustrans uberrima christianae Ecclesiae bona peperit paritque in dies singulos multiplici fructu, supremo Apostolicae Sedis magisterio adversus quoscumque veteres ac recentes errores, quos revincit, fidelissime famulans. Eadem nos quoque diuturnis atque assiduis fere experimentis probe noscentes, per alias peculiares nostras litteras incipientes *Demissas preces*, datas VI novembris MDCCXXIV, calumnias eiusdem Angelici doctoris et S. Augustini doctrinae temere irrogatas retudimus, et, prout rei gravitas exposcebat, auctoritatis nostrae praesidio eliminavimus. Luculentius vero aestimationis argumentum in ipsam S. Thomae doctrinam nunc edituri, quo magis magisque Praedicatorum Ordo ceterique orthodoxi ac veri ipsius sectatores ad illius sinceram et tutam professionem inflammentur, praedictas omnes et singulas decessorum nostrorum constitutiones, litteras, seu, ut vocant, Brevia, necnon omnia et singula in eis contenta, supremâ, qua fungimur, auctoritate, motu, scientiâ et deliberatione praemissis, comprobamus, et rursus, quatenus opus fuerit, cum ipsismet editis nuper a nobis litteris innovamus. Ut autem turbulenti ac pertinaces tranquillitatis Ecclesiae catholicae perturbatores desinant orthodoxam S. Thomae doctrinam calumniari, ac ne deinceps praeposteris et a veritate alienis interpretationibus apostolicas ipsas litteras nostras, non sine apertâ, ut accepimus, verbis nostris ac etiam decessorum nostrorum irrogatâ violentiâ, tam Praedicatorum Ordinem, quam alios veros illius asseclas et sectatores incessere audeant, constit. XCVIII (*al.* 260) quae incipit *Pastoralis officii*, felicis recordationis Clementis XI omnibusque in eâ contentis firmiter inhaerentes, sub divini interminatione iudicii, iterumque sub canonicis poenis, omnibus et singulis christifidelibus mandamus, ne doctrinam memorati sancti doctoris, eiusque insignem in Ecclesiâ scholam, praesertim ubi in eâdem scholâ de divinâ gratiâ per se et ab intrinseco efficaci ac de gratuitâ praedestinatione ad gloriam sine ullâ meritorum praevisione agitur, ullatenus dicto vel scripto contumeliose impetant, ac veluti consentientem cum damnatis ab Apostolicâ Sede, et signanter a const. LXIV (*al.* 187) dicti felicis recordationis Clementis XI incipiente *Unigenitus*, Iansenii, Quesnelii et aliorum erroribus traducant; a quibus S. Thomas et vera schola thomistica quamlongissime

abest et abfuit, universis tam antiquis quam nunc Christi Ecclesiam vexantibus haeresibus et perniciosis assertis adversans. Damnamus item folia, theses et libros antehac typis impressos, vel etiam, quod Deus avertat, imprimendos, in quibus, ad procreandam seu fovendam doctrinae S. Thomae, Praedicatorum Ordini, aliisque genuinae thomisticae doctrinae asseclis invidiam, designatae atque damnatae a nobis calumniae assertive renovantur, vel in aliam a germanâ praedictarum nostrarum litterarum sententiâ, sive decessorum nostrorum mente, honorifica atque faventia doctrinae thomisticae verba fallacissime detorquentur. Deum veritatis et pacis enixe rogantes, ut, ad maiora gloriae suae incrementa, creditus nobis populus non minus traditâ a tanto magistro salutari doctrinâ, quam ipsius innocentium morum et illustrium virtutum imitatione proficiat.

De privilegiis adolescentium saecularium in praelaudati doctoris studiis insignioribus.

§ 31. Ne autem adolescentes saeculares a praelaudati divini doctoris scholâ deterreri contingat, ex quo nullum in eâ praemium, nulla expedita via pateat ipsis per theologicas disciplinas ad dignitates illas, quae solis lauream, licentiam vel gradum in theologiâ consequutis conferri debent ac possunt: motu, scientiâ et potestatis plenitudine, ut supra, ad universa insigniora studia generalia, collegia, studia quoque, ut dicunt, formalia, et ea, quae ad minus quatuor constent actualibus, et ex his duobus ut minimum in theologiâ lectoribus in quibuscumque provinciis Ordinis praedicti erecta vel erigenda, extendentes concessionem factam a Gregorio [1] XIII fratribus eiusdem Ordinis provinciae S. Antonini de novo regno in civitate S. Fidei, relatam et confirmatam per Paulum V in suis litteris incipientibus *Militantis Ecclesiae* pridie nonas septembris MDCXII, et Innocentium X in eius constit. *In supremo*, x kalendas martii MDCXLIV, necnon privilegia omnia et singula apostolica in id concessa praedictis fratribus, ad omnia praedicta studia, conventus et universitates extendimus et prorogamus, decernentes, ut, post emensum certum nec unquam minus quam duorum annorum stadium, ad percipiendam sacrae theologiae iuxta inconcussa et tutissima S. Thomae dogmata intelligentiam accommodatum, a studiorum illorum moderatoribus sive lectoribus, numero et procedendi ratione ipsis per magistrum Ordinis praescribendis, ac nunc pro tunc a nobis auctoritate apostolicâ, ut praedictum est, confirmatis, post praemissas scholasticas exercitationes publicas vel privatas iuxta regionum approbatas consuetudines vel methodum ab eodem magistro praescribendam, ac praemisso diligenti examine, laurea doctoralis sive magistralis, praesentatura ac licentia, sive gradus baccalaureatus, ac alii consueti in sacrâ theologia (quos quidem, pari apostolicâ auctoritate, motu et scientiâ, idem valere ac acceptari ubique debere, perinde ac si conferrentur in academiâ Romanae Sapientiae, Salamantinâ aut Parisiensi, vel aliâ quacumque insigniori, declaramûs, decernimus et volumus) libere ac licite conferri possint ac valeant scholaribus saecularibus studentibus in insignibus civitatibus aut locis, in quibus ad eorum scholam iuvenes saeculares accedere permittuntur; idque tametsi ibidem aliàs publica pateat universitas, hoc dumtaxat casu praestitis per divites, a tali solutione de cetero non exemptos, consuetis universitatis iuribus; ubi etenim iuvenes, per examinatores praefatos idoneos repertos, officiales universitatis ad

[1] Edit. Main. legit *Gregorii* (R. T.).

eosdem gradus promovere renuerint, poterunt ad gradus praedictos promovere lectores et magistri praefati nostri Ordinis. Illudque quam maxime concedimus, volumus, decernimus et mandamus pro locis, in quibus saecularibus doctrinae divi Thomae, prout in huius receptissimâ scholâ traditae, gradus ultro non pateant.

Confirmantur quoque et innovantur quaecumque facultates concessae magistro generali aliisque praelatis ac provinciis Ordinis praefati.

§ 32. Magistro quoque Ordinis pari ratione confirmamus et innovamus ac concedimus facultatem eidem[1] a S. Pio V in constitutione suâ *Quum sacer Ordo Praedicatorum*, IX martii MDLXXII, amplissime concessam, ut possit ex sibi subiectis fratribus quemcumque ad gradus certâ ratione promovere. Eidem similiter et provincialibus confirmamus et concedimus, iuxta aliud indultum S. Pii V incipiens *Debitum pastoralis* XXI martii MDLXXI, ut in unâquaque provinciâ deputare possint ac valeant fratres Ordinis in notarios pro exequutione mandatorum apostolicorum; et generaliter quaecumque et cuiuscumque generis gratias, indulta, privilegia, praeeminentias, facultates a Sede praedictâ ministro Ordinis attributa etiam ex Ordinis constitutionibus et ordinationibus comitiorum generalium et nominatim habitorum in almâ Urbe anno MDCXXIX, denunciatione III, auctoritate apostolicâ, quae omnia hîc similiter pro insertis habentes, confirmamus, innovamus et ut praefertur concedimus, non obstantibus Brevibus apostolicis Clementis X *Ad apostolicae*, V septembris MDCLXXV, et Innocentii XI *Cum nos*[2] *aliàs*, VI octobris MDCLXXIX, procuratori etiam generali et signanter concessa et confirmata ab eodem Urbano VIII in aliis sui litteris *Exponi*, III decembris MDCXXXV, cum excommunicatione latae sententiae, magistro Ordinis aut eius vicario generali reservatâ, contra fratres, et absolutione ab officiis ipso facto incurrendâ contra praelatos eiusdem Ordinis, qui per se vel per alium, eodem procuratore generali inconsulto, in Romanâ Curiâ negotium aliquod tractare ausi fuerint, ac deinde provincialibus ac ceteris quibusvis Ordinis praedicti praelatis et superioribus, indulta quoque et quomodocumque elargita provinciis et signanter spectatissimae nostrae utriusque Lombardiae, ac etiam monialium monasteriis, amplissime confirmamus, innovamus ac de novo concedimus.

Confirmantur pariter gratiae omnes concessae Tertio Ordini Poenitentium S. Dominici.

§ 33. Pro fidelibus utriusque sexus militantibus sub Tertio Ordine *Poenitentium S. Dominici* nuncupato, Gregorius[1] IX in constitutione *Detestanda*, kalendis aprilis MCCXXVIII, Honorius IV in Bullâ *Congruum existimantes*, V kalendas februarii MCCLXXXVI, Ioannes vulgo XXII, *Quum de mulieribus*, kalendis iunii MCCCXXVI, Bonifacius IX in constitutione *Humilibus et honestis*, XV kalendas februarii MCDI, Innocentius VII in Bullâ confirmationis regulae eiusdem Ordinis incipiente *Sedis Apostolicae*, VI kalendas iulii MCDV, Eugenius IV in consimili constitutione *Provisionis nostrae*, pridie idus maii MCDXXXIX, Sixtus IV in constitutione *Sacrosanctae*, III nonas octobris MCDLXXV, Alexander VI *Considerantes*, XXX septembris MCDLXV, Iulius II *Considerantes*, XIV decembris MDIX, *Exponi nobis fecisti*, XXVII februarii MDX, Leo X *Dum intra mentis*, XIX decembris MDXVI, et *Nuper*, I martii MDXVIII, Paulus III *Exponi nobis nuper fecisti*, XXVI iulii MDXLII, necnon S. Pius, Clemens VIII, Urbanus VIII, aliique praedecessores nostri per suas litteras mox referendas peculiaribus in-

1 Male edit. Main. legit *idem* pro *eidem* (R. T.).
2 Male ed. Main. legit *non quae* pro *nos* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *Gregorio* (R. T.).

dultis et privilegiis dictum Ordinem approbarunt, et personas, domos, asceteria ac bona exemerunt ab Ordinariis locorum; et nos huiusmodi omnes et singulas litteras, gratias tam spirituales quam temporales, concessiones, exemptiones, indulta, ac cetera quaecumque cuiuscumque generis et nominis spiritualia et temporalia privilegia plenissime confirmamus et innovamus, et, ubi opus sit, de novo concedimus; praecipue pro christifidelibus utriusque sexus qui collegialiter aut in claustris vivunt, aut solum votum perpetuae castitatis emittunt, nec degunt collegialiter, sed in propriis domibus vel cum affinibus et consanguineis, dummodo habitum Ordinis gestent, et Altissimo sub regulâ et instituto dicti Ordinis Tertii caste et pie famulatum praestent: contrariis quibuscumque non obstantibus et praecipue Concilio Lateranensi; quibus omnibus in hac parte, motu, scientiâ et potestate similibus, amplissime derogamus. Huiusmodi vero institutum tamquam sanctum, meritorium et christianae perfectioni conforme, necnon tamquam verum et proprium Ordinem, praecipue ex collegialiter, aut cum claustralibus, aut in domibus consanguineorum, sive propriis, sub solo et simplici voto inviolabilis castitatis, ceterisque modo, formâ, habitu, novitiatu, professione ac regulâ viventibus compositum, et consequenter ab omnibus confraternitatibus, de quibus agitur in constitutione sanctae memoriae Clementis Papae VIII, omnimode distinctum, sicut sunt ceteri Ordines tum regulares, tum militares, et alii huiusmodi, fuisse et esse decernimus ac declaramus: motuque simili regulam a praedictis Innocentio VII et Eugenio IV confirmatam, iuxta praemissa et inferius disponenda, denuo approbantes confirmamus, eique apostolicâ auctoritate[1] perpetuum firmitatis robur adiicimus.

Approbantur quoque constitutiones omnes, quibus concessa fuit magistro generali Ordinis Praedicatorum, aliisque superioribus, suprema auctoritas in praefato Tertio Ordine

§ 34. Omnes insuper apostolicas concessiones, quibus asserta fuit Ordini Praedicatorum, eiusque generali magistro, provincialibus, ceterisque aliis substitutis superioribus, praeeminentia, auctoritas et superioritas super praefati instituti fratribus et sororibus praedictis quibuscumque, approbamus, confirmamus, ac perpetuae firmitatis robur obtinere volumus, decernimus atque mandamus, et, quatenus opus sit, easdem praeeminentiam, auctoritatem et superioritatem de novo concedimus. Attendentes praeterea per praedecessores nostros Innocentium VII et Eugenium IV fuisse approbatam regulam praedictam, eiusque caput xx, atque animadvertentes primos alumnos praefati Ordinis habitum ac vivendi normam ab ipso B. Dominico suscepisse, eiusque praecepta executioni mandasse: eidem generali magistro, privative quoad alios quoscumque, confirmamus, ac si opus est, de novo concedimus, ut possit per se, vel per sibi subiectos fratres quoscumque facultate opportunâ ac necessariâ instructos, personas ad dictum Ordinem iuxta ipsius statuta recipere, habitu donare, atque, elapso debito probationis tempore, ad professionem recipere, itaut personae quaecumque, aliter receptae, nec sint nec intelligantur ullo modo praefati huius Tertii Ordinis, neque ullis eiusdem privilegiis ac indultis potiantur, nisi pro peculiaribus personis et casibus per nos et successores nostros fuerit expresse desuper dispensatum. Commissarium quoque aut visitatorem instituere, magistrum quoque, directorem ac confessarium aetate moribus, pietate scientiâ et prudentiâ gravem concedere et deputare, qui ipsis

1 Edit. Main. legit *auctoritatis* (R. T.).

ecclesiastica sacramenta ministret, de praeceptis regulae instruat, congregationes aut congressus convocet, et in ipsis sicut in aliis quibuscumque actibus et functionibus praesideat, necnon (locorum Ordinariis et aliis quibuscumque, cuiusvis status, gradus et conditionis existant, et quacumque fungantur auctoritate, semper exclusis) congregationes illas ac personas Tertii Ordinis, sive virorum collegialiter aut in claustris, sive mulierum cum expresso voto ut supra, vel cum tribus votis viventium, domos, conservatoria, hospitalia, monasteria, sive collegia quaecumque, ac quocumque nomine appellata, capellas quoque, oratoria et ecclesias pleno iure visitare, instruere, paterne corrigere, ac reformare, tam in capite quam in membris, ad cassationem usque mantelli et habitus, atque ad eiectionem e collegio, restitutâ collatâ dote, prout de iure, immo etiam ad ipsius collegii suppressionem, vel saltem ab Ordine abdicationem, pro rerum conditione et statu procedere, aliaque ad bonum Ordinis praefati regimen, iuxta eiusdem statuta, ordinare et exequi, quemadmodum sibi in Domino expediens fore videbitur, et, quoties sibi libuerit, libros et rationes reddituum ac bonorum, sive congregationum, sive collegiorum quorumcumque, non secus ac monasteriorum ac singulorum sibi pleno iure subiectorum, atque ab exactoribus, agentibus et administratoribus quibuscumque rationem redditfuum per eos administratorum recognoscere, examinare ac exigere possit et valeat, motu, scientiâ et potestate praedictis dantes plenam facultatem superioribus Ordinis praedictos exactores, agentes et quosvis administratores iustâ de causâ removendi ac mutandi, ac etiam eorum loco religiosum quempiam idoneum substituendi.

Praescribitur eiusdem Tertii Ordinis professoribus, ut agnoscant in superiores praedictos magistrum generalem aliosque.

§ 35. Ut autem praedicta omnia cum spirituali ac temporali etiam praedicti Ordinis incremento ad normam praedictae regulae exactius observentur ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, districte praecipimus omnibus et singulis Ordinis professoribus per totum orbem existentibus ac extituris, cuiuscumque gradus ac conditionis existant, et praecipue quibuscumque gradibus et quocumque nomine nuncupatis, collegialiter aut in claustris habitantibus, necnon in privatis domibus, iuxta praedicta, cum voto viventibus, ut, quemadmodum eorum Ordo cum primo Ordine fratrum Praedicatorum et secundo monialium eumdem habet patrem et patriarcham in caelis feliciter regnantem, adeo ut ab Innocentio VII in Bullâ supradictâ omnes appellentur *fratres et sorores Ordinis Praedicatorum, qui nuncupantur fratres et sorores de Poenitentiâ S. Dominici*; ita cum utroque illo Ordine unum eumdemque in terris successorem B. Dominici ac totius Ordinis Praedicatorum magistrum generalem, deinde provinciales, ut alios inferiores ab eodem magistro generali de more delegandos, tamquam eorum veros et legitimos superiores suscipiant, venerentur, ac agnoscant, ad eos dubia quaecumque circa regulam et statuta referant, eorumque iudicio circa eadem dubia sese conforment, maxime quum regula ad culpam ex se non obliget, sed tantum ad poenam, eiusque rationabilis relaxatio sit in manu discreti superioris constituta, iisdemque, privative quoad alios, in omnibus concernentibus eorum Ordinem, nec regulae instituto ac praeceptis praefatis aperte contrariis, pareant et obediant; quod si secus fecerint, ab iisdem cassari, habitu spoliari, atque etiam ex collegiis modo praedi-

cto, donec respiscant, vel absolute quoque, dimitti possint (quemadmodum aliàs regula[1] ipso cap. XIX pro quibusdam casibus disponit), insuper et collegia ipsa supprimi ac dissolvi, sin minus dimitti ac relinqui ab eisdem possint et valeant, et respective nullis tertiariorum gratiis et privilegiis gaudere, decernimus ac iubemus.

Iniungitur praefato magistro generali ut eiusdem Tertii Ordinis reformationi advigilet.

§ 36. Ordinis magistro pro tempore, sicut et Ordini ipsi in generalibus comitiis quandocumque congregando, quemadmodum iniungimus ut circa felicem statum ac reformationem, ubi opus esse conspexerint, praedicti Tertii Ordinis advigilent, ita iisdem relinquimus, confirmamus et quatenus oporteat de novo benigne concedimus ius et plenam potestatem ad illa circa regulam praedictam moderanda, reformanda, exponenda, commutanda ac addenda, quae pro temporum, locorum ac personarum opportunitate in Domino iudicabunt sic melius disponenda (salvâ tamen eiusdem regulae substantiâ et intactis sacris canonibus); nunc pro tunc apostolicâ auctoritate eiuscemodi moderationes, reformationes, expositiones, ac additiones approbantes atque confirmantes.

Statuuntur nonnulla pro dictâ reformatione.

§ 37. Deinde, quum nonnulla sint capita, super quibus potissime tertiarias personas, sive in domibus praedictis seorsim, sive etiam in asceteriis collegialiter virginalem aut coelibem aut castam viduitem expresso voto et sub habitu et regulâ praedictis vitam traducentes, necnon fratres Ordinis Praedicatorum ipsas[2] vexari ad nos delatum est, ideo expresse declaramus et volumus, quod (tametsi omnes et singulae praedictae personae summam debeant habere reverentiam locorum Ordinariis, ceterisque praelatis inferioribus, quemadmodum earum quoque regula praescribit, atque, iuxta decretum Congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, episcoporum et regularium consultationibus praepositae, editum sub die XX decembris MDCXVI, ut ad habitum et Ordinem recipiantur virgines aut viduae in privatis domibus perpetuo mansurae, prius debeant in curiâ Ordinarii loci probare eas sibi posse de victu et vestitu sufficienter providere, illasque fore bonis moribus praeditas, atque cum nullis aliis viris quam cum consanguineis aut affinibus in primo tantum gradu, vel, illis deficientibus, aut urgenti gravi aliquâ causâ, cum aliis sibi in proximiori gradu coniunctis, aut saltem cum viris perspectae probitatis vitam traducturas) eas tamen iuxta praemissa tertiarias effectas a cuiuscumque alterius inferioris extra Ordinem Praedicatorum constituti praelati et ipsius Ordinarii loci iurisdictione exemptas esse volumus et fore declaramus districteque mandamus, eisque de novo talem exemptionem concedimus. Quantum ad aetatem mulierum ad Ordinem praedictum recipiendarum hac nostrâ constitutione perpetuo valiturâ iniungimus et mandamus, quod, nisi in particularibus asceteriis probata consuetudo vigeat in contrarium, mulieres ad profitendum inter collegialiter perpetuo viventes non admittantur, nisi tempore professionis excesserint annum decimumoctavum. Quo vero ad eas, quae in domibus ut supra seorsim cum certis castitatis voto, habitu et statutis sunt vitam traducturae (quum secundum sacras scripturas bonum sit portanti iugum ab adolescentiâ suâ, et Ordo praedictus ex regulâ suâ vigilias, ieiunia, pluresque abstinentias habeat iugiter perferendas, virginum quoque sponso placeat sibi cito promissa virginitas, plurimaeque

1 Edit. Main. legit *regulas* (R. T.).
2 Videtur legendum *ipsos* (R. T.).

insignes virgines praedicti Ordinis *de poenitentiâ* non solum a teneris annis inviolabili voto virginitatem eidem caelesti sponso consecraverint, habitumque induerint, sed florenti adhuc aetate, simulque ante annum quadragesimum virtutibus maturae in caelum evolaverint, quarum agmen ducere potest caelestis virgo S. Catharina Senensis, de Apostolicâ Sede adeo benemerita), motu hinc, scientiâ et potestate praedictis indulgemus et concedimus, ut eaedem, quibuscumque non obstantibus in contrarium, post decimumoctavum annum, vel etiam in minori aetate, iuxta consuetudinem locorum, libere et licite recipi, evolutoque probationis tempore profiteri possint ac valeant (revalidantes quascumque acceptationes et professiones, si quae forte ex defectu aetatis hactenus factae dici possent invalidae); habitus uniformitatem, quoad fieri poterit, esse servandam; retineri tamen posse habitus formam, quae pro regionum diversitate hactenus ab eisdem tertiariis servata est; licere quoque mulieribus, quae, emisso voto, seorsim vel collegialiter Deo vivunt, deferre velum supra caput, quod *supraiectum* vocant, carbasum pectorale, quod nuncupant *sottogola*, et scapulare seu *patientiam*.

Suadentur praedictis Tertiariis emissio trium votorum et clausura, sed tamen ad eam minime eas compelli posse declaratur.

§ 38. Tertiariis praedictis emisso solo castitatis voto collegialiter viventibus haud prohibemus, immo exoptamus in Domino, suaderi trium votorum etiam solemnium emissionem, ipsamque clausuram, iuxta propositum constitut. VIII S. Pii V incipientis *Circa pastoralis*. Inhaerentes tamen litteris apostolicis superius memoratis Iulii II, in quibus tertiariis S. Dominici collegialiter viventibus permittitur emittere tria vota, declaraturque per haec ipsa *ad clausuram minime teneri, aut ad officium divinum, magis quam ex regulâ tertii habitus*, ac aliis Clementis IX *Aliàs propositis*, X decembris MDCLXVII, in quibus tertiariae collegialiter viventes ad clausuram nullatenus compelluntur; attendentes insuper per annos, ut accepimus, centum et sexaginta ab editâ dictâ constitutione S. Pii V, et per saeculum et ultra post decretum Congregationis episcoporum et regularium emanatum XX decembris MDCXVI, eiuscemodi tertiarias collegialiter viventes pluribus in locis, scientibus et tacentibus Ordinariis, floruisse, ac etiamnum florere sine clausurâ: declaramus, volumus et mandamus, easdem ad neutram absolute teneri aut esse compellendas; non obstantibus contrariis ordinationibus etiam apostolicis, quibus expresse per praesentes derogamus. Licet circa sacramentorum susceptionem et sepulturam praedictae tertiariae, certis habitu, regulâ et statutis et sub expresso perpetuae virginalis aut viduilis castitatis voto sive collegialiter sive in privatis domibus viventes, ex recitatis aliisque apostolicis constitutionibus earum Ordini per S. Sedem directe concessis vel communicatis, debeant gaudere privilegiis omnibus Ordinis Praedicatorum ceterorumque Ordinum earum sexui non repugnantibus, et pleno iure subesse fratribus et in primis magistro generali eiusdem Ordinis, hisque liceat *auctoritate apostolicâ tertiariis illis, quando petierint, etiam in die Paschae, sive festis Resurrectionis D. N. I. C., et infra eius festi octavam, quam etiam aliis diebus, etiam in mortis articulo, Eucharistiae et alia sacramenta ecclesiastica quaecumque exhibere et ministrare* etiam *in domibus propriis;* necnon *illarum cadavera ad eorumdem fratrum ecclesias tumulanda deferre, etiam parochialium ecclesiarum personarum, eorumdem rectorum licentiâ desuper minime requisitâ, et contradictio-*

ne qualibet non obstante: ne tamen desuper tertiarias et respective fratres Ordinis Praedicatorum indebite molestari contingat, expresse declaramus et volumus, tertiarias praedictas *de poenitentia* S. Dominici sive collegialiter sive separatim in domibus, ut praedictum est, viventes cum expresso voto, a solis fratribus praedicti Ordinis Praedicatorum, contradictione qualibet et quacumque consuetudine etiam immemorabili in contrarium non obstantibus, etiam in die sanctae Paschae, et, in casu habitualis infirmitatis, etiam pro effectu satisfaciendi praecepto de communione paschali, et, in casu mortalis infirmitatis sive in mortis articulo, sacram Eucharistiam, Extremam insuper Unctionem absolute recipere posse et debere; earumdemque post mortem cadavera (nisi forsan collegialiter viventes habeant, aut sint[1] aliquando legitime habiturae in earum ecclesiâ, oratorio aut collegio sepulchrum proprium, quo casu per solos fratres Ordinis sint ibidem sepelienda) ad fratrum ecclesiam tumulanda deferri posse ac debere, et quidem absque interventu, licentiâ et requisitione parochi nullâque eidem solutâ quartâ. Et, sicuti volumus, quod tam fratres quam tertiarii, extra conventus et respective collegia et domos obeuntes, debeant sacramentari et respective tumulari per fratres et in ecclesiis illorum, ita disponimus et mandamus quoad tertiarias praedictas. Praeterea declaramus et volumus, quod fratres, ad ministranda sacramenta dictis tertiariis utriusque sexus, possint et debeant ingrediendo limites cuiuscumque parochiae cum cruce erectâ et processionaliter condigne afferre venerabile Eucharistiae sacramentum, tam in casu gravis et mortalis infirmitatis per modum viatici, quam in casu talis infirmitatis quae impediat accessum ad ecclesiam dictorum fratrum, pro satisfactione praecepti paschalis, ac etiam titulo devotionis, circa consuetas maiores Ecclesiae solemnitates; et similiter defunctorum cadavera ad propriam ecclesiam asportare, etiam invito et reluctante parocho, cui tantum licitum sit ministrare sacramentum in casu repentinae infirmitatis quae spatium non permittat vocandi fratres praedictos.

1 Edit. Main. legit *sit* pro *sint* (R. T.).

§ 39. Ut porro, quantum in Domino possumus, consulamus indemnitati obedientiae superioribus praedictis ab eorum respective religiosis debitae, et ut simpliciori viâ nitantur omnes in semel Deo promissam regularem observantiam, motu, scientiâ et potestate saepedictis in primis quoad omnia et singula in eis contenta confirmamus et innovamus constitutiones emanatas adversus fratres Ordinis ferentes pro extorquendis favoribus ad personas extraneas, nimirum Gregorii XIII incipientem *Quum nihil magis*, v iunii MDLXXX, Clementis VIII *Religiosos viros*, XXIII maii MDXCII, et Pauli V *Admonemur*, VII ianuarii MDCVIII. Deindeque pro tuendâ regulari disciplinâ confirmamus et innovamus constitutionem IV Bonifacii VIII *Ad augmentum*, VI idus maii MCCXCVI; in corrigendis etenim et puniendis excessibus subditorum volumus peragendum, *postpositis rimulis et apicibus iuris secundum consuetudines et statuta Ordinis etiam facienda*. Ad tollendas vero appellationes quascumque indebitas, ac totam ferme oeconomiam regularis observantiae enervantes ac evertentes, nisi retineatur et servetur ordinata appellatio a superiore locali ad provincialem, ab eoque ad generalem, exindeque, si fieri possit, ad capitulum generale, ac denique ad Sedem Apostolicam, iuxta decreta de mandato Sixti V edita in Congregatione epi-

Innovantur constitutiones omnes emanatae circa ambitiosos Ordinis fratres.

scoporum et regularium an. MDLXXXVII, confirmamus et innovamus similiter quaecumque hactenus circa appellationes emanarunt ab Apostolicâ Sede, et praecipue constitutiones pro eodem Ordine Bonifacii VIII in praecitatis litteris incipientibus ***Ad augmentum*****, Bonifacii IX** ***Sacrae religionis*****,** v kalendas maii **MCDII, Iulii II** ***Exposuisti nobis*****,** XXIV novembris **MDXI,** ac Leonis X *Romani Pontificis*, XXIX aprilis MDXVIII, et quidem quoad omnia et singula in eis contenta, etiam quoad censuras latae sententiae et poenas, etiam contra quoscumque iudices ecclesiasticos et saeculares de huiuscemodi appellationibus cognoscere volentes contra ordinem contentum et rationem praescriptam in praedictis litteris apostolicis.

Appellationum modus et ordo ponitur.

§ 40. Immo, quum etiam nobis certo constet, superiorum praefatorum auctoritatem eludi et contemni, si circa concernentia statum ipsum regularem, quae totaliter remissa sunt et esse debent ipsorum religioni et iudicio, cuiusmodi sunt fratrum assignationes, remotiones, dispensationes, lectionum et aliorum munerum collationes, ac cetera quaecumque per constitutiones apostolicas et dicti Ordinis relicta arbitrio et prudentiae eorumdem praelatorum, pateat recursus ad apostolicos nuncios nostros, vice-legatos, ac ceteros Sedis praedictae ac nostrae ministros, istis omnibus et singulis auctoritate apostolicâ mandamus et praecipimus, ne in iisdem sese ullatenus in posterum intromittant; atque in illis ipsis, quae per viam appellationis ex apostolico aliquo speciali indulto eosdem posse recognoscere aliàs certo constaret, non aliter id facere posse ac debere, declaramus et volumus, quam praemissâ per fratres illos graduali appellatione per praesentes has nostras litteras perpetuo constitutâ; vehementer in Domino hortantes atque excitantes quascumque venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Congregationes, ut severius desuper animadvertant contra fratres quoslibet nostri huiusce Ordinis ad retinendam regularem observantiam in hoc ipso deficientes.

Similiter confirmantur constitutiones super Ordinis habitum.

§ 41. Attendentes deinde quae sanxerunt praedecessores nostri Gregorius IX et Innocentius IV in eorum constitutionibus ambabus incipientibus *Quia confusio habitus*, VIII kalendas novembris MCCXXXIX, VIII kalendas aprilis MCCXLIV, et Gregorius XI *Virtute conspicuos*, II nonas martii MCCCLXXIV, Clemens VIII in const. CIV *Ex iniuncto nobis*, II octobris MDCIII, ac novissime Alexander VII in constitutione *Ex iniuncto nobis*, VIII februarii MDCLXVI: illa omnia, auctoritate, motu et scientiâ praedictis, confirmantes ac innovantes, similiter districte mandamus fratribus Trinitariis, et aliis quibuscumque, ne ullus eorum audeat posthac habitum fratrum Ordinis Praedicatorum vel ipsi adeo similem deferre, ut frater eiusdem Ordinis Praedicatorum credi facile possit, exceptis tamen eremitanis sancti patris Augustini, quibus in certis circumstantiis aliàs a Sede Apostolicâ habitus albus eiusdem Ordinis permissus est; ab his tamen habitum illum non aliter deferri volumus, decernimus et mandamus, quam secundum praedictam Clementis VIII constitutionem, hac nostrâ inviolabili lege, propter motiva iamdudum relata per Alexandrum IV in eius constitutione *Meminimus nos* idibus octobris MCCLIX; districtissimeque ipsis eremitanis prohibemus, ne extra claustra propria audeant ullatenus cum solo habitu albo praedicto procedere; amplissime derogantes cuicumque consuetudini etiam immemorabili in contrarium, et dantes plenam facultatem locorum Ordinariis,

ipsisque iniungentes, qualenus, auctoritate dictae Sedis, ad instantiam praecipue fratrum Praedicatorum, contra eos, quos defecisse compererint, procedere possint ac debeant. Concedimus tamen fratribus ipsis Praedicatoribus, ut in itinere, vel divertentes ad moenia urbium, ad campos et similia loca, ad quae ex vi antiquarum quoque eorum constitutionum, secundum quas nos quoque vivere professi sumus, nullatenus cum cappâ nigrâ sese conferre tenentur, cum solo habitu albo, quem nemo ignorat esse eorum distinctivum, non obstante quoad id praecitatâ constitutione Clementis VIII, accedere ac procedere libere et licite possint et valeant.

Confirmantur pariter apostolicae constitutiones super praecedentiâ ceteris regularibus Ordinibus.

§ 42. Considerantes quoque antiquitatem non minus quam excelsa merita huius Ordinis, quibus perspectis Leo X in constitutione *Accepimus nuper*, III iulii MDXVIII, et S. Pius V in const. LXXI *Divinâ disponente*, XXVII augusti MDLXVIII[1], et Clemens VIII in constitutione XIII *Inter cetera*, XXV septembris MDXCII, fratribus Ordinis iure merito adiudicarunt praecedentiam supra ceteros Mendicantium aliorumque Ordines, itaut primi et immediati post antiquos Ordines monachales locum in omnibus primum, honorabiliorem et digniorem obtinere debeant, prout pacifice in Conciliis generalibus ac etiam Lateranensibus inconcusse obtinuere: praedictas constitutiones omnes motu, scientiâ et potestate supradictis confirmantes et innovantes, et, quatenus opus sit, omnia in eis contenta de novo mandantes et concedentes, declaramus atque decernimus, earumdem constitutionum tenorem perpetuo ubilibet et in quacumque mundi parte omnino servandum esse, eisdem fratribus Ordinis Praedicatorum a die publicationis praesentium priori, digniori et honorabiliori loco post Ordines monachales praedictos in omnibus et singulis processionibus, actibus et functionibus, assignato et constituto: plenissime derogantes quibuscumque conventionibus, consuetudinibus etiam immemorabilibus, litteris, sententiis ac decretis ab Apostolicâ Sede editis, vel specifice etiam confirmatis, in contrarium quomodocumque facientibus.

Necnon exemptiones iisdem concessas.

§ 43. Ut deinceps fratres huius Ordinis congrue substentari valeant, nec tractu temporis conventus propter inopiam necessario fratrum numero carere cogantur, exemptiones omnes a quibuscumque decimis, datiis, collectis, gabellis, impositionibus, vectigalibus, oneribus hospitandi milites, aliisque cunctis quocumque nomine nuncupatis, et ex quacumque gravi et gravissimâ causâ impositis, praedicto Ordini concessas per S. Pium V in constitutione *Dum ad uberes*, XXIX iulii MDLXVI, *Etsi Mendicantium Ordines*, XVII kalendas iulii MDLXVII, *Ad hoc nos Deus*, XXIII septembris MDLXXI, *Romanus Pontifex*, III octobris MDLXVII, et *Iniunctum nobis*, pridie nonas augusti MDLXIX, et per nos etiam in litteris incipientibus *Sollicitudo* editis IV idus decembris MDCCXXV, amplissime confirmamus et innovamus; ac praeterea volumus et mandamus, quod, tam pro praeteritis, quam pro futuris impositionibus, ex urgentissimâ dumtaxat causâ belli contra Turcas teneri possint aut debeant fratres, conventus, eorumque bona, factâ tamen prius deductione congruae pro unoquoque religioso ad rationem scilicet septem ducatorum auri de camerâ, et nonnisi de residuo fructuum bonorum, demptis et exceptis praedictis congruis, volumus taxari posse in praedicto extremo casu. Non tamen per id intelligimus derogare indultis nostrorum praedecessorum pro particularibus con-

[1] Male edit. Main. legit *1768* (R. T.).

ventibus,, si quae sunt, decernentibus esse praeservandam a qualibet impositione ampliorem seu pinguiorem congruam, quinimmo ea confirmamus ac innovamus. Porro (ne, ex quo per nostram constitutionem incipientem *Creditae*, et decreta novissimi Concilii Romani, in quibus cautum legitur a taxâ seminarii *exemptos esse debere regulares pro iis tantum beneficiis et fructibus, quorum ratione ipsis Apostolica Sedes ex causâ vere et proprie onerosâ indulsit ut ab onere taxae exempti sint,* ullo unquam tempore in discrimen revocari queat amplissima exemptio ab huiusmodi taxâ, quam praedicto Ordini impartitus fuit S. Pius V in suâ constitutione *Romanus Pontifex*, ac in aliâ. *Etsi Mendicantium*) hanc ipsam exemptionem, easdemque ac alias quascumque per praedecessores nostros desuper editas constitutiones et declarationes expresse confirmamus et innovamus. Cum enim memoratus Ordo varios magistros et doctores praestet ac alere et substentare teneatur, *ex quorum doctrinâ fratres novitii, eruditi postmodum effecti, gregem dominicum suis consiliis, confessionibus, orationibus, aliisque innumeris pietatis operibus iuvent et pascant*, eiusdemque Ordinis *domus non minus, immo magis quam ea quae per Ordinarios erecta sunt, seminaria vocari possint,* aequissimum videtur conventus dicti Ordinis nullo modo praeterea taxari posse pro seminariis ab Ordinariis erectis vel erigendis, prout hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione declaramus, decernimus et mandamus; etiam Concilii Romani decretis et quibuscumque aliis in contrarium quomodolibet facientibus quamplenissime derogantes.

Quaedam alia declaratio super quarta funerali a regularibus solvendâ parochis.

§ 44. Per nostram constitutionem *Romanus Pontifex* ac etiam decreta novissimi Romani Concilii iniunximus parochis solvendam esse quartam funeralem, in Italiâ nimirum et insulis adiacentibus, ab omnibus et quibuscumque regularibus quocumque privilegio suffultis; et regulares Ordinis S. Dominici utriusque sexus in eisdem Italiâ et adiacentibus insulis reverenter, pro consuetâ ipsorum erga Apostolicam Sedem obedientiâ, dispositioni nostrae, ut debent, obsequuntur, prout etiam volumus et mandamus inposterum servari, ita quidem ut regulares praedicti ei tantummodo, ad cuius parochiam spectabit defunctus, realiter cum effectu et sine ullâ prorsus controversiâ tradere teneantur unam ex quatuor partibus (quam proprio nomine *Quartam* appellavimus) *omnium intorticiorum et candelarum, quibus defuncti cadaver in itinere ad eorum ecclesiam* tumulandum *associabitur, necnon omnium intorticiorum et candelarum, quae in eâdem ecclesiâ circa cadaver*, seu feretrum, *ac etiam in altaribus in die funeris accendentur*, retentis tamen sibi candelis manualiter per viam delatis, unâ cum omnibus intorticiis, candelis, aliisque de quibus in eâ constitutione mentio expressa facta non fuit, quae regularibus prorsus illaesa et inviolata perpetuo manere voluimus, decrevimus ac mandavimus. Ubi vero adsint consuetudines legitime probatae, conventiones, concordiae vel statuta, quae parocho portionem quartâ praedictâ pinguiorem assignet, hanc eamdem, prout ante nostram praedictam constitutionem ac etiam Concilium Romanum, dare pergant et teneantur. Quum vero mentis et intentionis nostrae in eâ edendâ constitutione fuerit consulere quidem parochorum indemnitati, ad hoc nimirum, ut iis qui nihil, vel quartâ minus percipiebant, eamdem quartam consequi

possent, non autem, ut qui maius emolumentum, seu plus quartâ praedictâ ex consuetudine, conventione, concordiâ vel statuto reportabant, aliquid aliud praeterea vigore dictae nostrae constitutionis, aut etiam Concilii Romani, sibi arrogare possent: voluimus propterea, ut iidem parochi, vel praecise perciperent statutam a nobis quartam partem, vel tantummodo starent consuetudini, conventioni, concordiae, sive statuto, ut praedictum est. Ne autem super huiusmodi clarâ ceteroquin intelligentiâ nostrae constitutionis et Concilii Romani ullo unquam tempore excitari valeat aliqua difficultas, expresse ita declaramus dictam nostram constitutionem et decreta Concilii Romani; simulque motu, scientiâ et potestate praedictis volumus, praecipimus et mandamus ut iidem fratres parocho relinquant optionem vel eligendi quartam partem praedictam, vel standi consuetudini, statuto, concordiae, seu conventioni, eamque pacifice sequantur, ut suae ipsorum quieti religiose[1] iuxta eamdem mentem nostram consulant; parochi vero semel factam optionem immutare nullatenus possint aut valeant.

Confirmantur, ac declarantur privilegia eidem Ordini concessa de laicis tumulandis.

§ 45. Ea itidem privilegia fratribus Ordinis Praedicatorum indulta per sacros canones et apostolicas constitutiones, ut possint cadavera laicorum et extraneorum quorumcumque in suis ecclesiis libere tumulare, uberrime confirmamus et innovamus: atque, quantum in Domino possumus, occurramus continuis molestiis, quas, propter aliquorum sinistras interpretationes, pati coguntur fratres praedicti cum maximo christifidelium scandalo et pietatis simulque divini cultus detrimento: perpetuo volumus et sancimus, in primis fratrum praedictorum omnium, eisque inservientium, necnon quarumcumque personarum Tertii Ordinis, etiam extra claustra, domos, hospitia et asceteria obeuntium, laicorum quoque extraneorum per accidens degentium et decedentium in conventibus, hospitiis, domibus et asceteriis praedictis, cadavera tumulanda esse in dictis ecclesiis Ordinis, dioecesani loci aut alterius cuiuscumque licentiâ minime desuper requisitâ; liberam prorsus praeterea fore cuique fidelium, sive pro seipso, sive pro suis filiis et filiabus, nepotibus et neptibus in puerili vel infantili aetate decedentibus electionem sepulturae in ecclesiis et coemeteriis praefati Ordinis. De hac vero electione satis constare ubi in ecclesiâ Ordinis gentilitium obeuntis, nullâ in contrarium factâ dispositione, sepulchrum praeexistat; rursus ex testamento, codicillis, vel aliâ morientis simplici[1] etiam scripturâ, item ex dicto aut confessoris, aut duorum testium, etiam extraiudicialiter deponentium de illius voluntate. Quod si parochus velit illos iudicialiter repetere, suis sumptibus id facere teneatur. Caveantque parochi, ne, quod directe nequeunt, indirecte nitantur huic libertati praeiudicium et noxam inferre, sub praetextu ad ipsos pertinere numerum determinare fratrum associare debentium, atque illum limitare ad metam clericorum saecularium, aliove deteriori, parochianos, nimirum, eligentes alibi quam in ecclesiâ parochiali sepulturam, teneri ad eleemosynam maiorem gravioraque emolumenta favore parochi, etiam sub emendicato titulo coarctivae celebrationis missarum et anniversariorum, vel sub obtentu cadaveris in cathedrali vel parochiali ecclesiis prius exponendi, et respective ratione transitus per limites aliarum parochiarum, persolvenda

1 Forsan *religiosae* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *simplicis* (R. T.).

esse similia emolumenta. Has enim abusivas adinventiones eradicare intendimus et exterminare, prout abolemus et improbamus, statutis, conventionibus et consuetudinibus etiam immemorabilibus in contrarium vigentibus minime attentis, quibus expresse derogamus. Volentes, numerum fratrum associare debentium fore libere determinandum per haeredes defuncti, nullo habito respectu ad numerum clericorum saecularium. Per cathedrales vero ecclesias, parochiales, seu per parochos defunctorum, aut per quorum parochias transeunt cadavera, nullatenus cogi posse fratres Ordinis seu defunctorum haeredes ad exponendum cadavera, vel aliquid aliud solvendum ex causâ transitus; itaut imposterum soli parochi morientium, iisque emolumentis dumtaxat potiantur et gaudeant, quibus de iure potiuntur et gaudent, firmâ omnimode manente ac plenissime morientibus observatâ sibi eligendi sepulturam libertate. Parocho admonito, requisito et intimato per fratres, ac demum renuente accedere ad associandum cadaver in ecclesiam fratrum praedictorum, vel eodem ultra statutam pro delatione cadaveris horam per discretum tempus, quod nunquam unam horam excedere possit, expectato nec accedente, fratres praedictos cadaver illud, invito etiam ipso parocho, levare, et ad eamdem ecclesiam tumulandum, ne Dei servitium minuatur et ipsi contemnantur, recto quidem tramite et viâ per eos eligendâ deferre posse ac debere, volumus atque sancimus. Et ad tollendum deinceps, quantum in Domino possumus, fidelium scandalum, nimis frequentium controversiarum originem, hac perpetuo valiturâ lege decernimus, licere cathedralis capitulo, parocho, fratribus Ordinis Praedicatorum, ac ceteris etiam regularium communitatibus ad processiones funebres per quasvis parochias, singulorum propriis erectis crucibus, accedere, easque etiam sic peragere, quemadmodum in aliis solemnioribus processionibus contingit, et ita etiam in ecclesiam tumulantem ipsorum fratrum, ordine quo in viâ incedebant, ingredi, atque factâ adoratione ad altare, in quo asservatur SS. Sacramentum, aut etiam exequiis persolutis, recedere; parocho quoque in eamdem ecclesiam tumulantem cum stolâ intrare; ac respective fratribus associare debentibus defuncti cadaver cum parocho, ne interim contingat illos in vicis et plateis supersedere, in parochialem ecclesiam etiam cum cruce erectâ ingredi licitum fore, auctoritate apostolicâ, motu et scientiâ praedictis, mandamus et volumus. Non obstantibus, quoad[1] praedicta omnia et singula, consuetudinibus etiam immemorabilibus, quibus omnibus expresse ac plenissime derogamus; declarantes, et, quatenus opus sit, decernentes, ac maturâ deliberatione mandantes, crucis erectiones, stolae delationem et ingressus in ecclesias in omnibus et singulis enumeratis, ac ceteris quibuscumque similibus casibus, nullam penitus iurisdictionem importare, aut minimum in aliquo praeiudicium cuicumque irrogare, aut quandocumque et quamodocumque irrogare et inferre posse. Postremo prohibemus, posse per parochos, invitis fratribus, in istorum ecclesiis aut coemeteriis cadavera sepeliri, et respective missas celebrari, ac exequias quascumque persolvi. Ubi vero accedit pacifica consuetudo, seu legitima conventio, aut expressa fratrum voluntas, permittimus quod parochus cum clericis saecularibus in ecclesiis Ordinis exequias peragat, absque ullo tamen praeiudicio

1 Edit. Main. legit *quod* pro *quoad* (R. T.).

fratrum, quorum omnimoda de cetero iurisdictio in propriis ecclesiis salva et illaesa remaneant, eique[1] nullum imaginabile praeiudicium per huiusmodi particulares et fratrum voluntarios actus irrogatum ullo tempore censeatur.

Eximuntur praedicti fratres etiam a canonicâ quam dicunt portione.

§ 46. Ulterius circa exemptionem a canonicâ portione sive a decimis quibuscumque ecclesiasticis, sive canonicis, parochialibus, episcopalibus, ac etiam papalibus, tam personalibus quam realibus, non solum de novalibus, hortis, animalium nutrimentis, virgultis bonisque propriâ manu excultis, sed etiam quoad omnia omnino bona, quandocumque et quomodocumque acquirenda, etiam per alienas manus excolenda, immo etiam quoad ipsos colonos, arrendatarios et similes quoscumque, qui fratrum praedictorum ac sororum, indigentiis de praedictis eorum bonis hac vitâ subvenire teneantur, expresse ac specifice confirmamus privilegia ipsis[2] sive directe cum necessariis et opportunis derogationibus et respective etiam Concilii Lateranensis seu cap. *Nuper de decim.* (ut in constitutionibus Honorii III *Religiosam vitam*, XI kalendas ianuarii MCCXVI, Innocentii IV *Qui Deum tota*, III nonas februarii MCCXLIV, Alexandri IV *De piâ et sanctâ*, XV kalendas februarii MCCLVII, Bonifacii VIII *Laudabilis*, XV kalendas augusti MCCXCVII, Benedicti XI *Sacra vestra religio*, III kalendas martii MCCCIV, Gregorii XI *Virtute conspicuos*, II nonas martii MCCCLXXIV, Bonifacii IX *Etsi pro cunctorum*, V kalendas maii MCDI, Martini V *Ad summi*, kalendis maii MCDXX, Eugenii IV *Ad statum*, III idus aprilis MCDXL, Nicolai V *Licet ex debito*, pridie nonas decembris MCDXLVIII, et *Licet ea*, VIII idus augusti MCDLI, Sixti IV *in Mari magno Praedicatorum*, et sancti Pii V *Etsi mendicantium*, et *Ad hoc nos Deus*, et *Iniunctum vobis*, Pauli V *Ex Apostolicae Sedis*, Clementis[1] VIII *Iniuncti*, et *Exposcit*, XXV martii MDXCII, et *Pastoralis officii*, iulii MDXCV, et Urbani itidem VIII *In plenitudinem*), sive indirecte et virtualiter ipsis desuper concessa, nimirum per amplissimas communicationes privilegiorum et praecipue indultorum Carthusianis, Cisterciensibus et Societati Iesu, quemadmodum liquet ex praecitatis constitutionibus. Ne tamen ullo unquam tempore de huiusmodi plenariâ exemptione dubitari queat, praeterea, motu proprio et auctoritatis plenitudine, contrariis quibuscumque non obstantibus, Ordini Praedicatorum utriusque sexus et ab eo dependentibus, eorumque praedictis bonis quibuscumque, dictam exemptionem ex integro et denuo cum expressâ et individuali derogatione dicti cap. *Nuper de decim.* amplissime concedimus et elargimur.

Innovantur pariter constitutiones apostolicae quoad privilegia Mendicantium praefato Ordini concessa.

§ 47. Itidem, quoad privilegia Mendicantium Ordini Praedicatorum concessa, praeviâ derogatione constitutioni a Gregorio XIII *In tanta*, editae I martii MDLXXIII, innovamus constitutiones S. Pii V *Etsi Mendicantium*, et *Ad hoc nos Deus*, et, quatenus opus sit, in his contenta de novo disponimus et respective concedimus, atque perpetuo observanda esse decernimus et mandamus, dummodo decretis Concilii Tridentini et dispositis in hac nostrâ peculiari constitutione non sint contraria, ut etiam demandarunt Clemens VIII in constitutione *Iniuncti*, V octobris MDCIV, et Urbanus VIII in constitutione *In plenitudinem*, XXXI maii MDCXXV: declarantes, quod haec restrictio, contenta etiam in mox dictis litteris Clementis et Ur-

1 Videtur legendum *eisque* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *ipsi* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *Clemens* (R. T.).

bani, haud tollit decreta Concilii Tridentini iuxta interpretationem ipsi attributam in praecitatis litteris S. Pii V.

Communicantur amplissima eidem Ordini privilegia omnia quaecumque ac indulgentiae quibuscumque aliis Ordinibus concessae.

§ 48. Inhaerentes praeterea vestigiis praedecessorum nostrorum (qui privilegia, indulta omnia et singula, gratias, exemptiones, immunitates et communicationem intraneam, sive ampliationem aut extensionem intra ipsum Ordinem Praedicatorum, adeo ut concessa vel concedenda uni fratri, sorori, domui, conventui, collegio, ecclesiae, monasterio et aliis, etiamsi concessa[1] non intelligerentur sub generali communicatione, aliis fratribus, sororibus, domibus, conventibus, collegiis, ecclesiis, monasteriis, ceterisque pariformiter comprehensa et concessa perpetuo sint et intelligantur, communicationem quoque infra declarandam uberius cum aliis quibuscumque Ordinibus, congregationibus et confraternitatibus, libertates, praerogativas, indulgentias, peccatorum remissiones et similia quaecumque et quocumque nomine nuncupanda, a praedecessoribus nostris Ordinis praedicti domibus, collegiis, conventibus, monasteriis, provinciis, fratribus ac monialibus, necnon utriusque sexus tertiariis concessa, amplissime et validissime confirmarunt, innovarunt, de novo concesserunt, eisque perpetuum apostolicae firmitatis robur addiderunt, etiam motu proprio, scientiâ et potestate praedictis, derogando insuper quibuscumque consuetudinibus ac constitutionibus apostolicis etiam in universalibus provincialibus et synodalibus conciliis editis et ordinationibus contrariis, ac cum decreto irritante, supplendo quosvis defectus iuris et facti et solemnitatum forsan omissarum, ut in apostolicis constitutionibus, et signanter Alexandri V, Martini etiam V, Eugenii IV in Bullis incipientibus *Sacrae religionis*, v kalendas aprilis MCDXXXIV, ubi privilegium dicto Ordini Praedicatorum indultum per plures praedecessores post Innocentium IV quod nullae litterae apostolicae *sub quibusvis formis et verborum expressionibus et cum quibuslibet derogatoriis privilegiorum*, *etiam Mendicantium*, quandocumque emanandae, possent eidem Ordini praeiudicare, *nisi de Ordine ipso ac de magistro Ordinis et privilegiis ipsi concessis signanter et notanter, specialiter et expresse, necnon de verbo ad verbum mentio facta fuerit*, validissime confirmatur, quod et alii postmodum Romani Pontifices decrevere, insuper Nicolai V, Sixti IV *in Mari magno* ac in *Bullâ aureâ*, Iulii II *Aliàs ad supplicationem*, iunii MDIX, Leonis X duabus litteris similiter incipientibus *Quum inter ceteros*, XXII novembris MDXIII, et XXI iunii MDXVIII, et in aliis *Dudum per nos accepto*, X decembris MDXIX, Iulii III *In sacrâ beati Petri*, X iulii MDLI, Pauli IV *Ex Apostolicae Sedis*, IX martii MDLV, ac deinde S. Pii V, Clementis VIII et Urbani VIII in praedictis constitutionibus *Etsi Mendicantium, Iniuncti, In plenitudinem*), easque quidem omnes et singulas constitutiones, ac supplendo quoscumque defectus iuris et facti et solemnitatum forsan omissarum, confirmantes ac innovantes, et, quatenus opus sit, omnia et singula in eisdem ac ceteris quibuscumque pro Ordine Praedicatorum, eiusque generali magistro, procuratore generali, superioribus, fratribus, monialibus, Tertii quoque Ordinis personis quibuscumque per Sedem praedictam, ac etiam per S. R. E. cardinalium Congregationes[1], cardinales legatos, et quosvis Sedis praedictae nuntios et ministros, et per alios quoscumque, et qua-

1 Forsan *comprehensa* (R. T.).

1 Ed. Main. legit *Congregationis* (R. T.).

cumque potestate pollentes, aut aliàs quomodolibet, et sub quibuscumque verborum expressionibus et tenoribus, in genere vel in specie, et particulariter, tam per modum communicationis et ampliationis, quam simplicis et individuae, particularis ac specialis concessionis cuiuscumque et quomodocumque etiam motu proprio aut aliter factae, emanatis concessionibus contenta, ac etiam consuetudine legitime praescripta aut acquisita, largientes ac concedentes, dummodo tamen praedictis in hac nostrâ constitutione non sint expresse contraria, motu, scientiâ ac potestate similibus confirmamus quoque, innovamus, ac, si opus sit, de novo concedimus magistro Ordinis, capitulis generalibus, definitoribus eorum, cunctisque fratribus, sive clericis, sive laicis, etiam oblatis, monialibus quibuscumque, ac Tertii Ordinis utriusque sexus personis, eorumque ecclesiis, conventibus, monasteriis ac domibus, ministris, famulis, cunctisque tam conservatoribus et officialibus, quam domesticis, necnon quibusvis aliis personis, ac christifidelibus illorum ecclesias seu capellas, oratoria quoque visitantibus, necnon confratribus et consororibus tam supradictarum quam aliarum quarumcumque confraternitatum in ecclesiis aut oratoriis eorumdem fratrum legitime erectarum et institutarum, vel quandocumque erigendarum ac instituendarum, illisque tam nunc existentibus, quam pro tempore extituris: omnibus pariter et singulis libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, privilegiis, praeeminentiis, antelationibus, concessionibus, indultis, favoribus, indulgentiis, aliisque praerogativis et gratiis universis et singulis, tam spiritualibus quam temporalibus, singulis domibus, conventibus, collegiis, monasteriis et aliis regularibus locis et personis, tam canonicorum quam clericorum regularium ubivis existentium institutis, et non solum Ordinibus monasticis, regularibus aliorum Mendicantium et non Mendicantium, tam pro redimendis captivis, quam aliis quomodolibet, Ordini SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, illiusque domibus, conventibus et fratribus, necnon Ordini ac etiam Congregationi fratrum Discalceatorum eiusdem Ordini B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum, ac etiam omnibus et quibuscumque congregationibus regularium, et praecipue Clericorum Regularium, etiam Mendicantibus, in omnibus et per omnia quoque subsistere[1] absque ullâ prorsus differentiâ, ut praedictum est, pariformiter declaramus, sancimus, volumus, uti, frui, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant.

Aboleantur lites omnes ortae vel quae oriri possent super approbatis, extensis, vel de novo concessis praedictis.

§ 49. Ac demum, ut Ordo ipse fratrum Praedicatorum, illiusque magister generalis, provinciales, priores, aliique superiores, fratres, famuli et personae quaecumque ab Ordine ipso, ut praefertur, quomodolibet dependentes, nunc et pro tempore existentes, omnium et singulorum a nobis, ut praefertur, approbatorum, confirmatorum, extensorum, innovatorum et de novo etiam concessorum pacificâ in possessione, seu quasi, a datâ praesentium constituantur, constitutique sint et esse censeantur, omnes et quascumque lites et causas, si quae sint (quarum omnium et singularum respective status et merita eisdem praesentibus haberi volumus pro expressis), super praemissis, seu illorum aliquo, inter fratres praedictos, ex unâ, et quoscumque alios, ex alterâ partibus, in quocumque iudicio coram quocumque iudice quavis etiam apostolicâ sibi delegatâ auctoritate fungente et in qua-

1 Syntaxis perturbata dignoscitur (R. T).

cumque instantiâ quomodolibet nunc pendentes, ad nos avocantes, apostolicâ auctoritate, motu ac potestatis plenitudine praedictis, penitus extinguimus, et extinctas esse volumus, omnimodumque silentium perpetuo imponimus.

Clausulae praeservativae.

§ 50. Decernentes, omnia et singula praemissa, a nobis, ut praefertur, confirmata, approbata, innovata, extensa, de novo concessa et indulta, easdemque praesentes, semper et perpetuo, tamquam divini cultus et bonorum operum augmentum religionisque propagationem respicientia, valida et efficacia, ac validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus perpetuo sortiri et obtinere, et ab omnibus firmiter atque inviolabiliter[1], nec ab illis ullo unquam tempore quovis praetextu, occasione vel causâ resiliri, aut decedi[2], neque de nullitatis, obreptionis, subreptionis vitio et intentionis nostrae defectu notari, impugnari vel retractari, nec adversus illas quodcumque iuris vel facti remedium, nec etiam oris aperitionem, impetrari unquam posse, neque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum, privilegiorum, indultorum revocationibus limitationibus, suspensionibus, derogationibus et aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, Sedemque praedictam, sub quibusvis tenoribus et formis, ac sub quibusvis clausulis et decretis, etiam derogatoriarum derogatoriis, minime confundi vel comprehendi posse, nisi de toto earumdem praesentium tenore et datâ expressa mentio, nihil penitus omisso, habita, et revocatio, derogatio, suspensio, limitatio, restrictio et alia quaecumque contraria dispositio magistro et procuratori generalibus pro tempore dicti Ordinis expresse, distinctim ac nominatim intimatis[1], iisque per trinas distinctas litteras apostolicas tribus diversis vicibus cum temporis competentis intervallo ad id specialiter vocatis factae fuerint; et, si aliter derogari, revocari, suspendi, limitari et restringi contingat, huiusmodi derogationem, revocationem, suspensionem, limitationem et restrictionem nullius esse roboris et momenti, et, quoties illae emanabunt, toties in eorum pristinum et validissimum statum sub quacumque etiam posteriori datâ per magistrum generalem et fratres pro tempore existentes praedictos eligendâ restitutas, repositas et plenarie reintegratas, et de novo etiam concessas esse et fore, ac vim validi et efficacis contractus etiam cum iuramento inter nos et Sedem praedictam ac magistrum generalem et fratres praedictos initi habere, sicque et non aliàs per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac etiam S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, interpretandi et definiendi facultate et auctoritate, in quavis causâ vel instantiâ iudicari, sententiari et definiri debere, necnon quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus et declaramus. Quoniam vero, quousque divinae providentiae placuerit nos in humanis tolerare, nolumus plane protectionem nobis dilectissimi Ordinis alicui cedere, mandamus subinde futuris pro tempore protectoribus S. R. E. cardinalibus, enixeque in Domino hortamur, ut pro plenâ nostrae huius con-

1 Deest verbum *observari* (R. T.).

2 Potius lege *recedi* (R. T.).

1 Forsan *intimatae* (R. T.).

stitutionis executione apud Pontifices totis viribus zelanterque advigilent atque procurent.

Committitur quibuscumque in ecclesiasticâ dignitate constitutis executio praedictae constitutionis.

§ 51. Executionem vero contentorum in praesentibus nostris litteris committimus et mandamus universis et singulis venerabilibus fratribus Apostolicae huius Sedis legatis, nuntiis et internuntiis pro tempore existentibus, necnon patriarchis, archiepiscopis, episcopis ac dilectis filiis causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori, abbatibus, prioribus, et aliis quibuscumque personis in dignitate ecclesiasticâ constitutis, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, easdem praesentes et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties super hoc pro parte magistri generalis et fratrum nunc et pro tempore existentium aut alicuius eorum requisiti fuerint, solemniter publicantes, eisque et eorum cuilibet in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ firmiter observari, eosque et quemlibet eorum illis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos aut eorum quempiam per quoscumque contra earumdem praesentium tenorem desuper quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postpositâ, compescendo, ac, legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatoriae.

§ 52. Non obstantibus priori voluntate nostrâ ac nostris et Cancellariae Apostolicae regulis de non tollendo iure quaesito, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII, pariter praedecessoris nostri, qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a Sede Apostolicâ deputati contra quoscumque procedere, seu alii vel aliis vices suas committere praesumant, ac in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, et quibusvis universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis, vel aliis apostolicis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praedicti aliorumque Ordinum regularium quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et conventionibus, ac etiam immemorabilibus consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis et locis, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, ac etiam consistorialiter, ac aliàs quomodolibet, etiam ad imperatoris, regum, reginarum et aliorum quorumcumque principum instantiam, iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione aliàs de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, individua et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, praesentibus pro

sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, latissime et plenissime ac specialiter et expresse harum serie, hac vice dumtaxat, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus derogamus; aut si aliquibus communiter aut divisim ab eâdem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides habenda transumptis.

§ 53. Volumus autem, quod ipsarum praesentium transumptis, etiam impressis, alicuius in dignitate ecclesiasticâ constitutae personae sigillo et notarii manu obsignatis, vel etiam, saltem extra Italiam, sigillo et subscriptione magistri Ordinis aut provincialium pro tempore eiusdem Ordinis munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae adhiberetur praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 54. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, approbationis, confirmationis, extensionis, innovationis, concessionis, extinctionis, impositionis, indulti, decreti, declarationis, commissionis, mandati et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Setiae, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVII, VII kalendas iunii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 25 maii 1727, pontif. anno III.

CLXXVIII.

Statuitur ut privilegia ex-provincialium, praesentatorum, praedicatorum, vel ex-assistentium generalium in provinciâ Portugalliae eremitarum S. Augustini, iuxta Ordinis instituta deinceps concedantur [1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii prior provincialis et definitores Portugalliae Ordinis fratrum eremitarum sancti Augustini, quod, cum nonnullis ab hinc annis tot eiusdem provinciae fratres privilegia priorum, exprovincialium, praesentatorum et praedicatorum generalium cum voto in capitulis libri[2] ab hac Sanctâ Sede concedi obtinuerint, ut quinquaginta novem vocales supra numerum inibi de praesenti reperiantur, qui numerus, habitâ ratione ad familiam eiusdem provinciae, excessivus ac nimium onerosus dignoscitur; plures vero alii fratres dictae provinciae similia, ac etiam exassistentium generalium privilegia, aliasque exemptiones ab eâdem Sede impetrare nitantur, quae si concederentur, in grave eiusdem provinciae damnum ac cultus divini detrimentum cederent, multasque capitulis provincialibus dictae provinciae turbas, dissidia atque dispendia adferrent; et quia per emendicata ab aliis provinciae praefatae religiosis sibi bene affectis et addictis testimonia, quae interdum a veritate deviant, procurari solent, fratres immeritos his privilegiis donari multoties contingat: ipsi exponentes, ne, prae multitudine gratiarum et exemptionum huiusmodi, statuta et

Expositio facti.

1 Aliâ huius Pontificis const. ed. MDCCXXVIII, die 1 ianuarii, pontif. IV, confirmantur universa privilegia eidem Ordini aliàs concessa, et Innocentii XIII const. ed. MDCCXXIII, die 20 septembris, pontif. III, moderata fuit const. Clementis XI de voto fratrum consanguineorum.

2 Forsan *sibi* (R. T.).

gubernium dictae provinciae illiusque religiosa tranquillitas perturbentur, ac cultus divinus inibi diminuatur, eisdem gratiis et exemptionibus aditum in posterum praecludi, ac insuper, ne religiosis eiusdem provinciae, qui suis litterarum studiis illius decus et splendorem augent, condigna laborum suorum merces ab aliis, qui debitis qualitatibus destituti fuerint, praeripiatur, magisteria in sacrâ theologiâ deinceps non aliter quam ad praescriptum constitutionum eiusdem Ordinis auctoritate apostolicâ confirmatarum, et alternativae [1] pro aequali inter duas filiationes in dictâ provinciâ stabilitas partitione vigentis distribui plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Statutum praedictum.

§ 2. Nos igitur, eorumdem exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod de cetero nulla privilegia, exemptiones et praerogativae ex-priorum, provincialium, praesentatorum, praedicatorum, vel ex-assistensium generalium, ac etiam dispensationes super tempore lecturae pro obtinendâ iubilatione contra et praeter regularia eorumdem Ordinis et provinciae instituta quibusvis dictae provinciae fratribus concedantur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, statuimus et ordinamus, illaque et illas per eosdem fratres etiam a Romano Pontifice pro tempore existente seu de Sede praefatâ peti, procurari et obtineri, sub privationis vocis activae et passivae, tam per eos quam per alios fratres seu superiores dictae provinciae, qui testimonium ad illa et illas petendum, procurandum et impetrandum concederent et relaxarent, ipso facto absque aliâ declaratione incurrendâ poenâ, prohibemus; in magisteriis vero sacrae theologiae in dictâ provinciâ distribuendis, illius fratrum merita et labores semper et rigorose attendi, ac praefatorum Ordinis et provinciae constitutiones, necnon enarratam inter duas filiationes huiusmodi alternativam servari, eâdem auctoritate, harum serie, praecipimus et mandamus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, etc. [1].

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praefatorum Ordinis et provinciae, aliisve quibusvis, etiam iuramento, etc. [2].

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV iunii MDCCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 14 iunii 1727, pontif. anno IV.

CLXXIX.

Immutatur aliqua in parte constitutio quaedam huius Pontificis quoad suffragium ministri provincialis, custodis et definitorum Ordinis Minorum pro familiâ ultramontanâ [3].

1 Edit. Main. legit *alternativa* (R. T.).

1 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

2 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

3 Clementis XII constit. edit. MDCCXXX, die 14 octobris, pontif. 1, moderantur aliae huius Pontificis constitutiones pro iisdem fratribus editae.

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Ab hoc eodem Pontifice aliàs statutum fuit, et ministri provinciales, custodes et definitores dumtaxat Ordinis Minorum voce decisivâ frui deberent.

§ 1. Aliàs nos per quamdam nostram constitutionem, cuius initium est *Universalis Ecclesiae regimini*, quam non minus pro paterno quem erga inclytum fratrum Minorum sancti Francisci Ordinem gerimus devotionis et charitatis affectu, quam ad antiquam regularem observantiam in eo sartam tectamque tuendam et restituendam non ita pridem edidimus, inter alia disposuimus, quod in definitoriis, congregationibus et capitulis provincialibus respective eorumdem fratrum, tam de Observantiâ quam Reformatorum, Discalceatorum, Recollectorum, Tertiariorum, vel quocumque alio nomine nuncupatorum, sub directione ac gubernio ministri generalis dicti Ordinis degentium, soli deinceps patres definitorii cuiuslibet provinciae ad id electi, nimirum minister provincialis, custos et definitores, qui numero quatuor esse solent, voce consultivâ et decisivâ uti et frui deberent, prout in eâdem nostrâ constitutione, cuius tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Causae praesentis constitutionis, et preces familiae ultramontanae pro moderatione supradictae constitutionis.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii fratres provinciarum de Observantiâ, Recollectorum et Tertii Ordinis eiusdem S. Francisci familiae ultramontanae nobis nuper exponi fecerunt, ex quadam propemodum necessariâ hactenus apud eos servatâ, ac tum capitulis generalibus eiusdem Ordinis, tum etiam Sedi Apostolicae, sicuti ex quibusdam felicis recordationis Urbani PP. VIII praedecessoris nostri litteris constare dicitur, probatâ consuetudine, in definitoriis, congregationibus et capitulis huiusmodi, praeter ministrum provincialem, custodem et quatuor definitores praefatos, duo alii fratres quoad provincias eorum de Observantia, et unus dumtaxat quoad illos[1] Recollectorum et Tertii Ordinis ad suffragium ferendum admitti consueverint, isque usus invaluerit potissimum ne in definitoriis, congregationibus et capitulis praefatis desint religiosi in rebus ad easdem provincias pertinentibus versati, qui officiales electos, ubi opus est, de illis edocere valeant, praesertim cum dictae provinciae vastae existant, ac conventuum copiâ abundent, et ut plurimum iidem officiales recenter electi debitam de ipsis provinciis earumque statu cognitionem non habeant: nobis propterea exponentes praefati humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Moderatio praedictae constitutionis.

§ 3. Nos igitur, qui provinciarum praedictarum bonum regimen felicemque progressum et tranquillitatem sinceris exoptamus affectibus, hisce iustis et rationabilibus ex causis adducti, memoratam nostram constitutionem in hac parte tantum declarare ac moderari, ipsosque exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod in dictis definitoriis, congregationibus et capitulis provincialibus provinciarum fratrum de Observantiâ, Recollectorum et Tertii Ordinis familiae ultramontanae, in quibus tamen, antequam praefata nostra

1 Forsan *illas* (R. T.).

constitutio emanaret, enarrata consuetudo vigebat, et non aliàs, ultra ministrum provincialem, custodem et quatuor definitores praedictos, exminister provincialis immediatus, qui pro tempore officio suo perfunctus fuerit, votum sive suffragium, sicuti antea ferre et habere, ac, quoad provincias ipsorum de Observantiâ, praeter eumdem exministrum provincialem immediatum, ac in locum antiquioris patris, alius insuper religiosus quolibet triennio a senioribus seu antiquioribus patribus cuiuslibet provinciae, qui inibi iuxta eorum graduationem reperientur, incipiendi[1] ita scilicet quod patres Ordinis exministros provinciales, actuales vero illos, qui habituales vocantur, praecedant, et, si non adsint fratres his qualitatibus praediti, etiam lectores iubilati, ac demum ii qui ad eiusdem nostrae constitutionis praescriptum subrogandi veniunt, accersantur et admittantur, similiter vocem habere et ferre libere, licite et valide possint et valeant, auctoritate apostolicâ harum serie concedimus et permittimus.

Declarationes quaedam.

§ 4. Cum hoc tamen quod eiusmodi exminister provincialis, ac alius religiosus fratrum de Observantiâ a definitoriis, congregationibus et capitulis praefatis per triennium, quo durante illa ingredi nequeant, vacare teneantur, tametsi in illis ad quemvis graduum suarum provinciarum exacto dicto triennio deligi, seu in locum aliorum patrum subrogari valeant, cum mens et intentio nostra sit providere ne istorum exministri provincialis et alterius religiosi suffragia sint perpetua, seu semper in gubernio persistant; ac propterea volumus quod in sequenti capitulo, praeter exministrum provincialem immediatum praefatum, ita substituantur antiquiores et seniores patres in provinciis fratrum de Observantiâ, uti supra dispositum fuit, quod, si in uno triennio pater Ordinis vocem habuerit, sequenti triennio, nisi alius pater Ordinis sive actualis sive habitualis adfuerit, pater provinciae succedere debeat, servato semper ordine in subrogationibus huiusmodi per nos in memoratâ nostrâ constitutione praescripto.

1 Forsan *eligendus* (R. T.).

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus, quoad ea quae praesentibus sunt contraria, nostrâ praefatâ et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae in eâdem nostrâ constitutione concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV iunii MDCCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 14 iunii 1727, pontif. anno IV.

CLXXX.

Confirmantur litterae Martini V pro fratribus B. M. de Mercede redemptionis captivorum emanatae super facultate libere petendi subsidia charitativa pro captivorum redemptione[1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ex iniuncto nobis caelestis apostolicae servitutis munere illa, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris favore religiosorum Ordinum quorumcumque, illorum praesertim, qui, sub peculiari gloriosissimae Dei genitricis

1 Praedicta Martini V constitut. hic inserta edita est MCDXVIII, die 29 iunii, pontif. II, et aliâ huius Pontificis const. edit. MDCCXXVII, die 21 augusti, pontif. IV, confirmantur quaedam decreta pro bono regimine provinciarum Hispaniae.

Mariae vexillo assidue Altissimo famulantes, christifideles in teterrimâ infidelium captivitate constitutos, iuxta laudabilia eorum instituta, redimere consueverunt, pie provideque emanasse noscuntur, ut solidiori robore perennent, apostolici muniminis nostri praesidio, cum id a nobis petitur, libenter constabilimus.

A Martino V praedicti Ordinis fratribus facultatem ubique petendi charitativa subsidia pro redemptione captivorum, concessa fuit.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Martinus Papa V praedecessor noster magistro generali ac fratribus pro tempore existentibus Ordinis B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum indulsit, ut ipsius Ordinis fratres et nuntii, qui pro charitativis eleemosynarum subsidiis ad opus redemptionis eorumdem captivorum procurandum et alia praedicto Ordini pro tempore incumbentia onera supportanda petendis[1] in regnorum Aragoniae, Franciae, Castellae, Portugalliae et Navarrae provincias et comitatum Provinciae aliasque partes mittebantur, charitativa subsidia huiusmodi absque ullâ contradictione et difficultate inibi libere petere valerent, atque locorum dioecesani eorumque officiales et religiosi exempti et non exempti in suis ecclesiis et extra eas praedictos fratres et nuntios ad id pacifice admittere tenerentur, nec illos hac in re molestare seu quomodolibet impedire praesumerent, et aliàs, prout uberius continetur in ipsius Martini praedecessoris litteris desuper expeditis tenoris qui sequitur, videlicet:

Praedicta Martini V constitutio qua dicta facultas concessa est.

§ 2. Martinus *episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistro generali et fratribus Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis captivorum, salutem et apostolicam benedictionem.*

Sincerae devotionis affectus, quem ad nos et ad Romanam Ecclesiam geritis, non indigne meretur ut ad illa favorabiliter intendamus, quae vobis fore conspicimus opportuna. Exhibita siquidem nobis pro parte vestrâ petitio continebat, quod, licet vos de antiquo approbatâ et hactenus pacifice observatâ consuetudine in Aragoniâ (cuius reges fundatores dicti Ordinis extiterunt) necnon Franciae, Castellae, Portugalliae et Navarrae provinciis et comitatu Provinciae, ac certis aliis partibus, pro charitativis eleemosynarum subsidiis ad redemptionis captivorum et alia eidem Ordini pro tempore incumbentia onera supportanda petendis, fratres aut nuntios vestros mittere consueveritis, et iidem fratres aut nuntii absque impedimento et contradictione quibuscumque ad id recipi et admitti soliti sint; tamen nonnulli locorum dioecesani et officiales eorum ac religiosi exempti et non exempti eosdem fratres et nuncios ad petenda subsidia eleemosynarum huiusmodi in eorum ecclesiis admittere nolunt, quinimo eos impedire super his praesumunt. Quare pro parte vestrâ fuit nobis humiliter supplicatum ut providere vobis super hoc de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur, intendentes vos favoribus gratiosis prosequi in hac parte, huiusmodi supplicationibus inclinati, volumus, et apostolicâ vobis auctoritate concedimus, ut fratres et nuntii vestri praedicti, cum a vobis ad id missi fuerint, in provinciis et comitatu ac aliis partibus huiusmodi, absque difficultate et contradictione quibuscumque, charitativa subsidia praedicta libere petere valeant, quodque dioecesani et officiales ac religiosi praedicti in eorum ecclesiis et extra eas eosdem fratres et nuncios ad id pacifice admittere teneantur. Districtius inhibentes eisdem dioecesanis ac officialibus et religiosis, ut fratres aut nuncios antea dictos occasione quacumque super eis molesta-

1 Edit. Main. legit *petendi* (R. T.).

re seu quomodolibet impedire praesumant, ac decernentes ex nunc irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae voluntatis, concessionis, inhibitionis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Florentiae, III kalendas iulii, pontificatus nostri anno II.

Confirmatio relatae constitutionis Martini V.

§ 3. Cum autem, sicut dilectus filius Gabriel Barbastro, magister generalis Ordinis praefati, nobis nuper exponi fecit, tam ipse quam dilecti filii fratres eiusdem Ordinis, qui adeo pio et salutari operi, quod ceteris corporalibus misericordiae operibus facile antecellit, et in quo uno fere omnia quasi per compendium simul exercentur, omni curâ ac studio, nullique labori et periculo parcentes, assidue incumbunt, praemissa, quo firmius subsistant et inviolabilius serventur, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, ad uberes christianae charitatis et pietatis fructus, quos Ordo praefatus in agro militantis Ecclesiae iugiter proferre dignoscitur, quosque oculis nostris anno iubilaei novissime elapso, quo scilicet trecenti septuaginta ex diversis nationibus fideles a miserâ servitute per eiusdem Ordinis fratres recenter redempti nobis coram exhibiti fuerunt, non sine intimo cordis nostri solatio spectare datum est, paternae dirigentes considerationis intuitum, specialemque Gabrieli magistro generali et fratribus praedictis gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus ipsius Gabrielis magistri generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, praeinsertas Martini praedecessoris litteras, omniaque et singula in eis contenta, dictâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes pariter, ipsas praesentes litteras semper firmas, etc.[1].

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalis provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, privilegiis quoque, etc.[2].

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV iunii MDCCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 14 iunii 1727, pontif. anno IV.

CLXXXI.

Statuuntur nonnulla de archiviis in Italiâ sedium episcoporum aliorumque religiosorum locorum erigendis pro custodiâ[3] iurium et scripturarum ad ea pertinentium[4].

1 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).
2 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *custodiendâ* (R. T.).
4 Hac de re pro regno Siciliae vide Pii V const. edit. MDLXXI, die 1 martii, pontif. VI.

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium ductum ab archivorum ecclesiasticorum necessitate.

Maxima vigilantia, quam maiores nostri in rerum suarum monumentis ad posterum memoriam retinendis semper adhibuerunt, adeo testata et passim litteris tradita est, ut nostris verbis praedicari minime egeat; nihil enim frequentius in veterum patrum scriptis sacrisque conciliorum et Ecclesiae sanctionibus legitur, quam scrinia, tabularia, archivia, conditoria et armaria, a temporum atque hominum iniuriâ servandis rerum gestarum documentis, chartis, diplomatibus, codicibus instrumentisque constructa; unde fides et veritas rerum ad successorum recordationem transmitti posset. Nec tantum veteres quidem Romani Pontifices antecessores nostri singularem hanc providentiam in custodiendis eiusmodi actis et monumentis identidem ostenderunt; sed ceterarum quoque ecclesiarum pastoribus tantae rei gravitas maxime innotuit, proptereaque rerum sibi creditarum testes litteras ad instructionem futurorum summâ fide servari voluerunt, quippe qui probe nossent quantae inde utilitates manarent. E recentioribus, ecclesiasticae disciplinae reparator insignis B. Carolus Borromaeus S. R. E. cardinalis et archiepiscopus Mediolanensis in concilio provinciali primo, non uni suae, sed ceterorum etiam antistitum ecclesiis, sacrae suae metropoli contributis, summe cavit, ob illarum iura sarta tecta servanda de archivis et tabulariis in singulis episcopatibus specialim erigendis peculiares canones promulgari statuens, quod et nos, tam gravem et piam disciplinam prae oculis habentes, olim in concilio nostro provinciali primo Beneventano, Deo favente, statuimus maiorum exempla secuti, qui in suis constitutionibus non solum Romae, sed praecipue in universis regionibus et civitatibus, B. Petri apostolorum principis temporali imperio subiectis, archivia et tabularia erigi iusserunt, ne scripturae ad res publicas attinentes disperderentur.

Ex neglectis ecclesiarum archivis multa damna proveniunt.

§ 1. Quum vero ad aures nostras rumor pervenerit, in multis episcopatibus et ecclesiis rem tam providam utilemque non sine privato et publico damno negligi; quod nisi opportuno remedio tollere satagamus, incommoda ecclesiarum facile in immensum crescent: nos ex debito pastoralis officii, constitutionem (CXXI) a Pio V antecessore nostro pro archivis sedium episcopalium utriusque Siciliae olim vulgatam, et fraudes ac subreptiones scripturarum, quae tempore sedium vacantium perpetrabantur[1], etiam respicientes, necessarium putavimus nonnullas alias ordinationes et statuta his nostris apostolicis litteris perpetuum robur habituris edere tenoris sequentis, videlicet:

Statuitur primo, ut omnes praesules Italiae archiva intra sex menses construere curent.

§ 2. Ut omnes patriarchae, metropolitae, archiepiscopi, episcopi et praelati inferiores, Ordinarii locorum, nullius dioecesis, iurisdictionem episcopalem exercentes, in totâ Italia, eique adiacentibus insulis, qui in suo palatio episcopali locum tutum, nec cuivis facile adeundum[2], pro servandis in eo scripturis ad dignitatem et iurisdictionem episcopalem, sive ordinariam, mensam et forum suae curiae pertinentibus, non habent, statim de loco tantae rei destinando seriò cogitent, in quo loco tuto, congruo, non humescenti, unde scripturis lapsu temporis pernicies ulla inferatur, loculi, plutei et armaria, recipiendis scripturis et codicibus apta,

1 Videtur legendum *perpetrantur* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *ad eundem* pro *adeundum* (R. T.).

secundum instructionem italicam inferius subiiciendam[1], disponantur, et diligenter clausa custodiantur. Quoad archivia et tabularia olim erecta, iidem praelati pro suâ vigilantiâ eorumdem statum sedulo recognoscant, illorum aptae capacitati atque ordini, iuxta supradictam instructionem, ut, quoad fieri potest, structura et dispositio omnium archivorum sit uniformis, intra sex menses post harum publicationem provisuri.

Universa capitula idem curent.

§ 3. Hic idem terminus sex mensium iniungitur quibuscumque capitulis ecclesiarum cathedralium et collegiatarum, tam insignium quam non insignium, ut locum opportunum, iuxta modum iam indicatum, disponant in aliquâ mansione cathedralis vel collegiatae ecclesiae, ubi commode serventur et custodiantur scripturae, iura et status eorumdem capitulorum respicientes. Seorsum vero armarium habeatur pro scripturis, ad iura et statum particularem ecclesiarum cathedralium, collegiatarum attinentibus. Volumus enim, ut archiva capitulorum ab illis quae sunt ecclesiarum cathedralium et collegiatarum omnino distinguantur; ideoque in prospectu et facie sive anteriori parte cuiuscumque archivi sive armarii exterius scribatur cuiusnam sit illud archivum, an scilicet ecclesiae, an vero capituli.

Omnes superiores regulares collegia et loca pia utriusque sexus idem curent.

§ 4. Haec observanda etiam praecipimus a quocumque abbate, priore vel superiore regulari cuiuscumque Ordinis, etiam Mendicantium, etiam Societatis Iesu, vel cuiuscumque instituti, etiam speciali notâ digni, necnon hospitali[2] B. Ioannis Hierosolymitani, scilicet pro dispositione, constructione seu constitutione archivi in loco apto, modo quo supra, intra claustra propriae domus, monasterii seu conventus: idemque omnino executioni mandandum curent abbatissae vel priorissae et superiores cuiuscumque monasterii monialium et sacrarum virginum, domuumque piarum mulierum, quae conservatoria appellantur, quaeque per haec scripta non intendimus approbare. Similiter haec eadem constitutio nostra in construendis et custodiendis archivis observetur ab ecclesiis receptitiis, collegiis, seminariis, convictibus, congregationibus, confraternitatibus, hospitalibus, montibus pietatis, aliisque locis piis cuiuscumque generis, et quocumque nomine censeantur, sub administratione rectorum, ministrorum et officialium temporaneorum sive perpetuorum existentibus.

Secundo praecipitur, ut catalogus scripturarum conficiatur.

§ 5. Omnes iam dicti patriarchae, archiepiscopi, episcopi, Ordinarii locorum et superiores regularium utriusque sexus, ut supra, postquam congesserint et clauserint vel disposuerint scripturas in archivo extructo vel extruendo, omni diligentiâ et sollicitudine earumdem catalogum et inventarium conficiendum, et cum brevi singularum scripturarum synopsi et lemmate vel summario describendum curent. Episcopi et Ordinarii eumdem catalogum et inventarium a notario seu cancellario curiae episcopalis vel ordinariae, aut, eo impedito, ab aliâ personâ per eum substituendâ, confici curent coram se ipsis seu vicario generali vel aliâ personâ ab iisdem substituendâ, idemque catalogus et inventarium ab eodem notario seu cancellario singulis paginis subscribatur; catalogus vero in fine totius operis a praelato, postquam ipse accurate et sedulo recognoverit singulas paginas diligenter conscriptas fideliterque a notario seu cancellario propriae curiae vel a personâ ei substitutâ exaratas, subscribatur. In seminariis autem episcopalibus

1 Hanc *instructionem italicam*, saepe memoratam, non dedit Recensor Romanus (R. T.).

2 Aptius lege *hospitalis* (R. T.).

archivum ut supra erigatur, et inventarium scripturarum per publicum notarium ab episcopo sive Ordinario eligendum, qui non sit cancellarius curiae episcopalis sive ordinariae, conficiatur coram vicario generali aut aliâ personâ ecclesiasticâ a praedictis Ordinariis substituendâ, et coram uno ex deputatis seminarii, ad horum beneplacitum, etiam alternis vicibus, cum subscriptione illius qui eidem confectioni interfuerit, ut supra.

Catalogi archivorum cathedralium, collegiatarum, et monasteriorum, a quibus conficiendi.

§ 6. Catalogus et inventarium archivi capitulorum ecclesiarum cathedralium et collegiatarum per archivistam, ut inferius dicetur, a capitulo eligendum, conficiatur coram duobus canonicis antiquioribus et peritioribus cathedralis et collegiatae eo ordine et subscriptione, quam supra memoravimus. Inventarium tamen et catalogus archivi ecclesiarum cathedralium et collegiatarum, distincti ab archivo capituli, per hominem a proprio episcopo sive Ordinario deputatum, coram vicario generali vel personâ ecclesiasticâ ab ipsis Ordinariis eligendâ, necnon coram canonico antiquiore ecclesiae cathedralis vel collegiatae, appositis subscriptionibus eorumdem, conficiatur, ut supra, inventaria et catalogi scripturarum, quae in archivis monasteriorum et locorum regularium servantur, eodem, quem diximus, ordine conficiantur per archivistam regularem ipsius monasterii seu conventus, ut inferius eligendum, et coram abbate vel superiore monasterii et antiquiore ex monachis regularibus monasterii vel conventus; qui quidem abbas vel superior suam subscriptionem apponere debeant.

Catalogi vero archivorum, in monasteriis monialium et locorum piorum a quibus conficiendi.

§ 7. In monasteriis monialium, inque domibus piis, quae conservatoria nuncupantur, inventarium et catalogus conficiatur et subscribatur, ut supra, per hominem ab episcopo sive Ordinario deputatum, coram proprii monasterii confessario et abbatissâ vel priorissâ, sive superiore et vicariâ.

In ecclesiis conventualibus, collegiis, seminariis et hospitalibus catalogi iidem archivorum a quibus conficiendi.

§ 8. In ecclesiis conventualibus seu receptitiis, collegiis et seminariis, seorsum a seminariis episcopalibus, ut supra memoratis, in convictibus, congregationibus, confraternitatibus, hospitalibus, montibus pietatis, aliisque locis piis, ut supra, inventarium et catalogus coram primo officiali et camerario cum eorum subscriptione per archivistam, si ibi erit, aliàs per virum idoneum ab administratoribus eorumdem locorum deputatum, conficietur.

Praeterea duo exemplaria catalogi eiusdem conficiantur.

§ 9. Huiusmodi inventarii et catalogi, sic ut diximus confecti, duo exemplaria inter se prorsus similia conficiantur, quorum unum in archivo ipso episcopali servetur, alterum apud praelatum dioecesis, ut supra, antiquiorem canonicum cathedralis vel collegiatae, abbatem vel superiorem monasterii aut conventus, abbatissam vel priorissam, aut superiorem monasterii monialium et conservatorii, rectorem vel primum officialem locorum piorum respective, ut supra, ita tamen ut praefuncti suo munere successoribus illud tradant.

Archiva duabus clavibus et seris claudantur.

§ 10. Eadem archiva duabus clavibus et seris inter se diversis aperiantur, quarum una, quoad archiva episcopalia sive Ordinariorum, a praelato sive Ordinario servabitur; altera a cancellario seu notario curiae episcopalis vel ordinariae. Archivi autem seminariorum episcopalium una clavis ab episcopo sive Ordinario, altera ab archivi praefecto per episcopum sive Ordinarium eligendo cum consilio deputatorum eorumdem seminariorum, custodiatur. Archivi capituli ecclesiae cathedralis vel collegiatae unam clavem eiusdem archivi praefectus servabit, aliam canonicus antiquior.

Claves archivi beneficiatorum, cathedralium et collegiatarum.

§ 11. Ubi mos est ut beneficiati ecclesiae cathedralis vel collegiatae archivum habeant distinctum a capitulari, de more unam eius clavem retineat beneficiatus antiquior, alteram beneficiatus archivi praefectus sive archivista, ut inferius dicetur, eligendus. Ubi vero beneficiatorum archivum unà cum capitulari coniunctum haberi consuevit, eius claves iuxta eamdem consuetudinem retineantur; sique ab uno ex beneficiatis retineri consuevit, ita pariter observetur. Si vero beneficiati carent archivo separato et distincto, neque scripturas ad sua iura pertinentes in archivo capitulari conservant, tunc iubemus atque praecipimus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et Ordinariis, ut archivum cum armariis seorsum erigendum curent, modo superius memorato, ut scripturarum conservationi prospiciatur. Quoad vero particulare archivum ipsius ecclesiae cathedralis et collegiatae, una ex eius clavibus a canonico eiusdem ecclesiae cathedralis vel collegiatae, per episcopum sive Ordinarium deputando, altera vero ab ipso episcopo sive Ordinario retineatur. In monasteriis seu conventibus regularium, una ex clavibus archivi a superiore conventus, altera ab archivista retineatur. In monasteriis monialium piisque domibus quae conservatoria appellantur, una ex clavibus per[1] abbatissam vel priorem aut superiorem localem, altera per confessarium monasterii aut conservatorii custodiatur. In aliis locis supra memoratis unam archivi clavem rector vel primus officialis custodiat, alteram archivista, ut inferius eligendus.

Quotannis catalogo archivi adiungantur scripturae, anno praecedenti confectae.

§ 12. Quotannis, mense ianuarii, inventario sive catalogo scripturarum illae scripturae adiungantur, quae anno praecedenti confectae vel aliàs neglectae fuerunt.

Episcopi archiva omnino visitent.

§ 13. Episcopi et Ordinarii tempore visitationis, ex praescripto sacrosanti Concilii Tridentini faciendae, archivum episcopale sive ordinarium omnino visitent. Item visitent archivum ecclesiae catedralis vel collegiatae, nimirum armaria in quibus iura ecclesiae cathedralis vel collegiatae custodiunt[1], et scripturas ac iura eadem recognoscant praesentibus duobus canonicis antiquioribus et peritioribus capituli. Archivum scripturarum, quae statum et iura capituli cathedralis tantum respiciunt, pariter visitent, exploraturi utrum scripturae sint bene dispositae, secundum instructionem huic nostrae constitutioni adiungendam, idque agant unà cum duobus canonicis antiquioribus, nec tamen possit episcopus sive Ordinarius rimari scripturas quae res eiusdem capituli respiciunt. Praeterea episcopus sive Ordinarius archivum beneficiatorum cum duobus ex eorum numero antiquioribus pariter visitet, diligenter observaturus utrum huius nostrae constitutionis ordinationes adimpleantur. Ubi vero beneficiatorum archivum cum capitulari commune est, in eius visitatione sibi adiungat duos beneficiatos praeter duos canonicos antiquiores, ut illud pariter, ut supra dictum est, visitet.

Visitent etiam archiva locorum, quae iure delegato visitant.

§ 14. Episcopi et Ordinarii, quoad archiva ecclesiarum aliorumque locorum, hoc ipsum agant ad tenorem huius nostrae constitutionis, quam ubique observari curent: ita tamen, ut in iis locis, in quibus visitationem iure ordinario peragere possunt, eodem iure ordinario archiva praedicta visitent; in locis vero, in quibus iidem episcopi et Ordinarii iure delegato visitationem peragere possunt, huiusmodi etiam iure delegato

1 Male edit. Main. legit *et* pro *per* (R. T.).

1 Aptius forsan *custodiuntur* (R. T.).

memorata archiva explorare, et executionem eorum, quae hac nostrâ constitutione traduntur, promovere possint et debeant, inque relatione suâ tempore visitationis sacrorum liminum faciendâ separatim referant statum archivorum. Praelati vero *Nullius*, ad visitationem sacrorum liminum non accedentes, quolibet triennio evoluto doceant Congregationem S. R. E. cardinalium interpretum Concilii Tridentini de statu archivi, deque observatione huius nostrae constitutionis, et cardinalis praefectus, ubi opus fuerit, illam docere eos cogat.

Visitatores Ordinum regularium visitent archiva.

§ 15. Itidem generales, provinciales et visitatores cuiuscumque Ordinis et instituti regularis, ut supra, in suis visitationibus, quas facient in singulis monasteriis et conventibus regularium ac monialium sibi subiectarum, peculiariter quaerant an singula in hac nostrâ constitutione comprehensa adamussim servata fuerint ac serventur, poenisque in eâdem contentis inobedientes ad observantiam etiam iuris remediis compellant. Iidem visitatores suis superioribus in relatione visitationis statum archivorum in dictis monasteriis et conventibus visitatis a se repertum referant, seque executioni huius constitutionis sedulo invigilasse omnino doceant, pro qua executione, ubi necessitas tulerit, superiorum auctoritatem implorare non desinant. Immo in capitulis provincialibus et generalibus superiores conventuum et monasteriorum seu provinciarum de observantiâ huius nostrae constitutionis, quoad archiva erigenda et conservanda in suis monasteriis seu conventibus, rationem huiusce rei exigant.

Electio archivistae.

§ 16. In singulis capitulis cathedralium seu collegiatarum quotannis inter ceteros officiales archivista ex corpore capituli eligatur. Itidem pariter de monacho seu religioso in monasteriis seu conventibus regularium agatur, ubi ceteri officiales a conventualibus sive a superioribus eliguntur, qui facultatem habeant eligendi officiales eorumdem monasteriorum sive conventuum. In reliquis locis piis sive confraternitatibus superius memoratis, ubi adest collegium, inter ceteros officiales ab eo eligi solitos, omnino eligatur archivista pro fideli custodiâ dictorum respective archivorum. Ubi vero non eliguntur officiales ab Ordinario, vel deest collegium eos electurum atque homo archivistae muneris capax, tunc rector dicti loci pii custodiat archivum, vel aliquem virum probum et fidelem pro eiusdem custodiâ deputet.

Praelati et superiores scripturas archivo inferendas curent.

§ 17. Praelati, sive utriusque sexus superiores, suae ecclesiae scripturas archivo inserendas curent, secundum instructionem inferius recitandam.

Ordinarii chartas inquiri curent inferendas.

§ 18. Ordinarii, priusquam inventarium archivi sui concinnandum curaverint, sedulo inquirant chartas scripturasque usurpatas, aliò distractas atque dispersas, quod praesertim, sede vacante, contingere solet; et quaecumque necessaria remedia adhibeantur ut eaedem scripturae archivo restituantur, vel ubi lateant manifestetur. Qui non sunt Ordinarii, coram Ordinariis, auxilium iudiciarium praestantibus, agant pro scripturarum recuperatione, inque archivum suum translatione.

Episcopus decessurus, vel ad longum tempus abiens, cuinam inventarium archivi tradere debeat.

§ 19. Decessurus vel ad longum tempus extra dioecesim abiens episcopus, praelatus, sive Ordinarius, inventarium scripturarum archivi, suo sigillo obsignatum, teneatur omnino dare proprio confessario, aut alicui superiori regulari eiusdem civitatis cum syngraphâ receptionis tradatur, iuxta memoratam Pii V praedecessoris nostri constitutionem. Superior autem novo electo episcopo

seu Ordinario, vel antiquo illuc redeunti, idem inventarium tribuat, restitutâ syngraphâ receptionis superiori. Si tamen obitus iamdicti confessarii vel superioris ante novi episcopi seu Ordinarii electionem sive reditum supradictum evenerit, tunc inventarium et syngrapha memorata confessariis eorum respective, adhibitâ simili cautione, tradantur, et executioni demandetur quod ipsi, morte praeventi, adimplere nequiverint.

Obeunte praelato quid agendum de inventario archivi.

§ 20. Obeunte praelato, capitulum, antequam ad vicarii capitularis electionem deveniat, diligenter inquirat an inventarium scripturarum archivi episcopalis, quod penes se servare debebat, reperiatur, agnoscatque an impleta fuerit praedicta nostra dispositio, qua traditio inventarii, proprio confessario facienda, decernitur, ut superiori regulari tribuatur. Quod inventarium si repertum fuerit, capitulum illud superiori regulari ab eo tute et fideliter usque ad novi praelati electionem custodiendum tradere teneatur. Si autem idem inventarium repertum minime fuerit, neque constiterit fuisse traditum modo quo supra, tunc debeant duo antiquiores canonici archivi claves penes se suscipere, idemque archivum, coram duobus testibus presbyteris non capitularibus, suis propriis sigillis exterius munire, ita ut clavibus minime reserari possit; nec capitulum vel vicarius capitularis eiusdem archivi sigilla disrumpere aut reserare audeant aut possint, nisi prius iidem duo canonici antiquiores, fractis sigillis et aperto archivo coram duobus presbyteris non capitularibus, scripturas ipsas contulerint cum inventario authentico, quod iuxta nostram hanc dispositionem in eodem archivo servandum est. Si vero minime repertum fuerit inventarium in archivo, iam dicti duo canonici teneantur manu publici notarii accurate duplex inventarium scripturarum archivi ut supra conficere, quorum unum in archivo servetur, alterum superiori regulari ut supra tradatur. Aliàs si huius nostrae constitutionis et dispositionis trasgressores extiterint, et archivum reserare praesumpserint, praeter penas generales inferius imponendas, tam capitulum quam vicarius capitularis obstricti sint cuicumque detrimento, quod inde evenire contigerit parti et fisco ob scripturas ex archivo subreptas, necnon aliis poenis arbitrio successoris episcopi seu Ordinarii subiaceant.

Mortuo episcopo, quid de archivi clavibus agendum.

§ 21. Post obitum episcopi, claves archivii apud duos canonicos a capitulo deputandos remaneant, nec commissario apostolico, sede vacante, ullo pacto tradantur: sed tantum permittatur ut ille unà cum canonicis deputatis in archivo scripturam aliquam, suae commissioni necessariam, scrutari possit, inde tamen nullam transferat; cum novus episcopus a capitulo scripturarum ex archivo episcopali translatarum, omniumque ad ecclesiam seu mensam episcopalem pertinentium, rationem exigere debeat, ex Concilio Tridentino, sess. XXIV, cap. XVI, *De reformatione*.

De scripturis ex archivo extrahendis.

§ 22. Ex archivis non liceat efferre scripturas sine praelati vel superioris facultate illas exscribendi, easdemque post triduum in suum locum restituendi, ubi syngrapha receptionis, triduano tempore limitata, reponatur. Hanc syngrapham scripturas recipiens suâ manu in codice ad hoc retinendo in eodem archivo, subscribat; Ordinariis tamen locorum reservatâ facultate prorogationis temporis, quae moderate concedatur.

Processus tradendi archivistae, qui successoribus suis scripturas exhibeat.

§ 23. Ad processus quacumque occasione postulante facile inveniendos, volumus ut notarii, tabelliones et actuarii, unius mensis spatio ab expeditione cau-

sarum, archivistae eosdem processus quoscumque criminales, civiles et quamcumque rem continentes ecclesiasticam vel temporalem, tradere teneantur, per eum in archivo reponendos atque servandos, quos pariter inventario scripturarum singulatim recensebit, sub poenâ transgressoribus privationis officii et futurae ad id obeundum inhabilitatis, praeter alias poenas in hac constitutione sancitas. Ubi archivistas et scripturarum custodes mutari contigerit, hi successoribus suis omnes scripturas per publicum documentum inde confectum exhibeant; aliàs hi aeque ac successores de scripturis deficientibus rationem reddant.

Ordinarii provideant conservationi scripturarum parochiarum et locorum piorum.

§ 24. Denique, ut prospiciatur conservationi scripturarum ad ecclesiam[1], parochias, capellanias, altaria, loca pia et causas quoque pias pertinentium, quae per collationem vel nominationem seu praesentationem canonicam vel quocumque alio modo reguntur et administrantur per[2] virum ecclesiasticum vel saecularem, non vero per collegium, et propterea difficilius est archivum, secundum iamdictam instructionem formatum, constituere, volumus ut Ordinarii in suis visitationibus pro suo arbitrio et prudentiâ eidem scripturarum conservationi provideant, erectionem archivii fieri mandantes, regulasque praescribentes quas rei aptiores fore cognoverint, subiectae instructioni se conformare pro opportunitate curantes.

Praedictorum omnium executio sub certis poenis demandatur.

§ 25. Omnium et singulorum hactenus expositorum executionem, sub praecepto sanctae obedientae, quibuscumque ut supra personis respective iniungimus, ab iisque servari volumus et mandamus; immo rursus patriarchis, metropolitanis, archiepiscopis, episcopo, aliisque Ordinariis habentibus usum pontificalium, sub poenâ suspensionis ab eorum usu arbitrio Summi Pontificis; capitulis autem ecclesiarum cathedralium et collegiatarum, sub poenâ interdicti; reliquis ecclesiasticis saecularibus in sacris constitutionibus[1], sub poenâ suspensionis a divinis; regularibus utriusque sexus, suspensionis ab officio et privationis vocis activae et passivae; saecularibus, sub poenâ excommunicationis maioris: quarum censurarum et poenarum absolutio et relaxatio reservetur Romano Pontifici.

Praelati curent haec observari.

§ 26. Curent propterea universi praelati supradicti et superiores regulares omni diligentiâ quaelibet hac nostrâ constitutione contenta undequaque observari, ad avertendum praeiudicium grave quod imminere posset ecclesiis ex occultatione iurium pro quorum custodiâ et conservatione ipsi pro viribus laborare tenentur ex onere assumpto in ipso limine receptionis suae dignitatis et muneris: proindeque inobedientes nedum iuris remediis ad observantiam eorum quae hac constitutione vulgantur cogere possint, sed debitis poenis in eos, qui muneri suo deerint, animadvertere non omittant.

Hae litterae perpetuo validae sint.

§ 27. Decernimus autem, easdem praesentes de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel quovis alio defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, aut in ius vel controversiam vocari nunquam posse, sed illas semper perpetuo validas et efficaces fore, suosque plenarios effectus sortiri, atque ita per quoscumque iudices etiam causarum palatii apostolici auditores et Camerae clericos, ac S. R. E. cardinales, sublatâ eis quavis aliter iudicandi vel interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et

1 Videtur legendum *ecclesias* (R. T.).
2 Praeposit. *per* nos addimus (R. T.).

1 Videtur legend. *in sacris constitutis* (R.T.).

inane decernimus si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 28. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus apostolicis de non tollendo iure quaesito, et quorumvis capitulorum, ecclesiarum, monasteriorum, aliorumque piorum locorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ[1] roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, exemptionibus, immunitatibus, a nobis et praedecessoribus nostris sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis clausulis et decretis, quomodolibet concessis ac in futurum concedendis; quibus omnibus, etiamsi de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis in suo robore aliàs permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 29. Volumus autem ut earumdem praesentium exemplaribus manu et sigillo cuiusvis publici notarii vel alterius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Nemo hanc constitutionem infringere audeat.

§ 30. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae institutionis, voluntatis, mandati, statuti et ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVII, XVIII kalendas iulias, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 14 iunii 1727, pontif. anno IV.

1 Edit. Main. legit *alias* (R. T.).

CLXXXII.

Statuuntur nonnulla, ac quaedam indulgentur facultates pro bono regimine Congregationis Avenionensis clericorum saecularium Doctrinae Christianae, necnon indulgentiae quaedam conceduntur [1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Credita nobis caelitus dispensationis ratio exigit, ut, paternam christifidelium quorumlibet, praesertim christianae pietatis et charitatis operibus ad procurandam suam et proximi salutem assidue incumbentium curam gerentes, illorum statui et felici regimini, quantum nobis ex alto conceditur, consulere iugiter studeamus.

Aliàs ab hoc Pontifice praedictae Congregationi unita fuit altera Congregatio regni Neapolis.

§ 1. Aliàs siquidem nos Congregationem clericorum saecularium Doctrinae Christianae, quae in regno Neapolis consistebat, alteri eorumdem clericorum saecularium Congregationi in civitate nostrâ Avenionensi institutae perpetuo univimus, ita ut deinceps unica foret Congregatio Avenionensis nuncupanda in diversas provincias distincta, pro cuius salubri directione plures ordinationes edidimus, eique varia privilegia et gratias tum spirituales tum temporales concessimus, et aliàs, prout in nostris in simili formâ Brevis die XXVIII septembris MDCCXXV expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad ver-

1 Aliâ huius Pontificis const. ed. MDCCXXV, die 28 septembris, pontif. II, praedicta Congregatio Avenionensis unita fuit Congregationi Neapolitanae.

boni inserto haberi volumus, plenius continetur.

Indulgentur praedictae facultates, nonnullae.

§ 2. Nunc autem nos, eamdem Congregationem sic unitam, quo firmius subsistat ac maiora in dies suscipiat incrementa, novis et amplioribus favoribus et gratiis prosequi eiusque bono regimini et tranquillitati prospicere volentes, motu proprio ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, harum serie benigne indulgemus, ut praesides capitulorum generalis et provincialium eiusdem Congregationis illorum vocales ab ecclesiasticis censuris occultis ad ipsorum capitulorum validitatem, et in foro conscientiae dumtaxat, absolvere, ac tam capitulum generale numerum illius vocalium pro tempore minuere, servatâ tamen inter provincias aequalitate, quam praepositi provinciales, de suorum consiliariorum consensu ac annuente definitorio, rectores domorum seu collegiorum dictae Congregationis, ubi eiusmodi domorum[1] seu collegiorum necessitas vel utilitas exegerit, de unius domus seu collegii regimine ad alterius domus sive collegii eiusdem provinciae gubernium ad tempus quo dicti rectores in eorum muneribus durare solent pariter duraturum transferre, attentâ vero reddituum provinciae Romanae dictae Congregationis, praesertim in praefato regno Neapolis, tenuitate, quae tempore unionis eiusmodi non satis innotuerat, et ad parcendum ingentibus sumptibus, quos vix ad praesens sufferre posset, ut vocales eiusdem provinciae procuratores, qui eorum nomine ac pro eis capitulis generalibus et provinciali interveniant, deputare (ita tamen ut nemo quovis titulo vel praetextu plusquam duo suffragia in eisdem capitulis habere et ferre possit, et, si quis a duobus vel pluribus vocalibus in procuratorem deputari contigerit, pro eo ex constituentibus qui maiori dignitate praecellet, et, si dignitate pares fuerint, pro antiquiore ratione professionis in dictâ Congregatione emissae, suffragium feret, et alii constituentes iure suffragandi eâ vice privati remaneant), utque praepositus generalis eiusdem Congregationis, et quisque provincialis de suorum consiliariorum, atque rector de propositi provincialis eiusque consilii consensu, adversus sibi subditos inobedientes aut contumaces seu dyscolos ad poenam suspensionis a divinis procedere, ac resipiscentes ab illâ absolvere libere et valide possint respective et valeant.

Declarantur constitutiones quaedam Alexandri VII et Clementis X, et eis inhaerendo statuuntur nonnulla.

§ 3. Porro, cum felicis recordationis Alexander PP. VII praedecessor noster per quasdam suas in pari formâ Brevis litteras die XXVI septembris MDCLIX editas inter alia concesserit, quod omnes in dictam Congregationem in futurum admittendi, expleto probationis anno, si idonei iudicati fuissent, emitterent tria vota simplicia obedientiae, paupertatis et castitatis, necnon votum seu iuramentum in eâdem Congregatione perseverandi, non dispensandum seu relaxandum a quocumque alio nisi a solo Romano Pontifice aut a capitulo generali vel definitorio memoratae Congregationis, ita quod ipsum capitulum generale vel definitorium minime dispensaret sive relaxaret huiusmodi votum seu iuramentum alicui ex promotis ad sacros ordines, nisi sibi prius constitisset etiam ex litteris testimonialibus Ordinarii loci eum aliunde habere unde commode sustentari posset, et, si aliquis, dictis votis et iuramento ut praefertur emissis, sine dispensatione et relaxatione praeviâ recessisset ab eâdem Congregatione, eo ipso remaneret suspensus, donec huiusmodi dispensatio-

1 Edit. Main. legit *domum* (R. T.).

nem et relaxationem obtinuisset: licetque subinde piae memoriae Clemens PP. X praedecessor etiam noster, per suas litteras itidem in formâ Brevis die VI iunii MDCLXXVI emanatas, illas Alexandri praedecessoris interpretando declaraverit, capitulum generale seu definitorium dictae Congregationis posse dispensando dimittere ab ipsâ Congregatione eos, qui ob sua demerita notabilia, seu propter incorrigibilitatem, iudicio eiusdem capituli generalis seu definitorii id promeruerint, etiamsi dimitti non postulent seu nolint, unde satis apparet eumdem Clementem praedecessorem dictae Congregationi modum et viam patefacere voluisse, quibus, sine ullo eius incomodo, dyscolis et incorrigibilibus exonerari ac repurgari posset; nihilominus aliquibus non satis inde certum exploratumque videatur, capitulo generali seu definitorio huiusmodi factam fuisse potestatem eos delinquentes in poenam suorum notabilium demeritorum seu incorrigibilitatis ex ipsâ Congregatione dimittendi, qui ad sacros etiam presbyteratus ordines ad titulum praescriptae Congregationis promoti fuerint, si aliunde non habeant unde commode vivere possint: nos, omnem in praemissis dubitandi occasionem tollere, ac scandala a dictâ Congregatione, quantum cum Domino possumus, avertere et submovere cupientes, capitulum generale seu definitorium praedictum non posse quidem dimittere eiusdem Congregationis clericos ad ordines praedictos ad titulum ipsius Congregationis promotos, qui ob incurabiles morbos aliasve etiam rationabiles causas dimitti postulant, nisi sibi prius constiterit ex litteris testimonialibus Ordinarii loci, in cuius dioecesi degunt, ipsis[1] aliunde suppetere, unde commode sustentari valeant; posse vero dispensando dimittere eos sic promotos, qui ob sua demerita notabilia seu propter incorrigibilitatem iudicio eiusdem capituli seu definitorii id promeruerint, etiamsi dimitti non petant sive nolint, quamvis non constet eos aliunde habere unde commode sustententur, cum hoc tamen ut ita dimissi ab eorumdem ordinum exercitio tamdiu suspensi remaneant donec illorum Ordinario constiterit eis de redditibus ad congruam ipsorum sustentationem sufficientibus provisum fuisse, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, tenore praesentium, statuimus et declaramus.

Concessio indulgentiarum.

§ 4. Insuper, ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris piâ charitate intenti, praeter et ultra indulgentias et peccatorum remissiones, quae aliquam ex ecclesiis dictae Congregationis erectis et in posterum erigendis diebus festis Annunciationis B. M. Virginis ac eiusdem ecclesiae sancti titularis sive patroni visitantibus auctoritate apostolicâ concessae reperiuntur, omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui quartâ dominicâ cuiuslibet mensis aliquam ex ecclesiis huiusmodi devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam bis in anno omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem per quemcumque christifidelium lucrifaciendam misericorditer in Domino concedimus; in ceteris vero anni mensibus, necnon Conceptionis, Nativitatis, Purificationis, et Assumptionis eiusdem B. Mariae Virginis festis diebus praemissa peragentibus, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis seu aliâs quomodolibet de-

1 Edit. Main. legit *ipsi* (R. T.).

bitis poenitentiis in formâ Ecclesiae consuetâ relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes, animabus christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, applicari posse indulgemus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Clausulae. § 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, etc.[1].

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quatenus opus sit, Congregationis, provinciarum, domorum seu collegiorum huiusmodi, etiam iuramento, etc.[2].

Datum Romae, apud ...[3].

Dat. die ... martii 1727, pontif. anno IV.

CLXXXIII.

Confirmantur privilegia Ordinis Carthusianorum [4].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Ex iniuncto nobis divinitus sacrosancti apostolatus officio, paternam regularium Ordinum in Ecclesiâ Dei pie sancteque institutorum, ac multiplici virtutum laudem fulgentium, curam gerentes, ea, quae ex circumspectâ Sedis Apostolicae providentiâ ad eorum favorem et commodum processerunt, ut firma semper atque illibata persistant, apostolici muniminis, cum id a nobis petitur, praesidio libenter constabilimus.

1 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

2 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

3 Deest annus, mensis et dies, sed supra pag. 271 *b* in rubr. dicitur data mense *iunii* (R. T.).

4 Aliâ huius Pontificis constit. edit. MDCCXXV, die 26 septembris, pontif. II, concessum fuit generali dicti Ordinis posse e maiori carthusiâ egredi pro monasteriorum visitatione.

§ 1. Cum itaque, sicut dilecti filii Antonius de Mongefond, prior carthusiae maioris, Gratianopolitanae dioecesis, totius Ordinis Carthusiensis minister generalis, ac Vincentius Dinelli, prior domus carthusiae B. Mariae Angelorum nuncupatae de Urbe, et eiusdem Ordinis procurator generalis, nobis nuper exponi fecerunt, eidem Ordini illiusque monasteriis, ecclesiis, superioribus, monachis, personis ac bonis et locis ab eis dependentibus varia privilegia, gratiae[1] et indulta per diversos Romanos Pontifices praedecessores nostros concessa, confirmata et innovata respective fuerint, licetque illa in viridi sint observantiâ, quia tamen maiorem obtinent roboris firmitatem, quae saepius apostolicâ auctoritate muniuntur, ipsi Antonius minister ac Vincentius procurator generales illa omnia per nos quoque approbari et confirmari, ac aliàs in praemissis opportune provideri summopere desiderent: Preces totius Ordinis praedicti.

Confirmatio ut in rubricâ. § 2. Nos, qui Ordinem praefatum, utpote fecundam arborem in agro militantis Ecclesiae dexterâ Domini plantatam ac uberes iustitiae fructus iugiter proferentem, propensiori semper prosecuti sumus ac prosequimur charitatis affectu, eisdem Antonio ministro et Vincentio procuratori generalibus specialem gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae[2] existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc

1 Edit. Main. legit *gratias* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *innodati* (R. T.).

humiliter porrectis inclinati, omnia et singula privilegia, exemptiones, immunitates, libertates, facultates, iurisdictiones, praerogativas, favores, conservatorias, declarationes, dispensationes, indulgentias, peccatorum remissiones, gratias, ceteraque indulta spiritualia et temporalia praedicto Ordini Carthusiensi, illiusque tam virorum quam mulierum monasteriis, ecclesiis, domibus et locis, necnon ministro generali, prioribus, priorissis, aliisque superioribus, religiosis, monachis, monialibus, conversis, donatis, novitiis, inservientibus, familiaribus, ministris, colonis, agricolis et personis quibuscumque pro tempore existentibus, illorumque bonis et rebus per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros et Sedem Apostolicam, sive coniunctim sive divisim, tam in genere quam in specie, etiam per viam communicationis, declarationis et extensionis, aut aliàs quomodolibet, quandocumque et qualitercumque, etiam per solam signaturam, aut vivae vocis oraculo concessa et attributa, ac confirmata et approbata, expeditasque desuper litteras apostolicas cum omnibus et singulis in eis respective contentis et expressis, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, dictà auctoritate apostolicà, tenore praesentium, in iis omnibus quae decretis Concilii Tridentini non adversantur, perpetuo pariter approbamus, confirmamus et innovamus, illisque inviolabilis et irrefragabilis apostolicae firmitatis robur, patrocinium et praesidium adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti ac solemnitatum etiam de iure aut aliàs quomodolibet requisitarum forsan omissarum, et alios quoscumque defectus, si qui in praemissis quoquo modo intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatà eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Committitur nonnullis executio huius constitutionis.

§ 4. Quocirca dilecto filio nostro Annibali tituli S. Clementis ipsius S. R. E. presbytero cardinali Albano nuncupato, moderno et pro tempore existenti eiusdem Ordinis Carthusiensis apud nos et Sedem praefatam protectori seu viceprotectori, curiaeque causarum Camerae Apostolicae generali auditori harum serie committimus et mandamus, quatenus ipsi, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte ministri generalis, priorum, priorissarum, superiorum, religiosorum, monachorum, monialium, aliorumque praedictorum, seu alicuius eorum, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illos omnes et singulos praesentium litterarum commodo et effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes quemquam eorum per Ordinarios locorum aut quoscumque alios desuper contra praesentium tenorem quomodolibet molestari, perturbari,

inquietari, contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, ac, legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus sit, auxilio brachii saecularis.

Derogatoriae. § 5. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Bonifacii PP. VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore praesentium in iudicium non trahatur, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, etiam praefatis locorum Ordinariis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu proprio, ac ex certâ scientiâ et de apostolicae potestatis plenitudine in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur et insererentur, iisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis. § 6. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII iunii MDCCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 18 iunii 1727, pontif. anno IV.

CLXXXIV.

Confirmatur decretum ministri generalis Ordinis Minorum super exercitio cantus Gregoriani in provinciis Minorum Tertii Ordinis in regno Galliarum[2].

Benedictus Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Expositio facti. § 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum ministrorum provincialium, aliorumque superiorum provinciae fratrum Tertii Ordinis sancti Francisci de Poenitentiâ nuncupatorum in regno Galliarum consistentium, nobis expositum fuit, quod dilectus filius Matthaeus a Pareta, minister generalis Ordinis fratrum Minorum eiusdem sancti Francisci de Observantiâ nuncupati, menti et intentioni nostrae ei vivae vocis oraculo expressae inhaerens, die XX martii proxime praeteriti ministris provincialibus dictarum provinciarum praecepit ut in eisdem

1 Ut supra pag. 72 *b*. (R. T.).

2 De facultate canendi Horas canonicas pro fratribus Eremitis S. Augustini provinciae Franciae vide Clementis XI const. edit. MDCCXI, die 29 ianuarii, pontif. I, et pro aliis provinciis vide huius Pontificis const. edit. MDCCXXVI, die 22 ianuarii, pontif. II.

provinciis exercitium ac peritiam cantus firmi ecclesiastici, quem *Gregorianum* vulgo appellant, a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ad usum S. R. E. ordinati, promovere curarent ac tenerentur, prout uberius continetur in ipsius Matthaei ministri generalis decreto desuper edito tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum praedictum magistri generalis Ordinis.

Quoniam litteris nostris nuper expeditis pro totâ hac nostrâ familiâ Cismontanâ, de mente et oraculo sanctissimi domini nostri Benedicti Papae XIII, executioni mandandum intimavimus, quod in omnibus et singulis conventibus cuiuscumque instituti tam Observantium quam Reformatorum et Excalceatorum sub curâ nostrâ officium diurnum celebretur celebrarique debeat cantu firmo ecclesiastico, *Gregoriano* vulgo dicto, diebus maxime solemnibus et festivis, iuxta antiquam et laudabilem consuetudinem maiorum nostrorum, huiusmodi piissimae menti et oraculo sanctissimi inhaerentes, nedum precibus humilibus pro parte provinciarum huiusmodi Ordinis de Poenitentiâ in Galliâ nobis expositis annuere, verum etiam praecipere decrevimus, sicut harum tenores praecipimus, quatenus ministri provinciales dictorum provinciarum promovere curent ac teneantur, mediantibus religiosis peritis et expertis, in iuvenibus exercitium et notitiam eiusmodi cantus firmi seu *Gregoriani* a Summis Pontificibus ad usum S. R. E. ordinati, et a maioribus nostris in toto Ordine introducti et practicati, iuxta mentem seraphici patris nostri S. Francisci, quam in regulâ verbis praeceptivis clericis expressit et intimavit. Datum Romae, in hoc nostro Aracaelitano conventu, die xx martii MDCCXXVII. — Fr. MATTHAEUS A PARETA minister generalis. *Loco † sigilli.*

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter observari, sicque in praemissis, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, praedictorum Ordinis et provinciarum, aliisque quibusvis, etiam iuramento, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xx iunii MDCCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 20 iunii 1727, pontif. anno IV.

1 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

CLXXXV.

Confirmatur decretum prioris generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini super observatione resolutionis definitorii generalis circa annullationem praesentaturarum de gratiâ in provinciâ Aragoniae eiusdem Ordinis [1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio facti. § 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Thomas Raulin, prior provincialis provinciae Aragoniae Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini, quod (cum fratres eiusdem provinciae a definitorio generali dicti Ordinis in civitate Perusinâ die III novembris anni proxime praeteriti congregato praesentaturas de gratiâ in provinciâ praefatâ annullari, illas vero de pulpito seu pro concionatoribus ad quatuordecim in totum, quatuor scilicet pro Aragoniâ[2], ac totidem pro Cataloniâ, ac duas pro insulis Balearibus augeri petiissent, et ab eodem definitorio decreta et constitutiones ipsius Ordinis, part. III, cap. XXV, *in notis*, servanda fore sancitum fuerit, subinde vero dilectus filius Fulgentius Bellelli prior generalis Ordinis praefati ita servari mandaverit, et aliàs, prout plenius continetur in decreto ab eodem Fulgentio priore generali desuper edito tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum praedictum prioris generalis Ordinis. **Fr. Fulgentius Bellelli Buccinensis, sacrae theologiae magister, totius Ordinis fratrum Eremitarum sancti patris nostri Augustini prior generalis. In definitorio generali Perusiae congregato die III novembris anni currentis MDCCXXVI, inter alios supplices libellos ibi propositos, quidam propositus fuit a patribus provinciae Aragoniae expostulantibus praxim constitutionum Ordinis, qua parte decernunt praesentaturam omnem ex gratiâ annullari oportere, petieruntque iidem praesentaturas pro concionatoribus usque ad numerum decimum quartum esse augendas, eâ lege ut sint quatuor pro Aragoniâ, quatuor pro Valentiâ, quatuor pro Cataloniâ, et pro insulis Balearibus duae; et sancitum fuit, decreta et constitutiones Ordinis (part. III, cap. XXV, *in notis*) omnino servari oportere: nosque propterea ita servari volumus atque mandamus. Datum in conventu nostro sancti patris Augustini Perusiae, V novembris MDCCXXVI. — Frater Fulgentius Bellelli generalis magister. — Fr. Angelus Guillelmus Artegiani Roccegensis, Ordinis secretarius. *Loco † sigilli*).**

Preces prioris provincialis Aragoniae. Ipse Thomas prior provincialis decretum huiusmodi, pro firmiori eius subsistentiâ et exactiori observantiâ, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, ac insuper, ne divinus in dictâ provinciâ cultus diminuatur, illiusque conventus fratrum exemptorum multitudine graventur, quod deinceps nullus eiusdem provinciae professor titulo et exemptione exprioris provincialis frui possit, qui prior provincialis provinciae praedictae revera non fuerit, per nos statui plurimum desideret, quandoquidem ex concessione eiusmodi exemptionum multa provinciae et conventibus praefatis detrimenta antheac exoriri consueverint. Nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio relati decreti. § 2. Nos igitur, dictum Thomam priorem provincialem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ

1 Aliâ huius Pontificis const. ed. MDCCXXVII, pontif. IV, statutum fuit ut privilegia praesentatorum, etc., in provinciâ Portugalliae iuxta Ordinis instituta deinceps concederentur.

2 Adde *quatuor pro Valentiâ* (R. T.).

latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praeinsertum decretum a memorato Fulgentio priore generali, sicut praemittitur, editum, cum omnibus et singulis in eo contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus. Praeterea quod nemo ex professoribus supradictae provinciae deinceps titulo et exemptione exprioris provincialis eiusdem provinciae frui, gaudere aut potiri possit, qui prior provincialis actualis non fuerit, auctoritate et tenore praefatis statuimus et ordinamus.

Clausulae. § 3. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, etc.,[1]

Derogatio contrariorum. § 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, praefatorum Ordinis et provinciae, etiam iuramento, etc.,[2]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX iunii MDCCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 20 iunii 1727, pontif. anno IV.

CLXXXVI.

Confirmatur Constitutio Pii V super praecedentiâ canonicorum regularium Congregationis Lateranensis Ordinis S. Augustini in processionibus et aliis actibus publicis et privatis[3].

1 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).
2 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).
3 Constit. Pii V infra citatur.

Benedictus Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Militantis Ecclesiae regimini, meritis licet imparibus, divinâ dispositione praesidentes, ea, quae ex circumspectâ Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum providentiâ ad insignium congregationum regularium antiquitatis aliâque multiplici laude in Ecclesiâ Dei fulgentium favorem non minus prudenter quam liberaliter emanasse noscuntur, ut firma semper atque inviolata persistant, apostolici muniminis nostri praesidio, cum id a nobis petitur, libenter constabilimus.

Canonicis praefatis praecedentia statim post clerum saecularem a Pio V concessa fuit. § 1. Dudum siquidem felicis recordationis Pius PP. V praedecessor noster canonicos regulares Congregationis Lateranensis Ordinis S. Augustini ubicumque locorum existentes in processionibus et aliis actibus publicis vel privatis statim clerum saecularem non exemptum subsequi, dum ipsi subsequendo praecedebant, dum vero praecedendo praecedebant, illum immediate sequi debere declaravit, et aliàs, prout uberius continetur in eiusdem Pii praedecessoris litteris desuper sub plumbo expeditis tenoris qui sequitur, videlicet:

Constitutio praedicta Pii V. *Pius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.* Cum ex Ordinum universitate, qui in Dei Ecclesiâ, etc.[1].

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominica MDLXX, X Kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno III.

Preces eorumdem canonicorum pro confirmatione. § 2. Cum autem, sicut dilectus filius Alexander Maximilianus Kobosch, canonicus regularis expresse professus ac praepositus conventus Omnium Sanctorum civitatis Olomucensis eiusdem Congregationis Lateranensis, nobis nuper

1 Reliqua habes suo loco, tom. VII, pag. 877 *b* et seq. (R. T.).

exponi fecit, licet praefatae Pii praedecessoris litterae in plenâ ac viridi observantiâ reperiantur, nihilominus nonnulli canonici regulares Ordinis Praemonstratensis in eâdem civitate vel dioecesi Olomucensi consistentes, sub obtentu quod praedictae litterae subinde auctoritate apostolicâ confirmatae non fuerint, ipsi Alexandro Maximiliano praecedentiam in processionibus et aliis actibus de facto praeripere ac disputare nitantur; dictus vero Alexander Maximilianus, easdem litteras, quo firmius subsistant, ac, remoto quocumque praetextu huiusmodi, serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desideret:

Confirmatio relatae constitutionis Pii V.

§ 3. Nos, specialem eidem Alexandro Maximiliano gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas Pii praedecessoris litteras, cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus ac innovamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, etc. [1].

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae in praeinsertis Pii praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Ut supra pag. 471 a (R. T.).

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI iunii MDCCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 21 iunii 1727, pontif. anno IV.

CLXXXVII.

Conceditur fratribus Carmelitis vicariae Maranionis in Brasiliâ, a generali Ordinis ad magisterium in sacrâ theologiâ promotis, ut lauream doctoratus a vicario provinciali suscipere possint [1].

Benedictus Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Recensentur haud dissimilia quibusdam aliis eiusdem Ordinis provinciis concessa.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii vicarius provincialis aliique fratres vicariae Maranionis in Brasiliâ Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo, quod aliàs (postquam felicis recordationis Urbanus PP. VIII praedecessor noster per quasdam suas in simili formâ Brevis die XXVII augusti MDCXXIV expeditas litteras concesserat quondam Theodoro Statio tunc temporis priori generali ac professoribus provinciarum Hispaniae et Lusitaniae eiusdem Ordinis, ut ii, qui absolutis lecturis et exercitationibus litterariis per regularia Ordinis huiusmodi instituta requisitis, ac servatis aliàs servandis, per eumdem priorem generalem in sacrâ theologiâ magistri iuxta eius facultates instituti et creati fuissent, lauream doctoratus in collegio S. Theresiae Salmaticensi memorati Ordinis ad formam in praefatis litteris praescriptam suscipere possent, nec pro eâ suscipiendâ aliquam approbatam studii generalis universitatem adire tenerentur) recolendae memoriae Innocentius PP. XIII[2] etiam prae-

1 Similis facultas ab eodem Pontifice facta fuit provinciali provinciae Aragoniae constit. edit. MDCCXXV die 30 augusti, pontif. II.

2 Male edit. Main. legit. *VIII* (R. T.).

decessor noster indulsit, quod omnes et singuli dictae provinciae Lusitaniae professores, quos pro tempore existens prior generalis Ordinis huiusmodi in eâdem sacrâ theologiâ magistros instituisset et creasset, praefatam lauream doctoratus, praevio rigoroso examine coram priore generali dictae provinciae Lusitaniae et quatuor in ipsâ sacrâ theologiâ magistris, sive coram rectore collegii Colimbricensis Ordinis praedicti, ac illius regentibus et magistris, sumere valerent, ac subinde simile quoque indultum fratribus provinciarum Bahiensis et Fluminis Ianuarii itidem in Brasiliâ dicti Ordinis concessit, et aliàs, prout in binis ipsius Innocentii desuper in pari etiam formâ Brevis editis ac supradictis Urbani praedecessorum litteris, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis haberi volumus, uberius continetur.

Causae praesentis constitutionis et preces fratrum praedictae vicariae.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, primum ex memoratis indultis favore professorum provinciae Lusitaniae emanaverit, eo quod enarrata concessio a memorato Urbano VIII praedecessore eis facta fuisset tempore quo rex Hispaniarum etiam Lusitaniam possidebat, sicque religiosis tum Hispanis tum Lusitanis praefatum collegium Salmaticense pro assequendâ laureâ doctorali praefatâ facile adire licebat; at, separatis postmodum dominiis, idem indultum sine ullo effectu ac utilitate remanserat respectu Lusitanorum, quibus propter immutatum rerum statum non amplius ad dictum collegium libere accedere permissum fuit; et alterum indultum huiusmodi professoribus praedictarum provinciarum Bahiensis et Fluminis Ianuarii propter nimiam earum ab Europâ distantiam concessum fuerit; dicta vero vicaria Maranionis, utpote in remotissimâ parte vastae regiônis ipsius Brasiliae sita, longius quam praedictae provinciae Bahiensis et Fluminis Ianuarii ab eâdem Europâ distet, nec regiae naves, quibus eiusdem vicariae religiosi in Lusitaniam transfretare[2] valeat, eò unquam appellant: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio praelaudati indulti.

§ 3. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod omnes et singuli fratres expresse professi dictae vicariae Maranionis, quos dilectus filius modernus seu pro tempore existens prior generalis Ordinis praedicti in eâdem sacrâ theologiâ magistros, servatis pariter servandis, instituerit et creaverit, lauream doctoratus, praeviis rigoroso examine coram vicario provinciali dictae vicariae et quatuor in sacrâ theologiâ magistris sive regentibus ac illorum approbatione, servatis ceteroquin conditionibus per constitutiones Ordinis praedicti praescriptis, ab ipsomet vicario provinciali suscipere libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus similiter et indulgemus.

Clausulae.

§ 6. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, etc.[1]

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus

1 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *transfetare* (R. T.).

et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, vicariae et Ordinis praefatorum, etiam iuramento, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXV iunii MDCCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 25 iunii 1725, pontif. anno IV.

CLXXXVIII.

Confirmatur decretum capituli generalis Eremitarum S. Augustini super constitutione numeri trigintasex magistrorum in provinciâ Aragoniae eiusdem Ordinis[2].

Benedictus Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Expositio facti.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Thomas Raulin, prior provincialis provinciae Aragoniae Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini, quod, perlectis in novissimo capitulo generali eiusdem Ordinis die I mensis novembris proxime praeteriti in civitate nostrâ Perusinâ celebrato quibusdam nostris in simili formâ Brevis ad ipsum capitulum generale datis litteris, quibus inter alia fratres dicti Ordinis inibi congregatos diserte monuimus quatenus in eam curam magnopere incumberent ne provinciae eiusdem Ordinis magistrorum multitudine gravarentur; et, quoniam provinciam Aragoniae hoc prae ceteris incommodo laborare inaudiveramus, mandavimus ut in dictâ provinciâ Aragoniae trigintasex magistrorum numerus, quem nemini praeterire et excedere liceret, imposterum constitueretur, fratres pradicti eo quo par est obsequio monitionibus et mandatis nostris huiusmodi unanimiter consenserunt, et aliàs, prout in decreto in eodem capitulo seu eorum definitorio generali desuper edito, cuius tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, plenius continetur.

Confirmatio praedicti decreti.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Thomas praemissa, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, necnon quaedam dubia, quae super eorum intelligentiâ et executione facile suboriri possent, a nobis declarari ac submoveri summopere desideret: nos, ipsius Thomae votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere cupientes, cumque a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, constitutionem ac praefixionem numeri trigintasex magistrorum in supradictâ provinciâ Aragoniae, sicut praemittitur, factam, ac editum desuper in dicto capitulo seu definitorio generali decretum praefatum, cum omnibus et singulis in eo contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus.

Ordinationes hac super re nonnullae.

§ 3. Porro in eiusmodi trigintasex magisterii antiquum numerum duodena-

---

[1] Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

[2] De confirmatione similis decreti pro provinciâ Baeticâ eiusdem Ordinis vide huius Pontificis constit. edit. MDCCXXVII, die 2 iulii, pontificatus III.

rium eorumdem magisteriorum dudum a felicis recordationis Clemente VIII et Urbano etiam VIII Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris provinciae praefatae concessum comprehendi et includi, ac comprehensum et inclusum esse et fore, nec imposterum magisteria supranumeraria in dictà provincià concedi posse, auctoritate et tenore praefatis statuimus et ordinamus. Volentes insuper ut in distributione duodecim magisteriorum praedictorum forma per praedicti Urbani praedecessoris litteras praescripta, ac in eàdem provincià diu laudabiliter observata, deinceps quoque omnino servetur, atque, quoties unum ex magistris de dicto numero duodenario deesse contigerit, statim alter frater expresse professus dictae provinciae iuxta eius inconcussam praxim in illius locum eligatur et subrogetur; deficientibus vero magistris supranumerariis, nullus substituatur, donec omnia magisteria praefata ad prefinitum numerum trigintasex redacta fuerint: in collatione autem magisteriorum, ut praefertur, auctorum, omnes et singulae conditiones ac solemnitates, quae in creatione magistrorum antiqui numeri duodenarii praescripta reperiuntur, prout etiam methodus ac ordo, quos idem Urbanus praedecessor in eorum distributione statuit, servari quoque debeant, ita nimirum, quod, ex magisteriis sic auctis, septem in regno Aragoniae, ac totidem in regno Valentiae, necnon alia septem in Catalonià, et reliqua tria in insulis Balearibus distribuantur, quo omnes fratres dictae provinciae, eiusmodi gradum aliquando assequendi spe ducti, ad litterarum studia aliaque per constitutiones dicti Ordinis ad id designata exercitia ac munera[1] obeunda et capessenda alacrius excitentur.

1 Edit. Main. legit *munere* (R. T.).

Clausulae. **§ 4.** Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, etc.[1]

Contrariorum derogatio. **§ 5.** Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, etc.[2]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVII iunii MDCCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 27 iunii 1727, pontif. anno IV.

CLXXXIX.

Erigitur universitas studii generalis in civitate Camerinensi[3].

Benedictus Episcopus,
servus servorum Dei,
venerabili fratri episcopo Camerinensi,
salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. Liberalium disciplinarum studia, unde in rei sacrae et civilis rectam absolutamque administrationem ingentia bona proveniunt, ubi praesertim in generalibus universitatibus et gymnasiis[4] christiani adolescentes optimis artibus sanisque doctrinis imbuantur, per nos totius Ecclesiae regimini a Deo praepositos promoveri maxime decet, praecipue in civitatibus B. Petri apostolorum principis imperio subiectis, ut inde, ad summam Dei gloriam sanctaeque Apostolicae Sedis dignitatem, populorum nostrorum spiritualis et temporalis felicitas, benedicente Domino, augeatur.

Preces communitatis praedictae civitatis pro universitatis praefatae erectione. § 1. Itaque nobis dilecti filii communitas atque homines civitatis nostrae Camerinensis nuper exponendum curarunt, se iamdudum in votis habuisse,

1 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).
2 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).
3 Alià huius Pontificis constit. edit. MDCCXXV, die 20 aprilis, pontific. I, erectum fuit collegium theologorum in civitate Caesenatensi.
4 Edit. Main. legit *gymnasii* (R. T.).

ut sui liberi et cives in divinis rebus et moribus christianis reipublicae gerendae maxime necessariis per optimos magistros imbuerentur, propterea que, praeter grammaticae artis, humaniorum litterarum, et eloquentiae praeceptores, se multis ab hinc annis publicum etiam philosophiae professorem suis impensis instituisse; cum autem idem honestum desiderium in eis magis augeretur, se in generali consilio, quod anno elapso congregatum fuit, decrevisse professorum numerum adhuc augere, duosque alios instituere, unum scilicet qui sacram theologiam praelegeret, alium vero qui ius pontificium et civile pariter traderet, utrumque eligendum ab eodem consilio generali civitatis Camerinensis, cum conditionibus et annuo honorario suo tempore stabiliendis, ut, his dispositis et introductis, universitas studii generalis cum infrascriptis privilegiis et indultis auctoritate nostrâ in eâdem civitate erigeretur.

Nonnullae aliae eiusdem petitiones ad huiusmodi erectionem perficiendam.

§ 2. Interim eadem communitas suam petitionem et enixas preces nobis exhibens rogavit ut ex benignitate apostolicâ concedere dignaremur, quatenus ad rem tam laudabilem perficiendam uti possent scutis centum et viginti annuis monetae romanae, quae a Camerâ nostrâ Apostolicâ proque illâ a thesaurario civitatis Camerinensis quotannis solvuntur pro salario capitanei seu iudicis exteri appellationum ab eodem consilio generali eligendo, quorum scutorum centum et viginti portio una applicari possit salario eorumdem professorum sacrae theologiae et utriusque iuris, reliqua autem salario memorati iudicis et solutioni onerum quae ipse subire debeat. Praeterea eadem communitas Camerinensis sibi a nobis concedi pariter flagitavit ut in posterum officium et munus proxime memorati iudicis appellationum exerceatur ab uno ex suis civibus iurisconsultis per consilium generale quotannis eligendo cum assignatione aequi salarii et legibus et conditionibus ab ipso generali consilio statuendis: non obstantibus quibuscumque dispositionibus statuti municipalis et consuetudinibus in contrarium facientibus. Quia vero summa iam exposita non sufficit pro annuo salario utriusque professoris sacrae theologiae et iuris canonici ac civilis, idem consilium generale decrevit a nobis humiliter postulare ut quotannis sibi liceret fructus locorum montium cameralium non vacabilium trigintaocto, atque octogintasex centesimorum, cum obulis octo et sexaginta, *piae abundantiae* operi nuncupato eiusdem civitatis olim assignatis, sumere. Quod pium opus de suo instituit bonae memoriae Bernardus Bonioannes Camerinensis episcopus eidem civitati perpetuo largitus quingentas tritici sarcinas, rubia, hoc est, mensuras trecenta et septuagintaquinque constituentes, cuius pii operis administratio per quaedam capitula a piae memoriae antecessore nostro Paulo Papa V apostolicis litteris confirmata iam fuit, civibusque ac generali consilio Camerinensi tradita, ita ut per tres cives quotannis eligendos, et praesidente episcopo, eadem administratio perageret. Deinde sub recolendae memoriae antecessore quoque nostro Clemente Papa X, cum frumenti quantitas eiusdem pii operis superabundaret, portio rubiorum mille vendita fuit pretio scutorum quatuor millium sexcentorum vigintiquinque atque unius oboli monetae romanae inde percepto cumque facultatibus rei necessariis impenso in emptione memoratorum locorum montium cameralium non vacabilium trigintaocto atque octogintasex centesimorum cum obolis octo et sexaginta. Cum autem totus assis pii

operis abundantiae ad rubia mille septingentaquinque iam ascendere comperiatur, inde quinque millium scutorum valoris locorum montium summa consurgit. Cumque scuta quingentaquinque cum obolis octogintaquinque a depositario eiusdem pii operis abundantiae retineantur, hanc postremam summam iidem Camerinenses in alia loca montium per se investiri petierunt; quandoquidem ea quae superest frumenti quantitas, civium indigentiam abunde explere potest, nec aliàs ipsa civitas, quae etiam in districtu populorum frequentiâ destituitur, tritici inopiam pati potest, ob annonae copiam quae ibidem colligitur ob vicinitatem Piceni, unde eorum indigentiis commode et tenui cum dispendio consulere valent. Licet vero in praemissis capitulis a Paulo PP. V approbatis caveatur ne idem triticum in alios usus, etiam piorum operum, a Camerinensibus convertatur, nihilominus, ubi superabundaverit, in alios pios usus impendi permittitur, ita ut, eodem pio opere adimpleto, si magna vis frumenti supersit, tunc, salvâ semper et illaesâ remanente frumenti quantitate eidem pio operi necessariâ, de reliquo mons frumentarius pro mutando erigi possit, retentis tamen pignoribus gratis, aut libere donando frumentum pauperibus, pupillis, orphanis, puellis et viduis, ut in iisdem capitulis latius continetur. Hinc pro duorum professorum congruis stipendiis aliorumque onerum levamine iidem Camerinenses praedicta scuta centum viginti et loca montium memorata universitati studii generalis erigendae[1] per nos concedi, assignari et applicari postulaverunt. Quo se, sicut Camerinensium petitio subiungebat, in eodem generali consilio, ob praemissa et infrascripta a

1 Edit. Main. legit *erigenda* (R. T.)

nobis et Apostolicâ Sede benigne impetranda, demissas preces exhibere statuerunt, nobis pro parte communitatis atque hominum praedictorum humillime supplicantes, ut, eorum commodo, utilitati ac decori prospicientes, eis in praedictis de benignitate apostolicâ providere dignaremur.

Committitur episcopo Camerinensi erectio praedictae universitatis.

§ 3. Nos igitur, Camerinum praecipuam Umbriae civitatem, quae aliàs fuit caput Marchiae, inde dictae, et sedes legati apostolici, quaeque episcopatu in provinciâ Romanâ constituto ideoque huic Sanctae Sedi immediate subiecto[1], eiusdemque communitatem atque homines speciali favore et gratiâ prosequi volentes, illosque et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon pii operis huiusmodi fundationis et capitulorum per dictum Paulum PP. V approbatorum et dicti Clementis PP. X litterarum praedictaeque civitatis statutorum respective tenores, etiam veriores, his eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, veris existentibus narratis, et si illa diligenti examine veritati nixa repereris, in praedictâ civitate Camerinensi universitatem studii generalis, ubi praedicti aliique inposterum adiungendi magistri et professores theologiam, ius canonicum et civile, philosophiam, medicinam, mathematicam, aliasque ingenuas

1 Videtur deesse *gaudet*, aut aliquod verbum simile (R. T.).

disciplinas atque artes publice docere et perlegere possint, quosque ibi, aut etiam alibi, peracto studiorum curriculo habiles et idoneos reperiri contigerit, ad magisterium in theologiâ, in utroque iure cumulative cum collegio iurisconsultorum eiusdem civitatis, et in medicinâ quoque, postquam huius artis professor iisdem magistris adiunctus fuerit, servatâ in omnibus formâ et dispositione Viennensis et Tridentini Conciliorum, quibus in aliquo derogare nequaquam intendimus, ad doctoratus gradum promovere libere et licite possint et valeant in omnibus et per omnia prout in aliis studiorum generalium universitatibus per Sedem Apostolicam erectis fieri solet, apostolicâ auctoritate, earumdem tenore praesentium, perpetuo erigas atque instituas, ac eidem universitati studii generalis sic erectae ac institutae, eiusque praeceptoribus et magistris, scholaribus, officialibus, aliisque personis quibuscumque pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, favoribus, honoribus, praerogativis, praeeminentiis et gratiis gaudeant, quae in universitates studii generalis iam erectas per viam communicationis et aliàs quomodolibet collatae olim fuerunt, atque iis pari modo et absque ullâ prorsus differentiâ uti, frui et gaudere libere et licite valeant, auctoritate et tenore praedictis perpetuo largiaris atque indulgeas.

Necnon eidem praescribitur, ut petitiones communitatis supra relatas exequutioni mandet.

§ 4. Praeterea scuta centum et viginti monetae, quae hactenus capitaneo seu iudici extero appellationum praedictae civitatis per dictum thesaurarium soluta fuerunt, pro unâ tantum portione (alterâ, quae consilio generali dictae civitatis sufficiens visa fuerit, salario dicti capitanei seu iudicis appellationum ut infra eligendi, [1] remanente) cum huiusmodi locorum montium cameralium triginta octo, atque octoginta sex centesimis, atque obolis octo et sexaginta, ad dictum pium opus spectantibus, assignes, quia idem pium opus aliunde, ut praefertur, adimpleri, et civitas Camerinensis eiusque districtus aliunde etiam copiâ frumenti ubertim ali potest; quas portiones et loca montium ideo a praedicto pio opere sine[2] administrationis iustitiae, quae a capitaneo seu iudice appellationum reddi solet, piique operis adimplementi laesione et praeiudicio, eâdem auctoritate perpetuo distrahas et separes. Pro duorum autem, theologiae scilicet ac utriusque iuris professorum, aliorumque imposterum adiungendorum congruis, et iuxta providam in consilio generali Camerinensium semel aut saepius habendo distributionem faciendam pro stipendiis assignandis, aliorumque onerum necessario subeundorum et per dictum consilium generale statuendorum tolerantiâ et supportatione, eadem scuta centum et viginti, pro unâ ex duabus portionibus praedictis tantum, ab assignatione salarii huiusmodi distracta, et saepe memorata loca montium, ab opere pio, ut praefertur, separata, eidem universitati studii generalis per nos erectae et institutae, iuxta providam et liberam ab eodem consilio generali semel aut saepius ad id convocando distributionem faciendam, liceat eidem universitati, et pro illâ eius rectoribus seu ministris, centum et viginti scutorum, pro unâ tantum ex duabus portionibus praedictis, atque locorum montium huiusmodi, ut praefertur distractorum et separatorum, veram et realem, actualem et corporalem possessionem libere apprehendere, et apprehensam

1 Praeposit. *a* delemus (R. T.).

2 Male ed. Main. legit *sive* pro *sine* (R. T.).

perpetuo retinere possint, scutaque centum et viginti, pro unâ ex dictis duabus portionibus, ac dictorum locorum montium fructus percipere, exigeré et transferre, inque duorum eorumdem professorum stipendia, ut dictum est, statuenda, aliosque necessarios universitatis erectae usus, iuxta distributionem faciendam, convertere libere et licite valeant, nullius hac in re facultate requisitâ, itidem apostolicâ auctoritate perpetuo concedas atque indulgeas. Postremo, ut cives Camerinenses, quorum erga Apostolicam Sedem et Romanam Ecclesiam integerrima fides semper enituit, et inter quos collegium unius et viginti iurisconsultorum variis praecipuisque privilegiis ornatum reperitur, deinceps ad[1] iurisprudentiam alacrius profitendam aliquo etiam eis proposito praemio excitentur, et pii operis praedicti utiliori tutiorique statui prospiciatur, concedimus eidem civitati et hominibus, qui consilium generale componunt, ut pro munere capitanei seu iudicis appellationum, quod antea ex vi statutorum eiusdem civitatis, seu veteris et approbatae consuetudinis, exteris tantum conferri solebat, civem Camerinensem iurisconsultum habilem ceteroquin et idoneum, qui idem iudicium, ut antea fiebat, plene exercere, omniaque alia onera eidem muneri incumbentia implere teneatur et debeat, imposterum eligere, necnon scuta quingenta circiter monetae praedictae, quae penes depositarium dicti pii operis serventur, in totidem loca montium cameralium ad favorem eiusdem operis *pia abundantia* nuncupati, quae quidem loca montium pro omnimodâ indemnitate dicti pii operis *abundantia* semper stare et nunquam ex eodem distrahi quoquomodo debeant, sed illorum fructus dumtaxat respective impendere libere et licite valeat, eâdem auctoritate licentiam et facultatem pariter indulgeas et perpetuo impertiaris.

1 Praeposit. *ad* nos addimus (R. T.).

Clausulae peculiares.

§ 5. Nos vero omnia et singula praemissa, si per te vigore earumdem praesentium fieri contigerint, necnon easdem praesentes litteras nostras, etiam ex eo quod aliarum quarumcumque etiam speciali notâ dignarum universitatum rectores et officiales, doctores, professores, seu praelectores, procuratores, defensores, protectores vel agentes, aliive quomodolibet interesse habentes ad hoc vocati non fuerint, aut ex quavis vel quibusvis aliis causis, occasionibus vel praetextibus, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quocumque alio defectu notari vel impugnari, aut aliàs infringi vel quomodolibet retractari, sive etiam per nos ipsos ac successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, aut Sedem praedictam, vel illius legatos, etiam de latere, aut per quoscumque alios quavis auctoritate fungentes, revocari, suspendi, restringi, limitari, vel eis in aliquo derogari nullatenus unquam posse, sed illas semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, perpetuo et inviolabiliter observari debere, necnon universitatis studii generalis Camerinensis huiusmodi, illiusque rectores, magistros, professores, doctores, praelectores[1], officiales, aliasque personas iam dictas, super praemissis omnibus et singulis, vel illorum occasione, etiam per alias universitates vel quoscumque alios quavis auctoritate quomodolibet molestari, perturbari, inquietari vel impediri ne-

1 Edit. Main. legit *praelectos* (R. T.).

quoquam posse, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vice-legatos, dictaeque Sedis nuncios, iudicari et definiri debere, et, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Derogatoriae speciales.

§ 6. Non obstantibus dicti Berardi Bonioannis episcopi voluntate praedictâ, necnon huiusmodi pii operis fundatione, ac nostrae Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, necnon capitulis per eumdem Paulum V antecessorem nostrum approbatis, aliisque omnibus et singulis in contrarium praemissorum quomodolibet editis, et praesertim capitulis a praedicto Paulo praedecessore nostro ut praefertur approbatis, necnon felicis recordationis Pii PP. V de gratiis, interesse Camerae nostrae Apostolicae quomodolibet concernentibus, intra certum tunc expressum tempus in eâdem Camerâ registrandis et insinuandis, ac quibusvis aliis quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum ius vel interesse eiusdem Camerae nostrae Apostolicae concernentibus, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in synodalibus, provincialibus, universalibus generalibusque conciliis editis vel edendis, specialibus vel generalibus, ac dictae civitatis Camerinensis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, consuetudinibus, praesertim illis quibus caveri dicitur expresse ne munus capitanei seu iudicis appellationum iam dictum civi Camerinensi, sed extraneo tantum conferat, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibusvis superioribus et personis, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existentibus, ac etiam aliis universitatibus praedictis, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam pluries et iteratis vicibus concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVII, kalendis iulii, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 1 iulii 1727, pontif. anno IV.

CXC.

Indulgetur eremitis S. Augustini Excalceatis Congregationis Hispaniarum et Indiarum, ut sandalis ex pelle nigri coloris uti possint[1].

Benedictus Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Preces fratrum dictae Congregationis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres Congregationis Hispaniarum et Indiarum Ordinis Eremitarum sancti Augustini Excalceatorum nuncupatorum, quod ipsi sandalia ex chordâ

1 Aliâ huius Pontificis const. ed. MDCCXXVI, die XXII ianuarii, pontif. II, nonnulla decernuntur pro servandâ habitus uniformitate ab iisdem fratribus quarumdam provinciarum.

seu cannabe, quae hactenus deferre consueverunt, deponere, ac illorum loco sandalis ex pelle nigri coloris, eiusdem tamen formae seu figurae quam ea quae de praesenti gestant, non minus propter eorum status ac maiorem in celebratione sacrosancti missae sacrificii decentiam, quam ut se consuetudini in aliis eiusdem Ordinis Congregationibus vigenti etiam hac in parte conforment [1], ac color dictorum sandaliorum colori habitus, quem gestant, respondeat, uti posse plurimum desiderant, si nostra et huius Sanctae Sedis sibi super hoc licentia suffragetur et facultas. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Indultum praedictum. § 2. Nos igitur, dictorum exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere cupientes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eisdem exponentibus, ut ipsi deinceps, in locum sandaliorum ex chordâ seu cannabe, illa ex pelle nigri coloris, eiusdem ceteroquin formae seu figurae ac ea quae hactenus detulerunt, gerere et deferre, illisque uti libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Clausulae. § 3. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et quandocumque spectabit in futurum, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque etc. [1]

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac praefatorum Ordinis et Congregationis, etiam iuramento, etc. [2]. Contrariorum derogatio.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die v iulii MDCCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 5 iulii 1727, pontif. anno IV.

CXCI.

Indulgetur votantibus signaturae iustitiae, ut gestare possint semper et ubique galeri redimiculum, cordone *vulgo nuncupatum, coloris violacei* [3].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Romani Pontificis supremi gratiarum dispensatoris in terris a Domino constituti providentia circumspecta, illos, qui continuos labores pro administrandâ iustitiâ ad publicam utilitatem et Sedis Apostolicae honorem in dies laudabiliter sustinent, et quorum fidem, industriam, prudentiam ac dexteritatem multis rerum experimentis spectatas habet, ea libenter concedit, per quae eis aliqua fiat decoris accessio, ut eo alacrius maiora eidem Sedi obsequia sua impendant, et in munerum sibi demandatorum functione studiosius perseverent. Exordium.

§ 1. Itaque, ad egregia dilectorum filiorum votantium signaturae nostrae Indultum praedictum.

1 Edit. Main. legit *conformet* (R. T.).

1 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).
2 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).
3 Aliâ huius Pontificis const. ed. MDCCXXV, die VIII maii, pontif. I, concessus fuit usus mitrae aliorumque insignium canonicis metropolitanae Capuanae.

iustitiae in nos et dictam Sedem fidei et devotionis aliaque multiplicia merita paternae dirigentes considerationis intuitum, eorumque virtutem aliquâ honoris prorogativâ condecorare volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et[1] merâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eisdem signaturae iustitiae votantibus, praesentibus et futuris, ut ipsi omnes et singuli galeri redimiculum, *cordone* vulgariter nuncupatum, coloris violacei in quibusvis functionibus et actibus publicis ac privatis ubique deferre et gestare libere et licite possint et valeant, tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Clausulae. § 2. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, et alios quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Derogatio contrariorum.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII iulii MDCCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 12 iulii 1727, pontif. anno IV.

CXCII.

Confirmatur decretum generalis conventus Congregationis Missionis circa modum dimittendi a dictâ Congregatione unum ex assistentibus, si in culpam incidat[1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes Bonnet, modernus superior generalis Congregationis Missionis, tam suo quam totius eiusdem Congregationis nomine, quod in novissimo generali conventu, Parisiis anno MDCCXXIV convocato, inter alios[2] editum fuit quoddam decretum, quo declaratur modus et forma dimittendi a dictâ Congregatione unum ex assistentibus superioris generalis vel eius admonitorem, si alteruter, quod Deus avertat, in culpam cadat, quae iuxta constitutiones Congregationis dimissionem mereatur, tenoris qui sequitur, videlicet: Expositio facti.

Conventus unanimi voce statuendum duxit et statuit, imposterum assistentem a Congregatione non esse dimittendum, nisi ad plura medietate suffragia ipsius superioris generalis, assistentium et visitatorum, qui sunt in Europâ, sicut pro eius suspensione definitum fuerat in conventu anni Decretum praedictum.

1 De potestate superiorum Congregationis Missionis in suos subditos vide aliam huius Pontificis ed. MDCCXXV, die XVII septembris, pontif. II.

2 Aptius lege *alia* (R. T.).

MDCXCII, § 12; aut, si res dilationem non pateretur, ad plura suffragia superioris generalis, assistentium, visitatoris provinciae, superiorum quinque viciniorum domorum, secretarii[1] et procuratoris Congregationis, assistentis domus, si non sit ex assistentibus Congregationis, et sex sacerdotum, eorumque ratione vocationis[2] antiquorum, domus, in qua commoratur superior generalis: quod nomine eiusdem superioris generalis et totius conventus a S. Sede confirmari[3] est enixe postulandum.

Preces superioris generalis. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Ioannes superior generalis statutum seu decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri[4] summopere desideret: nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio relati decreti. § 3. Nos igitur, eumdem Ioannem superiorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praeinsertum decretum seu statutum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; firmo tamen et in suo vigore permanente decreto, quo nos dudum dimissionem quondam Petri de Hymbert tunc praedictae Congregationis assistentis approbaveramus et confirmaveramus, quod denuo auctoritate et tenore praefatis innovamus.

Clausulae. § 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis etc.[1].

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae Congregationis, etiam iuramento, etc.[2]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV iulii MDCCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 15 iulii 1727, pontif. anno IV.

1 Edit. Main. legit *secretariis* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *vocatione* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *confirmati* (R. T.).
4 Edit. Main. legit *communi* (R. T.).

1 Reliqua ut supra pag. 471 *a* (R. T.).
2 Reliqua ut supra pag. 471 *a* (R. T.).
3 Aliâ huius Pontificis const. ed. MDCCXXVI, die XXVIII ianuarii, pontif. II, actum fuit de erectione coenobii in provinciâ Valentiae.

CXCIII.

Erigitur custodia S. Nicolai in Lotharingiâ Minorum Recollectorum de Observantiâ in provinciam[3].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. Sollicitudo pastoralis officii, quo Ecclesiae catholicae regimini divinâ dispositione praesidemus, nos admonet, ut, paternam religiosorum virorum Altissimi obsequiis sub arctioris vitae instituto mancipatorum curam gerentes, felici illorum statui ac progressui, et religionis incremento, quantum nobis

ex alto conceditur, prospicere iugiter studeamus.

Cura Leopoldi ducis Lotharingiae ut praedicta custodia in provinciam erigeretur.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, aliàs dilectus filius nobilis vir Leopoldus Lotharingiae et Barri dux, non minus pro avità suà in Deum pietate et singulari erga Ordinem fratrum Minorum sancti Francisci devotione, quam excitatus suavis odoris fragrantià in universum eius dominium diffusà vitae ac bonae conversationis exemplo religiosisque in vineà Domini laboribus dilectorum filiorum fratrum eiusdem Ordinis de Observantià Recollectorum nuncupatorum custodiae S. Nicolai in Lotharingià nuncupatae, quae infrascriptis septem conventibus et hospitio a se ac maioribus suis fundatis et erectis constat, nempe conventibus Longivicensi, Gondrecuriensi, Dambliniensi, Confluentino, Aspermontano, Sifoldiensi, Bultunevillensi, et hospitio Mirecuriensi, ubi novitiatus cum tribus sacrae theologiae tum scholasticae, tum moralis, et uno philosophiae cursibus institutus reperitur, ac quorum religiosi catholicae doctrinae semen longe lateque spargere non desistunt, et exactiori regulae, quam profitentur, observantiae, non sine ingenti populorum aedificatione, sedulo incumbunt, eamdem custodiam, cui datà occasione novos conventus addere paratus erat, in provinciam erigi exoptans, litteras ad novissimum capitulum generale praedicti Ordinis in almà Urbe nostrà celebratum pro eiusmodi erectione obtinendà dedisset; quibus acceptis, idem capitulum generale decrevit numerum et statum conventuum et hospitii praedictorum ab uno commissario generali dicti Ordinis prius examinandos, et illius ministro generali significandos fore, quam ad erectionem praedictam deveniretur, quae quidem omnia rite et ordine adimpleta fuerunt; verum, quia iuxta statuta generalia auctoritate apostolicà confirmata ac decreta capitulorum generalium dicti Ordinis enarratus conventuum numerus satis non est ut in provinciam erigantur, nisi specialis nostra et huius S. Sedis in hac parte, ut aliàs saepius factum fuisse memoratur, accedat dispensatio et facultas:

Annuit Pontifex.

§ 2. Hinc est quod nos, pio eiusdem Leopoldi ducis desiderio hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, simulque firmiori et solidiori eiusdem custodiae statui prosperoque illius regimini et progressui providere volentes, ac dilectorum filiorum custodis et definitorum aliorumque fratrum custodiae huiusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causà latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, motu proprio, et ex certà scientià et maturà deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praedictam custodiam, tametsi nonnisi septem conventibus ac hospitio de praesenti constantem, sicut praemittitur, in novam provinciam fratrum Recollectorum dicti Ordinis, quae provincia S. Nicolai itidem nuncupari debeat, ac capitula provincialia pro ministri provincialis, custodis et definitorum aliorumque officialium ipsius provinciae electione, ac congregationes aliosque congressus ad instar aliarum provinciarum Ordinis huiusmodi celebrare, ac omnibus et singulis praerogativis, praeeminentiis, iuribus, honoribus, privilegiis, gratiis et indultis, quibus aliae eiusdem Ordinis provinciae, tam de iure, usu et consuetudine, quam aliàs quo-

modolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt in futurum, pariformiter et absque ullâ prorsus differentiâ, uti, frui, potiri et gaudere libere et licite valeat, tenore praesentium, sine cuiusquam praeiudicio, in perpetuum erigimus et instituimus.

Clausulae. § 3. Decernentes ipsas praesentes litteras et in eis contenta, etc., ex eo quod quilibet in praemissis ius vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarint, adductae aut verificatae et iustificatae fuerint, aut ex quavis aliâ, etiam quantumlibet iuridicâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis formali et substantiali individuamque expressionem requirente defectu notari, etc.[1]; sed ipsas praesentes litteras semper firmas etc.; ac illis etc. suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque, etc.

Derogatoriae. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinis illiusque capitulorum generalium et custodiae huiusmodi, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, decretis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam dicto Ordini, eiusque superioribus et quibusvis aliis personis et locis, sub quibusvis verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, in genere vel in specie, in contrarium praemissorum etc.[1]

1 Quae desunt, sume ex pag. 514 *b* (R. T.).

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX iunii MDCCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 30 iulii 1727, pontif. anno IV.

CXCIV.

Confirmatur decretum Congregationis immunitatis, quod distributiones quotidianae, quae percipiuntur per residentiales, non comprehendantur pro subsidio Sedis Apostolicae[2].

Benedictus Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

§ 1. Nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium immunitati ecclesiasticae et controversiis iurisdictionalibus praepositorum emanavit decretum tenoris qui sequitur, videlicet: Decretum praedictum.

Mediolanensis. Discussis in sacrâ Congregatione super immunitate ecclesiasticâ et controversiis iurisdictionalibus habitâ sub die XVII iunii MDCCXXVII infrascriptis dubiis propositis ad instantiam cleri regularis dioecesis et Status Mediolani, tenoris prout sequitur, videlicet: — I. An distributiones quotidianae, quae recipiuntur per residentiales comprehendantur et calculandae sint sub onere contribuendi pro subsidio ex indulto S. Sedis indicto anno MDCCXVII; — II. An sit locus novae repartitionis ex integro faciendae ad effectum in istâ calculandi omnes et quascumque distributiones non calculatas, et quae usque ab initio erant calculandae;

1 Ut supra pag. 515 *a* (R. T.).

2 Aliâ huius Pontificis constit. edit. MDCCXXV, die 28 aprilis, pontif. II decretum fuit ut provisi de beneficiis mediam annatam solverent fabricae suarum respective ecclesiarum.

III. An illis de utroque clero saeculari et regulari competat pro ratâ excessus diminutio taxae et respective reintegratio pro quantitate ultra propriam ratam persoluta: — Eadem sacra Congregatio, sedulo de more perpensis rationibus pro parte memorati cleri regularis allatis, rescripsit *affirmative in omnibus*. In quorum fidem. Datum Romae hac die XXI iunii MDCCXXVII. — F. cardinalis S. Agnetis. — S. DE RICCIS, secret.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii clerus regularis dioecesis et Status Mediolanensis nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis, etc.[1]

1 Ut supra pag. 471 a (R. T.)

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX iunii MDCCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 30 iulii 1727, pontif. anno IV.

CXCV.

Confirmantur reformationes quaedam constitutionum Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis pro Germaniae et Bohemiae provinciis[1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Debitum pastoralis officii, quo Ecclesiae catholicae adstringimur, nos admonet, ut, paternam christifidelium divinis obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatorum curam gerentes, illa, quae pro felici prosperoque eorum regimine statuta, seu ad iam statutorum reformationem et declarationem provide facta esse noscuntur, ut firma atque illibata persistant, apostolici praesidii robore muniamus.

Constitutiones praedictae pro provinciis praefatis, quum unitae erant, conditae fuerunt, sed eisdem divisis reformatae.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii priores provinciales provinciarum Germaniae et Bohemiae Ordinis fratrum Servorum B. M. V. quod aliàs, dum ambae provinciae praefatae invicem unitae reperiebantur et unicam provinciam constituebant, quaedam particulares constitutiones ad regularem observantiam in eiusmodi provinciam inducendam inibique conservandam conditae tempore felicis recordationis Clementis Papae XI praedecessoris nostri auctoritate apostolicâ approbatae et con-

1 Aliâ huius Pontificis constit. edit. MDCCXXVI, die 8 augusti, pontif. III, quaedam decreta fuerunt pro tertiariis eiusdem Ordinis.

firmatae ac exinde observatae fuerunt. Verum, cum, ob acquisitionem novorum conventuum, aliasque iustas et rationabiles causas, ad divisionem eiusdem provinciae postmodum deventum sit, et ex unâ duae, altera scilicet Germaniae et altera Bohemiae provinciae praefatae erectae et institutae fuerint, enarratarum constitutionum dispositio in omnibus suis partibus in utrâque provinciâ huiusmodi servari nequivit. Unde exponentes praedicti, cum suorum respective definitorum consilio, facultate moderandi, augendi et diminuendi e dictis constitutionibus, quod opportunum visum fuisset, salvâ huius Sanctae Sedis auctoritate, in eisdem constitutionibus attributâ utentes, nonnullas [1] eiusmodi constitutiones, ut facilius utrique provinciae sic erectae et institutae aptarentur ac executioni in eis demandarentur, eas nimirum declarando, mutando et cassando respective, eisve aliquid addendo, reformarunt, et aliàs, prout continetur in scripturâ desuper confectâ tenoris qui sequitur, videlicet:

Reformatio praedictarum constitutionum.

Declarationes, mutationes, additiones et cassationes visae et approbatae ab eminentissimo ac reverendissimo domino domino Laurentio S. R. E. cardinali Corsino, totius Ordinis Servorum B. M. V. protectore, in constitutionibus Ordinis fratrum Servorum B. M. V. specialem modum vivendi in Germaniâ profitentium.

In capite I, num. X, additum est: « item [2] *Ave Maria* usque ad verbum *Iesus* inclusive dicatur etiam a patribus concionatoribus antequam in cathedrâ crucem faciant ».

In cap. II, n. I, positum est: « caeremoniale nostrum ». — Num. V positum est: « nostris necessitatibus ». — N. VIII additum est: « ita tamen ut diebus ferialibus ultra quadrantem post quintam non protrahatur, et, si Completorium cum *Salve Regina* et litaniis choraliter vel figuraliter decantandis ante quintam finiatur, habeatur tamen brevis recollectio per medium quadrantem ultra quintam; eadem oratio mentalis per dimidium horae spatium habeatur post Matutinum diei persoluta, verumtamen ultra tertium quadrantem ad secundam nunquam protrahatur ». — Num. IX additum est: « et B. Alessii confessoris ». — Num. X additum est: « de Nomine et Conceptione B. M. V. », et num. XI additum est « et B. Alessii ».

In cap. III, num. I, positum est: « cum aliquis ex nostris fratribus has constitutiones profitentibus ». — Num. V positum est: « eadem haec suffragia, pro defunctis nostris fratribus in Germaniâ statuta, fiant etiam pro fundatoribus, eorumque conthoralibus pro tempore erectae fundationis in vivis existentibus, et fundatricibus intra provinciam ». — Num. VI positum est: « vicariis generalibus et prioribus provincialibus nostris ». — Num. VII positum est: « pro fratribus aliarum provinciarum, uti et pro sororibus intra provinciam existentibus »; et additum est: « pro quolibet una missa, et ante missam, cum dicitur pro fratribus aliarum provinciarum, unum nocturnum cum laudibus defunctorum ». — Num. VIII positum est: « fratribus nostris has constitutiones profitentibus »; et num. XIV positum est: « nostrorum fratrum ».

In cap. IV, num. II, deleta sunt illa verba « pollice dextro ». — Num. XVIII additum est: « quod idem de lectore mensali intelligendum est exceptâ lectione sacrae Scripturae ». — Num. XXVI positum est: « extra loca vero provinciae »; additum est: « ordinem instituti nostri ».

In cap. V, num. IV, positum est: « primaevam nostram consuetudinem ».

In cap. VI, num. IV, deletum est: « an insuper cuius conventus filii futuri sint ». — Num. V positum est: « se ad hoc fideliter praestandum in conscientiâ obligatos »; et num. XI positum est: « ex primaevâ nostra consuetudine ».

In cap. VII, num. II, positum est: « a se deputandum »; et num. VII positum est: « pro iis statutarum »,

1 Coniunct. *et* delemus (R. T.).

2 Edit. Main. legit *idem* (R. T.).

In cap. VIII, num. VIII, positum est; « praescriptum in caeremoniali nostro »; et deleta sunt haec verba « observantiae Germanicae »; atque additum est: « necnon secundum constitutiones Servorum B. M. V. pro totâ Germaniâ specialiter approbatas ». — Num. X positum est: « provincia N. »; et item « constitutionum harum ». — Num. XV deletum est: « et nisi absoluta necessitas aliud postulaverit, quod ad id muneris omnino ab eorum lectione distincti, neque alio quopiam officio occupati, ne a curâ et praesentiâ suorum quocumque praetextu impediatur, atque de eo illorumque educatione pariter omnia intelligantur, quae supra capit. VII de magistro novitiorum et novitiis statuta sunt »; et additum est: « quibus magister novitiorum, in absentiâ vero magistri priori locali, in omnibus subsint ». — Num. XVII deletum est: « in observantiâ nostrâ professionem ».

In cap. X, num. II, additum est: « vel professorium ».

In cap. XI, num. IV, deletum est: « cum iuramento »; et additum est: « oneratâ desuper eorum conscientiâ dandum ». — Num. VI positum est: « examinari possunt ».

In cap. XII, num. I, deletum est: « prout capite praecedenti de promovendis ad ordines praescriptum est ». — Num. II deletum est: « et non ultra, donec iterum examinentur, et cum praefatis duplicibus testimonialibus sibi iterum praesententur, exceptis lectoribus et constitutionibus, etiam ordinariis, quibus possit absolute licentia concedi; patres autem, qui quinquagesimum annum excedunt, poterunt eximi a novo examine, si tamen aliàs reperti fuerint idonei »; et additum est: « ad triennium tantum; illi autem patres confessarii, et qui theologiam speculativam non absolverunt, si reperti fuerint fructuose tempus non impendere studio casuistico; item illi theologi, qui, licet tribus annis in theologiâ permanserint, attamen exigua, sive per publicas disputationes, sive per examen ex omnibus materiis instituendum, dedere profectus sui specimina, debent tempore visitationis, vel aliàs, a provinciali, socio provinciali, et uno vel pluribus examinatoribus provinciae, si adsint, denuo examinari; quando invenientur minus idonei pro excipiendis confessionibus, tunc provincialis dictos negligentes pro qualitate culpae et negligentiae puniat ».

In capit. XIII, num. V positum est: « videant ut ad minus semel intra mensem (si commode fieri potest) privatam disputationem habeant ». — Num. VIII deletum est: « cum iuramento »; item deletum est: « sigillatim cum iuramento »; et additum est: « singillatim prior et patres discreti, vel ii qui steterint loco discretorum in eo conventu in quo is ante resederit saltem per annum, oneratâ suâ conscientiâ ». — Num. XIII positum est: « proprius lector praesideat »; et deletum est: « et non alius ». — Num. XV deletum est: « cum iuramento »; et additum est: « oneratâ suâ conscientiâ ».

In cap. XIV, num. II, positum est: « qui idoneitatis suae testimonium non habuerit »: et deletum est: « iuratum ». Item positum est: « in refectorio themate ab iis tantum triduo sibi ante assignato, testimonium quoque vitae ac morum, prout supra de approbandis lectoribus praescriptum est, habere teneatur ». — Num. III mutata est dictio *ordinarie*, et apposita est *regulariter*. — Num. VI additum est: « scandalo offenderit nimis familiariter cum improbis conversando, vel ludendo, vel blasphemando, munere praedicandi careat per quinquennium »: et deletum est: « munere praedicandi in perpetuum careat ». — Num. VII positum est: « sub poenâ arbitrariâ provincialis ».

In cap. XV, num. II, additum est: « proprii lectores tantum ». Item deleta est dictio *rigorosissime*, et apposita *rigorose*. — Num. III positum est: « vocem tam activam quam passivam habere possint, adeoque ipsis in nullum prorsus detrimentum de reliquo cedat ». Additi sunt ex cap. XXXI et cap. XLIII, atque huc translati, sequentes duo numeri, videlicet: N. IV. « Nihilominus lectores et concionatores, habitâ ratione suorum laborum, qui per decem annos actualiter legerint theologiam speculativam aut philosophiam, aut utramque simul, et concionatores qui per idem tempus concionati fuerint, sive

qui partim[1] decendo, partim concionando decennium expleverunt, licet post transactum decennium lectores eiusmodi lectioni, et concionatores concioni amplius non incumbant, gaudeant privilegiis vocis activae et passivae in capitulo provinciali, ita tamen, ut tam lectores quam concionatores inter se mutent vices, videlicet, ut ex lectoribus decennalibus unus tantum mutando vices singulis trienniis ad capitulum provinciale comparere possit ut vocalis »: et num. v « Similiter cum honor religionis vel maxime dependet a lectoribus et concionatoribus, hinc patres lectores actuales philosophiae et theologiae scholasticae, uti et concionatores ordinarii indiscriminatim censeantur digni isto favore, et quaevis conventuum discretoria ingredi, et in iis suffragium ferre valeant ».

In cap. xvii, num. vii, additum est: « factâ deosculatione sancti habitus, et deinde mensae, surgant ». — Num. viii deletum est: « privatis observantiae nostrae », et positum est: « privatis nostris ».

In cap. xviii, num. iv, positum est: « sine consensu provincialis pro totâ familiâ, pro particulari autem personâ ex rationabili causâ possit prior etiam in his ieiuniis dispensare ».

In cap. xix, num. xi, deletum est: « possintque in itineribus esse nigri coloris »: et additum est: « albi vel nigri coloris pro ut provinciae fert consuetudo ». Additus est integer num. xviii prout sequitur: « ne autem superiores conventuum totum onus instruendorum rite vestiariorum suis successoribus relinquant, et consequenter his incumbant[2], cum modicâ conventuum oeconomiâ, eiusmodi grave onus portare; idcirco hunc in finem iniungitur omnibus superioribus localibus, ut quolibet anno pro cuiusvis religiosi nostri vestimentis tam exterioribus quam interioribus et pileis, computando omnia tam ad sartoriam tum ad sutoriam quomodolibet spectantia, ex taxâ ordinariâ pro victu et vestitu cuiusvis religiosi pro conventibus determinate ad minimum viginti floreni applicentur: quod si hac parte superiores locales negligentes inventi fuerint, rationes generales ad capitula, vel litterae quotannis mittendae ab officialibus conventuum, nequaquam subscribantur nec a definitorio approbentur, unde provincialis ex officio provideat, et eiusmodi transgressores pro modo culpae puniat ».

In cap. xxi, num. v, positum est: « in concedendo secundo exitu, si debito respectu superiori locali id insinuaverit ». — Num. x positum est: « arma cuiuscumque generis non habeantur praesertim in civitatibus et oppidis; in locis tamen solitariis et periculo depraedationis subiectis haberi possint, ita tamen ut non in cellis patrum aut fratrum, sed in loco aliquo specialiter deputato occlusa asserventur et custodiantur ».

In cap. xxiv, num. ix, deletum est: « vel poenâ privationis officii ».

In cap. xxv, num. i, positum est: « prior generalis ex provinciis nostris eligibilis sit ex iis, qui, iuxta cap. xv, num. ii, examinati et approbati fuere ». — Num. vii positum est: « a nobis in Germaniâ habeat annuatim saltem viginti duo scuta argentea romana; et, si ad capitulum aut diaetam provincialem ad visitandum, aut quacumque ex causâ ad aliquem ex nostris conventibus venerit, praeter expensas ad agendum post[1] provincias nostras iter necessarias, quibus pro filiali in patrem suum observantiâ tam pro eo quam pro suis sociis provinciae nostrae omni adiumento non deerunt per totum tempus quo inter nos immorari dignabitur, omnia ei ac sociis pro dignitate subministrentur, nec eidem decet minora cultus charitatisque signa patri exhibere, quam nostrarum provinciarum filiis exhibeamus ». — Num. xiv positum est: « in locum defuncti generalis extra provincias nostras, et item, si autem contingat in provinciis nostris ».

In cap. xxvi, num. i, positum est: « procurator Ordinis in Romanâ Curiâ ex provinciis nostris eligibilis sit ex iis qui iuxta dicta cap. xv, num. ii, examinati et appro-

1 Edit. Main. legit *partem* (R. T.).
2 Potius lege *incumbat* (R. T.).

1 Forsan *per* legendum pro *post* (R. T.).

bati fuere ». — Num. VIII positum est: « prior provincialis in hisce nostris provinciis »; — num. X positum est: « aliquis extra provincias »; — num. XII deletum: « et nihil aliud »; — num. XV positum est: « et si is fuerit theologus ex examinatis et approbatis, assumat sibi prosocium definitorem provincialem ».

In cap. XXVIII, n. VI, positum est: « usque ad futurum capitulum provinciale quartum definitorem provincialem ».

In cap. XXIX, num. I, deletum est: « cum nostra germanica observantia », et additum est: « cum Ordo noster in Germaniâ »; item deletum est: « quaelibet huius observantiae provincia », et positum est: « quaelibet provincia ».

In cap. XXXI, num. I, additum est: « concionatores tam decennales quam actuales ». — Num. II additum est: « qui sic partim[1] legendo partim praedicando decennium absolverunt »: et deletum est: « uti et illi, qui, post sex saltem annos sic legendo aut praedicando transactos, ad vicariatum generalem, provincialem, socialem, procuraturam provinciae, prioratum, magisterium novitiorum aut iuvenum professorum assumpti, in eo reliquum tempus decennii compleverunt ».

In cap. XXXII, num. II, deletum est: « de sexennio in sexennium », et positum est: « unde vel unaquaeque ex hisce nostris Germaniae provinciis suum peculiarem habeat vicarium generalem constituendum a generali ex sibi praesentatis, vel liberum sit generali vices suas provincialibus respective committere, prout necessitas aut commodum postulaverit: eligendus vero in vicarium generalem, omnes qualitates habeat quae supra pro provinciali requisitae sunt ». — Num. III positum est: « informet ergo definitorium provinciale cuiuslibet provinciae super qualificatis et a se praesentatis generalem, et de eo, qui ab illo deputatus fuerit, omnia intelligantur, quae in his constitutionibus de priore generali dicuntur; cumque munus et onera ipsius generalis portet, etiam (si tamen distincta a provinciali persona fuerit) locum eiusdem ubique durante officii sui tempore teneat, possitque ea omnia agere, quae facere possit ipse generalis, si adesset, nisi ab eodem auctoritas ei fuerit restricta ». — Num. IV additum est: « habeat autem (si a provinciali sit distincta persona) sigillum triplex »: item deletum est: « per Germaniam », et additum est: « per provinciam ». — Num. V positum est: « et in aliis locis suae provinciae serventur »: et item positum est: « vel ex aerario publico suae provinciae ». — Num. VI positum est: « concedere facultatem fratribus ex suâ provinciâ abeundi »: et item positum est: « fratres etiam, qui modum vivendi pro Germaniâ specialiter approbatum non sunt professi, ordinari non permittat sine generalis vel suorum provincialium dimissoriis, nisi saltem per annum sub illo vixerint ». — Num. VII additum est: « simulque accessum habeat ad omnia provincialia capitula, non tamen ingressum ad definitorium ».

In cap. XXXIII, num. III, additum est: « ratiocinia scrutentur, libros quoque sacristae, num missis perpetuis fundatis atque etiam manualibus satisfactio fuerit praestita ex integro perquirant ». — N. IV additum est: « poterunt (servato tamen ordine correctionis fraternae) praelato revelare ».

In cap. XXXV, num. I, positum est: « breviarii romani reformati et caeremonialis nostri ». — Num. II additum est: « qui arma quaecumque intra septa monasterii retinet (quod tamen ita intelligendum, sicut animadversum est cap. XXI, num. X) aut itinere ».

In cap. XXXVIII, num. IV, deletum est: « eumque carceri includat usque ad mandatum provincialis, quod generaliter, occurrente quocumque excessu gravioris aut gravissimae culpae, observet »: et additum est: « provinciali denunciet, interim tamen (si res visa fuerit praesentaneum remedium postulare) de consilio discretorum delinquentem carceri mancipet, aut in monasterio releget, prout necessitas aut scandalum postulaverit ».

In capit. XL, num. II, deleta est dictio *Tyrolis*, et apposita *Germanicae*. — Num. VI

1 Edit. Main. legit *partem* (R. T.).

positum est: « quempiam ex provinciis nostris compellere ».

In cap. XLI, num. I, positum est: « vicarios generales, nostrarum provinciarum provinciales ». — Num. III positum est: « secundum caeremoniale nostrum ».

In cap. XLI, n. II, positum est: « lector item et concionator decennalis iuxta dicta cap. XV ». — Num. IV et num. VII positum est: « quorum primi duo sint theologi ex examinatis et approbatis ». — Item deleta sunt omnia verba contenta sub num. VIII. — Num. XXXI, olim XXXII, positum est: « definitoribus quoque perpetuis, lectore et concionatore ex communi provinciae aerario »: deleta sunt omnia verba contenta sub n. XXXIII, qui olim erat XXXIV.

In cap. XLIII, num. XXIV, deletum est: « aut in constitutionibus obscura declaranda ».

In cap. XLIV, num. I, positum est: « super his impetratae apud nos omnino »: et num. III positum est: « statuta facienda videantur, provincias nostras aut earumdem statum concernentia, id non fiat, nisi patres nostri in capitulis suis provincialibus per maiora vota ».

Confirmatio reformationis relatae.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes, praemissa, quae per venerabilem fratrem nostrum Laurentium episcopum Tusculanum S.R.E. cardinalem Corsinum nuncupatum, eiusdem Ordinis apud nos et Sedem praedictam protectorem, iussu nostro revisa et approbata fuerunt, ut praefertur, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio roborari, plurimum desiderent: nos, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, et attentâ relatione super praemissis a memorato Laurentio episcopo cardinali et protectore nobis factâ, supradictarum constitutionum reformationem, confectamque desuper scripturam praeinsertam, cum omnibus et singulis in eâ contentis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras, ac in eis contenta quaecumque, semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios, etc.[1] Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, aliisve quibusvis, etiam iuramento, etc.[2]

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II augusti MDCCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 2 augusti 1727, pontif. anno IV.

CXCVI.

Confirmantur quaedam decreta definitorii generalis fratrum Discalceatorum Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum Congregationis Hispaniae pro bono regimine provinciarum dictae Congregationis[3].

1 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

2 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

3 De confirmatione quorumdam decretorum capituli generalis pro bono regimine eiusdem Ordinis, vide Clementis XI const. edit. MDCCIII, die 3 augusti, pontif. III.

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Militantis Ecclesiae regimini per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam nullo licet meritorum nostrorum suffragio praepositi, illa, quae pro felici christifidelium sub suavi religionis iugo Altissimi obsequiis mancipatorum directione provide constituta esse dignoscuntur, libenter, cum a nobis petitur, apostolico munimine roboramus.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Michaël a S. Iosepho Congregationis Hispaniae, de mandato expresso definitorii generalis fratrum Discalceatorum nuncupatorum SS. Trinitatis redemptionis captivorum in Romanâ Curiâ procurator generalis, quod die XIII mensis septembris anni proxime praeteriti in sess. VII dicti definitorii Matriti Toletanae dioecesis habitâ pro bono regimine provinciae S. Ioachimi et quarumcumque aliarum provinciarum Congregationis huiusmodi in posterum erigendarum, unanimiter et conformiter stabilita et ordinata fuerunt quaedam decreta tenoris qui sequitur, videlicet:

Decreta praedicta definitorii generalis praefatorum fratrum. I. Quod in praenominatâ provinciâ S. Ioachimi perpetuis futuris temporibus sint unus provincialis et alii duo successuri in defectum priorum, ac unus redemptor provincialis et unus provinciae procurator. — II. Quod in supradictâ provinciâ celebretur capitulum provinciale de triennio in triennium sabato ante quartam dominicam post Pascha. — III. Quod capitulum provinciale huiusmodi celebrari incipiat ab anno MDCCXXX. — IV. Quod in definitorio generali congregando immediate post obtentam a S. Sede harum dispositionum confirmationem, definitorium generale eligat supranominatae provinciae novos sive primos definitores provinciales eiusdem provinciae, et duos actuales socios, qui, conformiter ad ea quae in nostris constitutionibus stabiliuntur, sint etiam ministri actuales, ac demum duos socios in defectum priorum, qui eligi possint, licet non sint actu ministri, et qui successive unus post alium subintrent, et suppleant vicem cuiuscumque habentis vocem activam in capitulo provinciali, casu quo tam brevi temporis decursu nequierit aliàs eligi, qualiter de sociis generalibus in defectum respective statuitur ad capitulum generale. — V. Quod ad primum capitulum provinciale supradictae provinciae celebrandum anno MDCCXXX, concurrant vocem activam habentes: primo, tamquam praeses capituli, minister generalis Ordinis, vel qui ex dictâ provinciâ eligatur praeses capituli a dicto ministro generali; secundo, definitor generalis totius Ordinis, qui in capitulo generali immediate praeterito ex ortis de regno Poloniae electus fuerit; tertio, pater provincialis qui spirat, et electus fuerit in definitorio generali; quarto, quatuor definitores provinciae, qui electi pariter fuerint in dicto definitorio generali, quorum officium spirat in dicto capitulo provinciali, in quo praecedent iuxta ordinem eorum electionis factâ in praedicto definitorio generali: hos sequentur ministri actu socii, servantes etiam ordinem ipsorum electionis factae in dicto definitorio generali; post quos sequentur primo redemptor, deinde procurator provinciae, et hi duo eligendi sunt in definitorio generali anni MDCCXXVIII, posteriori nimirum capitulo generali eiusdem anni, ad quod spectat illorum electio, quemadmodum usque hodie observatum fuit, et istorum officium spiret praedicto an. MDCCXXX post celebrationem capituli provincialis. — VI. Quod ut capitulum provinciale perpetuis futuris temporibus celebretur de triennio in triennium in dictâ provinciâ S. Ioachimi, atque in eo fiant electiones ad capitulum provinciale spectantes, quemadmodum et illae quae ad definitorium immediatum capitulo provinciali attinent, ideoque vacent et spirent in praedicto capituli provinciali celebrando anno MDCCXXX omnes praelationes et omnia officia, tam illa quae collata fuerint in dicto definitorio generali, quam quae provisa fuerint in capitulo generali celebrando anno MDCCXXVIII, necnon officia

redemptoris et procuratoris generalis, quae iuxta nostri Ordinis constitutiones provideri debent in definitorio generali immediato capitulo generali praedicto. — VII. Quod pro hac unicâ primâ vice supradictum capitulum et definitorium provinciale possint respective unumquodque reeligere et providere in eisdem officiis, prout melius expedire ipsis videatur, illos qui per duorum annorum spatium tantum praelibata officia exercuerint. — VII. Quod supramemorati undecim vocales convocati litteris praesidentis capituli provincialis insimul congregati in domo capitulari, cum consilio et assensu ministri generalis pro nunc, et in futurum cum consilio et assensu ministri aut commissarii generalis, eligant provincialem et quatuor definitores provinciae, qui inter se servabunt ordinem propriae electionis in praecedendo, necnon eligant omnes ministros provinciae et ministros actu socios, qui quidem eligentur ex iam electis ministris, ita quod prius eligantur ministri omnes, et postea ex ministris iam electis, electione distinctâ et posteriori, eligantur socii actu ministri, post quos eligantur socii in defectum, qui non ingrediantur in domum capitularem, sed commorantes in aliis domibus proximis domui capitulari, praesto sint ad supplendum defectum cuiuscumque undecim capitularium, ita quod primus socius in defectum primo subintret et suppleat, et secundus socius in defectum secundo loco suppleat et subintret, nec tamen supplebunt aut subintrabunt in qualitate aut auctoritate deficientium, sed solummodo ad complendum et integrandum numerum undecim vocalium. — IX. Quod novum definitorium provinciale electum in supradicto provinciali capitulo, nigris et albis fabis eliget redemptorem et priorem et chronistam provinciae, atque redemptori et priori generali legalem facultatem impartiatur. — X. Quod in capitulo generali celebrando anno MDCCXXVIII ex sex definitoribus generalibus, qui eligi debent ex toto Ordine, eligatur unus qui sit filius provinciae S. Ioachimi. — XI. Quod supradictum capitulum provinciale possit facere statum et ordinationes respicientes bonum particulare praedictae provinciae, dummodo in nullo contrarientur bono regimini et rigorosiori observantiae nostri instituti in praedictâ provinciâ. — XII. Quod in casu quo minister generalis nominet et designet praesidem capituli provincialis aliquem ex alio quovis titulo vocalem, tunc minister domus capitularis habeat votum in capitulo provinciali; quod si minister ille fuerit ex sociis actualibus, tunc succedat et habeat suffragium in capitulo qui primus electus fuit socius in defectum. — XIII. Quod in casu, quo post trinum [1] scrutinium discordia suffragiorum electionem non perfecerit, eo ipso habeatur tamquam legitime electus antiquior in ordine, pro quo [2] steterit pluralitas votorum, licet excedatur ab alio minus antiquo in numero suffragiorum. — XIV. Quod novum definitorium provinciale post capitulum provinciale immediate congregetur, et eligat redemptorem, procuratorem generalem et chronistam. — XV. Quod definitorium provinciale congregetur de semestri in semestrem in domo, quam designabit de uno in aliud definitorium sive congregationem. — XVI. Quod definitorium provinciale congregari debeat ex patre provinciali praesidente, et ex quatuor definitoribus provincialibus, qui omnes decisivum suffragium habeant, et insimul possint admittere renunciationes, et facere electiones et ordinationes, et omnia illa, respective ad dictam provinciam, quae definitorium generale facere potest respective ad totum Ordinem. — XVII. Quod supradictum definitorium provinciale debet facere electiones officiorum vacantium tam ante celebrationem capituli, quam post illius celebrationem intra sex mensium spatium; quas si omiserit, eo ipso ius eligendi devolvatur ad definitorium generale. — XVII. Quod provincialis, quoties illi benevisum fuerit, possit congregare definitorium ultra et praeter binam regularem definitorii congregationem singulis annis fieri solitam. — XIX. Quod praeses capituli provincialis et pater provincialis et definitor generalis, si adfuerit, necnon definitorium

1 Male ed. M. leg. *triennium* pro *trinum* (R. T.).
2 Male edit. Main. habet *qua* (R. T.).

provinciale debent confirmare omnes et singulas electiones in capitulo provinciali factas, exceptâ tamen electione patris provincialis, quae a toto capitulo provinciali confirmanda erit. — xx. Quod definitorium provinciale confirmet electiones quas fecerit. — xxi. Quod in casu discordiae suffragiorum definitorii provincialis post trinum scrutinium, observetur quod in simili stabilitum est pro capitulo provinciali. — xxii. Quod si renunciationis, mortis, vel promotionis causâ contingat a definitorio eligi provincialem, is in officio sub nomine ministri provincialis perduret usque ad immediatum capitulum provinciale, et suum munus statim ab electione exerceat, praestito tamen prius iuramento, quod, si per tempus licuerit, ostendet definitorio provinciali confirmationem ministri generalis. — xxiii. Quod qualitas et graduatio requisita in habituris vocem passivam provincialis ministri, redemptoris et procuratoris generalis in dictâ provinciâ, sit quae exigitur a constitutionibus generalibus Ordinis, hoc excepto quod circa vocem passivam definitoris provincialis sufficiat graduatio et qualitas[1] exacta pro illis eligendis in ministros. — xxiv. Quod in vacatione officiorum observetur illorum incompatibitas, et non repetitio sive reelectio in iisdem officiis, ad tenorem constitutionum nostri Ordinis; quod etiam intelligendum est de definitoribus provinciae, conformiter ad ea quae disposita sunt pro definitoribus generalibus. — xxv. Quod in vacatione provincialis observetur quidquid dispositum reperitur in constitutionibus nostri Ordinis, excepto quod in casu defectus vel impedimenti ob aliud officium provincialis praedecessoris, aut in illius absentiâ, ac in casu defectus vel impedimenti definitorii generalis, assumet provinciae gubernium definitor provincialis prior qui in domo reperiatur. — xxvi. Quod definitorium generale singulis trienniis de[2] definitorio provinciali legitimam facultatem ad causas criminales in formâ opportuniori. — xxvii. Quod definitorium generale de his, quae ad ipsum privative pertinent, vices suas definitorio provinciali committat, prout magis expedire illi videatur. — xxviii. Quod minister generalis de his, quae ad ipsum privative spectant, nec differri iudicaverit opportunum, vices suas provinciali committet. — xxix. Quod in casu vacationis officii provincialis, vel alicuius definitorii provinciae, definitor generalis convocet ad electionem, et praesideat si fuerit in provinciâ, et, definitore generali absente, convocet[1] provincialis, et in huius defectu, definitor provincialis dignior, ita quod, in casu absentiae definitoris generalis, debent ad electionem convocari omnes quatuor superstites, nimirum quatuor attinentes ad definitorium: quod si absens, vel cuius est vacatio, fuerit provincialis, convocandus est etiam cum suffragio ad electionem socius provinciae prior. — xxx. Quod quaecumque ordinantur tam de praesidentiâ capitulorum provincialium, quam de designando praeside eorumdem per ministrum generalem, intelligantur observanda usque dum Sedes Apostolica concedat Ordini nostro bipartitionem ad instar illius quae[2] datur in religione S. Francisci, nam tunc ista spectabunt ad commissarium generalem electum ab illis provinciis quarum non sit minister generalis. — xxxi. Quod praecedentia definitorum provincialium, tam intra quam extra definitorium in propriâ provinciâ, censeatur et observetur conformiter ad illa quae nostrae constitutiones disponunt pro definitoribus generalibus, hoc uno excepto quod definitor generalis praesens praecedat quemcumque definitorem provincialem. — xxxii. Quod, ministro conventuali absente, regimen conventus pertineat ad definitorem provinciae, quemadmodum iuxta nostras constitutiones pertinet ad definitorium generale: excepto dumtaxat casu, quo definitor generalis praesens inveniatur in conventu; nam tali casu per prius attinebit regimen ad definitorium generale secundum easdem constitutiones. — xxxiii. Quod, cum in conventu adest provincialis aut definitor generalis, debent accipere benedictionem et socium a provin-

1 Male edit. Main. legit *qualitate* (R. T.).
2 Videtur legendum *det* pro *de* (R. T.).

1 Praeposit. *ad* delemus (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *illiusque* (R. T.).

ciali, et, hoc absente, a definitore generali, et, in utriusque absentiâ[1], a ministro conventuali, qui licentiam denegare non valeat, et in casu quo per absentiam ministri praesit in conventu vicarius, qui praeceditur etiam illo eventu a definitore provinciali, iste poterit exire nullâ petitâ benedictione, et associare quem ex religiosis maluerit, dummodo non sit officialis conventus qui de aliis rebus curare teneatur. — XXXIV. Quod provincialis in fine sui triennii, et ante capitulum, visitet provinciae definitores, inquirendo de iis quae eorum personas et mores concernunt, et novum definitorium provinciale visitet praeteritos definitores provinciales in spectantibus ad definitorum officium. — XXXV. Quod si novum definitorium id praecipiat, pater provincialis suum praedecessorem visitare teneatur casu quo remaneat subiectus, et nisi fuerit prius visitatus intra triennium a ministro generali, vel ab illius vices specialiter habente[1]. Et talis visitatio facienda est tam de spectantibus ad personam praefati provincialis, quam de concernentibus officium provincialatus, et remittenda est definitori generali illius provinciae, ut illam praesentet in definitorio generali. — XXXVI. Quod minister generalis ad instantiam definitorii, aut maioris partis illius, sive ad instantiam sex provinciae ministrorum, possit dirigere et nominare visitatorem specialem, qui erit semper assumendus de religiosis filius illius provinciae, nisi instantia vel petitio talis visitatoris contrarium postulet. — XXXVII. Quod definitoribus actualibus et praeteritis provinciae fieri debeant in suâ provinciâ eademmet suffragia constituta pro definitoribus generalibus. — XXXVIII. Quod, ut possint obtinere officia provinciae, reputentur illius filii non solum in eâ professi, sed etiam omnes illi qui ante eius erectionem in provinciam functi sunt aliquo officio, aut praestiterunt in illâ conventuales, necnon illi quos minister generalis in tali provinciâ incorporaverit conformiter ad nostras constitutiones: quod ultimum nonnisi raro et ex gravi causâ utique fiat.

1 Male edit. Main. legit *habenda* (R. T.).

Confirmatio relatorum decretorum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus Michaël procurator generalis decreta huiusmodi, quo firmius subsistant et serventur exactius, confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsius Michaëlis procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decreta praeinserta, a memorato definitorio generali stabilita et ordinata, ut praefertur, cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, etc.[1]

Derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Congregationis et provinciae, etiam, etc.[2]

Fides habenda transumptis.

§ 5. Volumus autem ut earundem praesentium litterarum transumptis, etc.[3]

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV augusti MDCCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 4 augusti 1727, pontif. anno IV.

1 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).
2 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).
3 Ut supra pag. 72 *b* (R. T.).

CXCVII.

Eriguntur decem conventus fratrum Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum in novam provinciam [1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Sacrosancti apostolatus officium humilitati nostrae per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, commissum salubriter exequi, adiuvante Domino, iugiter satagentes, religiosorum virorum Altissimi obsequiis sub arctioris disciplinae instituto mancipatorum, uberesque bonorum operum fructus in Ecclesiâ Dei, adspirante divini favoris auxilio, proferre assidue studentium, statui et felici directioni consulere peculiari sollicitudine studemus, sicut nos, omnibus maturâ considerationis trutinâ perpensis, ad omnipotentis Dei gloriam ac religionis piorumque operum incrementum et felicem progressum expedire in Domino arbitramur.

Causae huius erectionis, et preces commissarii generalis. § 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Michaël a S. Iosepho commissarius generalis pro Italiâ ac in Romanâ Curiâ Congregationis Hispaniarum Ordinis fratrum SS. Trinitatis redemptionis captivorum Discalceatorum nuncupatorum procurator generalis nobis nuper exponi fecit, dicta Congregatio plures conventus, nempe Viennensem, Illebensem, Possoniensem, Tirnaricensem in Austriâ, Comoroniensem et Agriensem in superiori et inferiori Hungariâ, Pragensem in Bohemiâ, Albae Carolinae in Transilvaniâ, Bellogradensem in Serviâ, Sassaniensem in Moraviâ, et hospitia sive residentiam Costantinopolitanam fundaverit, et in quibus non solum regularis viget observantia cum magnâ fidelium aedificatione, verum etiam collegia insignia pro studiis religiosorum eiusdem Ordinis, necnon ampla et aptissima domus pro educatione novitiorum stabilita reperiuntur, atque insuper in illis partibus dicti religiosi magno zelo piissimo instituto redemptionis captivorum incumbunt, quorum ingentissimum numerum brevi annorum cursu ab oppressione et tyrannico infidelium iugo liberarunt, multis ac copiosissimis in partibus Turcarum et Tartarorum redemptionibus factis, extructoque [1] Costantinopoli ad hunc effectum commodo dicti Ordinis hospitio pro levamine ac promptiori et opportuniori redemptione [2] christifidelium sub paganorum servitute degentium, dictus vero Michaël commissarius et procurator generalis conventus huiusmodi in novam dicti Ordinis provinciam ad instar aliarum ipsius Ordinis provinciarum a nobis erigi plurimum desiderat: nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 2. Nos igitur, ipsius Michaëlis commissarii et procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, memoratos conventus in novam Ordinis praedicti provinciam, quae ab uno superiore provinciali, aliisque officialibus, iuxta constitutiones eiusdem Ordinis auctoritate apostolicâ approbatas eligendis et assumendis, regi et gubernari debeat, itaut ipsa nova provincia, illiusque superior provincialis, ceterique officiales et fratres pro tempore existentes, omnibus et singulis privilegiis, iuribus, Erectio praedicta.

1 Nova provincia in regno Poloniae pro fratribus eiusdem Ordinis erecta fuit aliâ huius Pontificis const. edit. MDCCXXVI, die 22 ianuarii, pontif. II.

1 Pessime ed. Main. legit *extractoque* (R.T.).
2 Edit. Main. legit *redemptionis* (R. T.).

praeeminentiis, praerogativis, honoribus gratiis et indultis, quibus aliae dicti Ordinis provinciae[1] tam de iure, usu et consuetudine, quam aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt in futurum pari modo et absque ullâ prorsus differentiâ uti, frui et gaudere libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quocumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et Apostolicae Sedis praedictae nuncios, aliosve quoslibet etc.[2]

Derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Congregationis et Ordinis, etiam etc.[3]

Fides habenda transumptis.

§ 5. Volumus autem ut earumdem litterarum transumptis, manu, etc.[4]

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV augusti MDCCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 14 augusti 1727, pontif. anno IV.

CXCVIII.

Statuitur ut nemo testamentum conficere in partibus Indiarum valeat, quin aliquam eleemosynam applicandam Monti erecto pro animabus purgatorii relinquat[1].

Benedictus Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Refertur erectio et progressus praedicti Montis.

§ 1. Aliàs, nomine carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici nobis exposito, quod, cum in oppido Matriti Tolenanae dioecesis quidam Mons Pietatis pro animabus in purgatorio existentibus, cui ipse Philippus rex pro illius stabilitate et augmento nonnullas gratias concesserat, erectum fuisset, eique dilectus filius Franciscus Pigner, tunc illius capellanus, dictique Montis administrator generalis, magnam utilitatem, quae a tam piâ erectione proveniebat, retulisset, verum enim anno MDCCXXIII octoginta millia circiter, et sequenti anno septuaginta millia ducatorum monetae illarum partium distributa essent, et ex eâdem Montis erectione centum triginta septem mille centum viginti tres missae pro earumdem animarum purgantium suffragio celebratae, ipse Philippus rex hoc sanctum opus in dies augeri exoptans, ut in testamentis aut in ultimis voluntatibus incolarum istorum regnorum Indiarum aliquod subsidium pro dicto Monte relinqui deberet, cum concessione etiam alicuius indulgentiae pro illis qui subsidium huiusmodi testamento aut ultimâ voluntate legassent et aliquam eleemosynam in hoc opus contulissent, a nobis iniungi desiderabat; nos venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis Indiarum Occidentalium, ut populos sibi subiectos excitarent ad devotionem relinquendi in

1 Edit. Main. legit *alia* ... *provincia* (R. T.).
2 Ut supra pag. 586 *a* (R. T.).
3 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).
4 Ut supra pag. 72 *b* (R. T.).

1 Aliâ huius Pontificis const. edit. MDCCXXVII, die 11 martii, pontif. IV, confirmata fuere prilegia et indulgentiae personis Terraesanctae concessa.

suis testamentis aliquid sibi benevisum favore supradicti Montis, ut de suffragiis, quae cum dictis eleemosynis celebrabantur, participare possent, auctoritate apostolicâ insinuavimus: quo vero ad petitas indulgentias, negotium ad Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris reliquiis et indulgentiis praepositorum remisimus: et aliàs, prout in nostris litteris desuper in simili formâ Brevis die I februarii anni proxime praeteriti expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Repetitae preces eiusdem Philippi regis.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte dicti Philippi regis nobis denuo expositum fuit, ipse personis saecularibus, ne ullum testamentum in illis partibus fieri valeat, quin aliqua eleemosyna pro dicto monte relinquatur, praecipere possit, et in facultate episcoporum sit ecclesiasticas personas adhortari ut id ipsum pro suâ devotione faciant, si velint, ideoque dictus Philippus rex praeceptum tam laicis quam ecclesiasticis pro eleemosynâ in eorum testamentis relinquendâ et praedicto monti applicandâ, ad hoc ut illi, qui ex illis partibus venerint, non parum sublevamen in necessitatibus suis percipiant[1], quemadmodum in partibus Hispaniae pro locis Terraesanctae et captivorum redemptione fieri memoratur: nobis propterea dictus Philippus rex humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Praeceptum praedictum.

§ 3. Nos igitur, piis eiusdem Philippi regis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum, qui votum dilecti filii nostri Ludovici S. R. E. cardinalis Belluga et Moncada nuncupati ad eiusmodi negotium examinandum ab eâdem Congregatione deputati attenderunt, consilio, ut nullum testamentum in partibus Indiarum confici valeat, sive testator sit laicus sive ecclesiasticus, quin per ipsos aliqua eleemosyna pro eorum arbitrio et devotione praedicto Monti applicanda relinquatur, dictâ auctoritate tenore praesentium, praecipimus et ordinamus. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae in praedictis nostris litteris concessionis[1] non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 4. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, etc.[2].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX augusti MDCCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 20 augusti 1727, pontif. anno IV.

CXCIX.

Confirmantur litterae quaedam in formâ Brevis Clementis X circa consultores regulares Congregationis Indicis, cum quibusdam ordinationibus[3].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam

A Clemente X per quasdam in formâ Brevis litteras olim statutum ut consultoribus regularibus Congregationis Indicis conventus assignarentur.

§ 1. Aliàs, felicis recordationis Clementi PP. X praedecessori nostro pro parte tunc existentium consultorum Congregationis etiam tunc existentium S.R.E. cardinalium Indicis librorum prohibitorum

1 Edit. Main. legit *percipiantur* (R. T.).

1 Leg. *concessimus* vel *concessa sunt* (R. T.).

2 Ut supra pag. 72 *a* (R. T.).

3 Laudata Clementis constitutio edita est MDCLXXIII, die 5 decembris, pontif. IV.

nec ipsi inde amoveri possent inconsultà Congregatione.

et expurgandorum praepositae[1] exposito, quod recolendae memoriae Alexander Papa VII pariter praedecessor noster anno MDCLIX decreverat et declaraverat non licere superioribus regularibus removere ab Urbe ac a suis conventibus suos subditos regulares inservientes dictae Congregationi in officio Indicis consultorum, quia talis remotio cedebat[2] in praeiudicium ipsius Congregationis, quae aliàs consultores inexpertos veteranis et expertis substituere constringebatur, hocque decretum superioribus eorumdem regularium a tunc itidem existente Congregationis praedictae secretario intimatum fuerat, dicti vero exponentes, quo quietius maiorique studio huic S. Sedi obsequi[3] praestare valerent, opportune sibi in praemissis a praefato Clemente praedecessore provideri plurimum desiderabant: idem Clemens praedecessor, iustis eorumdem exponentium petitionibus favorabiliter annuere volens, supplicationibus etiam memoratorum cardinalium nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, ac supraexpressum Alexandri praedecessoris decretum approbans et confirmans, omnibus et singulis tam tunc praesentibus quam futuris superioribus generalibus et provincialibus cuiuscumque Ordinis, congregationis et instituti auctoritate apostolicà praecepit et mandavit, ut tunc et pro tempore existentibus consultoribus regularibus Congregationis praedictae, suis respective subditis, conventualitatem in collegiis seu domibus regularibus in Urbe praedictà existentibus, in quibus litterarum studia vigerent, quo commodius eiusmodi studiis dictaeque Sedis obsequiis incumbere valerent, si adessent, sin minus in aliis monasteriis, conventibus seu domibus regularibus suorum respective Ordinum, congregationum et institutorum in eàdem Urbe positis, absque ullà morà vel tergiversatione concederent et assignarent; ipsos autem consultores inde nisi causis ab eàdem cardinalium Congregatione illiusque secretario pro tempore existente bene examinatis amovere nullo modo posse auctoritate praedictà statuit et ordinavit; et aliàs, prout in praedicti Clementis praedecessoris litteris die V decembris MDCLXXIII desuper in simili formà Brevis expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Confirmatio praedicti Brevis Clementis X.

§ 2. Hinc est quod nos, praemissorum robori et inviolabili observationi opportune providere volentes, motu proprio et ex certà scientià ac maturà deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, enarratas Clementis praedecessoris litteras, auctoritate praedictà, tenore presentium, confirmamus et approbamus, ac, quatenus etiam opus sit, innovamus.

Praecipitur, ut unus dumtaxat ex singulis Ordinibus regularibus consultor Congregationis praedictae esse ac eiusmodi privilegio frui possit.

§ 3. Praeterea, ne privilegium huiusmodi consultoribus dictae Congregationis per supradictas litteras concessum conventibus et domibus regularibus onerosum sit, eisque ab illà obedientià, quam professi sunt, se subtrahendi stimuli addantur, motu, scientià et potestatis plenitudine paribus praecipimus et mandamus, ut in posterum unus dumtaxat ex Ordinibus regularibus Congregationis praedictae consultor esse, ac eiusmodi privilegio frui possit, illoque vivente, alii, qui ad consultoris munus huiusmodi assumpti fuissent, eodem privilegio potiri nequeant, sed, in eàdem Urbe de superiorum suorum licentià permanere volentes, conventibus,

1 Edit. Main. legit *praeposita* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *debebat* pro *cedebat* (R. T.).
3 Leg. *obsequium*, vel aliter emenda (R. T.).

ubi ab iisdem superioribus collocabuntur, alimenta ad rationem duorum iuliorum singulis diebus persolvere teneantur; et inde a suis superioribus toties quoties ipsis benevisum fuerit, etiam extra eamdem Urbem, mitti possint, nec isti privilegium praedictum etiam a nobis et Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris absque speciali derogatione et praesentium nostrarum litterarum mentione impetrare queant.

Declaratio quaedam circa eorumdem consultorum sociurn.

§ 4. Declarantes ulterius quod huiusmodi privilegium consultoribus praedictae Congregationis dumtaxat concessum sit, et quod tam memorati consultores privilegio huiusmodi gaudentes, quam pariter alii illo minime fruentes, socium sibi addictum habere, nec postulare valeant, sed illum volentes, et a suis superioribus permissum, alimenta pro eodem socio, sicut praemittitur, praestare debeant.

Clausulae.

§ 5. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac praedictis consultoribus regularibus in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari; sicque et non aliter in praemissis, etc.[1]

Derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, quorumvis Ordinum, congregationum, institutorum, provinciarum, monasteriorum, conventuum, collegiorum et domorum regularium, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, aut quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus, congregationibus, institutis, monasteriis, provinciis, conventibus, collegiis et domibus regularibus, illorumque superioribus generalibus, et provincialibus, aliisque personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, ac pluries confirmatis, innovatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ insererentur et exprimerentnr, iisdem praesentibus pro plene et sufficientur expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI augusti MDCCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 21 augusti 1727, pontif. anno IV.

1 Ut supra pag. 586 *a* (R. T.).

CC.

Conceduntur nonnulla, et confirmantur quaedam alia abbati Montis Cassini, Ordinis S. Benedicti, eiusque ecclesiae et monasterio[1].

1 De privilegiis monasterii et abbatis Montis Cassini vide aliam huius Pontificis ed. MDCCXXV, die IV augusti, pontif. II.

Dilecto filio Sebastiano Gadaletae, abbati Montis Cassini Ordinis S. Benedicti, Benedictus Papa XIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Qui prosperum fecit nobis iter Deus salutarium nostrorum, cum ad visitandam Beneventanam nostram metropolim Deoque dicandam ecclesiam in B. Philippi Neri honorem a nobis ibi extructam accessimus, gaudio nostro cumulum adiecit, cum ad hanc almam Urbem regredientibus dedit, ut, instante tuâ filiali pietate, solemni ritu consecraremus templum istud religione et sanctitate celeberrimum. Quod enim sanctissimus patriarcha Benedictus, ethnicae superstitioni ereptum, christiani[1] sacris expiaverat, tum Zacharias anno DCCXLVIII post Langobardicam vastitatem, post Saracenicum incendium anno MLXXXI Alexander II, praedecessores nostri, clarissima vestri Ordinis lumina, renovatis caeremoniis inauguraverant, vehementer angebamur novis quidem temporum iniuriis labefactum terraeque motu deiectum, sed magnificentius nostrâ aetate instauratum ac restitutum, cum externam vetustae molis maiestatem vinceret, mysticâ amissae consecrationis dignitate carere. Voti tamen iam compotes, illud studiis nostris superesse intelligebamus, ut, eorumdem praedecessorum nostrorum exempla prosequentes, susceptam laetitiam perenni pontificiae liberalitatis monumento consignaremus, novisque benevolentiae argumentis testatum faceremus amorem nostrum erga Cassinense monasterium, totius inclyti Ordinis caput, quod iterum et tertio invisimus iucundâ veteris sanctimoniae recordatione et suavissimo florentis inter vos disciplinae odore illecti, praecipuaeque religionis stimulis excitati.

Consecratio templi Montis Cassini a Benedicto XIII peracta.

1 Videtur legendum *christianis* (R. T.).

Decernitur recitandas esse lectiones proprias dedicationis ecclesiae praedictae ab universo clero dioecesis Cassinensis die I octobris.

§ 1. Libenti proinde laetoque animo complexi sumus opportunitatem oblatam per demissas preces, quas tuo nomine nobis exposuit dilectus filius Seraphinus Tansius, istius Congregationis procurator generalis, prudentiae laude et virtutis meritis charitati nostrae imprimis acceptus. Postulationibus igitur tuis annuentes, cupientesque ut celebritas dedicationis tum ecclesiae tum arae maximae, a nobis perpetuo privilegio pro animabus defunctorum locupletatae, quam die XIX mensis maii peregimus, atque in diem I mensis octobris quotannis recolendum[1] transtulimus, solemeniori memoriâ renovetur, proprias in officio lectiones secundi nocturni, iam rite probatas, ad universo clero saeculari et regulari totius dioecesis Cassinensis eâdem illâ die I octobris recitandas esse decernimus, qua nimirum dioecesani clerici de more conveniunt ad praestandam abbati seu monasterii praefecto obedientiam in ecclesiâ cathedrali seu quasi cathedrali Montis Cassini. Officium praeterea S. Victoris III praedecessoris nostri, qui generis origine civitatem et metropolim nostram Beneventanam, abbatiali dignitate ac regimine monasterium et Congregationem istam, hanc denique Sanctam Sedem vitae sanctitate rebusque gestis illustravit, libenter concedimus ut die XVI mensis septembris a monachis istic degentibus celebretur.

Confirmantur quaecumque iurisdictionis facultates abbatibus concessae quasi episcopalis.

§ 2. Ad haec, omnes iurisdicendi facultates et iurisdictionis actus a praedecessoribus nostris concessos abbatibus, et ex antiquâ et immemorabili consuetudine exerceri solitos, ut sunt congregare synodum, concursum ad conferenda beneficia ecclesiastica curata etiam in mensibus apostolicis instituere, oeconomos deputare, commis-

1 Aptius lege *recolendam* (R. T.).

siones apostolicas etiam quoad dispensationes matrimoniales exequi, sacrum chrisma a catholico episcopo consecratum confirmando ministrare, suos subditos ad primam tonsuram et ad minores ordines promovere, illisque etiam per suos vicarios ad eosdem et ad maiores ordines suscipiendos litteras dimissorias concedere, altaria tam fixa quam portatilia, calices et sacra vasa consecrare, et alia peragere quae iurisdictionis quasi episcopalis a nostris praedecessoribus concessa sunt, ut praediximus, et ab immemorabili per abbates pro tempore exercentur, confirmamus, et, quatenus opus sit, de integro concedimus. Quemadmodum etiam singula privilegia a Romanis Pontificibus, imperatoribus, regibus, et a quibusvis aliis, sive ecclesiasticâ sive saeculari dignitate praeditis, tuo monasterio collata, firma esse volumus; et, si aliqua subsit novae concessionis necessitas, iterum concedimus et elargimur.

Enumerantur loca, in quibus abbati pro tempore licebit praedictos iurisdictionis actus exercere.

§ 3. Enumeratos autem iurisdictionis actus exercere licebit abbati pro tempore in omnibus locis et territoriis memoratae dioecesis Cassinensis: quae sunt, uti asseris, loca civitatis S. Germani, Casalis S. Basilii de Caira, S. Eliae, Cerbarii, S. Victoris, S. Petri in Fine, Rocchae Evandri, S. Salvatoris de Cucurrutio, S. Angeli in Theodoice, Pignatarii, S. Apollinaris, S. Andreae, S. Ambrosii, S. Georgii, Vallisfrigidae, Castrinovi, S. Petri in Curulis, Bellimontis, Vallisrotundae, Saracenischi, S. Secundini, Sorbelli, S. Vincentii, Castelloni, Rochettae, Scapuli, Collis, alterius Castrinovi, Aquaevivae, Fornellii, Pizzonis, S. Mariae de Oliveto, et Cerri, cum suis casalibus: in Samnio, Cellini, Vallisregiae, seu Barreae, Civitellae, Villettae, S. Petri de Avellana, Pesculi, Constantii, Serrae Monaceschae, Farae filiorum Petri, Ripae Corbariae, et Villae Oliveti: in Calabriâ, Cetrarii et Casalis S. Angeli, et castra incolis destituta, videlicet, S. Petrus in Monasterio, seu Casinus, Plumbariola, S. Stephanus, Mortula, Bantra, Iunctura, S. Gregorius, Teroculus, Cardetum, Teramus, Cerasolus, Vallisporcina, Collis Stephani, Tensenusius, Licinosus, Pantanus, Spina, S. Vitus, Quercuscuppa, Rocchasicca, et S. Blasius de Capite fluminis: in Samnio, Rocca Tramontis, S. Martinus, Cantalupus, Pomarium, S. Angelus, S. Petrus Monialium, Polegra et Carceres: in Calabriâ, Fella.

Confirmantur aut conceduntur abbatibus praedictis aliae facultates.

§ 4. Facultates etiam, quas antecessor noster felicis recordationis Gregorius XIII episcopis tribuerat in rebus ad ecclesiasticam immunitatem spectantibus, ita abbatibus Cassinensibus confirmamus aut concedimus, ut easdem ad casus etiam expressos et comprehensos in apostolicis litteris nostris nuper editis et in appendice Concilii Romani adiectis liberaliter extendamus.

Confessariis duobus praedictae ecclesiae facultates conceduntur.

§ 5. Denique christifidelium ad sacram aedem istam confluentium pietati ac religioni salubriter obsecundare et prospicere volentes, duobus sacerdotibus ad audiendas confessiones a Cassinensi abbate pro tempore existenti eligendis, quos etiam removere possit, facultates omnes elargimus, quae poenitentiariis sacrae aedis Laurentanae concessae sunt.

Clausula litterarum.

§ 6. Futurum autem certo confidimus ut studia nostra ad augendam vestri nominis dignitatem claritatemque monasterii tam insignis intenta redundare sentiamus ad monasticae disciplinae incrementum, atque ad luculentius testimonium paternae benignitatis qua praeclare animati sumus erga Cassinensem S. Patris Benedicti familiam de Christi Ecclesiâ egregie meritam et uni-

versum Benedictinum Ordinem, unde tot illustria extiterunt per omnes aetates documenta virtutum.

Benedictionem impartitur.

§ 7. Dum vero caelorum Dominum obsecramus ut rata sint vota nostra, tibi, dilecte fili, apostolicam benedictionem peramanter impartimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII augusti MDCCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 27 augusti 1727, pontif. anno IV.

CCI.

Confirmantur privilegia monachorum Ordinis sancti Benedicti Congregationis de Observantiâ in regnis Hispaniarum [1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ad pastorale fastigium meritis licet imparibus divinâ dispositione evecti, ea, quae de Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum et Apostolicae Sedis benignitate in favorem monasticarum congregationum in Ecclesiâ Dei pie sancteque erectarum et institutarum ac personarum in eis Altissimo iugiter famulantium processerunt, apostolici muniminis nostri patrocinio, cum id a nobis petitur, libenter constabilimus.

A Clemente VIII aliàs privilegia dictae Congregationi confirmata per quasdam litteras in formâ Brevis.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii generalis aliique abbates et monachi Congregationis de Observantiâ nuncupati in regnis Hispaniarum Ordinis sancti Benedicti, quod dudum felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster omnia et singula privilegia, donationes, immunitates, exemptiones, libertates, indulgentias, gratias et indulta eidem Congregationi eiusque generali et aliis abbatibus, definitoribus, visitatoribus, prioribus, monachis, monialibus, ceterisque personis, necnon singulis ecclesiis, monasteriis, prioratibus, domibus, universitatibus, collegiis et locis dictae Congregationis per quosvis Romanos Pontifices praedecessores suos et Sedem praedictam concessa, communicata, extensa, confirmata, approbata et innovata, auctoritate apostolicâ perpetuo approbavit et confirmavit, et aliàs, prout in ipsius Clementis praedecessoris litteris in simili formâ Brevis die XXIV maii MDXCIV desuper expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, plenius continetur.

Confirmatio praedictarum Clementis litterarum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, firmiora atque stabiliora sint ea, quibus saepius Apostolicae Sedis praedictae accedit auctoritas, cupiantque propterea iidem generalis aliique abbates et monachi praefatas Clementis praedecessoris litteras apostolicae confirmationis nostrae praesidio roborari: nos, ipsorum generalis aliorumque abbatum et monachorum votis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, eosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Cle-

[1] De privilegiis dictae Congregationis vide Clementis VIII constit. edit. MDXCIV, die 24 maii, pontif. II, quae hic laudatur.

mentis praedecessoris litteras praefatas, omniave et singula in eis contenta, quatenus tamen sint in usu ac decretis Concilii Tridentini non adversentur, nec sint revocata aut sub aliquâ revocatione comprehensa, tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes illa, necnon praesentes litteras semper firmas, etc.[1]; sicque in praemissis per quoscumque, etc.[2]

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis, quae dictus Clemens supradictis litteris concessit non obstare; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 5. Volumus autem quod praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu, etc.[3]

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII augusti MDCCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 28 augusti 1727, pontif. anno IV.

CCII.

Confirmantur litterae apostolicae in formâ Brevis super separatione trium conventuum cum residentiâ a provinciâ S. Andreae, eorumque unione provinciae Flandriae, Ordinis Minorum de Observantiâ Recollectorum[4].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Plurimi conventus inter bellorum tumultus a provinciâ S. Andreae separati et Flandricae uniti;

§ 1. Aliàs pro parte dilecti filii Guilielmi Jodoque ministri provincialis provinciae Flandriae Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ Recollectorum nuncupatorum nobis exposito, quod, cum inter novissimos bellorum in Belgicis ditionibus saevientium tumultus ultra viginti septem monasteria monialium, plures fratrum Ordinis praefati conventus, Audomarensis scilicet, Biezensis, Rentinensis, Avestrensis, Guietensis et Barbarisoniensis a dictâ provinciâ dismembrati et avulsi, tresque priores S. Antonii in Artesiâ, ac tres reliqui conventus eiusmodi cum residentiâ Insulensi S. Andreae respective provinciis eiusdem Ordinis uniti et incorporati fuissent, unde praedicta provincia Flandriae grave detrimentum ac diminutionem acceperat; fratres vero praefatae provinciae S. Andreae conventus Montensem, Bichiensem et Tornacensem cum residentiâ de Pott a Canaffe nuncupatâ sub ditione carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum catholici et Romanorum regis in imperatorem electi consistentes possiderent, qui nullum ministrum provincialem tunc agnoscebant, ac corpus ab eâdem provinciâ S. Andreae segregatum et divisum constituebant: ipse Guilielmus, tum in compensationem memoratorum monasteriorum et conventuum e suâ provinciâ Flandriae dismembratorum, ut praefertur, tum pro salubri horum trium conventuum cum eiusmodi residentiâ regimine, illos eidem provinciae Flandriae uniri et incorporari; et, quia in ipsâ provinciâ Flandriae inter fratres natione Leodienses, qui novem tantum conventus in eâ obtinebant, ac Flandros, seu aliunde oriundos, quibus dicta provincia constabat, octodecim conventus, quatenus tres praefati illi unirentur, habituros, occasione distributionis officiorum multiplices turbae et discordiae enasci consueverunt, aliquam, pro perpetuâ dictae

Et inter Leodienses ac Flandros alternativa stabilita.

1 Ut supra pag. 601 *a* (R. T.).
2 Ut supra pag. 586 *a* (R. T.).
3 Ut supra pag. 72 *a* (R. T.).
4 Laudatae litterae ab eodem Pontifice editae fuerunt MDCCXXVI, die 12 octobris, pontif. III.

provinciae quiete, aequam inter fratres Leodienses et Flandros praedictos alternativam in officiis praefatis praescribi atque stabiliri plurimum desiderabat:

Hinc ab hoc Pontifice praedicta separatio et respective unio confecta fuit cum alternativâ.

§ 2. Nos, supplicationibus ipsius Guilielmi nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac praemissis aliisque iustis ex causis nobis notis adducti, supradictos tres conventus Montensem, Bichiensem et Tornacensem cum praefatâ residentiâ de Pott a Canaffe a memoratâ provinciâ S. Andreae separavimus et dismembravimus, illosque sic separatos et dismembratos dictae provinciae Flandriae univimus, annexuimus et incorporavimus. Ad haec, quod bis consecutive minister ac tres definitores eiusdem provinciae Flandriae ex fratribus Flandris, seu aliunde oriundis, ac tunc custos cum uno definitore ex Leodiensibus eligerentur; alterâ autem seu tertiâ vice, minister cum uno definitore esset ex Leodiensibus, custos vero cum tribus definitoribus ex Flandris, vel aliunde oriundis; sicque deinceps reliqua etiam officia dictae provinciae aequaliter iuxta numerum conventuum utriusque nationis distribuerentur, statuimus atque praecepimus et mandavimus: et aliàs, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis die XII octobris MDCCXXV expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur. Ac subinde tunc existens minister generalis Ordinis praedicti, per suas patentes litteras die XXIII novembris eiusdem anni vigore facultatis sibi per nos attributae editas, omnibus et singulis fratribus praefatorum trium conventum ac residentiae filiis seu in eis degentibus potestatem fecit sese, si vellent, dictae provinciae Flandriae pariter uniendi et incorporandi; eosque ex tunc ac perpetuo unitos et incorporatos a die suscepti per eos habitus regularis declaravit, voluitque ut perinde et absque ullâ differentiâ haberentur, ac si in eâdem provinciâ Flandriae educati ac professi fuissent.

Causae praesentis confirmationis et preces praedicti ministri provincialis pro eâ obtinendâ.

§ 3. Cum autem, sicut supradictus Guilielmus nobis denuo nuper exponi fecit, antequam enarratae litterae nostrae emanarent, lis, inter utramque provinciam eiusmodi, super dismembratione et incorporatione dictorum trium conventuum, ac tam praefatae[1] de Pot a Canaffe quam alterius residentiarum de Peteghem etiam nuncupatarum, eidem provinciae Flandriae faciendâ, mota, Congregationi particularium trium ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, ut per eos componeretur, per nos remissa fuisset, ipsique cardinales nihil hac in re innovandum censuissent et decrevissent, atque, inscio Guilielmo praedicto, tunc existens[2] minister provincialis ac fratres dictae provinciae S. Andreae eorumdem cardinalium sententiam seu decretum per quasdam nostras sub plumbo editas litteras approbari et confirmari obtinuissent, nullâ vero de lite, decreto, illiusque confirmatione, ac expeditis litteris huiusmodi in primodictis litteris nostris in formâ Brevis mentio facta fuerit, ac proinde de illarum indeque secutorum validitate dubitari possit, cum primodictae litterae nostrae nec memoratam residentiam de Petteghem, nec monasteria monialium quae a tribus conventibus ac residentiâ dictae provinciae Flandriae sic unitis et incorporatis dependent et in dominio eiusdem Caroli regis pariter consistunt, comprehendant: nobis propterea dictus Guilielmus humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune

1 Male edit. Main. legit *praefata* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *existente* pro *existens* (R. T.).

providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio praedictarum litterarum in formâ Brevis pro dictâ separatione conventuum et respective unione.

§ 4. Nos igitur, ipsum Guilielmum amplioris favore gratiae[1] prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac tam dicti ministri generalis patentium quam nostrarum sub plumbo litterarum praedictarum tenores, et alia quaecumque, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus itidem pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, supradictas nostras in pari formâ Brevis dictique ministri generalis patentes litteras, ac separationem et dismembrationem trium conventuum Montensis, Bichiensis et Tornacensis cum residentiâ de Pot a Canaffe a provinciâ S. Andreae, illorumque ac eorum fratrum unionem et incorporationem provinciae Flandriae dicti Ordinis, aliave quaecumque inde ceteroqui legitime secuta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et validamus, ac valere validaque et efficacia existere et fore decernimus in omnibus et per omnia perinde ac si in eisdem nostris in formâ Brevis litteris de illis sub plumbo antea emanatis, necnon praefatis lite et decreto Congregationis particularis cardinalium, specifica et individua mentio facta, ipsisque litteris sub plumbo sufficienter derogatum fuisset[2].

Uniuntur insuper praefatae provinciae

§ 5. Praeterea residentiam de Petteghem, necnon monasteria monialium a dictis tribus conventibus ac eâdem et alterâ de Pott a Canaffe residentiis dependentia, in dominio tamen ipsius Caroli regis sita, a dictâ provinciâ S. Andreae similiter dismembramus, ac memoratae provinciae Flandriae unimus et incorporamus; necnon facultatem, quae dictorum trium conventuum et residentiae[1] de Pott a Canaffe fratribus sese eidem provinciae Flandriae uniendi et incorporandi a memorato ministro generali in suis patentibus litteris praefatis attributa fuit, sicut praemittitur, ad omnes et singulos itidem fratres istius residentiae de Petteghem, eâdem auctoritate, harum serie, extendimus, eisque pariformiter tribuimus et impertimur: firmâ tamen ac in suo robore remanente in reliquis, et praesertim quoad alternativam inter fratres Flandros, seu aliunde oriundos, ac Leodienses in distributione officiorum dictae provinciae Flandriae, earumdem nostrarum in formâ Brevis litterarum dispositione[2].

Flandriae residentia quaedam ac nonnullas monialium monasteria.

Clausulae.

§ 6. Decernentes quoque, ipsas praesentes litteras et in eis contenta quaecumque semper firma, valida et efficacia existere et fore, etc.[3].

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit nostrae et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinis, provinciarum, conventuum, residentiarum et monasteriorum praedictorum, etiam iuramento, etc.[4].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX augusti MDCCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 30 augusti 1727, pontif. anno. IV.

1 Edit. Main. legit *gratiis* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *fuissent* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *residentia* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *dispositiones* (R. T.).
3 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).
4 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

CCIII.

Permittitur Minoribus provinciae reformatae Vallis de Mazzara Ordinis S. Francisci de Observantiâ, ut eleemosynas pecuniarias pro missis cebrandis procurare et recipere possint[1].

Benedictus Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Ab Urbano VIII interdictum ne in praedictâ provinciâ ullae omnino pecuniae pro missis celebrandis reciperentur.

§ 1. Dudum, per felicis recordationis Urbanum Papam VIII praedecessorem nostrum accepto quod in provinciâ reformatâ Vallis de Mazzara nuncupatâ Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum semper servatum fuerat ut nullae pro celebrandis missis pecuniae reciperentur, sed missae gratis pro benefactoribus iuxta intentionem superioris applicarentur; nonnulli vero laudabilem usum et observantiam huiusmodi immutare et invertere nitebantur: idem Urbanus praedecessor, turpis quaestus materiam ab illis, qui perfectam vitam profitebantur, in re praesertim adeo sacrâ, e medio tollere pro pastorali suâ sollicitudine volens, ne de cetero perpetuis futuris temporibus in provinciâ praedictâ nullae[1] omnino pecuniae pro missis celebrandis exigerentur, ac etiam sponte oblatae reciperentur, sed missae gratis, ut consueverat, celebrarentur, sub vocis activae et passivae, ac, quoad superiores, etiam suorum officiorum privationis poenâ eo ipso absque aliâ declaratione incurrendâ, auctoritate apostolicâ interdixit et prohibuit, et aliàs, prout in memorati Urbani praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die XXVIII maii MDCXLII expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter

1 Aliàs hoc prohibitum fuerat iisdem ab Urbano VIII const. ed. MDCXLII, die XXVIII maii, pontif. XX.

1 Aptius lege *ullae* (R. T.).

expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Causae antiquae inobservantiae Urbani VIII litterarum et preces ministri provincialis pro obtinendâ praedictâ permissione.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius modernus minister provincialis dictae provinciae nobis nuper exponi fecit, propter imminutam populorum illarum partium erga eius institutum devotionem numerumque religiosorum auctum, ad[1] eiusmodi eleemosynas pecuniarias, modis tamen licitis et a constitutionibus Ordinis praedicti praescriptis, conquirere necesse fuerit, ac ita a nonnullis lustris usque in praesens piae[2] Urbani[3] praedecessoris litterae in usu amplius non sint, neque observentur, ex hac vero illarum antiquâ inobservantiâ in religiosorum conscientiis aliqua perturbatio seu inquietudo exorta sit, ideoque dictus minister provincialis, ad eas tranquillandas, opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri summopere desideret:

Permissio praedicta.

§ 3. Nos, ipsius ministri provincialis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum dumtaxat praesentium consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut de cetero per fratres provinciae huiusmodi eleemosynae quantumvis pecuniariae, modis tamen per Sedem Apostolicam et ab eiusdem Ordinis constitutionibus approbatis, procurari et recipi possint, quemadmodum

1 Praeposit. *ad* delenda (R. T.).

2 Forsan *praedictae* pro *piae* legendum (R. T.)

3 Edit. Main. legit *Urbanae* (R. T.).

a toto fratrum Reformatorum Ordine procuratas et respective receptas fuisse memoratur, dictâ auctoritate, tenore praesentium, permittimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus supradicti Urbani praedecessoris, aliisque praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus, sit provinciae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx septembris MDCCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 20 septembris 1727, pontif. anno IV.

CCIV.

Statuitur, iuxta quasdam Urbani VIII litteras, ut quisque frater Ordinis Eremitarum S. Augustini, per duo triennia continua quibusdam officiis functus, in tertio triennio immediate subsequenti, ab omni exercitio eorumdem officiorum absolutus, Deo et animae suae vacare teneatur[2].

Benedictus Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Ab Urbano VIII statutum iam antea id fuerat pro eremitis S. Augustini Congregationis Discalceatorum per quasdam suas in formâ Brevis litteras.

§ 1. Dudum, per felicis recordationis Urbanum PP. VIII praedecessorem nostrum accepto quod fratres tunc existentes Ordinis Eremitarum S. Augustini Congregationis Discalceatorum nuncupatorum assiduis verbi Dei praedicationibus et sacramentorum administrationibus aliisque spiritualibus exercitiis uberes in vineâ Domini fructus afferebant, idem Urbanus praedecessor, ut Congregatio praefata felicioribus in dies proficeret incrementis providere volens, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione suis, ut quicumque per duo triennia continua vicarii generalis, procuratoris generalis, definitorum et visitatorum generalium, provincialis aut prioris officia exercuisset, in tertio triennio immediate subsequenti, ab omni exercitio nominatorum officiorum absolutus, Deo et animae suae vacare teneretur, statuit et ordinavit, et aliàs, prout uberius continetur in ipsis Urbani praedecessoris litteris in formâ Brevis desuper expeditis tenoris qui sequitur, videlicet:

Praedictae Urbani VIII litterae.

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam. Circumspecta Romani Pontificis providentia, personarum sub suavi religionis iugo divini numinis obsequiis mancipatarum praecipuam gerens sollicitudinem, ea statuit et ordinat quae felici earumdem personarum statui dignoscuntur profutura, prout, rerum et temporum qualitatibus debite pensatis, conspicit salubriter in Domino expedire. Cum itaque, sicut accepimus, dilecti filii fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini Congregationis Discalceatorum nuncupatorum assiduis verbi Dei praedicationibus et sacramentorum administrationibus aliisque spiritualibus exercitiis uberes in vineâ Domini fructus afferant: nos, ut Congregatio praedicta felicioribus in dies proficiat incrementis opportune providere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac matura deliberatione nostris, tenore praesentium, statuimus et ordinamus, ut, qui spatio temporis, quo quatuor immediate antecedentia capitula generalia celebrata fuere, ad quaecumque officia religionis, tam generalia, seu generalis, procuratoris generalis, definitorum vel visitatorum generalium, quam etiam provincialia seu conventualia, provin-

1 Ut supra pag. 471 a (R. T.).

2 Laudata Urbani VIII constitutio hic inserta edita est MDCXXXV, die 18 maii, pontif. XII; de eâdem re vide Clementis XII constit. ed. MDCCXXXIII, die v februarii, pontif. III.

cialatus nimirum, vel prioratus, aut aliquod eorum, electus fuerit, dictaque officia vel aliquod eorum successive, etiamsi non unum semper et continuo, sed diversa illorum vel plura etiam diverso tempore per dictum spatium exercuerit et administraverit, non possit in capitulo generali propediem celebrando, nec subinde per triennium immediate subsequens, ad aliquod ex praefatis officiis eligi, sed, quoad ea omnia et singula voce passivâ dicto tempore careat, ac Deo et animae suae vacet; in posterum vero, qui spatio duorum capitulorum generalium successive ad praefata officia vel eorum aliquod electus fuerit, in tertio capitulo generali, ac per biennium immediate subsequens, ad nullum ex eisdem officiis vel aliquod illorum eligi possit, sed voce passivâ dicto tempore quoad ea omnia careat, ac Deo pariter et animae suae vacet. Decernentes omnes et singulos, qui officia huiusmodi, ut praefertur, exercuerint, ad illa vel eorum aliquod contra praesentium tenorem assequenda et exercenda inhabiles esse et fore; sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis et aliis arbitrio nostro infligendis poenis, omnibus et singulis dictae Congregationis fratribus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, ne eos, qui dicta officia, ut praefertur, gesserint et exercuerint, ad illa de novo contra earumdem praesentium formam et tenorem eligere; iis vero, quos sic eligi contigerit, officia praedicta acceptare, vel in eis quoquo modo sese immiscere audeant et praesumant. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et Congregationis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis Ordini et Congregationi huiusmodi, illorumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die XVIII maii MDCCXXXV, pontificatus nostri anno XII.

Causae praesentis constitutionis et preces commissarii ac procuratoris generalis.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Ioannes Iacobus a S. Adalberto, commissarius ac procurator generalis Congregationis Italiae et Germaniae eiusdem Ordinis, nobis nuper exponi fecit, successu temporis quidam inquieti et ambitiosi religiosi, eo quia forsan quod

ad officia assumpti non fuerint, sub mentitâ zeli specie contra superiores suos litigando et communem pacem dictae Congregationis turbando, easdem Urbani praedecessoris litteras ad alia etiam officia in illis minime expressa a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ extendi procuraverint, et amodo in dies maiorem et maiorem litterarum extensionem novis litigiis quaerere non desistant, cum gravissimo praeiudicio supradictae suae Congregationis, quae, attentâ tam amplâ extensione vacantiae ad officia, ob tantam multitudinem religiosorum vacantium, necessario imperitos, incapaces et indignos in superiores eligere cogatur; praedictus vero Ioannes Iacobus procurator et commissarius generalis, deplorabilem memoratae suae Congregationis ruinam praevidens, ac vi officii sui impedire cupiens, praedictas quidem litteras per nos confirmari, praeterea, ne ullus in posterum sub quocumque colore aut praetextu extensionem ad alia quaecumque sive per deputationem sive per electionem seu quocumque alio titulo venientia, ultra illa quae in litteris huiusmodi exprimuntur, officia attentare aut quomodolibet procurare praesumat, sub poenâ privationis vocis activae et passivae in perpetuum prohiberi, ac demum extensiones quascumque contra expressum earumdem litterarum tenorem iam factas annullari, dictasque litteras ad primaevam suam observantiam reduci plurimum desideret: nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Statuitur ut in rubrica.

§ 3. Nos igitur, ipsum Ioannem Iacobum procuratorem et commissarium generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, auditâ super praemissis relatione per dilectum filium secretarium eiusdem Congregationis, unâ cum voto dilecti filii nostri Iosephi Renati eiusdem S. R. E. cardinalis Imperialis, nuncupati praedicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, nobis factâ, ac etiam motu, scientiâ ac maturâ deliberatione similibus, praeinsertas Urbani praedecessoris litteras tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis et irrefragabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac alia officia, praeter illa quae in supradictis praeinsertis litteris exprimuntur, nullo modo vacantiae subiacere debere, quaecumque illa sint, sive per deputationem sive per electionem seu quocumque alio titulo venientia, exceptis tamen definitoribus provincialibus provinciarum Italiae iuxta decretum praedictae Congregationis cardinalium anno MDCCIV emanatum, harum serie declaramus. Volentes ut quaecumque derogatio harum nostrarum litterarum in amplissimâ formâ extendenda nullam vim ac robur habeat nisi in casu quod ad petitionem capituli generalis obtenta fuerit.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes et praeinsertas litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, quos illae concernent quomo-

dolibet in futurum, cuiusvis, status gradus, ordinis et conditionis existant, inviolabiliter et inconcusse observari, necnon de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet quantumvis magno et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, aut in controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet quavis auctoritate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, necnon omnibus et singulis illis quae dictus Urbanus praedecessor in suis litteris praeinsertis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Ceterum pariter volumus ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII septembris MDCCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 27 septembris 1727, pontif. anno IV.

CCV.

Conceditur facultas generali et definitorio fratrum Discalceatorum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum erigendi unam quasi de novo provinciam Italiae ex conventibus qui in Italiâ reperiuntur, vel eorum aliquibus [1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Enarratio facti. § 1. Aliàs felicis recordationis Clementi Papae XI praedecessori nostro pro parte tunc existentis procuratoris generalis provinciae Italiae fratrum Discalceatorum SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum exposito, quod, cum aliàs tunc pariter existentes fratres Discalceati trium conventuum Italiae dicti Ordinis, ob defectum regularis observantiae aliisque iustis [2] et rationabilibus de causis in Congregatione tunc existentium S.R.E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ probatis et iustificatis, proprias obligationes nequaquam adimplere, minusque aliquot sive in spiritualibus seu in temporalibus religiosos progressus facere valuissent, seque proinde Congregationi Hispaniae eorumdem fratrum Discalceatorum uniri petiissent, et successive superiores dictae Congregationis consensum suum unioni huiusmodi praestitissent, ac deinde iidem fratres Discalceati provinciae praedictae supplicem libellum piae memoriae Innocentio Papae XI pariter praedecessori nostro pro eiusmodi unione obtinendâ porrexissent, isque ab ipso Innocentio praedecessore ad dictam cardinalium Congregationem, et ab istâ ad bonae

1 De erectione alterius provinciae pro iisdem fratribus vide aliam const. huius Pontificis edit. MDCCXXVI, die 14 augusti, pontif. IV.

2 Edit. Main. legit *iniustis* (R. T.).

memoriae Alderanum eiusdem S. R. E. cardinalem Cybo nuncupatum, dicti Ordinis, dum vixit, apud eumdem Innocentium praedecessorem et Sedem Apostolicam protectorem, remissus fuisset, dictus Alderanus cardinalis et protector suum pro dictâ unione votum iustis de causis cum eo relatis praedictae Congregationi cardinalium exhibuerat; necnon, cum die VI maii MDCXC causa in ipsâ cardinalium Congregatione proposita fuisset, dilato circa dictam unionem negotio, emanaverat ab eâdem Congregatione decretum, quo pro tunc ex tribus conventibus praedictis constituta fuerat separatio supradicta, nempe Italiae provincia, quorum conventuum religiosi sub obedientiâ ministri generalis dicti Ordinis, iuxta formam tamen in quibusdam recolendae memoriae Urbani Papae VIII itidem praedecessoris nostri litteris in simili formâ Brevis die XII septembris MDCXXIX expeditis praescriptam, permanerent; et in eâdem expositione subiuncto quod dicti religiosi observantiam constitutionum dictae Congregationis in solemni eorum regulari professione expresse promiserant, adeoque eas observare tenebantur, illae vero ipsos ad subiectionem pro tempore similiter existenti ministro generali eiusdem Congregationis Hispaniae omnino obligabant, ipsique proinde, quo facilius vota sua Altissimo reddere et propria instituta regularia adimplere valuissent, memoratae unionis gratiam expectabant: idem Clemens praedecessor, de nonnullorum ex etiam tunc existentibus venerabilibus fratribus[1] tunc suis dictae S. R. E. cardinalibus, super causâ unionis huiusmodi dictae scilicet provinciae Italiae omniumque eius religiosorum praedictae Congregationi Hispaniae inter dictum procuratorem generalem, ex unâ, et alium procuratorem generalem dicti Ordinis, ex alterâ partibus, controversâ, a praedicto Clemente praedecessore specialiter deputatorum, qui utrumque procuratorem generalem tam ore quam in scriptis informantes audiverant, negotioque mature perpenso, unionem praedictam fieri posse censuerant, consilio, praedictam provinciam Italiae dictae Congregationi Hispaniae auctoritate apostolicâ univit, annexuit et incorporavit, ac tunc et pariter[1] existenti ministro generali eiusdem Ordinis subiecit; et aliâs, prout in praedictis memorati Clementis praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die XX novembris MDCCV expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Preces procuratoris generalis pro dictâ facultate obtinenda.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Michaël a S. Iosepho, commissarius pro Italiâ et in Romanâ Curiâ procurator generalis Ordinis praedicti, nobis nuper exponi fecit, superiores generales eiusdem Congregationis laudabili zelo multisque expensis plures alios conventus superioribus annis intra Italiam, ut pio religiosissimae Italicae nationis desiderio satisfacerent et in eâdem regione institutum redemptionis captivorum promoverent, erigere curaverint, novosque conventus huiusmodi ad[2] paucitatem religiosorum Italorum per Hispanos religiosos magnâ ex parte manutenere studuerint; ipse vero Michaël commissarius et procurator generalis ad confirmationem et meliorem formam dictorum conventuum expediens ac necessarium existimet, si ministro et definitorio committatur, ut ex dictis tribus conventibus, nempe Taurini, Liburni et Falconii, et ex aliis, quos religio habet

1 Forsan deest *nostris* (R. T.).

1 Videtur legendum *pro tempore* (R. T.).
2 Videtur legendum *ob* pro *ad* (R. T.).

Mediolani, Alexandriae, Pelestrinae, Forolivii, Praenestae et Cotronae, ex his omnibus vel eorum aliquibus, prout dicti minister generalis et definitorium magis in Domino expedire iudicaverint, una quasi de novo provincia erigatur, quae tamen titulum S. Ioannis de Matha, et antiquitatem a tempore suae primaevae erectionis conservet, fruaturque et gaudeat omnibus et singulis gratiis, praeeminentiis, indultis et privilegiis, quibus aliae similes provinciae fruuntur et gaudent: nobis propterea supradictus Michaël commissarius et procurator generalis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et aliàs ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio facultatis praedictae.

§ 3. Nos igitur, ipsius Michaëlis commissarii et procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praedicto ministro generali unâ cum definitorio, ex antedictis tribus conventibus Taurini, Liburni et Falconii unam quasi de novo provinciam Italiae ex supra sex aliis specificatis conventibus vel ex eorum aliquibus, cum titulo et antiquitate primaevae suae erectionis, ac gratiis, praeeminentiis, indultis et privilegiis supradictis, erigendi plenam et amplam facultatem, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et impartimur; et quod sic in Italiae provinciam erecta, in omnibus et per omnia ad formam novissimarum constitutionum per nos confirmatarum pro provinciâ S. Ioachimi aliisque provinciis in posterum erigendis gubernetur. Praeterea eo quia exiguus admodum est numerus religiosorum Italorum, ut in electionibus faciendis requisita a constitutionibus generalibus Ordinis quoad graduationem ex officiis provenientem praescripta, habitâ tamen ratione probitatis et doctrinae eligendorum, minime serventur, ad sexennium dumtaxat, auctoritate et tenore praedictis indulgemus.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac omnibus et singulis illis quae idem Clemens praedecessor in suis litteris voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etc.[1].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX septembris MDCCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 30 septembris 1727, pontif. anno IV.

CCVI.

Conceditur ministro generali Minorum Capuccinorum facultas restituendi discretos conventuales in provinciis Hispaniarum[2].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Ab Innocentio XII discreti praedicti in Hispaniarum provinciis abrogati fuerunt.

§ 1. Dudum, pro parte clarae memoriae Caroli II, dum vixit, Hispaniarum regis catholici, felicis recordationis Innocentio Papae XII praedecessori nostro exposito, quod aliàs, ad tollenda damna et

1 Ut supra pag. 72 *b* (R. T.).

2 Hac de re vide Innocentii XII constitutionem edit. MDCXCIII, die 29 martii, pontif. II, et aliam edit. MDCXCIII, die 12 septembris, pontif. III, ubi dicti discreti abrogati fuerunt.

incommoda, quae fratres provinciarum regnorum utriusque Castellae Veteris scilicet et Novae nuncupatarum Ordinis Minorum sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum, ex electione discretorum qui a conventibus ad effectum suffragia in capitulis provincialibus ferendi eligi consueverant, in religiosae pacis et concordiae ac regularis disciplinae praeiudicium passi fuerant, idem Innocentius praedecessor, per quasdam suas desuper in simili formâ Brevis die XXIX martii MDCXCIII expeditas litteras, discretos praedictos in dictis provinciis sustulit ac removit, et subinde inter alia remotionem et abolitionem discretorum huiusmodi expeditasque desuper litteras praedictas ad provincias Baeticae et Navarrae per alias suas itidem in simili formâ Brevis litteras die XII septembris eiusdem anni emanatas auctoritate apostolicâ extendit et ampliavit, et aliàs, prout in dictis Innocentii praedecessoris litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Preces ministri generalis praefati pro restitutione eorumdem discretorum.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Hartmannus Brixiven minister generalis dicti Ordinis nobis nuper exponi fecit, propter discretorum huiusmodi abolitionem, licet ad bonum finem petita fuerit, nihilominus maximum tamen detrimentum ac praeiudicium regulari observantiae allatum fuerit et adhuc de praesenti afferatur; ideoque idem Hartmannus minister generalis electionem eorumdem discretorum omnibus Hispaniarum provinciis restitui summopere desideret, quemadmodum a[1] recolendae memoriae Clemente XI Belgii et Innocentio XIII, Romanis Pontificibus praedecessoribus pariter nostris, Sardiniae respective provinciis Ordinis praedicti concessum fuisse memoratur: nobis propterea dictus Hartmannus minister generalis, tendentibus etiam in id clarissimi[1] in Christo filii nostri Philippi earumdem Hispaniarum regis catholici votis, humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio facultatis praedictae.

§ 3. Nos igitur, ipsum Hartmannum ministrum generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praedicto Hartmanno ministro generali, re[2] serio, prudenter ac diligenter examinatâ, omnibus et singulis Hispaniarum provinciis de cetero electionem discretorum huiusmodi, si id divinae gloriae, publicae traquillitati ac regularis observantiae incremento in Domino expedire iudicaverit, restituendi facultatem, dictâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impartimur.

Derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus praedictis Innocentii praedecessoris litteris, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non provinciarum et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, etc.[3]

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX septembris MDCCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 30 septembris 1727, pontif. anno IV.

1 Praeposit. *a* nos addimus (R. T.).

1 Forsan legendum *carissimi* (R. T.).
2 Vocem *re* nos addimus (R. T.).
3 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

CCVII.

Interdicitur clericis regularibus Congregationis Scholarum Piarum praedicatio, ut scholarum exercitio incumbere valeant, adempta etiam superioribus facultate super hoc dispensandi [1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

A Congregationis praedictae institutore cautum fuit, ne quisquam publice praedicare valeat, nisi de licentiâ generalis vel provincialis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Adolphus a S. Georgio, praepositus generalis Congregationis clericorum regularium Scholarum Piarum nuncupatorum, quod huius Congregationis institutor, praevidens quam grave damnum scholarum piarum huiusmodi exercitio conciones Adventus et Quadragesimae tempore extra ecclesias praefatae Congregationis habendae allaturae essent, in suis constitutionibus, auctoritate apostolicâ confirmatis, III parte, cap. VII, *De concionatoribus*, expresse cavet in haec verba: *Nemo publice praedicabit, nisi a generali vel provinciali licentiam obtinuerit; tempore vero Adventus et Quadragesimae extra nostras ecclesias nemo nostrorum praedicabit, et extra id tempus nonnisi ex urgentissimâ causâ et de provincialis consensu*.

Causae praesentis constitutionis et preces praepositi generalis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, tametsi successu temporis a variis capitulis generalibus declaratum fuerit esse penes praepositum generalem concedere facultatem concionandi extra easdem ecclesias tempore Adventus et Quadragesimae, ut praefertur, ac subinde variae cautelae, ut insurgenti olim praeviso malo occurreretur, adiectae fuerint; nihilominus experientiâ magistrâ dictus Adolphus praepositus generalis edoctus per conciones praedictas ministerio huiusmodi scholarum tristissimam eversionem imminere, eo quod verbi Dei praedicatores maiori anni parte extra domos memoratae Congregationis commorantes scholis adiici nequeant, imo saepe hoc praetextu etiam eas subterfugiant: nobis propterea dictus Adolphus praepositus generalis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmantur relatum statutum institutoris Congregationis et super eo dispensandi facultas generali adimitur.

§ 3. Nos igitur, ea, quae per praeinsertam constitutionum particulam disposita sunt, imposterum firmiter ac inviolabiliter servari, et, ne ullo modo convelli vel labefactari possint, providere, ac eiusdem Adolphi praepositi generalis votis hac in re, quantum in Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praeinsertam particulam ex constitutionibus memoratae Congregationis Scholarum Piarum exceptam, ut praefertur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnia et singula per eam disposita inconcusse observari mandamus et praecipimus, et eidem Adolpho et pro tempore existenti praeposito generali facultatem super praemissis dispensandi, auctoritate et tenore praedictis, adimimus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et effica-

1 De privilegiis huius Congregationis vide Innocentii XI const. edit. MDCLXXXVI, die 3 septembris, pontif. X, et Alexandri VIII constit. edit. MDCXCI, die 23 ianuarii, pontif. II.

ces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab[1] illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis, etc.[2]

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et, quatenus opus sit, dictae Congregationis, etiam iuramento, etc.[3]

Fides habenda transumptis.

§ 6. Volumus autem ut earumdem litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, etc.[4]

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III octobris MDCCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 3 octobris 1727, pontif. anno IV.

CCVIII.

Confirmatur alternativa officiorum provinciae Baeticae Eremitarum S. Augustini Discalceatorum inter fratres dictae provinciae et eos della Manca[5].

Benedictus Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

In capitulo provinciali dictae provinciae alternativa praefata instituta fuit.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres provinciae Baeticae Ordinis Eremitarum sancti Augustini Discalceatorum nuncupatorum, quod in capitulo provinciali dictae provinciae die X mensis maii proxime praeteriti in collegio SS. Sacramenti villae de Almagro, praesidente dilecto filio Ioanne a S. Theresiâ, lectore iubilato, tribunalis Inquisitionis adversus haereticam pravitatem in regnis Hispaniarum auctoritate apostolicâ institutis[1], et vicario generali Congregationis Hispaniarum et Indiarum dicti Ordinis, celebrato, assistentibus omnibus vocalibus, quibus capitulum praedictum constabat, ipsi vocales sic legitime congregati, praeviâ maturâ deliberatione, conservationi ac paci, quieti et tranquillitati provinciae praedictae consulere cupientes, alternativam officiorum inter eosdem exponentes et fratres della Manca seu Manciâ nuncupatos instituendam decreverunt, eamque dicto capitulo stabiliverunt in hunc modum tenoris qui sequitur, videlicet:

Modus alternativae praedictae.

Io fra Giovanni di Gesù, lettore giubilato e secretario della provincia d'Andalutia dell' Ordine Discalceato di S. Agostino, fo fede e certifico qualmente tra i decreti e stabilimenti, che furono fatti nel capitolo provinciale prossimo passato che fu celebrato nel collegio del SS. Sagramento della villa d'Almagro di detta provincia, che cominciò alli 10 di maggio del corrente anno 1726, nel quale fu presente il molto reverendo fra Giovanni di S. Teresa, lettore giubilato, qualificatore della suprema, e vicario generale della Congregazione di Spagna e Indie dell' Ordine Scalzo di S. Agostino, quale confermò tutto quello si stabilì in detto capitolo, vi è un decreto e statuto, che è ad imina[2] settima, fol. 89, del libro di detta provincia, nel quale si scrivono li capitoli che in essa si celebrano, et è del tenore seguente: « *Item*, per quanto questa nostra provincia d'Andaluzia comprende nei suoi termini tanto la detta parte d'Andaluzia, come anche la parte e territorio della Manchia o Mancia, e tra i religiosi dell'uno e l'altro paese, per essere differenti nel genio, di che sono nate varie emulazioni e contra-

1 Praeposit. *ab* nos addimus (R. T.).
2 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).
3 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).
4 Ut supra pag. 59 *b* (R. T.).
5 De alternativâ officiorum in regnis Lusitaniae et Algarbiae servandâ vide Clementis XI const., edit. MDCCXVI, die 26 octobris; et aliâ huius Pontificis constit. edit. MDCCXXVII, die 29 septembris, pontif. IV, determinatum fuit tempus vacationis ab officiis pro illis qui in dicto Ordine per duo triennia aliquod obtinuerunt.

1 Videtur legendum *instituti*, et praeterea aliquid deest ex. g. *iudice* vel *commissario* (R. T.).
2 Sic habet edit. Main. (R. T.).

sti, lamentandosi alcuni circa la divisione ineguale dei posti et officî de' padri che governavano detta provincia, senza poterli riparare il zelantissimo e religioso fervore dei prelati superiori pertanto stabilì; e determinò questo presente capitolo, assistendo ad esso tutti li vocali, *nemine dempto*, che si supplichi e preghi al S. Pontefice, si degni concedere Bolla d'alternativa in questa forma che si giudica assai conveniente, cioè: Che nel capitolo provinciale prossimo venturo si sceglia e nomini priore provinciale di questa detta provincia un religioso che sia dell'altra parte di dove sia il prior provinciale eletto nel presente capitolo, di modo che, se nel presente capitolo sarà eletto in provinciale un religioso d'Andaluzia, in quest' altro prossimo capitolo sia della Manchia o Mancia quello che si dovrà eleggere in provinciale, e così vadano *alternative* in questo officio li religiosi dell'uno e dell'altro territorio; e se accadesse mancare qualche triennio il provinciale eletto, o sia per renuncia, o sia per morte naturale o civile, sia obbligo del venerabile definitorio generale (che a questo tocca provvedere detta mancanza) a eleggere in rettore provinciale, che concluda il triennio, o un religioso che sia del medesimo territorio che era quello che mancò, e in caso di non fare detto definitorio generale la suddetta elezione, in tal caso subentrerà a concludere detto territorio [1] il provinciale assoluto più immediato del medemo territorio di dove fu il provinciale che mancò, osservandosi in questo *proportionabiliter* le nostre sacre leggi e constituzioni: che li quattro definitori di detta provincia, che in tutti li capitoli si eleggeranno, cominciando dal futuro capitolo, debbano essere e siano due soggetti d'Andaluzia e due della Mancia; e per sostituire detti offizî, quando vacheranno, secondo stabiliscono le nostre sacre constituzioni, debbano essere e siano addetti delli due definitori d'Andaluzia quei soggetti che del medemo territorio averanno più voti, et il simile si debba praticare delli due definitori della Mancia, che doveranno sostituirsi quelli che averanno più voti in quelli del suo territorio, di modo tale che sempre il definitorio di questa provincia consti di due soggetti d' Andaluzia e due della Mancia, al quale effetto si scriveranno quelli che tanto dall'una quanto dall'altra parte averanno più voti: Che gli altri officiali di questa detta provincia, cioè priori, secretario e maestro di novizî, si debbano dividere e provvedere in modo che tanti siano dell' una quanti dell' altra parte, avendo il prelato (a cui secondo le nostre constituzioni tocca et appartiene provvedere le vacanze di detti offizî) obbligazione di conferirli e distribuirli alli soggetti naturali di quel territorio, da dove erano gli officiali che mancheranno, acciocchè così si conservi l'equilibrio e distribuzione giusta et eguale di detti officî: Che li due definitori generali e li due discreti, che si nominano et eleggono nel capitolo provinciale acciocchè concorrano a nome della detta provincia all'elezione del vicario generale, siano respettivamente due d'ogni parte, cioè un definitore et un discreto del territorio della Mancia, e gli altri due d'Andaluzia, provvedendosi parimente le vacanze di qualsivoglia di detti quattro nella forma già detta nelle altre vacanze. Ed acciocchè non nascano sconcerti et ambiguità tra li soggetti che dovranno essere offiziali, e non restino esclusi quelli che non sono nè d'Andaluzia nè della Mancia, come sono li Castigliani, Estremegni, ecc., si determina siano appartenenti alla Mancia quelli che son naturali delli porti de Sierramorena verso Madrid, [1] quelli che sono naturali delli porti di Sierramorena guardando verso Siviglia e Granata ».

Confirmatio relatae alternativae.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, exponentes praedicti praemissa, quo firmius subsistant, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de beni-

1 Videtur legendum *triennio* (R. T.).

1 Forsan deest *e all'Andaluzia* (R. T.).

dignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui relationem dilecti pariter filii moderni procuratoris generalis Ordinis praedicti super praemissis eisdem cardinalibus factam viderunt, consilio, praeinsertam alternativae concordiam, omniaque et singula in eâ contenta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, etc.,[1]

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, etc.[2]

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III octobris MDCCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 3 octobris 1727, pontif. anno IV.

1 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).
2 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

CCIX.

Confirmatur decretum Congregationis super disciplinâ regulari, qua decernitur ut oppositores vitae communis fratrum Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo strictae observantiae provinciae S. Alberti in Siciliâ omnino acquiescerent [1].

Benedictus Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Expositio facti.

§ 1. Nuper pro parte dilecti filii Petri a Iesu et Mariâ, procuratoris fratrum Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo strictae observantiae provinciae S. Alberti in Siciliâ, nobis exposito, quod, cum in dictâ provinciâ perfecta regularis observantia eorum regulae mitigatae et vita communis cum pluribus Congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. curiae praelatorum super disciplinâ regulari deputatae decretis, litteris apostolicis, et oraculo nostro stabilita fuisset post multas contradictiones nonnullorum eiusdem provinciae religiosorum, illis discussis ac examinatis et tandem uti insubsistentibus ab eâdem Congregatione reiectis, iidem religiosi oppositores a tardandâ[2] operis tam sancti pace minime cessaverat[3]; ideoque dictus Petrus procurator intellexerat quod illi ab eorum instantiis a praedictâ Congregatione declinantes mentem nostram molestiâ afficerent, idipsum exponentes, quod per sex annorum cursum maturâ consideratione a praedictâ Congregatione examinatum, et in eâ ab illis iteratum, et subinde pro insubsistenti et pro purâ aemulationis operâ recognitum fuerat:

1 Aliâ huius Pontificis const. ed. MDCCXXIV, die 27 iulii, pontif. I, instituta fuit reformatio dictae provinciae S. Alberti.
2 Videtur legendum *turbandâ* (R. T.).
3 Vel legend. *cessarent*, vel *cessaverant* (R. T.).

ac proinde nobis supplicato ut perpetuum silentium a nobis super huiusmodi oppositionibus tam Dei gloriae ac paci et quieti provinciae praedictae eiusque religiosorum praeiudicialibus imponeretur: nos supplicem libellum nobis super praemissis porrectum ad eamdem Congregationem remisimus. Quae quidem Congregatio edidit suum decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum praedictum.

Sacra Congregatio super disciplinâ regulari, attentis narratis, et auditis archiepiscopo Messanensi, episcopo Syracusano, et vicario capitulari Catanensi, referente eminentissimo Spinula, decrevit, quod partes omnino acquiescant. Romae XVIII iulii MDCCXXVII. — IOSEPH RENATUS cardinalis IMPERIALIS, praefectus. — F. episcopus Elusinus, secretarius.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Petrus procurator nobis nuper exponi fecit, ipse decretum huiusmodi pro firmiori illius subsistentiâ et observatione, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsum Petrum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, etc.[1]

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac

1 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praedictorum Ordinis et provinciae, etiam iuramento, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV decembris[2] MDCCXXVII[3], pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 15 octobris 1727, pontif. anno IV.

CCX.

Confirmatur decretum episcoporum et regularium approbans acta quaedam capitularia eremitarum S. Augustini provinciae Castellae[4].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum prioris provincialis et definitorii provinciae Castellae Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod in novissimo eorum capitulo provinciali die IV maii currentis anni in conventu Matricalensi dictae provinciae celebrato multa statuta seu acta capitularia pro regularis disciplinae observantiâ condita fuerant, inter quae dilectus etiam filius Fulgentius Bellelli, prior generalis eiusdem Ordinis, de assistentium suorum consilio confirmaverat et approbaverat sequentia, videlicet: Expositio facti.

Acta capitularia praedicta de procuratore huius provinciae.

Propositum fuit in definitorio an expediret Romae habere procuratorem huius provinciae pro causâ venerabilis Crosco, et pro

1 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

2 Ad marg. ed. Main. habet *octobris* (R. T.).

3 Male edit. Main. legit *1722* (R. T.).

4 De confirmatione cuiusdam decreti capituli generalis dicti Ordinis super numero trigintasex magistrorum provinciae Aragoniae, vide aliam huius Pontificis const. ed. MDCCXXVII, die 27 iunii, pontif. IV; et de confirmatione omnium privilegiorum dicti Ordinis vide sequentem.

eius Romae habendo.

eo quod huic provinciae occurri valeat in Romanâ Curiâ? — Determinatum fuit quod ibi habeatur religiosus huius provinciae, quemadmodum ab aliis religionibus practicatur in similibus causis; et, ne pecuniae destinatae pro causâ venerabilis patiantur notabilem diminutionem, data fuit admodum reverendo patri provinciali facultas arbitrandi media suaviora provinciae, quin gravetur[1] conventus novis pecuniarum exactionibus. Definitorium dedit facultatem nostro admodum reverendo patri provinciali ad hoc ut casu quo noster procurator Romanae Curiae absit ab eâ, possit alium nominare qui sit filius huius dictae provinciae. Definitorium commendat admodum reverendo patri provinciali, ut curet et faciat observari acta XXXI et XXXII (qui in suo compendio sunt XXIX et XXX), anno MDCCXVIII, conformia decreto quod illustrissimus dominus Aldovrandi, dum esset in his regnis Hispaniarum nuncius Sanctitatis Suae, publicari mandavit, et publicatum fuit die XIII septembris MDCCXVII, in quo ordinatur, quod nullus religiosus exeat a domo solus, et declaratur in hoc ordine universali (excepto procuratore generali) non solum includi conventuales et collegiales nostrarum communitatum S. Philippi et conventus Matritensis, in quibus pater rector assignabit patri administratori socium sibi benevisum, prout etiam prior S. Philippi officialibus suis, verum etiam omnes exteros huius provinciae et aliarum in Curiâ existentes, qui debent incedere cum sociis religiosis, non ita tamen cum donatis, qui incipiunt introduci, et nunquam fuerunt in usu in hac provinciâ ad sociandum; quapropter definitorium decrevit quod non permittantur donati, nisi ii quos provincia habuerit pro eius servitio, qui nullum religiosum extra domum associent.

De vestibus gestandis a religiosis, quum domo exeunt.

Pariter mandat definitorium, quod nullus religiosus huius provinciae neque extraneus (excepto patre procuratore generali) exeat a domo cum cappâ sine manicis longis vel protensis, cum clamyde vel pallio et galero, neque missam celebret extra conventum, neque resideat, multoque minus pernoctet extra eum. Et quoniam ex admissione exterorum, ignoratis diligentiis ratione quarum veniunt, et ex ignorantiâ status illarum, sequuntur nonnulla inconvenientia, definitorium ideo mandat patri priori pro tempore existenti regii conventus S. Philippi, quod, iuxta praxim Romanae Curiae expressam in nostris sacris constitutionibus, III parte, cap. VI, num. II et IV, cum assistentiâ patris procuratoris generalis provinciae examinent motivum, propter quod religiosus venit ad Curiam, ut praedictus pater procurator generalis notum faciat illud nostro admodum reverendo patri magistro provinciali, et cum eius approbatione permittatur illi residere Matriti, et, terminatis diligentiis, compellatur reverti in suam provinciam vel conventum: et patribus priori et rectori collegii, qui permiserit[1] contraventionem huius seu praecedentis acti, quae tantum ad religiosam observantiam et bonum exemplum, imponitur poena privationis officii, quam pater provincialis statim mandet executioni, absque ullâ dispensatione.

De exteris non admittendis.

Preces capituli ad reverendissimum priorem generalem pro relatorum actuum approbatione.

« Haec sunt, reverendissime pater, capituli nostri electiones et acta, pro quorum approbatione et confirmatione ad pedes paternitatis vestrae submissi provolvimur, humillime obsecrantes, ut iisdem favoribus ac paterni amoris affectibus, quibus semper nos prosequitur, Deus optimus maximus paternitatem vestram reverendissimo eremitico Ordini diu servet incolumen. Datum in hoc conventu sancti patri nostri Augustini Matricalensi, die VII maii anno Domini MDCCXXVII.

Frater Franciscus de Legano, praesidens; fr. Petrus Portocarrero, ex-assistens generalis; fr. Mathias Teran, definitor; fr. Petrus Manso, provincialis absolutus; fr. Barnabas Barcina, definitor; fr. Ioannes Taxardo, definitor; fr. Ioannes Can, visitator; fr. Franciscus de Aviles, provincialis; fr. Iulianus Orense, definitor; fr. Franciscus de Rio, visitator.

Fratri FULGENTIO BELLELLI *Buccinensi, sacrae theologiae magistro, totius Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini priori generali* ».

[1] Videtur legendum *graventur* (R. T.).

[1] Aptius lege *permiserint* (R. T.).

Approbatio prioris generalis.

« Inspectis retroscriptis actis capituli provincialis hoc hanno MDCCXXVII in nostrâ Castellae provinciâ celebrati, omnes et singulas actiones, electiones ac determinationes in actis ipsis insertas et descriptas[1], harum serie, nostrique muneris auctoritate, necnon de consilio admodum RR. PP. nobis assistentium, confirmamus et approbamus, illasque ratas et firmas esse et haberi volumus et mandamus. *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.* Datum in conventu nostro sancti patris Augustini de Urbe, die XXIII iunii MDCCXXVII. — Frater FULGENTIUS BELLELLI generalis, nostri muneris sigillo, magister. — Frater ANGELUS GUILELMUS ROCHENSIS, Ordinis secretarius. — *Registrat. lib.* II ».

Et in eàdem expositione subiuncto quod prior ac definitorium huiusmodi statuta seu acta capitularia praedicta, ut exactius serventur, auctoritate quoque dictae Congregationis cardinalium confirmari plurimum desiderabat[2]: emanavit ad eorum supplicationem ab eàdem cardinalium Congregatione decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum sacrae Congregationis eadem acta approbans.

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentâ relatione huiusmodi domini cardinalis Imperialis praedicti Ordinis apud Sanctam Sedem protectoris, acta capitularia superius expressa, confirmata et approbata a patre generali, praesenti decreto itidem approbat atque confirmat. Romae, III octobris MDCCXXVII. — Card. FRANCISCUS BARBERINUS. — P. A. archiepiscopus Larissae, secretarius.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus pariter filius Hieronymus Flores frater expresse professus dicti Ordinis et procurator praefatae provinciae Castellae nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsum Hieronymum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate dictae Congregationis cardinalium.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, etc.[1] Clausulae.

§ 8. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, qualenus opus sit, provinciae et Ordinis praedictorum etiam iuramento, etc.[2] Contrariorum derogatio.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII decembris[3] MDCCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 22 octobris 1727, pontif. anno IV.

CCXI.

Confirmantur privilegia omnia, gratiae apostolicae, et indulgentiae aliàs Ordini Eremitarum S. Augustini a Romanis Pontificibus concessa[4].

1 Edit. Main. legit *insertis* (R. T.).
2 Aptius lege *desiderabant* (R. T.).

1 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).
2 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).
3 Edit. Main. ad marg. legit *octobris* (R. T.).
4 Catalogus omnium constitutionum, ordine temporis prout editae fuerunt in favorem dictorum fratrum, initio facto a Gregorio IX anno MCCXXVII usque ad Innocentium XI anno MDCLXXIX, hic fuse retexitur.

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Libenter ea largiri consueverunt Romani Pontifices quae pacem et regularem observantiam in religiosis Ordinibus augere possunt, quaeque immunitates et privilegia, eorumdem meritis et virtutibus ita exigentibus, concessa respiciunt, ut hoc pacto apostolicis gratiis ornati alacrius in assiduo Dei cultu et fideli Ecclesiae famulatu, Deo dante, imposterum perseverent.

A compluribus Romanis Pontificibus Ordo eremitarum S. Augustini privilegiis ornatus.

§ 1. Itaque olim complures Romani Pontifices praedecessores nostri, paterno apostolico benignitatis instinctu Ordinem fratrum Eremitarum sancti Augustini Hipponensis episcopi et Ecclesiae doctoris, illiusque monasteria, ecclesias, provincias, domus regulares, congregationes, grangias, capellas, priores, aliosque superiores et fratres ab eodem Ordine quomodolibet dependentes multiplicibus privilegiis, indultis, gratiis, exemptionibus, immunitatibus, indulgentiis, aliisque concessionibus per diversas infrascriptas suas litteras perpetuo decorantes, beneficientiae suae donis cumulaverunt.

Series praedictorum Pontificum.

Pontifices vero earumdem litterarum auctores hi sunt, quorum seriem hic damus:

Gregorius IX.

Felicis recordationis Gregorius Papa IX per suas incipientes *Sacrosancta Romana Ecclesia*, Laterani, etc., VI kalendas decembris, pontificatus sui anno I;

Innocentius IV.

Innocentius Papa IV per quasdam incipientes *Quoniam ait Apostolus*, ac alias incipientes *Religiosam vitam eligentibus*, Laterani, VI kalendas maii, pontificatus sui anno I, ac per alias incipientes *Qua ex apostolicâ curâ*, Lugduni, XIII kalendas maii, eiusdem pontificatus sui anno VIII, ac per alias pariter incipientes *Admonet nos cura*, Perusii, XVII kalendas maii, pontificatus etiam sui anno XI;

Alexander IV.

Alexander Papa IV per quasdam incipientes *Religiosam vitam eligentibus*, Anagniae, III kalendas augusti, et alias incipientes *Quanto studiosius*, Neapoli, XIII kalendas aprilis, ac alias incipientes *Cum ex apostolicâ curâ*, Anagniae, VII kalendas iulii, pontificatus sui anno I, aliasque incipientes *Ut eo fortius*, Laterani, idibus aprilis, ac etiam alias incipientes *Vobis assidue*, etiam Laterani, V kalendas maii, ac alias incipientes *Caelestis amor patriae*, etiam Laterani, III kalendas maii, pontificatus sui anno II, aliasque incipientes *Oblata nobis ex parte vestrâ petitio*, pariter Laterani, II kalendas maii, ac alias incipientes *Meritis vestrae religionis*, Viterbii, III idus iunii, pontificatus sui anno III, item alias incipientes *Inducunt nos*, etiam Viterbii, nonis iulii, pontificatus sui anno IV, cum aliis incipientibus *Vitae perennis gloria*, Anagniae, idibus iulii, pontificatus sui anno V;

Clemens IV.

Clemens Papa IV etiam per quasdam incipientes *Devotionis augmento*, Perusii, X kalendas iulii, pontificatus sui anno I, aliasque incipientes *Pacis vestrae quaerentes*, Viterbii, V idus iulii, aliasque incipientes *Quasdam litteras*, etiam Viterbii, idibus iulii, pontificatus sui anno II;

Honorius IV.

Honorius Papa IV etiam per quasdam incipientes *Pro reverentiâ B. Augustini*, Romae apud S. Sabinam, X kalendas iunii, pontificatus sui anno II;

Caelestinus V.

Caelestinus Papa V etiam per quasdam incipientes *Cum sollicitae considerationis*, Neapoli, V kalendas decembris, aliasque incipientes *Ex parte dilectorum filiorum*, item Neapoli, nonis decembris, pontificatus sui anno I;

Bonifacius VIII.

Bonifacius Papa VIII, etiam per quasdam incipientes *Sacer Ordo vester*, Laterani, XII kalendas februarii, pontificatus sui anno IV, aliasque incipientes *Inter sollicitudines no-*

stras, etiam Laterani, XVII kalendas februarii, pontificatus sui anno VIII; Benedictus Papa XI etiam per quasdam incipientes *Licet ad hoc*, Laterani, IV idus februarii, pontificatus sui anno I; Ioannes Papa XXII etiam per quasdam incipientes *Veneranda sanctorum patrum*, Avenione, XIV kalendas augusti, pontificatus sui anno VI;

Benedictus XI. Ioannes XXII.

Innocentius Papa VI etiam per quasdam incipientes *Religionis favor*, Avenione, XVI kalendas februarii, pontificatus sui anno I; Gregorius Papa XI etiam per quasdam incipientes *Ad Romani Pontificis providentiam*, Avenione, V idus novembris, pontificatus sui anno III; Urbanus Papa VI etiam per quasdam incipientes *Solet annuere*, Perusii, III kalendas maii, pontificatus sui anno II; Bonifacius Papa IX etiam per quasdam incipientes *In sinu Sedis Apostolicae*, apud S. Petrum VII idus novembris, ac alias incipientes *Licet his*[1] *de cuius munere venit*, etiam apud S. Petrum kalendis martii, aliasque incipientes *Pro singulorum fidelium*, etiam apud S. Petrum, XI kalendas maii, pontificatus sui anno XI; Martinus Papa V etiam per quasdam incipientes *Sincerae devotionis*, Romae apud Ss. Apostolos, nonis novembris, pontificatus sui anno VIII, ac alias incipientes *Ad circumspectam Romani Pontificis*, etiam Romae apud Ss. Apostolos, VI idus iunii, pontificatus sui anno IX, aliasque incipientes *Romani Pontificis providentia*, etiam Romae apud Ss. Apostolos nonis iunii pontificatus sui anno X; Nicolaus Papa V, per quasdam incipientes *Dispositione divinâ*, apud S. Petrum, XVI kalendas iunii, et alias suas incipientes *Regimini universalis Ecclesiae*, apud S. Petrum, V kalendas decembris, pontificatus sui anno V; Pius Papa II etiam per quasdam incipientes *Sacrae religionis sinceritas*, Senis, XI kalendas aprilis, pontificatus sui anno VI; Sixtus Papa IV etiam per quasdam incipientes *Inter praecipuas nostri pectoris curas*, apud S. Petrum, X kalendas ianuarii, ac alias incipientes *Ineffabilia gloriosae Virginis*, etiam apud S. Petrum, VII idus septembris, ac alias incipientes *A Sede Apostolicâ*, etiam apud S. Petrum, IV idus octobris, pontificatus sui anno II, ac alias *Mare magnum* nuncupatas, incipientes *Dum fructus uberes*, etiam apud S. Petrum, VII idus februarii, pontificatus sui anno IV, ac alias incipientes *Inter praecipuas nostri pectoris curas*, etiam apud S. Petrum, VI kalendas decembris, pontificatus sui anno VII, ac alias incipientes *Cum ineffabilia*, etiam apud S. Petrum, X kalendas iulii, pontificatus sui anno VIII; Innocentius Papa VIII etiam per quasdam in formâ Brevis incipientes *Tuis supplicationibus inclinati*, apud S. Petrum, die XVI februarii, pontificatus sui anno II; Alexander Papa VI etiam per quasdam incipientes *Ad sacram Ordinis fratrum eremitarum*, apud S. Petrum, idibus octobris, pontificatus sui anno VI;

Innocentius VI. Gregorius XI. Urbanus VI. Bonifacius IX. Martinus V. Nicolaus V. Pius II. Sixtus IV. Innocentius VIII. Alexander VI.

Iulius Papa II etiam per quasdam in formâ Brevis incipientes *Nuper nobis*, apud S. Petrum, die XXIV martii, pontificatus sui anno III, alias, *Bulla aurea* nuncupata, incipientes *Dum fructus uberes*, VII kalendas iulii, pontificatus sui anno IV, ac alias in formâ Brevis incipientes *Etsi ad benemerendum*, apud S. Petrum, die XVII iunii, ac alias pariter in formâ Brevis incipientes *Nihil est quod saepius volvamus animo*, etiam apud S. Petrum, XXIV septembris, pontificatus sui anno V, ac alias pariter in formâ Brevis incipientes *Religionem vestram*, etiam apud S. Petrum, die XX iunii, pontificatus sui anno VI, ac alias

Iulius II.

1 Forsan legendum *is* (R. T.).

pariter in formâ Brevis incipientes ***Exigit tua in nos***, etiam apud S. Petrum, die XXI iulii, pontificatus sui anno VIII, ac alias pariter in formâ Brevis incipientes ***Prae ceteris curis***, apud S. Petrum, die X maii, pontificatus sui anno IX; Leo X. Leo Papa X etiam per quasdam in formâ Brevis incipientes *Prae ceteris curis*, apud S. Petrum, die X maii, ac alias incipientes *In rerum christianarum curam*, etiam apud S. Petrum, die X iunii, pontificatus sui anno I, ac alias incipientes *Quae sicut accepimus*, etiam apud S. Petrum, die VI ianuarii, ac alias incipientes *Multa accepimus*, Palli Portuensis dioecesis, die V februarii, ac alias incipientes *Licet sponte nostra*, apud S. Petrum, pontificatus sui anno II, ac alias incipientes *Superioribus diebus*, etiam apud S. Petrum, die XIV maii, aliasque incipientes *Dudum postquam*, etiam apud S. Petrum, pontificatus sui anno V; Clemens VII. Clemens Papa VII etiam per quasdam suas in formâ Brevis incipientes *Romanus Pontifex*, apud S. Petrum, die XXI octobris, pontificatus sui anno VII; Paulus III. Paulus Papa III etiam per quasdam suas in formâ Brevis incipientes *Religionis sinceritas*, apud S. Petrum ... pontificatus sui anno VI, ac alias incipientes *Pontificalis auctoritas*, apud S. Marcum, die VII iulii, Iulius III. pontificatus sui anno VIII; Iulius Papa III etiam per quasdam suas in formâ Brevis incipientes *Ex debito pastoralis officii*, apud S. Petrum, die XXX ianuarii, pontificatus sui anno I, ac alias incipientes *Cum nos nuper*, etiam apud S. Petrum, die VII iulii, pontificatus sui anno II, ac alias incipientes *Cum nihil nobis*, etiam apud S. Petrum, die XXIII Pius IV. novembris, pontificatus sui anno V; Pius Papa IV etiam per quasdam suas in simili formâ Brevis incipientes *Cum nos nuper*, apud S. Petrum, die XXIII, iulii pontificatus sui anno I;

Gregorius XIII. Gregorius Papa XIII etiam per quasdam in formâ Brevis incipientes *Dum ad uberes*, apud S. Marcum, die V septembris, ac alias incipientes *Cum sicut accepimus*, pariter apud S. Marcum, die III septembris, pontificatus sui anno I, ac alias ut supra incipientes *Ad ea ex paternae charitatis officio*, apud S. Petrum, die XV iunii, pontificatus sui anno IV, ac alias ut supra incipientes *Ad augendam dilectorum filiorum*, pariter apud S. Petrum, die XVI decembris, pontificatus sui anno VII, ac alias incipientes *Cum sicut accepimus*, pariter apud S. Petrum, die XV decembris, ac alias incipientes *Volentes, sicut conveniens esse videtur*, pariter apud S. Petrum, die XII novembris, pontificatus sui anno VIII, ac alias suas incipientes *Dominicum gregem*, apud S. Marcum, die XXV iunii, pontificatus sui anno XII; Sixtus V. Sixtus Papa V per quasdam suas in formâ Brevis incipientes *Exigit incumbentis nobis*, apud S. Petrum, die XIV maii, pontificatus sui anno III; Clemens VIII. Clemens Papa VIII, etiam per quasdam suas etiam in formâ Brevis incipientes *Quae nobis*, apud S. Petrum, die XVI februarii, pontificatus sui anno IV, aliasque incipientes *Venerabilis Ecclesiae*, pariter apud S. Petrum, die XXVIII februarii, pontificatus sui anno V; Paulus V. Paulus Papa V etiam per quasdam suas in formâ Brevis incipientes *Aliàs a felicis recordationis Clemens Papa VIII*, apud S. Petrum, die XIII februarii, pontificatus sui anno I, ac alias incipientes *Cum certas confraternitati cincturatorum*, apud S. Marcum, die II octobris, ac alias simili modo incipientes *Expositum nobis nuper fuit*, apud S. Petrum, die XVI februarii, pontificatus sui anno II, ac alias incipientes *Admonemur*, apud S. Marcum, die IV iulii, pontificatus sui anno IV, ac alias simili modo incipien-

tes *Aliàs postquam*, apud S. Petrum, die XXIII ianuarii, pontificatus sui anno V, ac alias incipientes *Splendor paternae gloriae*, etiam apud S. Petrum, die I februarii, pontificatus sui anno VI, ac alias incipientes *Nuper a nobis emanarunt litterae*, apud S. Mariam Maiorem, die XIV iulii, ac alias incipientes *Provisionis nostrae*, etiam apud S. Mariam Maiorem, die XXVII novembris, pontificatus sui anno X, ac alias incipientes *Exponi nobis nuper fecerunt*, pariter apud S. Mariam Maiorem, in die XXV ianuarii, pontificatus sui anno XII;

Gregorius XV.

Gregorius Papa XV etiam per[1] quasdam suas incipientes *Iniuncti nobis*, apud S. Petrum, III nonas iunii, pontificatus sui anno I;

Urbanus VIII

Urbanus Papa VIII etiam per quasdam suas in formâ Brevis incipientes *Aliàs felicis recordationis Clementem Papam VIII*, apud S. Mariam Maiorem, die XXIII maii, ac alias incipientes *Ex iniuncti nobis*, pariter apud S. Mariam Maiorem, die XXI iulii, pontificatus sui anno V, ac alias incipientes *Inter ceteras apostolicae servitutis curas*, pariter apud S. Mariam Maiorem die X maii, pontificatus sui anno VI, ac alias incipientes *Exponi nobis nuper fecit*, apud S. Petrum, die XXIII ianuarii, pontificatus sui anno XV;

Clemens IX.

Clemens Papa IX per quasdam suas in formâ Brevis incipientes *Cum sicut dilectus*, apud S. Mariam Maiorem, die XIV februarii, pontificatus sui anno I;

Clemens X

Clemens Papa X, etiam per quasdam suas in formâ Brevis incipientes *Unigeniti Dei filii*, apud S. Mariam Maiorem, die XVIII decembris, pontificatus sui anno II, ac alias incipientes *Ex iniuncto nobis*, pariter apud S. Mariam Maiorem, die XXVII martii, pontificatus sui anno V, ac alias incipientes *Exponi nobis nuper fecit*, pariter apud S. Mariam Maiorem, die IX maii, pontificatus sui anno VI;

Innocentius XI

Innocentius Papa XI per quasdam suas in formâ Brevis incipientes ***Exponi nobis nuper fecit***, apud S. Petrum, die XVII aprilis, pontificatus sui anno III, ac alias suas ut supra incipientes ***Exponi nobis nuper fecit***, pariter apud S. Petrum, die V iulii, pontificatus sui anno IV;

Benedictus XIII

nos ipsi per litteras in formâ Brevis incipientes ***Cupientes ut debitus***, Romae, die VI maii, pontificatus anno II.

Hucusque litterae apostolicae, prout in singulis singulorum praedecessorum et nostris litteris plenius continetur.

Ad pacem in Ordine praedicto confovendam enumerantur decreta a S. R. E. cardinalium Congregationibus emanata deinceps confirmanda.

Nos vero ad confovendam in Ordine ipso religiosae quietis tranquillitatem, praesentium tenore, praeter has litteras, confirmamus etiam nonnulla decreta, quae ab infrascriptis S. R. E. cardinalium Congregationibus prodierunt: unum videlicet a Congregatione sacrorum rituum diei XIX mensis decembris anni Domini MDCXXXI, per quod decernitur ut Ss. Augustini et Nicolai de Tolentino aliorumque beatorum eiusdem Ordinis imagines a fratribus Ordinis praedicti Excalceatorum huiusmodi depictas aut impressas, iidem fratres Excalceati aboleant, iisque iniungitur, sub poenis arbitrio Congregationis, ne talia asserere amplius audeant; alterum sub die XIII aprilis anni eiusdem Domini MDCXXVIII, per quod a decisis recedendum non esse statutum est; a Congregatione vero sacrorum rituum aliud decretum vulgatum die XX iunii anni Domini MDCXXVIII, per quod sancitur vicarium generalem fratrum dicti Ordinis Excalceatorum, qui antea se generalem dicti Ordinis nuncupare consueverat, se, iuxta alterum decretum praedictae Congregationis Visitationis huiusmodi sub die XXIII mensis maii anni dicti Domini MDCXXVI, non generalem dicti Ordinis Excalceatorum, sed tantum vicarium generalem fratrum di-

1 Ed. Main. legit *apud* pro *per* (R. T).

ctae Congregationis Excalceatorum denominare[1] seu denominari facere debere, et non aliàs sibi licuisse et licere; ac reliqua decreta, sub die XXI martii anni MDCXLII, per quod tunc et pro tempore existenti priori generali dicti Ordinis iniungitur, ut omnes et singulos suos religiosos, cuiuscumque status, gradus, conditionis existant, ac tunc et imposterum propriâ auctoritate ex diversis praetextibus ab Urbem accedentes, et extra suos conventus vagantes, ad sua claustra sub certis modo certisque poenis a constitutionibus apostolicis ac Concilii Tridentini decretis dictique Ordinis legibus et statutis, aliisque poenis in tertio Congregationis Visitationis decreto respective inflictis, ab Urbe infra breve tempus pro suo arbitrio discedere cogat sub poenâ etiam suspensionis a divinis ipso facto ab iisdem et[2] transgressoribus incurrendâ, ut aliò pergere debeant et teneantur: quae quidem omnia ad providam debitamque regularis disciplinae observantiam necessaria et opportuna esse noscuntur, in tertio vero decreto Congregationis Visitationis decernitur ut memorata decreta libere et licite executioni mandari possint et valeant.

Decreta nonnulla Congregationis episcoporum et regularium.

His accedit aliud decretum a Congregatione negociis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ confectum die XIII septembris anni Domini MDCXXII, ut benedictio corrigiae B. Monicae ac panniculrum[3] B. Nicolai de Tolentino a superioribus dicti Ordinis tantum fieri debeat; praeterea eiusdem Congregationis episcoporum et regularium decretum anni MDCXLIX, diei XIII octobris, quo declaratur nomine sexennii officii fratrum assistentium intelligi debere spatium ab uno ad aliud capitulum generale; item aliud eiusdem Congregationis decretum diei XVI augusti anni MDCCXV, quo confirmatur decretum capituli generalis Romae celebrati anno MDCLXXXV, concedens praecedentiam et votum in capitulis provincialibus iis qui laudabiliter novennio non interrupto officium novitiorum exercuerint; ac demum aliud a Congregatione Sacrorum Rituum sub XXVI ianuarii anni MDCXLI editum, quo[1], fervente quaestione inter clerum oppidi Montiscassari Firmanae dioecesis, ex unâ, et fratres conventus dicti Ordinis eiusdem terrae, ex alterâ partibus, super modo et formâ exequendi defunctorum funeralia in eorumdem fratrum ecclesiâ, decernitur ut officium super cadaveribus in ecclesiis regularium per ipsos regulares peragi debeat, et ita in casu proposito servari, non obstante contrariâ consuetudine: et aliàs, prout in singulis Congregationum decretis plenius continetur.

Confirmatio litterarum apostolicarum praedictarum, cum privilegiis et gratiis, quae in illis complectebantur.

§ 2. Cum autem ea firmius subsistere ac maiorem vim et robur obtinere, et exactius observari dignoscantur, quae saepius fuerint apostolicae confirmationis et approbationis auctoritate munita, propterea que moderni prior et procurator generales dicti Ordinis dilecti filii nobis humiliter supplicari fecerint ut eorum honesto desiderio annuere, inque praemissis et infrascriptis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur: nos, qui regularium Ordines, et[2] quorum religiosâ vite mater Ecclesia uberes sanctarum virtutum percipit fructus, summâ prosequimur benevolentiâ, eorumque nominis gloriam in suo robore per nostrae approbationis et confirmationis opem ad eorumdem Ordinum decus subsistere optamus, eorum indemnitati consulere satagentes,

1 Edit. Main. legit *denominari* (R. T.).
2 Particula *et* delenda (R. T.).
3 Forsan *panniculorum* (R. T.).

1 Vocem *quo* nos addimus (R. T.).
2 Potius lege *e* pro *et* (R. T.).

litterarum omnium singulorum praedecessorum nostrorum, et eorum cuiuslibet, necnon omnium et singulorum decretorum a S. R. E. cardinalibus in iam dictis Congregationibus editorum, et, causas propter quas illae et illa prodierunt, praesentibus cum totis suis tenoribus pro expressis habentes, ac priori et procuratori generalibus praedictis specialem gratiam facere volentes, eosque et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis et poenis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, omnes et singulas[2] omnium et singulorum praedecessorum praedictorum respective litteras memoratas, omniaque et singula privilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates, et cuiusvis generis, indulgentias, declarationes, aliaque respective in eis sub quacumque verborum expressione contenta, et respective per eas dicto Ordini, illiusque monasteriis, conventibus, ecclesiis, capellis, capellaniis, pratoriis[3] grangiis, aliisque locis regularibus ab Ordine ipso quomodolibet dependentibus, necnon illius fratribus, prioribus, superioribus, ministris, monialibus, confraternitatibus, pinzoacariis, aliisque personis similiter ab eo dependentibus quomodolibet concessa, etiam eorumdem fratrum, monialium, confraternitatum, aliarumque personarum bonum regimen et in easdem personas ab eo dependentes concurrentia[4], et ab eisdem praedecessoribus ex quacumque causâ quomodolibet respective disposita, dummodo Concilii Tridentini decretis aliisque constitutionibus apostolicis subsequenter editis non adversentur, necnon omnia et singula earumdem S. R. E. cardinalium Congregationum respective decreta ab eisdem Congregationibus, ut praefertur, respective edita, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium,[1] perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, et earumdem praesentium patrocinio communimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint, in eisdem supplemus.

Constitutionem huius Pontificis editam pro provinciâ tantum Lusitaniae dicti Ordinis de non extorquendis a Sede Apostolicâ exemptionibus quibusdam, ad universas eiusdem Ordinis provincias extendit.

§ 3. Utque per eorumdem praedecessorum apostolicae benignitatis erga eumdem Ordinem vestigia ad nostrae ampliationis, declarationis et extensionis praemissorum, necnon de novo a nobis, ut infra, concedendorum largitionem procedamus: nos, qui nuper per nostras litteras in formâ Brevis incipientes *Exponi nobis nuper fecerunt*, datas Romae die XIV mensis iunii anni MDCCXXVII pontificatus nostri anno IV[2], omnibus et singulis religiosis dicti Ordinis provinciae Lusitaniae, sub certis modo et formâ, apostolicâ auctoritate praecepimus, ne ipsi apud Sedem Apostolicam exemptiones exprovincialium, praesentatorum, praedicatorum vel exassistentium generalium quovis modo petere, procurare, obtinere praesumant, minusque eis dispensationes super tempore lecturae pro dicti eorum Ordinis gradibus obtinendis, sub privationis utriusque vocis poenâ tam a procurantibus gratias ipsas quam testimonium ad illas petendas[3], concedantur, litteras nostras huiusmodi, cum omnibus et singulis poenis in eis contentis, ad

1 Coniunctio *et* delenda videtur (R. T.).
2 Edit. Main. legit *singulos* (R. T.).
3 Sic ed. Main.; forsan *oratoriis* (R. T.).
4 Videtur legendum *et easdem personas..... concernentia* (R. T.).

1 Desunt verba *confirmamus eisque* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *primo* (R. T.).
3 Aliquid deest, ex g. *praebentibus incurrendâ* (R. T.).

omnes et singulas Ordinis praedicti provincias et congregationes dicti Ordinis, ubicumque et in quibuscumque dominiis existentes, apostolicâ auctoritate praedictâ, tenore praesentium, perpetuo extendimus et ampliamus.

Confirmatur decretum quoddam Congregationis episcoporum et regularium de ordine appellationis servando a praedictis fratribus.

§ 4. Insuper, attendentes, quod aliàs, et usque de anno Domini MDLXXXVII, a Congregatione S. R. E. cardinalium negociis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ, et de mandato piae memoriae Sixti V praedecessoris nostri, emanavit decretum, quo recursus sive appellationis ordo a fratribus dicti Ordinis servandus praescribitur, videlicet a superiore locali ad provincialem, a provinciali ad priorem generalem, a priore generali ad Sedem Apostolicam faciendus, prout in dicto decreto plenius continetur: nos, illud tenore praesentium auctoritate nostrâ approbantes, necnon litteras Clementis VIII praedecessoris nostri incipientes *Nostri pastoralis* desuper editas, cum omnibus et singulis poenis in eiusdem Clementis VIII litteris contentis, innovantes, appellationem praedictam a superiore locali ad priorem provincialem, a priore provinciali ad priorem generalem, a priore generali ad S.R.E. cardinalium Congregationes et tribunalia Urbis interponi praecipimus et mandamus.

Extenditur ad omnes provincias constitutio quaedam Pauli V in favorem eorumdem fratrum in Indiis Occidentalibus edita.

§ 5. Quia tamen Paulus Papa V in suis litteris incipientibus *Expositum nobis nuper fuit*, die XVI februarii, pontificatus sui anno II, statuit contra rectores parochialium ecclesiarum in Indiis Occidentalibus, ne ipsi ab iis, qui in ecclesiis et domibus Ordinis praedicti sepeliuntur, maiorem exigant eleemosynam quam[1] quae a Concilio Tridentino praescribitur et a Pio IV praedecessore nostro explicatur: nos litteras praedicti Pauli V praedecessoris ad omnes et singulas dicti Ordinis provincias et congregationes, eorumque respective conventus et domos, cum omnibus et singulis poenis inibi contentis et expressis, omnibusque et singulis clausulis et decretis ac derogationibus in eis memoratis, perinde ac si ad omnium et singularum provinciarum et congregationum, conventuum et domuum dicti Ordinis favorem, earumque intuitu prodiissent, dictâ auctoritate nostrâ similiter perpetuo extendimus et ampliamus.

Confirmantur nonnullae Pontificum constitutiones et decreta Congregationis episcoporum et regularium necnon quaedam statuuntur circa delationem cadaverum ad ecclesias eorumdem fratrum.

§ 6. Cum autem Bonifacius VIII in suis *Inter sollicitudines nostras*, Innocentius IV in suis *Religiosam vitam eligentibus*, Sixtus IV in suis *Dum fructus uberes* incipientibus litteris, per nos tenore praesentium confirmatis et approbatis, sepulturam liberam in dicti Ordinis ecclesiis omnibus et singulis christifidelibus, dummodo excommunicati vel interdicti aut usurarii non sint, sepeliri volentibus concesserunt, ac aliàs etiam, ab anno Domini MDCLXIV, a Congregatione negociis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ, in quaestionis materiâ tunc inter fratres conventus sancti Augustini eiusdem Ordinis terrae Plebis Albinganensis dioecesis, ex unâ, et eiusdem terrae clerum, ex alterâ partibus, vertente, dictae terrae conventus et fratrum eorumdem favore prodiit decretum: nos, liberae sepulturae huiusmodi eligentibus concessionem, omnesque et singulas praedecessorum nostrorum litteras denuo, super decreto ut praefertur edito[1], nunc per praesentes respective approbamus, et[2] pariter ad omnes et universas dicti Ordini provincias et congregationes, earumque conventus, et singulis eorum et eorum ecclesiis[3]

1 Vocem *quam* nos addimus (R. T.).

1 Potius: *insuper decretum ... editum* (R. T.).
2 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).
3 Potius *et singulas earum ... ecclesias* (R. T.).

eiusdem Ordinis (cum hoc tamen quod fratres praedicti in Italiâ inque insulis adiacentibus pro tempore existentes quartam funeralem, iuxta nostram constitutionem quae incipit *Romanus Pontifex,* necnon iuxta declarationem in alterâ nostrâ constitutione quae incipit *Pretiosus in conspectu Domini* super eâ factam, parochialium ecclesiarum in Italiâ ac insulis praedictis existentium rectoribus persolvere teneantur, quibus defunctorum cadavera in ecclesiis dicti Ordinis aut eorum coemeteriis sepelire, missas celebrare, aliaque defunctorum huiusmodi divina officia et exequias persolvere invitis fratribus minime liceat) dictâ apostolicâ auctoritate perpetuo extendimus et ampliamus; omnibusque et singulis parochialium ecclesiarum rectoribus praecipimus, ne in posterum eligendae sepulturae libertatem huiusmodi, quae semper firma et illaesa remaneat, quoquomodo aut quocumque iure, quavis causâ, et praeviâ cuiuscumque conventionis aut consuetudinis etiam immemorabilis cassatione et abolitione, directe vel indirecte impedire ullo modo audeant, neque electae sub quocumque praetextu praeiudicium aliquod inferre quomodolibet praesumant, per easdem praesentes perpetuo inhibemus, ac ex nunc inhibitum esse volumus. Utque in defunctorum funeralibus faciendis eorumdem defunctorum animas, et etiam vivorum precantium, remotâ quacumque iurgiorum et praetensorum emolumentorum occasione, animos constituamus in pace, et pax ipsa in debitâ mentis attentione animique tranquillitate ascendat ad Dominum, nos determinationem numeri regularium defunctorum cadavera associare debentium spectare volumus[1] ad parochialium ecclesiarum rectores iuxta normam clericorum saecularium, quacumque consuetudine etiam immemorabili nequaquam obstante; minusque ab eorum parochianis, in aliis quam in eorumdem parochianorum parochialibus ecclesiis sepulturam sibi eligentibus, tam electionis quam missarum vel anniversariorum celebrationis aut obtentus cadaveris in cathedrali vel parochiali ecclesiâ prius exponere[1] seu transitus per limites parochiales aliarum parochialium ecclesiarum respective ratione, seu alio quocumque etiam colorato titulo, maiorem eleemosynam aliaque graviora emolumenta petere, exigere et praetendere nullo modo posse volumus, quam quae a Paulo V praedecessore in suâ constitutione, quae incipit *Expositum nobis nuper fuit*, praescribuntur[2], praeviâ cuiusvis praetensae rationis seu praetensi iuris cassatione et abolitione, prout per easdem praesentes omnino penitusque abolemus, cassamus et irritamus, et, si quid pluris exigant, uti indebite ac inique exactum, ad illius restitutionem, et ipso facto, eos omnino teneri declaramus. Numerum vero fratrum, ut praefertur, associare debentium, ad defuncti, sive adulti, sive impuberis, seu in quacumque aliâ[3] etsi in infantili aetate constituti, ad[4] haeredes et infantis parentes, nullo habito respectu ad numerum clericorum saecularium, dumtaxat spectare decernimus, ac fratres Ordinis praedicti et haeredes ac parentes eosdem ad transeundum per cathedrales, parochiales, seu alias parochiales ecclesias parochianorum, aut per eas transeuntes ad exponenda in eis cadavera, vel, causâ transitus huiusmodi, aliquid solvendum, aut ad

1 Potius legendum esse *nolumus* (R. T.).

1 Videtur legendum *exponendi* (R. T.).
2 Ed. Main. legit *praescribunt* (R. T.).
3 Ed. Main. legit *alias* (R. T.).
4 Praeposit. *ad* delenda videtur (R. T.).

totum clerum saecularem vel illorum determinatum numerum nullatenus cogi posse neque debere; parochialium autem ecclesiarum pro tempore morientium parochianorum rectores imposterum iis dumtaxat emolumentis, quibus de iure gaudent, fruuntur et potiuntur, et non aliis, gaudere, frui et potiri debere sancimus.

Statuitur quo pacto obedientia sit exhibenda archiepiscopo seu episcopo a conventibus suppressis et restitutis.

§ 7. Et, sicut nobis innotuit, postquam Innocentius X praedecessor, per suam quae incipit *Instauranda* certis causis adductus, conventus regulares parvos, sub certis modo et formâ tunc expressis, apostolicâ suâ auctoritate suppresserat, et deinde, per alteram suam constitutionem quae incipit *Ut in parvis*, conventus parvos suppressos huiusmodi seu illorum aliquos eâdem apostolicâ auctoritate etiam sub certis modo et formâ restituerat, nonnulli ex archiepiscopis seu episcopis, in quorum dioecesi conventus parvi, sicut praemittitur, restituti existunt, iidem archiepiscopi et episcopi in generalis cleri sui visitatione clerum regularem unâ cum clero saeculari debitam sibi in suâ cathedrali ecclesiâ reverentiam et obedientiam exhibere a tempore restitutionis huiusmodi usque nunc praetendant de praesenti: nos, licet conventus parvi sic suppressi et restituti, et fratres in eis pro tempore degentes, archiepiscopis et episcopis, eorumque[1] correctioni et visitationi subesse dignoscantur, eos tamen ad cathedralem ecclesiam unâ cum clero saeculari ad exhibendam obedientiam minime accedere, sed illam in suis conventibus et ecclesiis archiepiscopo seu episcopo conventum vel ipsius conventus ecclesiam visitanti in actu visitationis exhibere volumus, itaut clerus saecularis archiepiscopo vel episcopo ecclesiam saecularem, clerus vero regularis ecclesiam regularem respective visitanti debitam obedientiam exhibeant.

Confirmantur decretum quoddam capituli generalis dicti Ordinis circa praecedentiam et privilegia lectorum philosophiae in dictis fratribus.

§ 8. Ad haec, attendentes quod aliàs, et usque de anno Domini MDCLXXXV, in capitulo generali fratrum Ordinis sancti Augustini tunc habito, ad promovendum studiorum fervorem, statutum decretumque fuit ut fratres ab eiusdem Ordinis sancti Augustini superioribus pro tempore ad legendum philosophiam in professoriis provinciarum dicti sui Ordinis delecti praecedentiâ celeris fratribus baccalaureatis, et, post lapsum duodecim annorum assiduae lecturae huiusmodi, voto in capitulis provincialibus gaudere debeant: nos, qui fervori huiusmodi calcar iusti honoris adiungere studemus, decretum statutumque huiusmodi et in eo contenta quaecumque praesentibus pro expressis habentes, apostolicâ auctoritate perpetuo similiter approbamus et confirmamus, lectoresque iam dictos praecedentiâ votoque huiusmodi gaudere volumus.

Confirmantur privilegia, gratiae et indulgentiae aliàs confraternitatibus et archiconfraternitatibus sub dicto Ordine erectis concessae, necnon ampliantur.

§ 9. Porro, ut omnes et singulae personae ab eodem Ordine sancti Augustini quomodolibet dependentes huius suae dependentiae fructum percipiant (Clementis[1] X praedecessoris nostri qui in praedictâ suâ constitutione, quae incipit *Ex iniuncto nobis*, omnes et singulas indulgentias, praerogativas, facultates a Sixto IV, Iulio II, Gregorio XIII, Gregorio IV, aliisque Romanis Pontificibus, eiusdem Clementis X et etiam nostris praedecessoribus, archiconfraternitati Cincturatorum et Cincturatarum S. Augustini et B. Monicae sub invocatione B. Mariae Virginis de Consolatione nuncupatae in ecclesiâ S. Iacobi civitatis nostrae Bononiensis canonice institutae, aliisque confraternitatibus quorumcumque locorum

1 Edit. Main. legit *eorum* (R. T.).

1 Syntaxim reordinet lector scius (R. T.).

dictae archiconfraternitati debite annexis, illiusque et illarum utriusque sexus respective confratribus pro tempore existentibus concessa, de novo, et Gregorius XIII praedecessor similiter omnium indulgentiarum omniumque et singularum gratiarum spiritualium praedicto Ordini sancti Augustini concessarum, quae in eodem Ordine pro tempore fiunt, archiconfraternitatis et confraternitatum earumdem confratribus pro tempore existentibus participationem respective concesserunt), nos, concessioni huiusmodi inhaerentes, illamque approbantes, omnibus et singulis fratribus, monialibus, mantellatis sive pinzocariis eiusdem Ordinis B. Augustini pro tempore existentibus omnes et singulas gratias spirituales et indulgentias, praedictarum archiconfraternitatis et confraternitatum respective confratribus ut praefertur concessas, et de eis participes respective participantibus, plenarie et pariformiter apostolicâ auctoritate perpetuo concedimus et elargimur, perinde ac si a Clemente X et Gregorio XIII praedecessoribus respective concessae forent, et Gregorius XIII de eis tunc eos participes fecisset; etiam indulgentias, remissiones peccatorum, quas visitantes ecclesiam B. Mariae in Portiunculâ, aliàs dictam *de Angelis*, extra muros Assisinatenses quomodolibet consequuntur, concessas, ipsis confratribus vere poenitentibus et confessis qui Ordinis ecclesiam et altare confraternitatis et B. Nicolai de Tolentino respective a primis vesperis usque vesperas Nativitatis B. Mariae Virginis et dominicae infra octavam B. Nicolai de Tolentino, quas indulgentias respective pariter approbamus ac denuo concedimus; et quemadmodum idem Clemens X aliique summi Pontifices plenariam omnium peccatorum indulgentiam utriusque sexus confratribus cincturatis singulis annis in die dominicâ infra octavam festi S. Augustini fieri solitae interessentibus, vel capellam seu altare B. Mariae Virginis de Consolatione nuncupatae visitantibus, concessit, nos indulgentiam huiusmodi ad totam dicti festi octavam cincturatis ipsis capellam seu altare huiusmodi pie visitantibus, ut praefertur, concessam, per praesentes extendimus et ampliamus.

Conceditur fratribus saepedicti Ordinis ampla facultas circa processiones peragendas.

§ 10. Insuper fratribus dicti Ordinis sancti Augustini nunc et pro tempore existentibus concedimus, ut in posterum eamdem aliasque processiones per eos fieri solitas absque interventu rectoris parochialis ecclesiae, de licentiâ tamen Ordinarii loci, cum cruce erectâ stolam gestantes, viâ per eosdem fratres eligendâ, nisi aliàs ex antiquâ consuetudine constet has processiones in aliquibus locis factas fuisse sine ullâ licentiâ episcopi, secundum decreta huius Apostolicae Sedis, unum videlicet diei VI iunii MDCCVIII, aliud diei XXVII aprilis MDCC, ac aliud diei XI maii MDCXCVII a sacrorum rituum Congregatione die XXV novembris MDCXCIX, quae per praesentes similiter approbamus et confirmamus, perpetuo agere libere et licite possint.

Conceditur eisdem tuto posse uti privilegio initiandi sacris ordinibus extra tempora.

§ 11. Quamquam vero in Concilio Romano a nobis anno Domini MDCCXXV celebrato, inque eiusdem Concilii titulo V, capitulo II, inter alia, regulares, vigore suorum privilegiorum, tuto et absque novo indulto apostolico extra tempora a iure statuta, etiam post decreta Concilii Tridentini hac de re edita, sacris ordinibus initiari posse decernatur: nihilominus, quia nonnullis etiam episcopis eiusdem Concilii Romani decretum huiusmodi in dubium revocari praetenditur aut praetendi potest: nos, earumdem tenore praesentium, fratres dicti

Ordinis sancti Augustini Concilii Romani decreto ac privilegio praedictis libere et licite frui atque potiri posse et debere, dictâ apostolicâ auctoritate declaramus ac etiam decernimus, et, quatenus opus sit, super quacumque contrariâ dispositione opportune dispensamus, ac de novo privilegium huiusmodi eis, iuxta declarationem a Pio V praedecessore in eius constitutione *Etsi mendicantium* declarata[1], concedimus.

Declaratur constitutionem quamdam Clementis X, super vicarios generales Congregationis Lombardiae dicti Ordinis, intelligendam esse de vicariis generalibus quoque Congregationis Excalceatorum.

§ 12. Et quoniam piae memoriae Clemens Papa X antecessor noster per litteras in formâ Brevis incipientes *Exponi nuper fecit* interdicit vicariis generalibus tam actuali quam absolutis Congregationis Lombardiae, ne a suis subditis titulum reverendissimi recipiant ac stemmata sua gentilitia pileum insignire valeant[2], hoc quoque nos intelligi volumus de vicariis generalibus actuali et absolutis Congregationis Excalceatorum S. Augustini.

Denuo conceduntur et confirmantur indulgentiae omnes alias concessae.

§ 13. Demum, praeviâ approbatione et confirmatione decreti de mandato nostro editi super altaribus privilegiatis concessis in ecclesiis Ordinis dictorum fratrum Eremitarum sancti Augustini et monialium eiusdem Ordinis a sacrorum rituum Congregatione die XXIII septembris MDCCXXVI, et quod incipit *Sanctissimus Dominus noster*, omnia et singula privilegia, indulta, gratias, exemptiones, immunitates, indulgentias, peccatorum remissiones, hactenus concessa, iterum concedimus et confirmamus.

Clausulae.

§ 14. Praesentes autem litteras nostras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu mentis nostrae defectu, etiam ex eo quod omnes et singuli ad praemissa omnia et singula rem habentes seu habere praetendentes ad eadem praemissa vocati non fuerint, notari, impugnari, invalidari, ad ius vel controversiam vocari nullatenus posse neque debere, minusque sub quibusvis gratiarum quarumcumque revocationibus, suspensionibus, annullationibus, limitationibus, derogationibus et aliis contrariis quibuscumque dispositionibus a Sede praedictâ etiam in favorem quorumvis et ad quorumcumque regum, reginarum, ducum et rerum publicarum instantiam, etiam motu proprio et consistorialiter quomodolibet, et ex quacumque etiam piâ et privilegiâ causâ et bonum publicum respiciente, quomodolibet emanatis et emanandis, nullatenus comprehendi posse aut debere; sed easdem praesentes fratribus praedicti Ordinis Eremitarum sancti Augustini semper et inviolabiliter suffragari et prodesse debere, sicque et non aliter[1] per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet aliter iudicandi definiendi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, et, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, attentatumque, irritum et inane decernimus.

Deputatio executorum.

§ 15. Quocirca dilectis etiam filiis S. R. E. cardinali Ordinis Eremitarum sancti Augustini nunc et pro tempore existenti protectori, ac causarum curiae Camerae Apostolicae auditori generali, per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, aut unus eorum, per se, vel per alium, sive alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties super hoc pro parte prioris vel procuratoris generalis

1 Vox *declarata* delenda (R. T.).
2 Syntaxim corrigat lector scius (R. T.).

1 Male ed. Main. legit *pariter* pro *aliter* (R.T.).

ac fratrum praedicti Ordinis Eremitarum nunc et pro tempore existentium, aut alicuius[1] eorum, requisiti fuerint, solemniter publicantes, eisque, etc.[2]

Derogatoriae peculiares.

§ 16. Non obstantibus nostris et Cancellariae Apostolicae regulis de gratiis non concedendis ad instar, ac de iure quaesito non tollendo, necnon praedicti Bonifacii VIII praedecessoris nostri, qua cavetur, etc., ac in generali Lateranensi editâ de duabus dietis, dummodo, etc., et quibusvis universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis, vel aliis[3] apostolicis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon primodicti eremitarum beati Augustini, aliorumque Ordinum regularium, Congregationum et societatum praedictorum quorumcumque, etiam iuramento, etc., privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, etiam speciali notâ dignis, et locis, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, etiam vim et pactum contractus habentibus, necnon irritantibus et aliis decretis, ac etiam motu simili, etiam consistorialiter, ac aliàs quomodolibet, etiam ad praedictam imperatoris, regum, reginarum et aliorum quorumcumque principum, ducum et rerumpublicarum instantiam, iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etc.[4]

Transumptorum fides.

§ 17. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, manu prioris vel procuratoris generalis Ordinis fratrum Eremitarum B. Augustini seu notarii publici subscriptis, et sigillo officii eiusdem prioris vel procuratoris generalium ipsius Ordinis vel alterius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 18. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVIII, kalendis ianuarii, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 1 ianuarii 1728, pontif. anno IV.

1 Male ed. M. legit *aliquis* pro *alicuius* (R. T.).
2 Ut supra pag. 553 *a* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *alias* (R. T.).
4 Quae hic omissa sunt, habes supra, pag. 553 *a* et *b* (R. T.).

CCXII.

Indicitur iubilaeum pro christifidelibus almae Urbis, Italiae et insularum adiacentium divinam opem implorantibus pro extantibus necessitatibus[2].

Benedictus Papa XIII,
universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium a publicis calamitatibus ductum.

Cum iustus ac misericors Dominus, assiduis hominum flagitiis lacessitus, iracundiae ac ultionis suae flagella per nuperos terraemotus, quibus plurima Status nostri Ecclesiastici loca, civitates, terrae et oppida graviter concussa fuerunt, atque aquarum inundationes, tempestates ac spiritus procellarum, et etiamnum per continuas pluvias, quae agrorum vastitatem aliaque publica detrimenta minantur, non obscure osten-

1 Omnia ut supra pag. 554 *a* (R. T.).
2 Ab hoc Pontifice indictum fuit iubilaeum anni sancti MDCCXXV, constit. edit. MDCCXXIV, die 26 iunii, pontif. I; et Clementis XII constit. edit. MDCCXXX, die 9 septembris, pontif. I, indicitur iubilaeum universale pro initio sui pontificatus.

derit: nos, dominici gregis curae nostrae caelitus crediti calamitatibus ac terroribus tenerrimo paternae charitatis affectu compatientes, manus nostras ad Deum totius consolationis extollimus, ab illoque in amaritudine animae nostrae deprecamur, ne effundat super populum suum indignationem furoris sui, sed superexaltet misericordia iudicium, et, qui longanimi patientiâ homines ad poenitentiam vocat, det eis benignus salutarium lacrymarum fontem, quo peccata sua multa et gravia abluant, eique reconciliati per viam mandatorum suorum ambulent. Hoc igitur acceptabili ineuntis anni tempore, expurgantes vetus fermentum novumque induentes hominem, unanimes adeamus cum fiduciâ ad thronum gratiae, ac obsecrationibus, ieiuniis et eleemosynis aliisque piis operibus divinam iram adversus nos concitatam placare studeamus, suppliciterque a Deo petamus, ut flagella, quibus nos corripit ac deterret ad emendationem, clementer a nobis avertat, et qui castigat nos propter scelera nostra, ipse salvet nos per misericordiam suam. Haec autem, ut ferventiori spiritus ardore uberiorique fructu peragantur, ex prisco Romanae Ecclesiae omnium matris et magistrae more, caelestium munerum thesauros, quorum dispensationem fidei nostrae commisit divina dignatio, aperire et largâ manu erogare decrevimus.

Conceditur indulgentia plenaria iis, qui praescripta omnia exequuti (?) mandaverint, tum Romae tum in Italiâ degentibus.

§ 1. Itaque de omnipotentis Dei misericordiâ, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis et singulis utriusque sexus christifidelibus in almâ Urbe nostrâ degentibus, qui S. Ioannis in Laterano, eiusdem Principis Apostolorum, et S. Mariae Maioris ecclesias seu basilicas, vel earum aliquam, intra decursum proximae, quae erit[1] prima mensis ianuarii currentis, vel immediate subsequentis hebdomadae, saltem semel visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devote, ut supra, Deum oraverint, ac quartâ et sextâ feriâ ac sabbato alterius ex praefatis hebdomadis ieiunaverint, et, peccata sua confessi, sanctissimum Eucharistiae sacramentum in dominicâ die immediate sequenti vel aliâ die intra eamdem hebdomadam reverenter sumpserint, ac pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint: ceteris vero in universâ Italiâ et insulis illi adiacentibus degentibus, qui ecclesias, ab Ordinariis locorum vel eorum vicariis, seu officialibus, aut de eorum mandato, et, ipsis deficientibus, per eos qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hae nostrae pervenerint, designandas, vel ecclesiarum huiusmodi aliquam, spatio duarum similiter hebdomadarum a publicatione designatâ per Ordinarios vel eorum vicarios seu officiales vel alios ut praefertur faciendâ[2] decursurarum, saltem semel visitaverint, ibique ut supra oraverint, ac quartâ et sextâ feriâ ac sabbato alterius ex hebdomadis huiusmodi ieiunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die dominicâ immediate sequenti, vel aliâ die intra eamdem hebdomadam, sanctissimâ communione refecti fuerint, et pauperibus aliquam eleemosynam ut praemittitur erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, sicut in anno iubilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra Urbem praedictam concedi consuevit, tenore praesentium concedimus et elargimur.

Pro navigantibus et iter agentibus.

§ 2. Navigantes vero et iter agentes ut cum primum ad sua sese domicilia

1 Edit. Main. legit *erat* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *faciendae* (R. T.).

susceperint, suprascriptis peractis, et visitatâ ecclesiâ cathedrali, vel maiori aut parochiali loci eorum domicilii, eamdem indulgentiam consequi possint et valeant: regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam laicis quam ecclesiasticis saecularibus vel regularibus, etiam in carcere et captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut illa confessarius, ex iam approbatis a locorum Ordinariis ante praesentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in alium proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere, quae ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus et indulgemus.

Conceditur confessariis amplissima facultas absolvendi a quibuscumque peccatis, necnon vota dispensandi.

§ 3. Insuper praefatis omnibus et singulis christifidelibus utriusque sexus tam laicis quam ecclesiasticis saecularibus et regularibus cuiusvis Ordinis, Congregationis et instituti, tam in Urbe quam in universâ Italiâ et insulis ei adiacentibus praedictis ut praefertur degentibus, licentiam concedimus et facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere quemcumque presbyterum confessarium tam saecularem quam cuiusvis Ordinis et instituti regularem ex approbatis, ut praemittitur, a locorum Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quavis causâ latis seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive nobis et Sedi[1] Apostolicae, etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, et aliàs per quascumque nostras et Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae et hac vice tantum, absolvere et liberare valeant, et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, iniuncta tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentiâ salutari, aliisque eiusdem confessarii arbitrio iniungendis.

Praecipitur publicatio harum litterarum.

§ 4. Quapropter tenore praesentium in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus, atque mandamus omnibus et singulis venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis ac quibuscumque Ordinariis civitatum et dioecesum oppidorum, terrarum et locorum Italiae et insularum ei adiacentium huiusmodi, eorumque vicariis etc.[1].

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die II ianuarii MDCCXXVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat die 2 ianuarii 1728, pontif. anno IV.

CCXIII.

Confirmatur indultum seu determinatio provinciae Philippinarum Ordinis Eremitarum S. Augustini, ut procurator generalis et superior conventus Manilensis dictae provinciae suffragium ferre possint in capitulis provincialibus[2].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Expositio facti.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii prior provincialis et definitorium

1 Edit. Main. legit *Sedis* (R. T.).

1 Reliqua usque ad finem, ut tom. XX, p. 10 *b* et seq. (R. T.).

2 De voto fratrum consanguineorum in capitulis eiusdem Ordinis, vide Innocentii XIII

provinciae Philippinarum Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini, quod ab immemorabili tempore, et forsan a primaevâ dictae provinciae fundatione, attentâ religiosorum vocalium paucitate, et ratione alicuius indulti, seu ipsius provinciae determinatione, cautum reperitur, quod procurator generalis et superior conventus Manilensis, praecipui et principalis in dictâ provinciâ, vocem et votum habeant in capitulis provincialibus, cuius tamen indulti seu determinationis memoria minime reperitur. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, in provinciâ huiusmodi religiosi ad missiones et munera parochialia deputandi sint, multaque alia officia distribui debeant, paucique existant priores et nullus adsit magister qui vocem habeat[1] in capitulis, ipsi exponentes, ad maiorem indulti seu determinationis huiusmodi validitatem et conscientiae quietem, illa per nos approbari et confirmari summopere desiderent: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio indulti, seu determinationis praefatae.

§ 2. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, indultum seu determinationem, per quae procurator generalis et superior conventus Manilensis praedicti vocem et votum habent in capitulis provincialibus, ut praefertur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus; itaut iidem procurator generalis et superior, eorumque in praedictis muneribus successores in perpetuum, in memoratis capitulis provincialibus praedictae provinciae Philippinarum suffragium ferre possint et valeant.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac iisdem exponentibus, aliisque, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque etc.[1]

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praedictorum conventus, provinciae et Ordinis, etiam iuramento, etc.[2]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVI ianuarii MDCCXXVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 26 ianuarii 1728, pontif. anno IV.

CCXIV.

Praecipitur universis fratribus Discalceatis B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum, ut cantum gregorianum dumtaxat in choro adhibeant[3].

constitut. edit. MDCCXXIII, die 20 septembris, pontif. III.

1 Edit. Main. legit *habeant* (R. T.).

1 Ut supra, pag. 471 *a* (R. T.).

2 Ut supra, pag. 471 *a* (R. T.).

3 De uniformitate in cantu gregoriano servandâ a fratribus Eremitis S. Augustini quarumdam provinciarum, vide aliam const. huius Pontificis edit. MDCCXXVI, die 22 ianuarii, pontif. II.

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Causae praesentis constitutionis.

§ 1. Cum, sicut accepimus, provincia Siciliae et Italiae ac totus Ordo fratrum Discalceatorum Reformatorum B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum multum detrimenti patiantur ex causâ cantus in choro, quippe qui sine notis et concentu adhibetur, et valde laboriosam molestamque admirationem ita inducit ut nonnulli religiosi ab assistentiâ chori sese abstineant: hinc est quod nos, hisce inordinationibus pro pastoralis officii nostri debito remedium afferre volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, dilectis filiis ministro generali, provincialibus, prioribus et universis fratribus Discalceatis dicti Ordinis B. Mariae de Mercede nunc et pro tempore existentibus, ut ipsi de cetero cantum gregorianum tantum in choro omnino adhibere teneantur, tenore praesentium praecipimus et mandamus.

Clausulae.

§ 2. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, nec de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensûs, alioque quolibet defectu notari, impugnari, infringi, retractari seu in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci posse; sicque etc.[1]

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, etc.[2]

Fides habenda transumptis.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides ubique locorum et gentium tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVIII ianuarii MDCCXXVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 28 ianuarii 1728, pontif. anno IV.

1 Ut supra, pag. 471 *a* (R. T.).
2 Ut supra, pag. 471 *a* (R. T.).

CCXV.

Extenduntur privilegia tertiariorum Ordinis sancti Francisci ad tertiarios Ordinis B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum[1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Expositio facti.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Gabriel Barbastro, magister generalis, et Alexander Illomaei, procurator generalis Ordinis B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum, quod, cum in dicto Ordine usque ab eius origine, prout ex illius constitutionibus auctoritate apostolicâ confirmatis, distinct. IV, cap. I, constare asseritur, Tertius Ordo utriusque sexus personas constituens[2] florescat, aliquae ex eis emittunt, aliae vero vota simplicia observant, et reliquae observantiae regulari propositi religiosi sese addicunt, et inter has aliquae reperiuntur quae separatim regulas in dictis constitutionibus praescriptas custodiunt, illisque felicis recordationis Innocentius Papa XI prae-

1 De privilegiis tertiariorum Ordinis sancti Francisci, vide aliam huius Pontificis constit. edit. MDCCXXV, die 10 decembris, pontif. X, et const. edit. MDCCXXVI, die 9 iulii, pontif. III.
2 Videtur legendum *complectens*, vel *personis constans* (R. T.).

decessor noster nonnullas indulgentias iuxta earum diversum vivendi modum concessit, ut in litteris apostolicis die VIII augusti MDCLXXXI et in aliis die XXII eiusdem mensis et anni respective expeditis plenius dicitur contineri.

Preces magistri et procuratoris generalis dicti Ordinis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, pro maiori Dei servitio, observantiâ, et eiusdem Tertii Ordinis augmento, illa praescriptio, privilegiorumque concessio, quae ab hac Sanctâ Sede tertiariis Ordinis sancti Francisci impertita fuerunt, maxime consentanea sit, ad hoc ut magis animarum devotio accendatur, similisque instituti honesta disciplina augeatur, iidem exponentes privilegia huiusmodi, tertiariis secundodicti Ordinis concessa, ad tertiarios utriusque sexus sui Ordinis per nos extendi summopere desiderant; eo magis quia Ordo primodictus, non solum per communicationem aut participationem, sed etiam ob individuam et specialem concessionem, omnibus privilegiis Ordinum Mendicantium fruitur, et vigore concessionis et declarationis a recolendae memoriae Alexandro Papa VIII pariter praedecessore nostro factae ac specialis nostri indulti verus Ordo Mendicans declaratur. Nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Extendit privilegia ut in rubrica.

§ 3. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus qomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum série absolventes et absolutas[1] fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, privilegia tertiariis secundodicti Ordinis sancti Francisci, ut praefertur, concessa, ad tertiarios utriusque sexus primodicti Ordinis B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo extendimus et ampliamus.

Derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, primodicti Ordinis, etiam iuramento, etc.[2]

Fides habenda transumptis.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etc.[3].

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVI februarii MDCCXXVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 26 februarii 1728, pontif. anno VI.

CCXVI.

Conceditur facultas capitulo generali, et post eum definitorio generali Congregationis Hispaniae Ordinis fratrum Discalceatorum SS. Trinitatis redemptionis captivorum, decreta et statuta condendi [4].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Causae ad impetrandum Pontificem.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ildefonsus a Iesu Maria, procurator generalis Congregationis Hispaniae Ordinis fratrum Discalceatorum SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, quod, cum, Deo dante, praedicta religio iam sit valde extensa, et quotidie plus per orbem extendatur, eâque de causâ

1 Edit. Main. legit *absolutos* (R. T.).

2 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

3 Ut supra pag. 66 *a* (R. T.).

4 Aliâ huius Pontificis const ed. MDCCXXIV, die 27 septembris, pontif. I, facta fuit facultas capitulo generali eorumdem nominandi iudices conservatores in provinciis Castellae, Legionis, Navarrae, etc.

maxima difficultas inveniatur in statuendo regimine universali, attentis aliquibus paragraphis regulae et constitutionum suarum in rebus ad gubernium provinciarum et ad capitulorum generalium et provincialium celebrationem spectantibus, siquidem ibi praescripta videntur fuisse tantum pro tribus provinciis Hispaniae decreta et determinata, et consequenter alibi ad praxim reduci minime posse: superiores maiores ipsius Congregationis novas constitutiones ad uniforme omnium provinciarum gubernium, tam hactenus intra et extra Hispaniarum regna et dominia erectarum, quam ubicumque in posterum erigendarum, et spectantes etiam ad capitulorum generalium et provincialium huiusmodi celebrationem, condere posse summopere desiderant. Nobis propterea dictus Ildefonsus procurator generalis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio facultatis praedictae.

§ 2. Nos igitur, ipsum Ildefonsum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, capitulo generali eiusdem Congregationis proxime celebrando, et post ipsius capituli celebrationem definitorio generali, ut ad effectum praedictum nova statuta et leges universales, habendo prae oculis ad hanc efformationem quasdam nostras litteras desuper in simili formâ Brevis die IV augusti anni proxime praeteriti pro regimine provinciae S. Ioachini in regno Poloniae expeditas, itaut easdem litteras explicare et extendere, moderari et accomodare possint, condere libere et licite valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et impertimur: dummodo tamen omnia nova decreta, in vim facultatis huiusmodi condenda et facienda, ab hac Sanctâ Sede prius approbari debeant.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarias et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis, etc. [1]

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae Congregationis, etiam, etc. [2]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVI februarii MDCCXXVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 26 februarii 1728, pontif. anno IV.

CCXVII.

Confirmatur canonicis regularibus Praemonstratensibus decretum Congregationis Rituum, quo conceditur eisdem facultas recitandi in posterum officia nonnullorum sanctorum eiusdem Ordinis [3].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio facti.

§ 1. Emanavit nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S.R.E.

1 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).
2 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).
3 De confirmatione similis decreti in gratiam eorumdem, vide aliam constit. huius Pontificis ed. MDCCXXV, die 18 iunii, pontif. II.

cardinalium sacris ritibus praepositorum, ad supplicationem dilecti filii Norberti Mattens procuratoris generalis Ordinis canonicorum regularium Praemonstratensium, decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum praedictum.

Cum ex parte patris Norberti Mattens Ordinis canonicorum regularium Praemonstratensium procuratoris generalis, pro continuatione in posterum recitandi in universo suo Ordine officia sanctorum seu beatorum eiusdem Ordinis, scilicet B. Godefridi confessoris, S. Gilberti abbatis, B. Friderici abbatis, B. Hermanni Ioseph confessoris, S. Gerlaci eremitae et confessoris, B. Gertrudis virginis, et S. Siardi confessoris, quae a multo tempore in communi et antiquo dicti Ordinis breviario, prout asseritur, inserta reperiuntur, necnon pro sanatione omnium et singulorum defectuum in praedictâ insertione forsan incursorum, sanctissimo domino nostro Benedicto Papa XIII humillime supplicatum fuerit: Sanctitas Sua, quibuscumque constitutionibus, ordinationibus et decretis in contrarium quomodolibet disponentibus minime obstantibus, oratoris instantiis iuxta petita benigne annuit. Die XXII ianuarii MDCCXXVIII. — N. card. COSCIA. N. M. TEDESCHI archiep. Apamenus, sacrorum rituum Congregationis secretarius.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Norbertus nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, specialem ipsi Norberto gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore, censentes supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praedictae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, etc.[1]

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII martii MDCCXXVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 8 martii 1728, pontif. anno IV.

CCXVIII.

Instituuntur quinque consiliarii, sive socii, ac secretarii generales, ex diversis nationibus eligendi, pro Ordine Carmelitarum[2].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Pastoralis officii, quod auctore Domino gerimus, sollicitudo postulat, ut felici prosperoque christifidelium sub suavi religionis iugo mancipatorum regimini et gubernio, quantum cum Domino possumus, providere iugiter satagamus.

Institutio praedicta motu proprio.

§ 1. Ad praeclarum itaque fratrum B. Mariae de Monte Carmelo Ordinem, quem peculiari apostolicae dilectionis prosequimur affectu, paternae dirigentes considerationis intuitum, simulque attendentes salubri eiusdem Ordinis, illiusque fratrum directioni, regularisque inibi disciplinae conservationi conducibile fore, si in dicto Ordine, ubi

1 Ut in pag. praeced. (R. T.).

2 De quatuor assistentibus generalibus eiusdem Ordinis, vide Innocentii XII, const. ed. MDCXCVIII, die 30 augusti, pontif. VIII.

non ita pridem assistentium generalium munera auctoritate apostolicâ abolita ac suppressa fuerunt, consiliarii, iuxta morem in inclyto, quem profitemur, fratrum Praedicatorum Ordine laudabiliter vigentem, constituerentur ac stabilirentur: motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, in supradicto Ordine fratrum B. Mariae de Monte Carmelo consilium ad instar ipsius Ordinis fratrum Praedicatorum, quod ex quinque religiosis, morum gravitate ac rerum usu praestantibus, et totidem diversis nationibus, Italicâ scilicet, Germanicâ, Gallicâ, Hispanicâ et Lusitanâ, coalescere debeat, harum serie perpetuo instituimus. Volentes ut quinque consiliarii huiusmodi, ac eorum quilibet, gaudeant titulo socii ac secretariae[1] generalis primodicti Ordinis, cuius singulare unique religioso hactenus demandari solitum officium ex nunc itidem perpetuo supprimimus, nec unquam assistentium generalium nomine utantur; ipsis autem consiliariis sive sociis ac secretariis generalibus unaquaeque eorum respective natio de victu et vestitu aliisque necessariis sumptibus honeste provideat, ita quod illi singulis mensibus provisio[2], seu domestici sumptus procuratori, necnon fratri qui eis ab epistolis erunt, impensas persolvere teneantur.

De munere et auctoritate dictorum consiliatorum

§ 2. Porro iidem consiliarii sive socii ac secretarii generales voce activâ et passivâ in capitulis generalibus praedicti Ordinis gaudeant; sintque discreti nati conventuum S. Mariae Transpontinae et S. Martini ad Montes nuncupatorum de Urbe eiusdem Ordinis, cum voto consultivo, non vero decisivo, praeterquam quoad ea quae decreta Romanorum Pontificum, immutationes constitutionum dicti Ordinis, ac statuta illius capitulorum generalium spectant, in quibus semper habebunt votum decisivum; officium suum saltem per triennium exerceant, quo elapso, libere a priore generali ipsius Ordinis pro tempore existente amoveri possint, re tamen prius cum protectore ipsius Ordinis communicatâ; in omnibus eidem priori generali subsint, et, ut aliis fratribus bonum praebeant exemplum, choro et divinis officiis diurnis ac nocturnis aliisque piis et religiosis exercitiis interesse debeant, ubique suavem Christi odorem praeseferentes.

Deputantur prima vice a Pontifice praedicti consiliarii et a quibus deinceps eligendi statuitur.

§ 3. Ad haec, de infrascriptorum fratrum expresse professorum Ordinis praedicti fide, prudentiâ, integritate, charitate, vigilantiâ et religionis zelo plurimum in Domino confisi, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas[1] fore censentes, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, dilectos filios Iosephum Solari, Italum, Alphonsum a S. Claudio, Gallum, Iosephum Fuentes, Hispanum, et Laurentium Correa Gama, Lusitanum, fratres Ordinis praefati expresse professos, pro quatuor nationibus huiusmodi in consiliarios eiusdem Ordinis ad triennium proximum a datâ praesentium computandum, cum omnibus et singulis praerogativis, facultatibus, privilegiis ac honoribus et oneribus praedictis, tenore praesentium facimus, creamus, constituimus et deputamus, necnon dilecto

1 Forsan *secretarii* legendum (R. T.).
2 Videtur legendum *provisori* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *absolutos* (R. T.).

filio moderno priori generali Ordinis praedicti similem consiliarium enarratis qualitatibus praeditum[1], iuxta datam sibi a Domino prudentiam, pro natione Germanâ similiter creandi et constituendi, illique moderno et pro tempore existenti priori generali, si aliquis ex quatuor consiliariis a nobis, sicut praemittitur, deputatis officium huiusmodi obire recusaverit vel nequiverit, alium in eius locum substituendi ac subrogandi, successivis vero ac perpetuis futuris temporibus, postquam hi quinque consiliarii tempus suum absolverint, alios e dictis nationibus consiliarios eligendi ac nominandi, facultatem tribuimus et impertimur.

Clausulae. § 4. Decernentes, ipsas easdem praesentes litteras firmas, etc.[2]

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, supradicti Ordinis, etiam, etc.[3]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die v aprilis MDCCXXVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 5 aprilis 1728, pontif. anno IV.

CCXIX.

Conceditur indulgentia plenaria perpetua monialibus quorumvis monasteriorum in qualibet mundi parte existentium die earum velationis, benedictionis et consecrationis [4].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. In supremo apostolicae dignitatis culmine, meritis licet imparibus, inscrutabili Dei providentiae arcano constituti, caelestium munerum thesauros, quorum dispensationem fidei nostrae credidit Altissimus, libenter erogamus, cum id ad augendam sacrarum virginum, quae oblitae populum suum et domum patris sui divinis obsequiis sese sub suavi religionis iugo manciparunt, religionem, fovendamque illarum pietatem, arbitramur in Domino profuturum.

§ 1. Cum itaque nos antiquissimam catholicae Ecclesiae ad nostra usque tempora transmissam consuetudinem, priscumque Ss. Patrum morem secuti, nonnullis dilectis in Christo filiabus monialibus monasterii S. Ambrosii de Urbe Ordinis S. Benedicti sacrum hodie velamen ac benedictionem et consecrationem impartiti fuerimus (memores B. Marcellinam eiusdem S. Ambrosii sororem, ut ipse in suis libris *De Virginibus* testatur, a S. Liberio Romano Pontifice praedecessore nostro sacrum itidem velum solemni ritu accepisse), dictisque monialibus plenariam peccatorum suorum indulgentiam et remissionem concesserimus; ceteras quoque moniales, quae deinceps velamen, benedictionem et consecrationem huiusmodi recipient, eodem spirituali munere[1] donare volentes, de omnipotentis Dei misericordiâ et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis monialibus expresse professis quorumvis monasteriorum in qualibet mundi parte existentium, tam hactenus erectorum quam in posterum erigendorum, cuiuscumque Ordinis a Sede Apostolicâ approbati, quas de cetero, iuxta sacrorum canonum dispositionem ac formam in pontificali romano praescriptam, a proprio episcopo

Antea ab hoc Pontifice eadem indulgentia monialibus S. Ambrosii de Urbe concessa.

Omnibus monialibus concedit.

1 Male edit. Main. legit *praedictum* (R. T.).
2 Ut supra, pag. 471 *a* (R. T.).
3 Ut supra, pag. 471 *a* (R. T.).
4 Aliâ huius Pontificis const. ed. MDCCXXIV, die XXVI septembris, pontif. I, concessae fuerunt nonnullae indulgentiae perpetuae recitantibus coronam septem dolorum B. M. V.

1 Edit. Main. legit *muneri* (R. T.).

seu antistite velum sacrum suscipere et benedici et consecrari contigerit, die earum velationis, benedictionis et consecrationis praefatarum, si vere poenitentes et confessae sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, ac pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Fides habenda transumptis. § 2. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etc[1].

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI aprilis MDCCXXVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 6 aprilis 1728, pontif. anno IV.

CCXX.

Conceditur praefecto generali Ordinis Bethlehemitarum in Indiis Occidentalibus ius convocandi vocales ad capitulum generale, et in eo praesidendi[2].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Exposit. facti. § 1. Cum, sicut dilecti filii definitores generales Ordinis Bethlehemitarum in Indiis Occidentalibus nobis nuper exponi fecerunt, in constitutionibus eiusdem Ordinis, auctoritate apostolicâ approbatis, nulla expressa mentio fiat quod praefectus generalis Ordinis huiusmodi facultatem convocandi capitula generalia et in eis praesidendi habeat; ac proinde ipsi exponentes opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri summopere desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut tam dilectus filius modernus praefectus generalis dicti Ordinis quam ceteri illius successores proxime ab officio expirantes, seu ad ultimum annum novennii sui generalatus accedentes, perpetuum ius habeant convocandi vocales ad capitulum generale pro novennio immediate sequenti ac etiam praesidendi in eodem capitulo generali; si vero intra officii generalatus novennium e vitâ decesserint, tunc vicariatus generalis spectet ad praefectum qui tunc temporis confirmatus existeret et in actuali gubernio hospitalis de Guatimala reperiretur; et, casu quo praefectus iste, cum causâ vel sine causâ, de eo tempore confirmationem non obtinuisset, vicariatus generalis praefatus transeat ad assistentes generales, et alios respective vocales qui sequuntur, servatâ semper eorum antianitate, iuxta dispositionem quarumdem nostrarum litterarum desuper in simili formâ Brevis die IV maii MDCCXXV expeditarum et constitutiones praedicti Ordinis; quatenus vero idem praefectus generalis ab humanis decedat in regno Peruano, et electio fieri debeat in Novâ Hispaniâ, tunc et eo casu assistens antiquior Peruanus vocales tantum eiusmodi regni Peruani convocet, ad hoc ut sic faci-

Conceditur ut in rubrica.

1 Ut supra pag. 72 *a* (R. T.).

2 Aliâ huius Pontificis const. ed. MDCCCXXV, die IV maii, pontif. I, confirmatae fuerunt quaedam resolutiones capituli generalis eiusdem Congregationis, et const. ed. MDCCXXVIII, die XIII septembris, pontif. V, nonnulla decernuntur in favorem praefatae Congregationis.

lius ad capituli generalis celebrationem faciendam in Novâ Hispaniâ, intra unius anni terminum, ad formam earumdem constitutionum, concurrere possint; at, decedente eodem praefecto generali in praedictâ Novâ Hispaniâ, tunc et eo casu capitulum generale huiusmodi actualis praefectus de Gualimala convocet, ac in eo praesideat, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Clausulae.

§ 2. Decernentes, easdem praesentes et praeinsertas litteras semper firmas, validas et efficaces, etc.[1]

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam, etc.[2]

Fides habenda transumptis.

§ 4. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, etc.[3]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IX aprilis MDCCXXVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 9 aprilis 1728, pontif. anno IV.

CCXXI.

Confirmatur decretum Congregationis Rituum pro concessione recitandi in universo Ordine Praemonstratensi officia trium sanctorum eiusdem Ordinis[4].

Benedictus Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Expositio facti.

§ 1. Emanavit nuper, ad supplicationem dilecti filii Norberti Mattens procuratoris generalis canonicorum regularium Ordinis Praemonstratensis, a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum praedictum.

Ad humillimas preces patris Norberti Mattens, procuratoris generalis Ordinis Praemonstratensis, sacrae Rituum Congregationi porrectas pro extensione officiorum Ss. Evemodi, Isfridi episcoporum, ac Ludolphi episcopi et martyris, eiusdem Ordinis, ad universum suum Ordinem, illasque relatas, sacra eadem Rituum Congregatio, inhaerendo concessioni sub die XVIII octobris MDCCXXVIII a sanctissimo domino nostro Benedicto XIII monasterio Stinagiensi eiusque ecclesiae filiali Namburgensi factae, praedictorum sanctorum officia cum lectionibus secundi nocturni propriis in universo praefato Ordine in posterum recitari posse benigne indulsit atque concessit. Die XX martii MDCCXXVIII. — N. card. COSCIA. — N. M. TEDESCHI archiepiscopus Apamenus, S. R. C. secretarius.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Norbertus procurator generalis nobis nuper exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsum Norbertum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

1 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).
2 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).
3 Ut supra pag. 59 *b* (R. T.).
4 De confirmatione similis decreti pro iisdem vide aliam huius Pontificis edit. MDCCXXVIII, die 8 martii, pontif. IV.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas, etc.[1]

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII aprilis MDCCXXVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 12 aprilis 1728, pontif. anno IV.

CCXXII.

Conceditur indulgentia plenaria perpetua pro monialibus monasteriorum S. Ursulae in die renovationis votorum [2].

Benedictus Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Cum, sicut accepimus, moniales monasteriorum monialium S. Ursulae ex laudabili eorum instituto, seu regulâ, tria vota, post completum earum susceptionis habitus quinquagesimum annum, solemniter renovare teneantur:

Concessio praedictae indulgentiae. § 2. Nos, ut opus tam pium maiori cum fructu fiat, et ad augendam earumdem monialium devotionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris piâ charitate intenti, omnibus et singulis dictorum monasteriorum monialibus, vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, quae vota sua praefata post completum quinquagesimum annum susceptionis habitus huiusmodi solemniter renovaverint[3], ut praefertur, ac pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Fides habenda transumptis. § 3. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII aprilis MDCCXXVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 17 aprilis 1728, pontif. anno IV.

CCXXIII.

Confirmatur constitutio quaedam S. Pii V super praecedentiâ canonicorum regularium Congregationis Lateranensis in processionibus, pro Congregatione Omnium Sanctorum Olomucensi [2].

Benedictus Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Militantis Ecclesiae regimini, meritis licet imparibus, divinâ dispositione praesidentes, ea, quae ex circumspectâ Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum providentiâ ad insignium Congregationum regularium antiquitatis aliâque multiplici laude in Ecclesiâ Dei fulgentium favorem non minus prudenter quam liberaliter emanasse noscuntur, ut firma semper, inviolata persistant, apostolici muniminis nostri praesidio, cum id a nobis petitur, libenter constabilimus.

Constitutio praefata Pii V. § 1. Dudum siquidem felicis recordationis Pius Papa V praedecessor noster canonicos regulares Congregationis Lateranensis Ordinis S. Augustini, ubicum-

1 Ut supra pag. 590 *a* (R. T.).

2 Aliâ huius Pontificis const. edit. MDCCXXVIII, die 6 aprilis, pontif. IV, concessa fuit indulgentia plenaria perpetua omnibus monialibus die earum velationis (ed. Main. legit *relationis* R. T.), benedictionis et consecrationis.

3 Edit. Main. legit *renovaverit* (R. T.).

1 Ut supra pag. 59 *b* (R. T.).

2 Laudata Pii V constitutio edita est anno MCLXX, die 21 decembris, pontif. V, quae aliàs ab hoc Pontifice confirmata fuit pro omnibus generatim canonicis Lateranensibus, const. ed. MDCCXXVII, die 21 iunii, pontif. IV.

que locorum existentes, in processionibus et aliis actibus publicis vel privatis statim clerum saecularem non exemptum subsequi, dum ipsi subsequendo praecedebant, dum vero praecedendo praecedebant, illum immediate sequi debere declaravit; et aliàs, prout uberius continetur in eiusdem Pii praedecessoris litteris desuper sub plumbo expeditis tenoris qui sequitur, videlicet:

Constitutio Pii V.

Pius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Cum ex Ordinum universitate, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDLXX, X kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno V.

Confirmatio relatae constitutionis.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Alexander Maximilianus Krbosch, canonicus regularis expresse professus ac praepositus conventus Omnium Sanctorum civitatis Olomucensis eiusdem Congregationis Lateranensis nobis nuper exponi fecit, licet praefatae Pii praedecessoris litterae in viridi sint observantiâ, nihilominus ipse Alexander Maximilianus illas, quo firmius subsistant, apostolicae quoque nostrae confirmationis praesidio communiri summopere desideret: nos, specialem eidem Alexandro Maximiliano gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas Pii praedecessoris litteras cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus ac innovamus, illisque apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas, etc.[1]

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis, quae in praeinsertis Pii praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVII aprilis MDCCXXVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 27 aprilis 1728, pontif. anno IV.

CCXXIV.

Promulgatur Beatus servus Dei Ioannes de Prado Ordinis Minorum Excalceatorum de Observantiâ, eiusque beatificatio indicitur[2].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a cultu servis Dei exhibendo.

Gloriosos Christi athletas, qui, virtute praecincti ex alto, bonum certamen certarunt, cursum consummarunt, fidemque ad extremum servantes, stolas suas in sanguine Agni lavare meruerunt, sicuti immarcescibili iustitiae coronâ donat in caelis aeternus ac iustus iudex, ita devoto cultu in terris honorari, eorumque agones et triumphos condignâ laude et veneratione celebrari decet, ut de nostrâ solliciti, qui de suâ sunt salute securi, piâ potentique apud patrem misericordiarum ac Deum totius consolationis, cui die ac nocte serviunt in templo eius, intercessione imbecillitati

1 Reliqua in tom. VII pag. 877 *b* et seq. (R. T.).

1 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

2 Aliâ huius Pontificis const. edit. MDCCXXVI, die 13 decembris, pontif. III, promulgata fuit canonizatio B. Stanislai Kostka; constitut. edit. MDCCXXIX, die 12 martii, pontif. V, habetur beatificatio Fidelis a Sigmaringa.

nostrae inter saeculi procellas aestuanti caelestis gratiae munera impetrent, quibus et nos rectum vitae cursum tenere et propositum nobis aeternae beatitudinis bravium consequi valeamus. In hanc nos curam ex debito pastoralis officii, quod infirmitati nostrae commisit divina dignatio, propensis studiis incumbentes, flagitantia idipsum catholicorum regum et aliorum christifidelium vota libenter exaudimus, sicut ad gloriam omnipotentis Dei et exaltationem fidei catholicae spiritualemque fidelium consolationem atque aedificationem salubriter in Domino expedire arbitramur.

Decretum beatificationis praedicti servi Dei a Congregatione sacrorum rituum emanavit.

§ 1. Cum itaque mature diligenterque discussis et perpensis per Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum processibus, de huius sanctae Sedis Apostolicae licentiâ confectis, super martyrio et causâ martyrii Dei servi Ioannis de Prado sacerdotis expresse professi ac primi ministri provincialis provinciae Baeticae S. Didaci Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ Excalceatorum nuncupatorum, qui, olim a tunc temporibus existentibus eiusdem S. R. E. cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis ad annunciandum Christi evangelium et docendas gentes regnorum Fezzae et Marochii missus, in odium catholicae fidei post atrocissima et immanissima tormenta anno MDCXXXI trucidatus, palmam martyrii accepisse asserebatur, ac super signis, prodigiis et miraculis, quae ad manifestandam mundo finalem eius perseverantiam a Deo edita et patrata fuisse dicebantur, praedicta Congregatio cardinalium coram nobis constituta, auditis etiam consultorum suffragiis, censuerit posse, quandocumque nobis videretur, eumdem Dei servum, donec ad actum solemnis illius canonizationis deveniatur, publice Beatum nuncupari cum solitis indultis:

Officii recitatio et missae celebratio pariter permittitur.

§ 2. Hinc est quod nos, piis atque enixis carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici aliorumque principum, necnon quamplurimorum ex venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis capitulis et canonicis metropolitanarum et cathedralium ecclesiarum regnorum earumdem Hispaniarum, totiusque Ordinis fratrum Minorum ipsius sancti Francisci, atque dilecti filii Ioannis Diaz a Conceptione illius professoris, et fratrum eiusdem Ordinis Excalceatorum et Recollectorum nuncupatorum ultramontanae familiae procuratoris generalis, huiusque causae postulatoris, supplicationibus nobis et Sanctae Sedi praedictae super hoc humiliter porrectis inclinati, de memoratae Congregationis cardinalium consilio et assensu, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, indulgemus ut praefatus Dei servus Ioannes de Prado inposterum Beati nomine nuncupetur, eiusque corpus et reliquiae venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferenda) exponantur, imagines quoque radiis seu splendoribus exornentur, ac de eo quotannis die felicis eius transitus seu aliâ die non impeditâ illam immediate sequenti recitetur officium et missa celebretur de communi unius martyris iuxta rubricas breviarii et missalis romani. Porro recitationem officii et missae celebrationem huiusmodi fieri concedimus dumtaxat in universo Ordine Minorum sancti Francisci utriusque sexus, quem quidem Dei servus suo martyrio illustravit, in oppido Mogrobeio Legionensis dioecesis in Hispaniâ, in quo ortum habuit, ac etiam in regno Marochitano, ubi martyrium passus est, ab omnibus utriusque sexus christifidelibus,

tam saecularibus quam regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, et, quantum ad missas attinet, etiam ob omnibus sacerdotibus ad ecclesias, in quibus festum peragetur, confluentibus. Praeterea, primo dumtaxat anno a datis hisce litteris, et, quoad Indias, a die quo eaedem litterae illuc pervenerint inchoando, in ecclesiis Ordinis, oppidi et regni Marochii praefatorum solemnia beatificationis eiusdem servi Dei cum officio et missâ sub ritu duplici maiori, die ab Ordinariis respective constitutâ, postquam tamen in basilicâ Principis Apostolorum de Urbe celebrata fuerint eadem solemnia, pro qua re diem XXIV currentis mensis maii, utpote illius obitus et martyrii anniversariam, assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem.

Clausulae. § 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac decretis de non culto editis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 4. Volumus autem, ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu secretarii praefatae Congregationis cardinalium subscriptis et sigillo praefecti eiusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus et ubique tam in iudicio quam extra illud habeatur[1] quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV maii MDCCXXVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 14 maii 1728, pontif. anno IV.

CCXXV.

Erigitur motu proprio terra Roncilionis in civitatem [2].

1 Edit. Main. legit *habeantur* (R. T.).

2 Const. ed. MDCCXXV, die 16 iulii, pontif. II, erectum fuit oppidum Montis Curvi in civitatem.

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. In supremo militantis Ecclesiae solio meritis licet imparibus per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam constituti, ad ea propensis studiis intendimus, per quae terrarum temporalis S.R.E. ditionis decor amplietur.

Preces universitatis terrae praedictae. § 1. Cum itaque, sicut dilecti filii priores, consilium ac universitas et homines terrae nostrae Roncilionis, Sutrinae dioecesis, nobis nuper exponi fecerunt, dicta terra gubernatorem cum titulo iudicis, et novem loca, nempe Caprarolam, Canepinam, Valleranum, Fabricam, Crocchianum, Castrum S. Eliae, Burghettum, Insulam Farnesianam et Vicum eidem iudici subiecta habeat, necnon quinque mille et sexcentos circiter incolas et habitatores contineat, ac in eâ saecularis et collegiata ecclesia cum archipresbytero et viginti uno canonicis, parochialis[1] ecclesia, quatuor Ordinum regularium conventus, et collegium clericorum saecularium Doctrinae Cristianae, tertiariorum Ordinis sancti Francisci conservatorium, septem confraternitatum oratoria, tria hospitalia, unum pro infirmis et alterum pro convalescentibus et reliquum pro peregrinis reperiantur, ipsi exponentes, pro eorum ac terrae huiusmodi necnon singulorum incolarum et habitatorum decore, terram ipsam civitatis nomine insigniri summopere desiderant: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Erectio eiusdem in civitatem. § 2. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis

1 Ed. Main. legit *parochiali* (R. T.).

sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ac etiam motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, terram Roncilionis praedictam in[1] civitatem Roncilionis nuncupandam tenore praesentium perpetuo erigimus et instituimus; ac terram praedictam civitatis[2], incolas et habitatores praedictos civium nomine decoramus, ita tamen ut nunc et pro tempore existens episcopus Sutrinus in eâ residere minime teneatur, sed terra huiusmodi, in civitatem sic erecta, cathedrali ecclesiae Sutrinensi, ut prius, subiecta remaneat.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis ius vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ quantumvis legitimâ et privilegiata causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali, ac incogitato et inexcogitabili individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, , ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. camerarium, ac alios cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoscumque quavis praeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et, quatenus opus sit, terrae praefatae, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis et locis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus

1 Praeposit. *in* nos addimus (R. T.).
2 Vocem *civitatis* nos addimus (R. T.).

et singulis, etiamsi pro illorumque sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVIII maii MDCCXXVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 28 maii 1728, pontif. anno IV.

CCXXVI.

Eximitur episcopus Passaviensis ab omni iure metropolitico archiepiscopatus Salisburgensis [1].

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium ex eo quod Summus Pontifex iurgia et dissidia inter pastores animarum evellere soleat.

Arcano divinae providentiae consilio totius Ecclesiae curae nullis meritorum nostrorum suffragiis praepositi, in id pro nostri apostolatus munere incumbimus, ut quaecumque litigia et controversias inter Dei ministros, praesertim pontificali dignitate fulgentes, quomodocumque olim exortas, et earum quoque occasiones abditasque radices, omni studio, quantum in Domino possumus, omnino evellamus, ne, iurgiis et dissidiis gliscentibus, in sanctae Ecclesiae pastoribus charitas refrigescat, et plebs christiana eorum custodiae divinitus commendata detrimentum patiatur, ac Dei cultus, quod absit, imminutus appareat, quem amplificari, ut par est, summopere optamus, et ecclesiarum omnium, praecipue vero insigniorum, maiestatem ad Dei gloriam augeri, debitisque etiam honorificentiae titulis et gratiis apostolicis decorari.

Laureacensis ecclesia in Norico Ripensi multis privilegiis aucta et Pataviam seu Passaviam in Vindeliciâ translata.

§ 1. Haec sane in memoriam nobis reducunt Laureacensis, aliàs Lauriacensis, ecclesiae metropoliticam sedem in Norico Ripensi a primis Ecclesiae saeculis extructam, et tamquam murum pro domo Israël adversus christiani nominis hostes per sanctissimos Evangelii praecones fundatam, ac martyrum quoque purpurâ ornatam, quam, ex cathedrae Sirmiensis in Pannoniâ extinctione haud parum subinde auctam, antecessores nostri Romani Pontifices, priusquam illustrem civitatem barbari vastassent, et postquam etiam sacerdotale eius fastigium, Pataviam seu Passaviam in Vindeliciâ Norico ipsi conterminâ translatum, ibi novam ecclesiam constituit, singularibus privilegiis B. Petri sibi amplius ornandam susceperunt. Etenim Symmachus Papa Teodoro Laureacensi, more maiorum, pallii archiepiscopalis usum largitus, sedem eius non unius Norici Ripensis, sed etiam Pannoniarum matrem esse voluit: quod postea in subsequentium Romanorum Pontificum piae memoriae decessorum nostrorum, Eugenii II, Agapeti II, Leonis VII et Benedicti VII apostolicis litteris ad Laureacenses praesules scriptis memoratum occurrit. Qui quidem Agapetus legationem suam eidem adiunxit; Benedictus vero inter utramque ecclesiam, Salisburgensem nimirum et Laureacensem, limites constituit, quam-

1 Aliâ huius Pontificis const. ed. MDCCXXV, die 10 septembris, pontif. II, redintegrata fuit ad cathedralitatem ecclesia Priverniensis.

vis postea Laureacensis ecclesiae culmen, Pataviae consistens, eò saepe devenerit, ut varias et complures calamitates ac vices ob magnam quoque Salisburgensium archiepiscoporum potentiam et auctoritatem subire compertum fuit, modo archiepiscopi, modo etiam episcopi elogio honestatum, ac veteri iure suo, insignibus, titulisque, ac pristinae Laureacensis dioecesis amplitudine non parum imminutum[1].

Pataviensis ecclesia a Salisburgensi metropoli olim exempta et pallio archiepiscopali decorata.

§ 2. Non ideo tamen unquam praesules ecclesiae Pataviensis, cui antiquae dioecesis Laureacensis maxima pars una cum ipsâ civitate Laureaco etiamnum subest, veterem pallii usum postliminio recuperandi animum desponderunt. Immo Georgius Pataviensis episcopus in concilio Constantiensi a Balthassarre episcopo cardinali Tusculano, tunc in suâ obedientiâ Ioanne Papa XXIII, pro se suisque in ecclesiâ Pataviensi episcopis successoribus a quocumque iure metropolitico et legationis apostolicae archiepiscopi Salisburgensis omnimodam exemptionem obtinuit unâ cum usu pallii. Hoc ex Ioannis litteris eâ de re conscriptis constat, quas felicis recordationis decessor noster Martinus Papa V Florentiae confirmans eidem Georgio rursus huiusmodi exemptionem et usum pallii benigne concessit, ut in eius litteris tunc promulgatis plenius continetur; quae postea litterae ab eodem Martino V Romae constituto abrogatae et revocatae fuerunt, ita tamen ut idem Georgius toto vitae suae tempore unâ cum suâ ecclesiâ et dioecesi impetratis gauderet, nec sub eâdem revocatione et Salisburgensi metropoli subiectione ullo pacto comprehenderetur.

Hinc discordiae inter Pataviensem episcopum et Salisburgensem metropolitam exortae.

§ 3. Quare inter Georgii episcopi successores, ex unâ, et Salisburgenses archiepiscopos, ex alterâ paribus, nonnullae discordiae et controversiae aliquando exortae fuerunt, quae postea in apertam litem inter bonae memoriae Ioannem Philippum S.R.E. cardinalem a Lamberg nuncupatum, episcopum Pataviensem, ex unâ, et Salisburgensem archiepiscopum, ex alterâ partibus, eruperunt. Haec porro lis ad iudicium Apostolicae Sedis perlata coram iudicibus competentibus in nostri palatii apostolici causarum auditorio, sive in particulari hac de re Congregatione per hanc Sedem Apostolicam deputatâ, vel in Congregatione S.R.E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum, aliove Romanae Ecclesiae tribunali, non sine ingenti utriusque patris dispendio acta est, super omnimodâ exemptione Ecclesiae Pataviensis, ac super eiusdem restitutione in dignitatem archiepiscopatus Laureacensis, superque iure metropolitico quod in ecclesiam Pataviensem Salisburgensis archiepiscopus se habere contendebat.

Lis praedicta inter Pataviensem episcopum et Salisburgensem metropolitam, quam Innocentius XII ulterius procedere vetuit, prorsus extinguitur.

§ 4. Quum[1] vero lis ita ut diximus excitata atque introducta a plurimis annis agitaretur, piae memoriae antecessor noster Innocentius Papa XII eam ulterius procedere vetuit; unde huiusmodi controversia adhuc reperitur et pendet indecisa; licet pro archiepiscopo Salisburgensi quaedam auditorum palatii nostri apostolici decisiones, sive sententia cuiuspiam tenoris, vel alterius cuiuscumque Romanae Ecclesiae tribunalis aut Congregationis deputatae, olim prodierint. Hinc nos, dignam huiusmodi controversiam reputantes quae tandem inter animarum pastores, quos Paulus apostolus noluit esse litigiosos, perpetuo sopiatur, et Pataviensis ecclesia, ob veterem celebremque originem suam magni facienda, tranquillâ pace donata, in pristinam suam exemptionem atque

1 Edit. Main. legit *imminutam* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *Quam* pro *Quum* (R. T.).

insignia restituatur, vel etiam denuo illustrata et postliminio antiquis suis privilegiis munita consurgat, paterno apostolicae charitatis intuitu huiusmodi pacem atque unitatem inter primarios illustrium ecclesiarum antistites confoveri in posterum peroptantes, omnia et singula hucusque praemissa tamquam vere nobis exposita ac satis probata et ostensa accipientes, ut carissimi etiam in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum catholici et Romanorum regis illustris atque imperatoris electi ferventibus votis obsecundemus, quae per dilectum filium nostrum Alvarum S.R.E. tituli S. Bartholomaei in Insulâ presbyterum cardinalem Cienfuegos nuncupatum, apud nos ecclesiarum Germaniae comprotectorem, identidem nobis exposita innotuerunt, motu proprio, ex certâ scientiâ et deliberatâ voluntate nostrâ, deque plenitudine apostolicae potestatis, omnem huiusmodi litem et causam a multis annis indecisam adhuc pendentem, et quamcumque aliam controversiam de praemissis quomodolibet hactenus excitatam sive excitandam, ad nos apostolicâ auctoritate advocantes, extinguimus et abolemus, atque ad nos ipsos advocatam, extinctam et abolitam esse volumus et declaramus, ne amplius dicatur: *Unde bella et lites in vobis*[1]? Qua in re antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum exempla prae oculis habemus, qui diuturnas huiusmodi lites inter insignium ecclesiarum antistites olim exortas et plurium saeculorum spatio agitatas suâ auctoritate extinxerunt. Ita enim piae memoriae antecessor noster Alexander Papa III litigia inter patriarchas Aquileiensem et Gradensem suâ auctoritate ad finem perduxit; ita felicis recordationis antecessor quoque noster Innocentius Papa III **inter Turonensem archiepiscopum et Dolensem in Brittanniâ Minori antistitem lites et contentiones diremit; ita denique similis memoriae Nicolaus Papa V iurgiis et questionibus inter Gradensem patriarcham et Olivolensem, seu Castellanum, tunc civitatis Venetiarum episcopum, supremum finem imposuit.**

[1] Iacob. I, 4.

Episcopus Pataviensis a metropoli et legatione Salisburgensi eximitur, pallii et crucis praevie ferendae; privilegio ornatur cum obligatione archiepiscopum Salisburgensem quoad concilia provincialia tantum in suum metropolitam sibi eligendi.

§ 5. **Nos igitur, praeeuntibus his exemplis instructi, ut omnis occasio quorumcumque dissidiorum et contentionum inter Salisburgensem archiepiscopum et Pataviensem episcopum nunc et pro tempore perpetuis futuris temporibus e medio tollatur, interque utriusque ecclesiae capitula et canonicos sacrosque ministros, ceterosque quoscumque, etiam speciali mentione dignos, in lite et causâ praedictis rem habentes, seu quomodocumque se habere contendentes, perpetuum silentium auctoritate apostolicâ imponimus, districte praecipientes et omnino inhibentes ne deinceps iidem se invicem vel quisquam illorum alterutrum vexare, perturbare et molestare audeat sive praesumat, sub poenis nostro et successorum nostrorum Romanorum Pontificum pro tempore existentium arbitrio infligendis; idque perpetuis futuris temporibus ab utrâque parte debere observari volumus et sancimus. Praeterea, ob eximiam praestantiam, qua sedes episcopalis Pataviensis, aliàs archiepiscopalis Laureacensis, olim fuit honestata, super his maturâ et seriâ animi nostri cogitatione excitati, ad eiusdem ecclesiae honorificentiam et dignitatem pontificalem magis augendam, atque intuitu meritorum erga nos et Apostolicam Sedem venerabilis fratris nostri Iosephi Dominici Pataviensis episcopi, sanctiori disciplinâ et domus Dei zelo praecipue commendandi, eumdem Iosephum Dominicum, atque eius legitimos successores ecclesiae Passaviensis episcopos pro tem-**

pore existentes, qui inter Germanici imperii principes non infimum locum habent, tenore praesentium in ius pallii de corpore B. Petri sumendi, statisque diebus et locis adhibendi, et crucis praeviae ferendae, quibus olim archiepiscopi Laureacenses et Patavienses episcopi potiti fuerunt, in perpetuum apostolicâ auctoritate integramus et restituimus, sive archiepiscopalia insignia, pallium et crucem, eidem Iosepho Dominico episcopo eiusque successoribus denuo in perpetuum concedimus atque indulgemus, itaut idem Iosephus Dominicus episcopus et eius successores archiepiscopalium huiusmodi insignium ornatu et plenitudine libere et licite uti possint et valeant eo modo quo Ticinensis et Laucensis ecclesiarum antistites uti consueverunt. Ad haec eumdem Iosephum Dominicum episcopum, eiusque successores, et ecclesiam Pataviensem, capitulum et canonicos, totamque eius dioecesim, clerum et populum, et quascumque praelaturas, dignitates, personatus et officia, ac beneficia ecclesiastica, cum curâ et sine curâ, et regularia quorumvis Ordinum in civitate et dioecesi Pataviensi instituta, vel in posterum canonice instituenda, quibuscumque nominibus cessantur[1], unâcum omnibus eorum iuribus et pertinentiis, bonisque mobilibus et immobilibus, quae nunc possident, et deinceps, favente Domino, possidebunt et acquirere poterunt, ab omni et quacumque subiectione, iurisdictione, superioritate, dominio, potestate et metropolitico iure ecclesiae Salisburgensis, ac illius archiepiscopi et successorum quorumcumque, necnon a iure legationis apostolicae in provinciâ Salisburgensi tenore praesentium eximimus, subtrahimus et liberamus, perpetuisque futuris temporibus undequaque eximi, subtrahi ac liberari volumus; eumdemque Iosephum Dominicum episcopum, illiusque ecclesiam Pataviensem, capitulum et canonicos, clerum et populum, necnon quascumque personas, ac beneficia praedicta, totamque eius dioecesim Pataviensem, in ius et proprietatem Sedis Apostolicae, et sub eius et nostrâ speciali et immediatâ protectione suscipimus; nobisque et Romanis Pontificibus successoribus nostris nullo medio in perpetuo subesse decernimus atque statuimus. Volumus tamen, et expresse praecipimus et mandamus, ut eidem episcopo Pataviensi onus incumbat eligendi archiepiscopum Salisburgensem pro suo metropolitano ad Concilii Tridentini atque etiam ultimi nostri Romani tenorem, cum obligatione conveniendi ad concilia provincialia tantum ab eodem archiepiscopo indicenda: quae quidem electio metropolitani Salisburgensis eumdem Pataviensem episcopum eiusque successores afficere et obligare omnino intelligatur, itaut ille vel illi nullum alium nisi Salisburgensem archiepiscopum eligere valeant, et ad concilium provinciale praedictum accedere omnino teneantur.

Pataviensis episcopus atque eius successores harum litterarum concessione perpetuo fruantur.

§ 6. His ergo stabilitis atque hac nostrâ constitutione firmatis, decernimus, Pataviensem episcopum, et quoscumque eius successores ad Pataviensis ecclesiae cathedram imposterum provehendos, in his quae praesentibus nostris decernuntur, per nullum patriarcham, archiepiscopum, episcopum, aliasve personas, quacumque aliâ auctoritate, dignitate et praeeminentiâ fulgentes, quovis praetextu, colore vel ingenio, publice vel occulte, directe vel indirecte, ullo pacto impediri, turbari, molestari vel inquietari unquam posse aut de-

1 Ab inusit. verbo *cessere*, unde *arcessere*; ni malueris legere *vocentur*, *ciantur*, aut simile (R. T.).

bere, praesentesque semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, atque ab omnibus et singulis, ad quos nunc spectat atque imposterum spectabit, eas firmiter et inviolabiliter observandas esse, et nullo unquam tempore, ex quocumque capite vel causâ, quantumvis legitimâ et iuridicâ, etiam propterea quod venerabilis frater noster archiepiscopus Salisburgensiis, sive alii, cuiuscumque dignitatis, gradus, conditionis et praeeminentiae habeantur, in praemissis et circa ea quomodolibet quavis ex causâ, ratione, actione vel occasione ius et rem habentes vel habere se praetendentes, praemissis non consenserint, neque ad ea vocati, citati et auditi fuerint, nec eis consensum ullo modo praestiterint, immo fortasse illis contradicentibus, causae, propter quas praesentes prodierunt, adductae, ostensae et probatae non fuerint de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis sive invaliditatis, aut intentionis nostrae vel quolibet alio quantumvis magno et substantiali, excogitato, inexcogitabili et specificam atque individuam mentionem requirente defectu, sive etiam ex eo quod in praemissis, earumque aliquo, solemnitates et quaevis alia servanda atque adimplenda, servata et adimpleta non essent vel fuerint, aut ex quocumque alio capite, a iure vel facto aut statuto ac consuetudine aliquâ resultante, seu quocumque alio colore, praetextu, ratione vel causâ, etiam in corpore iuris expressâ, occasione, aliâve quacumque causâ, etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut propterea quod de voluntate nostrâ ceterisque superius expressis nullibi appareret, sive aliàs probari non posset, notari, invalidari, retractari, inque ius vel controversiam vocari, sive ad terminos iuris reduci, vel contra illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu pari concesso aut impetrato vel promulgato, uti aut se iuvare in iudicio vel extra posse, atque ipsas praesentes sub quibuscumque similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per nos ipsos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes praedictamque Apostolicam Sedem, etiam motu pari et consistorialiter, ex quibuslibet causis, et sub quibusvis verborum tenoribus et formis, et cum quibuscumque clausulis et decretis, etiamsi de eisdem praesentibus earumque toto tenore et datâ specialis mentio fieret, pro tempore factis et faciendis, concessis et concedendis, minime comprehendi; sed eas, tamquam ad maiorem divini cultus amplificationem et ecclesiarum tranquillitatem et pacem a nobis editas, semper et omnino excipiendas, et, quotiescumque emanabunt, toties in pristinum et validissimum, atque eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restitutas, repositas et plenarie integratas esse decernimus, ac denuo etiam sub quacumque posteriori datâ a Pataviensi episcopo nunc et pro tempore existente[1] quandocumque eligendâ[2] concessas esse et fore; sicque et non aliàs per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, dictaeque Sedis nuncios, et alios quoscumque quavis au-

1 Praeposit. *et* delemus (R. T.).

2 Edit. Main. legit *eligendo* (R. T.).

ctoritate, potestate, praerogativâ et privilegio, honore et praeeminentiâ fulgentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate atque auctoritate, in quocumque iudicio atque instantiâ iudicari et definiri debere, et, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Clausulae. §. 7. Non obstantibus nostris et Cancellariae Apostolicae regulis de iure quaesito non tollendo, ac etiam in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis vel edendis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Salisburgensis et Pataviensis ecclesiarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eis et earum cuilibet, necnon illarum et cuilibet earum archiepiscopo et episcopo, ac capitulo et canonicis aliisque superioribus et personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, et cum quivusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis atque insolitis clausulis, irritantibusque ac aliis decretis, in genere vel in specie, aut aliàs in contrarium praemissorum quomodocumque concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaelibet alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas, causas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis, servatis et specificatis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, motu ac potestatis plenitudine praedictis, specialiter, expresse et plenissime derogamus, et derogatum esse volumus et mandamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis, absolutionis, litis extinctionis, avocationis, silentii impositionis, restitutionis, integrationis, novae concessionis, indulti, exemptionis, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Sanctio poenalis.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVIII, kalendis iuniis, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 1 iunii 1728, pontif. anno IV.

CCXXVII.

Damnantur et prohibentur folia quaedam gallico idiomate impressa, quorum titulus Consultation de messieurs les avocats du Parlament de Paris au sujet du jugement rendu à Ambrun contre monsieur l'evesque de Senez.

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Nuper ad apostolatus nostri notitiam non sine maximo animi nostri Expositio facti.

1 Clementis XI constit. edit. MDCCXIII, die 8 septembris, pontif. XIII, damnatae fuerunt quamplures propositiones ex libro sub titulo *Nouveau Testament, etc*, excerptae; et aliâ huius Pontificis constit. edit. MDCCXXVIII, die XXV iunii, pontif. V, damnantur duo libri gallici.

dolore pervenit, laicos quosdam, simulantes loqui pacem et veritatem cum proximo suo, mala autem in cordibus suis cogitantes, ut incautos in errorem inducant, iuxta iter scandalum fidelibus posuisse, atque ea, quae fidei certa sunt, in controversiam vocare, ecclesiastica iudicia nedum retractare, sed etiam subvertere, et, cum oves sint, pastores ipsos ducere et redarguere praesumentes, folia quaedam, aeternae salutis immemores, evulgasse, typis gallico idiomate edita, absque tempore ac loco impressionis et nomine impressoris, quorum titulus: *Consultation de messieurs les Avocats du Parlement de Paris au sujet du jugement rendu à Ambrun contre messieur l'evesque de Senez.*

Damnatio et prohibitio praedictorum foliorum sub poenâ excommunicationis.

§ 2. Hinc est quod nos, pro commissâ nobis divinitus gregis dominici curâ, animarum periculis atque detrimentis, quae ex praefatorum foliorum lectione et usu provenire possent, pastorali vigilantiâ ac sollicitudine, quantum in Domino possumus, occurrere volentes, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio, ac etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, folia praedicta, utpote continentia propositiones scandalosas, temerarias, seditiosas, perniciosas, contumeliosas, Apostolicae Sedis et episcoporum auctoritati contrarias et iniuriosas, atque haeresi faventes, necnon schismaticas respective et haereticas, sub supra expresso, aliove quocumque titulo et idiomate, seu quavis editione et versione ubicumque hactenus typis impressa, ac etiam manu scripta, aut, quod absit, deinceps imprimenda et describenda, tenore praesentium damnamus, reprobamus, ac legi et retineri prohibemus, illorumque impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem et usum omnibus et singulis christifidelibus, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione dignis, sub poenâ excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque aliâ declaratione incurrendâ, a qua nemo a quoquam, praeterquam a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere, omnino interdicimus.

Prohibita retentio eorumdem.

§ 3. Volentes, et auctoritate apostolicâ mandantes, ut, quicumque folia huiusmodi penes se habuerint, illa, statim atque praesentes litterae eis innotuerint, locorum Ordinariis vel haereticae pravitatis inquisitoribus tradere atque consignare teneantur. Hi vero ea sibi sic tradita illico flammis aboleri curent. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Decernitur publicatio harum litterarum.

§ 4. Ut autem eaedem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius perducantur, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus et auctoritate praefatâ decernimus ut illae ad valvas basilicae Principis Apostolorum, ac Cancellariae Apostolicae, necnon Curiae generalis in Monte Citatorio et in acie Campiflorae de Urbe per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa reliquantur, et sic publicatae omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatae et intimatae fuissent; utque ipsarum praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae eisdem praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IX iunii MDCCXXVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 9 iunii 1728, pontif. anno V.

CCXXVIII.

Declaratur, eis, qui, post vota simplicia, ante tamen solemnem professionem, a Societate Iesu ab eiusdem praeposito generali dimittuntur, nulla ab eâdem Societate deberi alimenta [1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Iniuncti nobis divinitus pastoralis officii ratio postulat ut in his apostolicae nostrae sollicitudinis partes libenter interponamus, per quae religiosorum virorum in vineâ Domini excolendâ strenue laborantium, propriaeque et alienae animarum saluti iugiter incumbentium, quieti atque tranquillitati opportune consulitur.

Causae huius constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, Societatem Iesu multoties antehac molestari ac in iudicium trahi contigerit ab eis, qui, post exactum probationis biennium ac vota simplicia in eâdem Societate emissa, ante tamen solemnem professionem, per illius praepositum generalem iustis ac rationalibus de causis, iuxta facultates sibi a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris attributas, ex ipsâ Societate dimittebantur, alimenta scilicet seu congruam substentationem sibi a dictâ Societate deberi et consequi praetendentes propterea quod, dum in illâ degebant, ad sacros ordines, absque beneficio ecclesiastico et patrimonio, sed religiosae paupertatis titulo, promoti fuissent; licet autem satis perspectum exploratumque sit aequi bonique rationi nusquam consentaneum esse, quod Societas praefata, quae in illis emandandis iure suo utitur, alimenta seu substentationem huiusmodi suppeditandi oneri obnoxia remaneant, minusque quod ipsi ex suâ culpâ, quae dimissioni causam praebet, utilitatem et commodum reportent, atque ita pluries a Congregatione pro tempore existentium S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum, re accurate discussâ, decretum ac resolutum fuerit, nihilominus facile evenire possit similes quaestiones imposterum quoque, non sine praedictae Societatis perturbatione ac dispendio, moveri seu instaurari, nisi eis aditus precludatur:

Declaratio praedicta circa eiectos a Societate Iesu, ante solemnem professionem.

§ 2. Hinc est quod nos, eamdem Societatem Iesu, quam, ob singularia suae in hanc Sanctam Sedem merita, peculiari apostolicae dilectionis prosequimur affectu, a quacumque lite et molestiâ, quae exinde deinceps oriri possent, eximere, ac omnem desuper controversiae occasionem submovere cupientes, ipsamque Societatem specialis favore gratiae prosequi volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione statuimus ac declaramus, memoratam Societatem Iesu non teneri nec obligatam esse ad ullam subministrationem, sive congruae substentationis, sive alimentorum, sive alio quocumque titulo et causâ illis faciendam, qui post biennium probationis et emissionis votorum simplicium extra dictam Societatem a suis superioribus eiiciuntur, tametsi, dum in eâ permanebant, ad sacros etiam presbyteratus ordines sine beneficio ecclesiastico ac patrimonio et ad titulum religiosae paupertatis promoti fuerint.

[1] Clementis XI const. ed. MDCCXIX, die I decembris, pontif. XX, agitur de transitu fratrum Societatis ad alios Ordines religiosos.

Clausulae.

§ 3. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S.R.E. cardinales, etiam de latere legatos, et apostolicae Sedis nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon, quatenus opus sit, praedictae Societatis, illiusque collegiorum et domorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, etc.[1]

Fides habenda transumptis.

§ 5. Volumus autem, ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici vel secretarii dictae Societatis subscriptis, et sigillo praepositi generalis eiusdem Societatis seu alterius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII iunii MDCCXXVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 12 iunii 1728, pontif. anno V.

CCXXIX.

Confirmatur decretum capituli generalis Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, quo responsum est laicos seu conversos, donatos nuncupatos, eiusdem Ordinis, teneri unâ cum religiosis choristis ad omnia humilitatis officia, cum declaratione[1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

A donatis praedictis lis intentata est coram Congregatione episcoporum et regularium quae votum capituli requisivit.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius modernus praepositus generalis Congregationis Italiae fratrum Discalceatorum Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo, quod laici, seu conversi, communiter donati nuncupati, dictae Congregationis, cibos mensae imponere et promiscue unâ cum religiosis choristis ad omnia alia humilitatis officia domus regularis operam conferre sese minime teneri praetendentes, litem coram Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ intentarunt, et in eâ iterato causâ praepositâ, emanavit resolutio, ut votum capituli generalis, iuxta instructiones, exquireretur, et interim dictos donatos teneri ad arbitrium superioris; lectisque proinde et per capitulares instructionibus huiusmodi auditis, ipsi decretum ediderunt tenoris qui sequitur, videlicet:

A quo responsum fuit *affirmative* per praesens decretum.

Ex actis capituli nostri generalis celebrati in conventu nostro S. Caroli Mediolani, die XVI aprilis MDCCXXVIII, sessione XV, matutinâ die XXIII aprilis. — Cum de mandato sacrae Congregationis episcoporum et regularium teneatur capitulum generale dare suum votum in causâ fratrum donatorum, propositum fuit reverendis patribus capitularibus in capitulo generali congregatis, an ex vi nostrarum legum censeant teneri fratres donatos exercere officia humilitatis, tersoris scutellarum et servitoris primae mensae, sicuti exercent ceteri religiosi choristae etiam sacerdotes. Responsum fuit *affirmative* per secreta suffragia cum quin-

1 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

1 Hac de re vide etiam Clementis XII const. ed. MDCCXXXI, die VIII martii, pontif. I.

quaginta ex quinquaginta septem votis. PHILIPPUS A S. NICOLAO praepositus generalis. — Fr. PHILIPPUS a S. THERESIA capituli secretarius.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus praepositus generalis praemissa, quo firmius subsistant, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, et perpetuum eisdem donatis silentium imponi, ac scandalosam huiusmodi litem finiri summopere desideret: nos, eamdem litem penitus et omnino tollere, ipsumque praepositum generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum a memorato capitulo generali factum, ut praefertur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac perpetuum praedictis donatis super praemissis silentium imponimus, ipsosque donatos non esse amplius audiendos, harum serie, eâdem auctoritate, decernimus et declaramus.

Clausulae peculiares.

§ 3. Decernentes pariter, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, et illis respective suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Congregationis et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII iunii MDCCXXVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 22 iunii 1728, pontif. anno V.

Quibus ita peractis a donatis citata est adversa pars pro aperitione oris.

Fidem facio per praesentes ego causarum curiae Camerae Apostolicae ac illustrissimi et reverendissimi domini auditoris Sanctissimi notarius publicus infrascriptus, qualiter unus cursor retulit in scriptis, se die XIX iulii MDCCXXVIII, pro parte et ad instantiam fratrum conversorum seu donatorum provinciae Venetae principalium, sive, etc., coram eodem illustrissimo et reverendissimo domino auditore Sanctissimi, per acta mei, etc. citasse dominum Gulielmum Ricca, exadverso procuratorem assistentem reverendissimi patris praepositi generalis ac reverendorum patrum choristarum Carmelitarum Discalceatorum provinciae Venetae exadverso principalium, ad dicendum contra memoriale cum rescripto Sanctissimi, et videndum, praeviâ oris aperitione adversus Breve apostolicum ex adverso ut asseritur impetratum die XXII iunii proximi praeteriti, seu, etc., remitti

causam super abstersione scutellarum, servitio mensae, aliisque actibus humilitatis, remitti[1] ad sacram Congregationem episcoporum et regularium, coram qua eadem causa pendet indecisa, et interim videndum sibi inhiberi, ne, sub poenis attentatorum, excommunicationis, aliisque arbitrio, etc., audeat seu praesumat quidquam attentare seu innovare, aut attentare vel innovari facere, quatenus opus sit capi quamcumque provisionem illustrissimo et reverendissimo domino benevisam, et decretum quodcumque desuper necessarium et opportunum fieri ac interponi ad p. d. Die XXI iulii MDCCXXVIII, relatione factâ, comparuit dominus Liborius de Petrantoniis procurator, petiit ut supra. Ex tunc illustrissimus dominus habuit terminum pro servato, procuratore ex adverso praesente, etc., et latius prout in eisdem actis mei, etc., ad quae, etc. In fidem, etc.

Datum Romae, hac die XIII septembris MDCCXXV. — *Ita est:* SALVATOR PAPAROZZIUS A. C. notarius.

Intus: Beatissimo Padre.

Tenor memorialis porrecti pro parte donatorum Sanctissimo domino nostro.

« Si degnò la S. V., ad istanza del padre generale dei Carmelitani Scalzi della Congregazione d'Italia, di confermare con suo Breve sotto li 22 giugno 1728 il voto fatto dal capitolo generale celebrato in Milano nel prossimo passato aprile, in cui si decretò che li conversi di detta religione oratori umilissimi della S. V. siano obbligati a fare gli offici ebdomadarî di servire alla mensa, lavar piatti, ed altri offici d'umiltà sin ad ora eseguiti da' soli coristi, imponendo anche perpetuo silenzio agli oratori. E benchè paresse a questi di restar pregiudicati da detto Breve, e di poter esperimentare le loro ragioni in Congregazione dei vescovi e regolari, avanti la quale pende ancora il ricorso fattovi per questa causa dei conversi della provincia di Venezia: contuttociò in venerazione de' santissimi ordini del S. V. sono disposti a soccombere a qualsivoglia gravame, tuttochè da essi non professato, che sia per imporsi loro dalla S. V. Ma perchè il calore dell' impegno potrebbe trasportare il moderno padre generale ed altri suoi parziali a pretendere, in vigore di detto Breve, d'obbligare all'esecuzione dei predetti offici ebdomadarî anche quelli delli oratori, quali esercitano nella religione offici fissi, e per altra parte non è stata mai mente della S. V. (quale ha la piena comprensione delle materie claustrali) d'obbligare a doppio gravame gli oratori: questi, sulla fiducia della paterna clemenza della S. V., ad effetto di schivare le liti fra religiosi, umilmente la supplicano a voler ordinare che si dichiari, che l'accennato Breve non comprende quelli delli oratori a' quali sarà nella religione assegnato uno dei seguenti offici, cioè di vestiario, altrimenti detto robbiero, di canavaro, di spenditore, di ministro del refettorio, d'ortolano, ossia sovrintendente di campagna, e di cercante d'elemosine, di speziale, ossia infermiero, di cuoco, di sottosagrestano e portinaro. Che della grazia, ecc.

Foris: Alla Santità di N. Signore Papa Benedetto XIII, per li conversi Carmelitani Scalzi della Congregazione d'Italia, detti *donati* ».

Declaratio Brevis.

Tenor declarationis.

Die III septembris MDCCXXVIII, ex audientiâ Sanctissimi. — Factâ per me relatione, Sanctitas Sua declaravit, Breve concessum et expeditum die XXII iunii MDCCXXVIII, confirmatorium voti editi per capitulum generale celebratum Mediolani die XVI praecedentis mensis aprilis super obligatione fratrum donatorum oratorum ad exercenda officia tersoris scutellarum et servitoris primae mensae, non comprehendere fratres donatos exercentes officia, nimirum quaestoris eleemosynarum, coqui, vestiarii, sacristae, ianitoris, hortulani, emptoris, ministri cellae vinariae, infirmarii, ministri refectorii, et similia; eosdemque propterea officiales non teneri nec obligatos esse ad exercenda munera praedicta tersoris scutellarum et servitoris primae mensae: non obstante quacumque contrariâ dispositione constitutionum Ordinis, voti et Brevis praedicti; quibus omnibus, quatenus opus sit, Sanctitas Sua in hac parte, et ad praemissum

1 Verbum *remitti* frustra repetitum (R. T.).

effectum dumtaxat, expresse et plenissime derogavit.

I. archiepisc episcopus Imolensis auditor.

Loco † sigilli.

CCXXX.

Damnantur et prohibentur libri duo gallico idiomate impressi [1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Expositio facti.

§ 1. Cum, sicut accepimus, in lucem prodierint duo libri gallico idiomate absque nomine auctoris seu auctorum typis editi, uterque in duos tomos divisus, unus quidem sub titulo infrascripto, videlicet:

Dissertation sur la validité des Ordinations des Anglois, et sur la succession des evesques de l'Église Anglicaine, avec le preuves justificatives de faits avancés dans cet ouvrage. Première partie. A Bruxelles, chez Simon T'Serstevens libraire près les RR. PP. Dominicains, 1723, et altera pars eodem titulo infrascripta *Seconde partie;*

Alius vero, cui titulus:

Défense de la dissertation sur la validité des Ordinations des Anglois, contre les différentes reponses qui ont été faites, avec les preuves justificatives des faits avancés dans cet ouvrage par l'auteur de la dissertation, tom. II, part. I, *etc. A Bruxelles, chez Simon T' Serstevens libraire près le RR. PP. Dominicains*, 1724, et altera pars hoc itidem postremo titulo inscripta, tom. II, part. II:

Damnatio et prohibitio praedictorum librorum sub poenâ excommunicationis.

§ 2. Nos, pro commissâ nobis ab aeterno Pastore gregis sui curâ, dominicas oves, quantum nobis ex alto conceditur, a noxiis praeservare cupientes, de nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, qui librorum huiusmodi relationem et censuram audiverunt, remque mature et diligenter discusserunt, consilio, ac etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, libros supradictos, et eorum quemlibet, uti continentes propositiones falsas, temerarias, seditiosas, scandalosas, perniciosas, piarum aurium offensivas, Sanctae Sedis et Conciliorum auctoritati iniuriosas et contumeliosas, schismaticas, erroneas, sacrarum ordinationum aliorumque Ecclesiae sacramentorum eversivas et haereticas respective, sub superius expressis, aliisque quibuscumque titulis, ubicumque, et quocumque alio idiomate, seu quavis editione et versione hucusque impressos ac manu descriptos, aut (quod absit) imprimendos et describendos, tenore praesentium damnamus, reprobamus, ac legi et retineri prohibemus, illorumque impressionem, descriptionem, lectionem et usum omnibus et singulis christifidelibus etiam specificâ et individuâ mentione et expressione dignis, sub poenâ excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque aliâ declaratione incurrendâ, a qua nemo a quoquam, praeterquam a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere, omnino interdicimus.

§ 3. Volentes et auctoritate apostolicâ mandantes, ut, quicumque libros praedictos vel aliquem illorum penes se habuerint, illos seu illum, statim atque praesentes litterae eis innotuerint, locorum Ordinariis vel haereticae pravitatis inquisitoribus tradere atque consignare teneantur; hi vero exemplaria sibi sic tradita illico flammis aboleri curent. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Praecipitur traditio eorundem.

[1] De aliâ prohibitione quorumdam foliorum gallico etiam idiomate impressorum vide aliam huius Pontificis constit. ed. MDCCXXVIII, die IX iunii, pontif. V.

causam super abstersione scutellarum, servitio mensae, aliisque actibus humilitatis, remitti[1] ad sacram Congregationem episcoporum et regularium, coram qua eadem causa pendet indecisa, et interim videndum sibi inhiberi, ne, sub poenis attentatorum, excommunicationis, aliisque arbitrio, etc., audeat seu praesumat quidquam attentare seu innovare, aut attentare vel innovari facere, quatenus opus sit capi quamcumque provisionem illustrissimo et reverendissimo domino benevisam, et decretum quodcumque desuper necessarium et opportunum fieri ac interponi ad p. d. Die XXI iulii MDCCXXVIII, relatione factâ, comparuit dominus Liborius de Petrantoniis procurator, petiit ut supra. Ex tunc illustrissimus dominus habuit terminum pro servato, procuratore ex adverso praesente, etc., et latius prout in eisdem actis mei, etc., ad quae, etc. In fidem, etc.

Datum Romae, hac die XIII septembris MDCCXXV. — *Ita est:* SALVATOR PAPAROZZIUS A. C. notarius.

Intus: Beatissimo Padre.

Tenor memorialis porrecti pro parte donatorum Sanctissimo domino nostro.

« Si degnò la S. V., ad istanza del padre generale dei Carmelitani Scalzi della Congregazione d'Italia, di confermare con suo Breve sotto li 22 giugno 1728 il voto fatto dal capitolo generale celebrato in Milano nel prossimo passato aprile, in cui si decretò che li conversi di detta religione oratori umilissimi della S. V. siano obbligati a fare gli offici ebdomadari di servire alla mensa, lavar piatti, ed altri offici d'umiltà sin ad ora eseguiti da' soli coristi, imponendo anche perpetuo silenzio agli oratori. E benchè paresse a questi di restar pregiudicati da detto Breve, e di poter esperimentare le loro ragioni in Congregazione dei vescovi e regolari, avanti la quale pende ancora il ricorso fattovi per questa causa dei conversi della provincia di Venezia: contuttociò in venerazione de' santissimi ordini del S. V. sono disposti a soccombere a qualsivoglia gravame, tuttochè da essi non professato, che sia per imporsi loro dalla S. V. Ma perchè il calore dell' impegno potrebbe trasportare il moderno padre generale ed altri suoi parziali a pretendere, in vigore di detto Breve, d'obbligare all'esecuzione dei predetti offici ebdomadari anche quelli delli oratori, quali esercitano nella religione offici fissi, e per altra parte non è stata mai mente della S. V. (quale ha la piena comprensione delle materie claustrali) d'obbligare a doppio gravame gli oratori: questi, sulla fiducia della paterna clemenza della S. V., ad effetto di schivare le liti fra religiosi, umilmente la supplicano a voler ordinare che si dichiari, che l'accennato Breve non comprende quelli delli oratori a' quali sarà nella religione assegnato uno dei seguenti offici, cioè di vestiario, altrimenti detto robbiero, di canavaro, di spenditore, di ministro del refettorio, d'ortolano, ossia sovrintendente di campagna, e di cercante d'elemosine, di speziale, ossia infermiero, di cuoco, di sottosagrestano e portinaro. Che della grazia, ecc.

Foris: Alla Santità di N. Signore Papa Benedetto XIII, per li conversi Carmelitani Scalzi della Congregazione d'Italia, detti *donati* ».

Declaratio Brevis.

Tenor declarationis.

Die III septembris MDCCXXVIII, ex audientiâ Sanctissimi. — Factâ per me relatione, Sanctitas Sua declaravit, Breve concessum et expeditum die XXII iunii MDCCXXVIII, confirmatorium voti editi per capitulum generale celebratum Mediolani die XVI praecedentis mensis aprilis super obligatione fratrum donatorum oratorum ad exercenda officia tersoris scutellarum et servitoris primae mensae, non comprehendere fratres donatos exercentes officia, nimirum quaestoris eleemosynarum, coqui, vestiarii, sacristae, ianitoris, hortulani, emptoris, ministri cellae vinariae, infirmarii, ministri refectorii, et similia; eosdemque propterea officiales non teneri nec obligatos esse ad exercenda munera praedicta tersoris scutellarum et servitoris primae mensae: non obstante quacumque contrariâ dispositione constitutionum Ordinis, voti et Brevis praedicti; quibus omnibus, quatenus opus sit, Sanctitas Sua in hac parte, et ad praemissum

[1] Verbum *remitti* frustra repetitum (R. T.).

effectum dumtaxat, expresse et plenissime derogavit.

I. archiepisc episcopus Imolensis auditor.
Loco † sigilli.

CCXXX.

Damnantur et prohibentur libri duo gallico idiomate impressi[1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Expositio facti.

§ 1. Cum, sicut accepimus, in lucem prodierint duo libri gallico idiomate absque nomine auctoris seu auctorum typis editi, uterque in duos tomos divisus, unus quidem sub titulo infrascripto, videlicet:

Dissertation sur la validité des Ordinations des Anglois, et sur la succession des evesques de l'Église Anglicaine, avec le preuves justificatives de faits avancés dans cet ouvrage. Première partie. A Bruxelles, chez Simon T'Serstevens libraire près les RR. PP. Dominicains, 1723, et altera pars eodem titulo infrascripta *Seconde partie;*

Alius vero, cui titulus:

Défense de la dissertation sur la validité des Ordinations des Anglois, contre les différentes reponses qui ont été faites, avec les preuves justificatives des faits avancés dans cet ouvrage par l'auteur de la dissertation, tom. II, part. I, *etc. A Bruxelles, chez Simon T' Serstevens libraire près le RR. PP. Dominicains*, 1724, et altera pars hoc itidem postremo titulo inscripta, tom. II, part. II:

Damnatio et prohibitio praedictorum librorum sub poenâ excommunicationis.

§ 2. Nos, pro commissâ nobis ab aeterno Pastore gregis sui curâ, dominicas oves, quantum nobis ex alto conceditur, a noxiis praeservare cupientes, de nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, qui librorum huiusmodi relationem et censuram audiverunt, remque mature et diligenter discusserunt, consilio, ac etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, libros supradictos, et eorum quemlibet, uti continentes propositiones falsas, temerarias, seditiosas, scandalosas, perniciosas, piarum aurium offensivas, Sanctae Sedis et Conciliorum auctoritati iniuriosas et contumeliosas, schismaticas, erroneas, sacrarum ordinationum aliorumque Ecclesiae sacramentorum eversivas et haereticas respective, sub superius expressis, aliisque quibuscumque titulis, ubicumque, et quocumque alio idiomate, seu quavis editione et versione hucusque impressos ac manu descriptos, aut (quod absit) imprimendos et describendos, tenore praesentium damnamus, reprobamus, ac legi et retineri prohibemus, illorumque impressionem, descriptionem, lectionem et usum omnibus et singulis christifidelibus etiam specificâ et individuâ mentione et expressione dignis, sub poenâ excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque aliâ declaratione incurrendâ, a qua nemo a quoquam, praeterquam a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere, omnino interdicimus.

Praecipitur traditio eorumdem.

§ 3. Volentes et auctoritate apostolicâ mandantes, ut, quicumque libros praedictos vel aliquem illorum penes se habuerint, illos seu illum, statim atque praesentes litterae eis innotuerint, locorum Ordinariis vel haereticae pravitatis inquisitoribus tradere atque consignare teneantur; hi vero exemplaria sibi sic tradita illico flammis aboleri curent. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

[1] De aliâ prohibitione quorumdam foliorum gallico etiam idiomate impressorum vide aliam huius Pontificis constit. ed. MDCCXXVIII, die IX iunii, pontif. V.

Decernitur publicatio harum litterarum.

§ 4. Ut autem eaedem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die XXV iunii MDCCXXVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 25 iunii 1728, pontif. anno V.

CCXXXI.

Applicantur et uniuntur capitalia quaedam seminario Civitatis Plebis[2].

Benedictus Papa XIII,
salutem et apostolicam benedictionem.

MOTU PROPRIO, etc.

Prooemium.

Inter multiplices curas, quae mentem nostram undequaque sollicitant, illi summâ ope iam pridem incumbendum nobis esse statuimus, ut seminaria, ubi iam reperiuntur erecta, sed congruis redditibus ad alumnorum magistrorumque substentationem necessariis non sunt sufficienter dotata, de iis opportune provideantur, quo magis adolescentes ecclesiasticae militiae addicti ad pietatem, morum candorem, litterarumque scientiam informentur.

Preces episcopi praedictae civitatis pro suppeditanda seminario congrua substentatione.

§ 1. Quapropter, auditis sensibus episcopi Civitatis Plebis, quod, ob redditnum mensae episcopalis ceterorumque tam dictae civitatis quam dioecesis beneficiorum tenuitatem, subsidiariam responsionem pro illius seminarii congruâ substentatione nec mensa nec sibi subiecti ecclesiarum et beneficiorum titulares explere valeant, volentes, quantum in nobis est, tam necessariae clericorum institutioni sedulo prospicere, receptam sacri Concilii dispositionem, cap. XVIII, sess. XXIII, *De reformat.* et respective cap. *Tua nobis de testament.*, ducimus esse sequendum.

Recensentur quaedam legata relicta a quondam Ludovico Manni communitati praefatae civitatis, variis piis operibus applicanda.

§ 2. Exposuit siquidem idem episcopus ex parte sui seminarii in supplici libello nobis porrecto, quondam Ludovicum Manni de dictâ civitate inter vivos donasse illi communitati scuta duomillecentum ad effectum illa reinvestiendi in tot censibus annui redditus scutorum centum quinquaginta, quorum centum essent applicanda pro alendis binis iuvenibus de eâdem civitate oriundis in certis pro eorum libito civitatibus legalibus vel theologicis disciplinis operam dantibus, reliqua vero scuta quinquaginta pro dotatione puellarum; quodque priores dictorum capitalium fructus in summâ scutorum tercentorum investirentur in similibus censibus annui redditus scutorum vigintiduo et quinquaginta obolorum quolibet anno impendendi in tribus diversis anniversariis pro eiusdem donatoris suffragio et statutâ elargitione pro magistratu; et similiter eumdem Ludovicum Manni donasse alia scuta mille pariformiter investienda in tot censibus, ex quorum fructibus constitueretur aliud capitale in summâ scutorum tercentorum, ita ut efformaretur patrimonium scutorum milletercentorum, et ex istius redditibus subministrarentur duobus capellanis scuta quadraginta pro quolibet, quodque reliqui fructus remanerent beneficio primae donationis, onere iniuncto eisdem capellanis nonnullas missas celebrandi, fructusque enunciatorum capitalium exigendi, exactosque consignandi depositario ad hoc specialiter deputato, lege depositario praescriptâ de non solvendo iisdem stipendium sive eleemosynam, nisi ad rationem exacti, et non aliter.

Applicantur

§ 3. Cumque ex dictorum capellano-

1 Ut supra pag. 660 *b* (R. T.).

2 Aliâ huius Pontificis const. ed. MDCCXXV, die XXX maii, pontif. I, statuta fuerunt nonnulla pro augendis redditibus seminarii ecclesiastici Caesenatensis; et Clementis XII const. ed. MDCCXXXI, die VI novembris, pontif. II, statuuntur nonnulla pro bono regimine quorumdam seminariorum Hispaniarum.

praefato seminario donationes omnes praedicti Ludovici sub quibusdam oneribus iuxta testatoris mentem.

rum depositariique redditione rationis novissime a Congregatione Concilii eidem episcopo demandatâ compertum sit, pias huiusmodi dispositiones fuisse hucusque subversas, non adimpletas, et fere ab initio pia opera male fuisse administrata: hinc est quod procliviores facti sumus ad applicandum, uniendum et incorporandum favore praedicti seminarii pleno dominio et possessione omnes et singulos census et capitalia quaecumque utriusque donationis unâ cum fructibus praedictorum censuum et redditibus capitalium, tam exactis quam in posterum contra quoslibet debitores exigendis: transferentes omnia iura et actiones quavis causâ et titulo contra quoscumque quomodolibet competentia, prout ex nostrae potestatis plenitudine parique motu applicamus, unimus, incorporamus et assignamus eidem seminario, pro recto felicique eiusdem regimine, sub onere alendi et educandi nedum binos iuvenes a donatore volitos atque praelatos, verum etiam alios duos tresve iuvenes nominandos a generali et publico consilio civitatis antedictae cum approbatione episcopi pro tempore; onere quoque adiecto dicto seminario exsolvendi quolibet anno scuta quinquaginta puellis pro earum subsidio dotali, pariter ab ipso fundatore contemplato, nominandis a dicto generali consilio, episcopo tamen approbante; superaddito subsidio dotali annuorum scutorum vigintiquinque pro aliâ puellâ per episcopum praeeligendâ; si vero contingat, favente Deo, quod istud patrimonium adaugeatur praeviâ recuperatione aliorum capitalium et fructuum ex incuriâ malâque administratione in praesentiarum deperditorum, et de pecuniis existentibus in manibus depositarii, teneatur idem seminarium constituere multiplicum usque ad productionem fructuum sufficientium pro assignandâ mercede alicui utriusque iuris professoris, qui (si episcopo videbitur expedire) simili studio incumbere volentes in civitate edoceat; item seminarium praedictum ex omnibus praenunciatis proventibus, fructibus atque redditibus curet ut legata a dicto donatore praefinita omnino impleantur ac satisfiat, eleemosynas pro anniversariis ab eodem taxatas persolvat, unâ cum solitâ muneris elargitione desuper magistratui iuxta volitum a fundatore subministrans.

Deputatur praedictus episcopus exequutor harum litterarum.

§ 4. Quocirca dictae civitatis episcopo nunc et pro tempore existenti per haec apostolica scripta committimus, quatenus universa et singula contenta in hoc nostro motuproprio executioni mandet, et pro huiusmodi effectu iure delegato facultatem et iurisdictionem eidem impertimur procedendi contra contumaces et inobedientes, omnesque administratores quoscumque. Derogantes cuivis substitutioni, fideicommisso, supraintendentiae, administrationi, devolutioni, ceterisque, tam in dictis donationibus, quam in aliâ quacumque eiusdem donatoris voluntate dispositis atque comprehensis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis; voluntatem dicti donatoris, in iis quae huic unioni et incorporationi adversantur, commutantes; non obstantibus regulis de iure quaesito non tollendo, consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Inhibitio praefatis administratoribus.

§ 5. Inhibentes praefatis capellanis, depositario, ceterisque administratoribus, et quomodolibet interesse habentibus, ne de cetero unquam in praemissorum administratione, quavis causâ, titulo, ingenio, praetextu, sive quaesito colore, sese ingerere, dictumque seminarium directe vel indirecte molestare, vexare,

perturbare et impedire audeant sive praesumant.

Clausulae. § 6. Decernentes, omnia et singula praemissa executa, et quaecumque exequenda, valida et efficacia fore, ac suos plenarios et integros effectus sortiri, et inviolabiliter ab omnibus observari debere, sicque, praeviâ avocatione causae et causarum huiusmodi a quacumque Congregatione et tribunali, per quoscumque iudices et praefatam Congregationem Concilii, sublatâ eis quavis aliter iudicandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere. Decernentes, unionem, incorporationem, applicationes, indultum, inhibitionem ac praeceptum praedicta, praesentesque litteras, nullo unquam tempore, etiam ex quacumque et inexcogitatâ causâ, etiam sub praetextu quod in formâ iuris facta non fuerint, revocari, alterari, limitari, modificari, aut ad terminos iuris reduci, vel quempiam adversus illa in integrum restitui, seu de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut quovis defectu notari vel impugnari posse. Volentes insuper, quod praesens noster motusproprius, licet non admissus nec registratus in Camerâ vigore Bullae Pii IV nostri praedecessoris de registrandis, valeat et habeat suum plenarium effectum et executionem in vim nostrae simplicis signaturae, et non obstantibus quibuscumque aliis in contrarium facientibus. Quibus omnibus et singulis, [1] pro expressis habentes et de verbo ad verbum insertis, pro hac vice dumtaxat, et pro huiusmodi effectu; specialiter derogamus. Pro plene, etc.

Datum Romae, apud S. Petrum, VI kalendas iulii MDCCXXVIII.

Dat. die 26 iunii 1728, pontif. anno V.

Placeat motu proprio V. M.

1 Desunt verba *eorum tenores* (R. T.).

CCXXXII.

Statuuntur et declarantur nonnulla pro unanimi concordiâ servandâ inter familias tertiariorum Ordinis Minorum [1].

Benedictus Papa XIII,

dilectis filiis ministro generali totius Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci, necnon generali ministro fratrum Conventualium eiusdem Ordinis.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium et exhortatio fratribus Minoribus ad fovendam concordiam. Qui pacem loquitur in plebem suam et super sanctos suos, certam illam avertendae contentionis vim rationemque discipulis designavit, monitis exemplisque suis eosdem adhortatus, ut, qui maior esset inter ipsos, fieret sicut minor, ac proinde esse contenderent non praeeminentiâ et primatu, sed ministrandi ac subiacendi humilitate praecessores. Haec autem documenta B. Franciscus, seraphici vestri Ordinis conditor, et ipse mirabiliter arripuit et expressit, et custodiendae pacis firmamentum esse voluit alumnis suis, qui, modestâ ipsâ fratrum Minorum appellatione evangelicam illam caelestis Magistri normam praeseferentes, sincerae charitatis veraeque fraternitatis disciplinam et cultum per totam Christi Ecclesiam latissime propagarunt. Nos igitur, quemadmodum uberes ex religiosissimâ institutione dominici agri proventus largitori Deo reique catholicae gratulamur, ita omnem dare operam debemus ne dissidia et lites de loco et dignitate bonam frugem suffocare possint, fraternamque concordiam discindere aut perturbare.

Causae praesentis constitu- § 1. Porro, cum tres constitutiones

1 Aliâ huius Pontificis const. edit. MDCCXXIV, die 16 novembris, pontif. I, statuta fuerunt nonnulla pro restituendâ et conservandâ regulari disciplinâ in Ordine fratrum Minorum.

tionis, controversias nempe inter varias Tertii Ordinis familias.

ediderimus pro institutione ac regimine tertiariorum eiusdem seraphici Ordinis in propriis domibus viventium, primam die x decembris MDCCXXV pro fratribus Minoribus regularis Observantiae, quae incipit *Paterna Sedis Apostolicae providentia,* alteram die XXIV maii MDCCXXVI pro fratribus Minoribus qui Capuccini appellantur, quae incipit *Ratio apostolici ministerii*, tertiam dénique die V iulii eiusdem anni pro fratribus Minoribus Conventualibus, quae incipit *Singularis devotio;* non sine ingenti animi molestiâ rescivimus, controversias inter antedictas laudati Ordinis familias invaluisse de primatu et antiquitate alterius prae alterâ, de multiplici erectione congregationum Tertii Ordinis, deque transitu tertiariorum unius congregationis ad aliam: quae, cum religiosae disciplinae detrimento, scandala etiam in populis serere possint, et beati patris Francisci[1] in discipulis eius extinguere.

Abolentur controversiae omnes praedictorum.

§ 2. Dissensionibus igitur ac iurgiis aditum obstruere, et necessariam regulari disciplinae pacem et tranquillitatem fovere aut restituere cupientes, motu proprio, ex certâ scientiâ, non ad oblatae cuiusquam petitionis instantiam, in primis omnes et singulas de memoratis causis lites et controversias, utcumque et in quacumque instantiâ super his ortas, agitatas et actu pendentes coram quibuscumque iudicibus ac tribunalibus, etiam speciali mentione dignis, quorum nomina pro expressis haberi volumus, ad nos avocantes, perpetuo silentio imposito, extinguimus et abolemus.

Communicantur privilegia et indulgentiae unius familiae alteri quoque familiae tertiariorum.

§ 3. Praeterea quascumque indulgentias, indulta, privilegia, praerogativas, favores, exemptiones, libertates, extensiones et concessiones, tam in genere quam in specie, in memoratâ constitutione, quae incipit *Paterna*, tertiariis fratrum Minorum de Observantiâ tributas, et per alias superius indicatas ad tertiarios fratrum Minorum Conventualium et Capuccinorum eorumque superiores extensas et ampliatas, tenore praesentium confirmamus et approbamus, et, quatenus opus sit, ipsis fratribus Conventualibus et Capuccinis, eorumque tertiariis, in iis tamen quae praefatae nostrae constitutioni[1] pro Observantium tertiariis editae non adversantur, et non aliâs, de novo concedimus; mandantes potissimum, ut, quae in ipsâ circa erectionem unius dumtaxat congregationis tertiariorum pro unâquaque civitate aut loco, deque eorum transitu, praescripta et sancita sunt, aliis posterioribus nostris non obstantibus, inviolabiliter observentur.

Declaratur, verba de antiquitate, aliisque praerogativis controversis in constitutionibus a Sanctitate Suâ emanatis, nullius roboris esse, et huic controversiae silentium imponitur.

§ 4. Quoniam autem a mente nostrâ et a proposito memoratae constitutionis quae incipit *Singularis devotio* prorsus alienum erat, ut fratribus Minoribus regularis Observantiae quidquam sui iuris aut possessionis erga Conventuales detraheremus, aut ipsis fratribus Conventualibus maiorem antiquitatem aut aliam quamcumque praerogativam prae Observantibus concederemus, motu pari et scientiâ similibus decernimus et declaramus, verba et enunciationes, quae antiquitatem et praerogativas eiusmodi respiciunt, nullius roboris, atque eo prorsus modo ac si apposita non essent, de cetero habenda fore et esse; immo pro totius praefati Ordinis tranquillitate et pace perpetuum silentium super huiusmodi controversiâ imponimus, et pro imposito haberi volumus et mandamus.

Praecipitur ut basilicae civitatis Assisiensis et B. M. de Portiunculâ aeque Ordinis matrices agnoscantur.

§ 5. Ne quis denique basilicam beati Francisci civitatis Assisiensis, ubi sacrum eius corpus requiescit, a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris variis

1 Aliquid deest, ex. g. *pacem* vel *spiritum* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *constitutionis* (R. T.).

privilegiis auctam, ita supra ceteras eiusdem Ordinis ecclesias verbis aut scriptis extollat et efferat, ut debitus honor ac reverentia denegetur basilicae B. Mariae de Portiunculâ extra muros eiusdem urbis, in qua constat seraphicum patrem institutum suum inchoasse: praecipimus et mandamus ut ambae basilicae, diversis licet rationibus, B. Mariae quidem propter Ordinis primordia, Assisiensis vero propter sacrum corpus sanctissimi institutoris, tamquam Ordinis matrices ab omnibus fratribus Minoribus agnoscantur et observentur, prout Romani Pontifices praedecessores nostri asservarunt et concesserunt.

Clausulae.

§ 6. Quascumque autem iuris verborumque solemnitates nostrâ auctoritate supplentes, et quibusvis in contrarium facientibus amplissime derogantes, quae vero exprimenda essent pro expressis habentes, fore confidimus ut familiis vestris per hoc providentiae nostrae iudicium pristinam vestroque nomine dignam concordiam partam esse gaudeamus. Vestrum autem erit, ut, pari vigilantiâ studioque curis nostris obsequentes, indecoram importunamque altercationum libellorumque licentiam, in eorum auctores districte animadvertentes, sedulo inhibeatis. Ac vobis, dilecti filii, paternae voluntatis pignus apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, XXI iulii MDCCXXVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 21 iulii 1728, pontif. anno V.

CCXXXIII.

Decernitur ratio, et praescribitur ordo pertractandi et definiendi causas ecclesiasticas in regno Siciliae ultra Pharum [1].

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Fideli ac prudenti dispensatori, quem in supremo apostolatus apice constituit Dominus super familiam suam, maxime convenit traditâ sibi caelitus uti potestate, ut, si quae sint inter pontificalem auctoritatem et regiam potestatem contentiones, quantum fieri potest, amoveantur, utque nedum fidelium populorum pericula arceantur, sed etiam incommoda leniantur, prout, locorum et temporum ratione habitâ, magis in Domino videbitur expedire.

Causae huius constitutionis promulgandae.

§ 1. Cum itaque felicis recordationis Clemens Papa XI praedecessor noster apostolicam regni Siciliae ultra Pharum legationem ac monarchiam nuncupatam eiusque tribunal extinxerit ac suppresserit et absolverit, si quae essent privilegia et indulta a quibuscumque Romanis Pontificibus praedecessoribus quomodolibet concessa revocaverit et abrogaverit, et certum interim modum praescripserit, quo causae ad forum ecclesiasticum pertinentes cognosci et in eodem regno fine debito terminari possent, quemadmodum in eius apostolicis litteris expeditis anno MDCCXIV et MDCCXV plenius continetur; cumque carissimus in Christo filius noster Carolus VI in Romanorum imperatorem electus, Siciliae ultra Pharum rex, exponi nobis nuper fecerit, iura aposto-

1 Haec iurisdictio ab Urbano II ad finem vergente XI Ecclesiae saeculo Rogerio comiti eiusque successoribus in regno Siciliae concessa, pertractandi nimirum et definiendi causas ecclesiasticas, a Clemente XI, propter abusus qui irrepserant, extincta et abolita fuit const. ed. MDCCXIV et MDCCXV; verum hic quibusdam moderationibus confirmatur.

licae legationis in eodem regno, sibi, eiusdem haeredi legitimo et possessori, ex privilegio signanter Urbani Papae II praedecessoris nostri, competere, quae quidem iura iam olim Rogerio comiti e Normannorum gente, eiusque successoribus, ob eliminatam Saracenorum tyrannidem, catholicam fidem restitutam, ecclesiasque, patriarchatui Constantinopolitano tunc temporis adhaerentes, Romanae Sedi iterum subiectas, concessa, anteactorum sex saeculorum decursu, usque ad Caroli II obitum, in suo robore atque usu permanserint: hinc nos, etsi compertum habeamus, huiusmodi rationibus eumdem praedecessorem nostrum, praesertim propter abusus quos irrepsisse constabat, minime acquievisse, nosque ipsi, dum cardinalatus honore fungebamur, eidem constitutioni reverenter subscripserimus, omniumque circumstantiarum opportune reminiscamur; attamen, cum graves inde exortae fuerint contentiones atque mala, non sine animarum pernicie publicaeque tranquillitatis detrimento, serio propterea confidentes, quantum pastoralis sollicitudinis intersit, causas etiam talium contentionum avertere ac prorsus eliminare, itaut, abusibus e medio sublatis, ius ex aequo universis reddatur, ex voto Congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium pro huius negocii examine specialiter deputatae, ac etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, finem huic operoso gravissimoque negocio imponentes, nostrâ hac perpetuo valiturâ constitutione, vim et effectum concordiae habente, haec, quae sequuntur, decernimus et sancimus, ac inviolabiter ab his, ad quos spectat et in futurum spectabit, observari mandamus.

Ordo cognoscendi causas ecclesiasticas in Sicilia post maiores, quae apud unam Apostolicam Sedem cognosci debent.

§ 2. Causae omnes, ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, iis exceptis quae vere maiores sunt, quaeque iuxta canonicas sanctiones apud Apostolicam Sedem tractari, et a Romano Pontifice, vel a iudicibus quos ipse specialiter deputaverit, cognosci debent, non alibi quam in ipso Siciliae ultra Pharum regno cognoscantur, et fine debito, quem iustitia postulaverit, terminentur, ita videlicet ut non exemptorum causae in primâ instantiâ coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur nec ab eorum curiis avocentur nisi per viam legitimae appellationis a sententiâ definitivâ, aut ab interlocutoriâ vim definitivae habente, vel ab actu, cuius gravamen per appellationem a definitivâ reparari nequeat, vel praeiudiciale sit invertendo iustum iuris et iudiciorum ordinem, aut nisi integro biennio, a die motae litis computando, coram ipsis Ordinariis remanserint indecisae, quemadmodum a Concilio Tridentino in cap. XX *Causae omnes*, sessione XXIV *De reformatione*, decretum est; sique secus fiat, quaecumque appellatio, inhibitio, aut sententia, eo ipso nulla et irrita sit, iuxta eiusdem Concilii praescriptum; respectu vero exemptorum ab Ordinariis, iudex ecclesiasticus, a rege illius regni, ut infra dicendum, nominatus et delegatus, et pro tempore eius arbitrio nominandus et delegandus, tamquam Ordinarius, de causis civilibus et criminalibus illorum, ut postea dicetur, cognoscat, ne aliter huiusmodi personae et iura sine providentiâ remaneant. A sententiâ Ordinarii ad metropolitanum appelletur, servatâ itidem in omnibus formâ in antedicti Concilii decretis constitutâ.

Qui iudex causas appellationum a sententiis metropoli-

§ 3. Postquam vero metropolitanus in causâ pronunciaverit, vel in secundâ instantiâ quoad sententias suorum suf-

tani cognoscere debeat.

fraganeorum, vel in primâ quoad causas propriae dioecesis, possint partes, vel earum altera, provocare ad eum virum in iure canonico doctorem, seu licentiatum, nobilium universitatum more, diligenti examine praecedente promotum, et in ecclesiasticâ dignitate constitutum, a carissimo filio nostro Carolo VI in Romanorum imperatorem electo et Siciliae rege, eiusque in regno Siciliae ultra Pharum successoribus, aut de eorumdem mandato, ex concessione Sedis Apostolicae deputatum et delegatum, et in posterum ab ipso eiusque in eodem regno successoribus aut de eorumdem mandato deputandum et delegandum: quem eo ipso delegatum auctoritate Sedis Apostolicae constitutum, et pro tempore constituendum, recognoscimus et firmamus, ut causas ecclesiasticas antedictarum appellationum in praedicto regno Siciliae ultra Pharum cognoscere aliaque inferius exprimenda peragere possit, servatis tamen praemissis aliisque inferius explicandis, itaut, quidquid aliter sive scienter sive ignoranter fieri contigerit, ipso iure nullum irritumque sit.

Remedia pro iis qui se a sententiâ eiusdem primi iudicis appellationum gravati senserint.

§ 4. Si vero antedictus iudex gravamen inferat, vel quomodocumque partes, sive earum altera, gravatas ab eiusdem sententiâ seu decreto sese senserint, tunc, ut appellationis atque extremae provocationis remedio omnibusque legum atque canonicarum sanctionum auxiliis christifideles praedicti Siciliae regni uti et frui possint, eademque remedia, iuris ordine servato, sicut oportet, experiri, idem carissimus in Christo filius Siciliae rex, eiusque successores in perpetuum, vel alter de eiusdem aut de ipsius successorum mandato, sedulo providendum[1] ut apertum atque patens in omni tempore tribunal seu curia, in qua tamen vir etiam in dignitate ecclesiasticâ constitutus, atque, ut supra, in utroque iure licentiatus seu doctor, deputatus et delegatus, cum tribus aliis assessoribus in utroque iure versatis, eodem pariter modo, uti supra, deputandis et nominandis, ius reddat. Atque primum diligenter expendat an appellatio reiici vel admitti debeat, et quibus clausulis causa committenda sit. Quoties vero causa fuerit visa digna ulteriori cognitione, eam primo cognoscat et iudicet idem modo dictus iudex, a quo ulteriori cognitione digna decreta est, adhibito eorumdem assessorum consilio. Quod si post haec res adhuc ulteriori discussione opus habeat, nec lis finita sit, eadem coram altero idoneo ecclesiastico iudice, ut supra, cum assessoribus vel consiliariis nominando, discutiatur; et ita deinceps: ita tamen ut causa in quacumque instantiâ coram iudice ecclesiastico semper pertractetur, et, in omnibus iuris ordine servato, terminetur.

1 Legend. *providebit* vel *providebunt* (R.T.).

Appellantes in una tantum causâ, in reliquis appellare non censeantur.

§ 5. Appellantes in unâ causâ, omnino subiecti remaneant, quoad alias causas, iurisdictioni suorum Ordinariorum, a qua eximi nec a metropolitano nec a delegato possint, nisi in casibus a iure canonico praescriptis.

De causis regularium.

§ 6. In causis, quibus conservatores regularium decretum vel sententiam tulerint, qui se ab illis gravatum existimaverit, recursum similiter habere poterit ad antedictum delegatum: qui quidem, si, inspectis utriusque partis iuribus, appellationem duxerit admittendum, ipse in talis causae cognitione, prout iuris fuerit, procedet: sique partes, vel earum altera, de gravamine ab eius iudicato sibi illato conquereretur, id servetur, quod supra de appellationibus a decreto vel sententiâ iudicis delegati statutum est. Ceterum praedicti conservatores inviolate servare debeant praescripta in

constitutionibus felicis recordationis Innocentii PP. IV, Alexandri IV, Bonifacii VIII, Gregorii XV, aliorumque nostrorum praedecessorum, necnon in Concilii Tridentini decretis, sub poenis ibidem contentis.

Appellationes quomodo recipiendae.

§ 7. Appellationes nunquam recipiantur, nisi, per pubblica documenta realiter exhibenda, prius constiterit, appellationem a sententiâ definitivâ vel habente vim definitivae, aut a gravamine quod per definitivam sententiam reparari non possit, vel quod praeiudiciale sit in casibus a iure non prohibitis, per legitimam personam et intra statuta tempora fuisse interpositam aut prosecutam; nec, praeterquam in casibus a iure permissis, dum causa coram inferioribus iudicibus pendet, ante definitivam sententiam vel vim definitivae habentem, de gravamine, quod asseratur illatum, superiores cognoscere possint, licet citra praeiudicium ordinarii cursus causae sese id facere declarent; nec ad hunc effectum liceat eis inhibere, aut etiam simpliciter mandare ut ipsi[1] copia processus mittatur, etiam expensis appellantis vel recurrentis, nisi in casibus a iure permissis.

Inhibitiones post appellationes admissas quomodo concedendae.

§ 8. Inhibitiones, post appellationes sicut praemittitur admissas, non concedantur nisi cum insertione tenoris sententiae aut decreti, a qua vel a quo provocatum fuerit; aliàs inhibitiones et processus et inde secuta quaecumque sint ipso iure nulla, eisque impune liceat non parere. Sed si appellans asserat sententiae vel decreti[2] sive appellationis interpositae exemplum authenticum habere se non posse culpâ iudicis, a quo, vel actuarii; tunc, sive metropolitanus, sive praefatus iudex ecclesiasticus delegatus, respective, iniungat iis, ad quos[1] pertinet, ut, solûtâ actorum mercede, exemplum in formâ probante tradatur appellanti intra brevem terminum: et interim nihil novi coram iudice, a quo, contra appellantem attentetur.

De appellatione a decretis Ordinariorum in visitatione editis.

§ 9. A decretis Ordinariorum, in visitatione vel pro correctione morum editis, nullus sit appellationi locus quoad effectum suspensivum, nisi cum visitator, citatâ parte, et adhibitâ causae cognitione, iudicialiter processerit, et in aliis casibus a iure permissis.

De appellatione a gravamine per definitivam sententiam non reparando.

§ 10. Cum a gravamine, quod per definitivam reparari nequeat vel quod praeiudiciale sit, appellatur, nonnisi visis actis, ex quibus apparet de gravamine, appellatio admittatur, aut inhibitio vel provisio ulla concedatur.

De inhibitionibus expediendis.

§ 11. In causâ indebitae carcerationis, quatenus sit secuta cum mandato iudicis verbali, possit iudex appellationis expedire inhibitiones vigore appellationis, constito sive per depositionem duorum testium de mandato, sive per documentum notarii vel custodis carcerum de carceratione. In causis vero comminatae iniustae carcerationis, vel torturae, vel excommunicationis, non expediantur inhibitiones generales et indefinitae, sed tantum compulsoriales pro transmissione copiae actorum ad effectum cognoscendi an sit deferendum nec ne appellationi, adiunctâ in dictis litteris compulsorialibus inhibitione ut interim iudex, a quo, ad ulteriora non procedatur[2]; et quatenus, visis actis, resultet evidens gravamen, tunc admittatur appellatio cum inhibitione, et causa cognoscatur coram iudice, ad quem. Si vero de huiusmodi gravamine non constet, remittatur causa ad iudicem a quo cognoscenda in primâ instantiâ.

1 Videtur legendum *ipsis* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *decretis* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *quod* pro *quos* (R. T.).
2 Potius lege *procedat* (R. T.).

De actibus originalibus primae instantiae a notario mittendis.

§ 12. Acta originalia primae instantiae notarius sive actuarius mittere ad iudicem appellationis minime cogatur, nisi natura ipsa causae id flagitet, aut probabilis aliqua falsitatis suspicio incidat, quae iudicialiter apposita ab interesse habentibus fuerit: et tunc, post terminationem causae, statim remittant ad Ordinarium, et in eius curiae tabulario asserventur.

De carcerato appellante.

§ 13. Causâ appellationis pendente, appellans in eodem ubi reperitur carcere permaneat, quoad iudex, ad quem causae cognitio devolvenda est, visis actis, causâque cognitâ, aliter decreverit: et tunc quidem, si a decreto secundi iudicis vim definitivae habente appellatum fuerit, nihil ipse interim mandare aut pro decreti sui executione attentare poterit, donec per iudicem superiorem aliter fuerit ordinatum; exceptis tamen casibus, in quibus aliter a iure statutum sit, et in quibus appellatio contra decretum excarcerationis effectum tantum devolutivum, favore libertatis, producit.

De censura ecclesiastica in appellantem prolata.

§ 14. Censura ecclesiastica, in appellantem prolata, revocari aut nulla declarari per iudicem appellationis, etsi is sit delegatus, non possit, nisi prius auditis partibus et causâ cognitâ; et tunc, si eam esse iustam constiterit, ad iudicem, qui excommunicationem protulit, remittatur appellans, et ab ipso iuxta sacros canones beneficium absolutionis, si humiliter petierit debitamque emendationem praestiterit, obtineat; si vero iniustam esse appareat, iudex appellationis absolutionem concedat; et si dubitetur an iusta fuerit vel iniusta, quamvis honestius sit ut ad excommunicatoriam[1] intra brevem aliquem competentem terminum, eidem praefigendum, absolvendus remittatur, iudex nihilominus appellationis, hoc casu, per se poterit eum absolvere.

De absolutione ad cautelam.

§ 15. Absolutio ad cautelam, nonnisi servatis de iure servandis, cum dubitatur de nullitate excommunicationis vel ab homine prolatae vel a iure inflictae, si dubium facti vel probabile dubium iuris occurrat, concedenda erit tamquam ad breve tempus, cum reincidentiâ, necnon praestitâ per excommunicatum cautione de stando iuri et parendo mandatis Ecclesiae. Quod si, iuxta formam a iure praescriptam, apparebit aliquem ob manifestam offensam excommunicatum fuisse, debitam etiam satisfactionem praestare, necnon ob contumaciam manifestam, expensis quoque satisfacere, et cavere de iudicio sisti coram excommunicatore tenebitur, priusquam antedictam absolutionem obtineat. Praeterea huiusmodi absolutiones cum reincidentiâ a iudice appellationis, etiamsi sit antedictus iudex, committantur ipsis Ordinariis excommunicantibus, cum clausulâ, ut *intra tres dies* absolvant censuratos, dummodo tamen excommunicati in eodem loco sint ubi degunt Ordinarii. Quod si in eodem loco non sint, vel si Ordinarii, praesentes et requisiti, absolvere recusaverint vel neglexerint, absolvantur a confessario iuxta formam eiusdem commissionis a iudice appellationis, ut praefertur, expediendae. Ceterum commissiones praedictae de absolvendo, non ipsis Ordinariis immediate et personaliter, sed eorumdem cancellariis praesentari debent, ut reverentia episcopis debita sartatecta servetur, et a praesentatione, cancellario factâ praedicti *tres dies* numerari debeant. Cedulones autem, in casu absolutionis obtinendae ad certum tempus cum reincidentiâ, quatenus affixi fuerint, non amoveantur; sed dumtaxat tegantur, tectique remaneant durante termino

1 Forsan *excommunicatorem* (R. T.).

in absolutione praefixo; salvâ tamen praxi ibidem servatâ de eorumdem in nonnullis casibus amotione.

De appellatione a sententiâ definitiva in verum contumacem prolata.

§ 16. A sententiâ definitivâ, contra verum, contumacem prolatâ, appellatio non recipiatur, nec inhibitio aut alia quaevis provisio, durante contumaciâ, concedatur.

De appellatione in causis criminalibus et sententiis Ordinariorum.

§ 17. Ubi in causis criminalibus Ordinarii locorum processerint ex officio, si ab eorumdem sententiis appellatio vel ad metropolitanum vel ad praedictum iudicem interposita fuerit, tunc procuratores fiscales curiae metropolitanae vel tribunalis praefati delegati actoris vices gerant, et instantias aliosque actus desuper necessarios peragant et prosequantur, ut praedictorum Ordinariorum sententiae confirmationem et executionem, si ita fuerit iustitiae consonum, obtineant. Quod si, dictis procuratoribus fiscalibus non citatis vel auditis, contrarias sententias in gradu appellationis proferri contigerit, istae prorsus nullae sint ac irritae cum omnibus actis gestis; quinimmo praecedentes Ordinariorum sententiae executioni mandentur, perinde ac si appellatio ab ipsis interposita nullatenus fuisset.

De pauperibus litigantibus.

§ 18. Pauperibus litigantibus condonentur sportulae et emolumenta quaecumque etiam cancellario alioquin debita: aliae itidem quaecumque expeditiones gratis dentur, ac etiam copiae publicorum instrumentorum sive testamentorum, necnon regesta et copiae actorum transmittendorum ad iudicem appellationis: et haec in causis tam civilibus quam criminalibus. Quo vero ad probationem paupertatis, ea summarie fiat per testes, gratis similiter examinandos, et quoad ipsam paupertatem stetur arbitrio iudicis.

De causis criminalibus regularium.

§ 19. In criminalibus causis regularium, quando deliquerit[1] intra claustra, Tridentini Concilii et peculiarium illius Ordinis, quem quisque delinquens professus fuerit, constitutionum dispositio exacte servetur. Quod si delinquant extra claustra, vel extra monasterium degant, ab episcopis, iuxta eiusdem Concilii Tridentini et apostolicarum constitutionum praescriptum, iudicentur et puniantur. Qui vero ab episcopi iudicio gravamen sibi illatum putaverint, recursum habere poterunt ad antedictum iudicem, qui, ubi appellatio admittenda de iure fuerit, causae revisionem assumet. Quod si quis ab huius etiam iudicis sententiâ vel decreto se gravatum existimaverit, ea serventur, quae pro appellantibus a decreto iudicis delegati supra exposita sunt. Si vero praelati exempti, alios superiores in regno Siciliae ultra Pharum non habentes, deliquerint, antedictus iudex ecclesiasticus, tamquam ordinarius respectu exemptorum, contra eos, ut iuris fuerit, procedat, servatâ semper regulâ circa modum praescriptâ.

De iudicis ecclesiastici facultatibus.

§ 20. Ne autem de facultatibus antedicti iudicis ecclesiastici disputatio unquam oriri queat, constanter declaramus: quod ille, uti supra, a rege Siciliae ultra Pharum auctoritate Sedis Apostolicae nominatus et delegatus, quascumque personas adversus sententias, res iudicatas ac contractus quoscumque, prout iuris fuerit, in integrum restituendi plenam et liberam licentiam et potestatem exercere possit et debeat;

De iuramentis.

§ 21. Iuramenta quaecumque, ad effectum agendi dumtaxat ex causâ, quibuscumque relaxandi;

De absolutione a censuris.

§ 22. Quoscumque a quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis, simpliciter vel ad cautelam, si et postquam congrue, prout debuerint, tam partibus quam iu-

1 Ni legendum sit *reum* (R. T.)

1 Aptius lege *deliquerint* (R. T.)

dicibus satisfecerint, firmis tamen manentibus, servatisque respective iis quae circa modum et ordinem impertiendae absolutionis superius praescripta sunt, absolvendi;

De absolutione ab excommunicationibus ob varia crimina illatis.

§ 23. Quoscumque itidem, qui homicidium necnon periurii reatum quomodocumque commiserint, quique bellis interfuerint, et qui adulterium, incestum, fornicationem et aliud quodcumque flagitium carnis perpetraverint, necnon usurarios, factâ tamen usurarum restitutione, ab excommunicationibus aliisque sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis et temporalibus, quas quomodolibet incurrerint, iniunctâ cuique pro modo culpae poenâ salutari, et aliis quae de iure fuerint iniungenda, etiam in utroque foro absolvendi;

De censuris per apostolicas constitutiones inflictis.

§ 24. (Declaramus tamen, nec praedictum iudicem ecclesiasticum, nec quamcumque aliam ecclesiasticam personam, cuiuscumque gradus, dignitatis et praeeminentiae sit, et quamvis de latere legatus existat, potuisse aut posse aliquem absolvere a censuris ecclesiasticis per apostolicas constitutiones inflictis, quarum absolutio soli Romano Pontifici reservatur. Et licet hoc ipsum procedat etiam quoad illud genus absolutionis, quod cum reincidentiâ, et ad effectum agendi tantum, aut ad cautelam dicitur, et quoad cognitionem an declaratoria censurarum praedictarum valida fuerit aut nulla, iusta vel iniusta (cum haec quoque omnia Romano Pontifici pro tempore existenti et Congregationi S. R. E. cardinalium immunitatis ecclesiasticae et controversiis iurisdictionalibus praepositae, ad id a Sede Apostolicâ specialiter deputatae, privative quoad omnes alios etiam de latere legatos, competat), attentis nihilominus specialibus circumstantiis animum nostrum moventibus, declaramus quod praefatus iudex ecclesiasticus, tamquam a carissimo in Christo filio nostro Carolo VI Siciliae ultra Pharum rege, eiusque in posterum successoribus, ut supra, deputatus et delegatus, servatis de iure servandis, et citra quemcumque abusum, concedere possit recurrentibus a gravamine, quod in declaratoriâ censurarum Sedi Apostolicae reservatarum sibi illatum esse demonstraverint, absolutiones cum reincidentiâ, ad effectum agendi tantum, et etiam ad cautelam, necnon cognitionem assumere an praedictae declaratoriae censurarum, Sedi Apostolicae reservatarum, promulgatae ab episcopis aut archiepiscopis regni Siciliae ultra Pharum, fuerint validae aut nullae, iustae vel iniustae; ita tamen, ut, si solius nullitatis vitio laborare cognoverint, episcopo vel archiepiscopo, qui ad earum declarationem respective processerint, mandet, ut ex integro procedant, reservatâ post novam declaratoriam absolutione plenariâ Sedi Apostolicae; et quatenus nullitatis et iniustitiae vel solius iniustitiae vitio laborare cognoverit, declaret recurrentes non incurrisse; et si declaratoriam iustam esse deprehenderit, recurrentes pro absolutione ad eamdem Sedem Apostolicam remittat. Quod si praefatus iudex delegatus ipse fuerit, qui ad declaratorias processerit, et censuratus se gravatum fuisse praetenderit, aut ex capite nullitatis, aut nullitatis et iniustitiae, aut solius tantum iniustitiae; tunc ea observentur, quae supra statuta fuerunt in casu quo quis a sententiâ aut ab alio quocumque decreto eiusdem iudicis se gravatum senserit: novusque iudex ecclesiasticus ea omnia servare teneatur, quae iudex ipse delegatus, iuxta ea quae modo dicta sunt, servare teneatur[1] in casu recursus ad ipsum facti a nullâ vel iniustâ declaratoriâ censu-

1 Aptius lege *teneatur* (R. T.).

rarum Sedi Apostolicae reservatarum, quae ab episcopis vel archiepiscopis respective fuerint promulgatae);

De litteris monitorialibus.

§ 25. Praeterea quascumque, monitoriales poenalesque litteras in formâ *significavit* consuetâ, contra occultos et ignotos malefactores, satisfacere, conscios vero relevare differentes, servatâ tamen formâ Concilii Tridentini necnon constitutionis Pii Papae V praedecessoris nostri super haec editae, concedendi;

De commutatione votorum, deque matrimonialibus dispensationibus in tertio et quarto gradu pro pauperibus tantum et gratis ex speciali facultate concedendis.

§ 26. Necnon vota quaecumque, ultramarino tamen, visitationis liminum beatorum Petri et Pauli apostolorum de Urbe et S. Iacobi in Compostella, et castitatis ac religionis votis exceptis, in alia pietatis opera commutandi. Tum etiam nationis Siculae commoditati et utilitati prospicere volentes, eidem iudici, uti supra, nominato et delegato a Siciliae rege ultra Pharum, facultatem specialem elargimur matrimoniales dispensationes concedendi in tertio et quarto gradu; gratis tamen, nulloque recepto vel minimo emolumento, et favore eorum tantum, qui vere pauperes sunt et miserabiles, et labore manuum suarum vivunt;

De absolutione a censuris ad effectum praemissorum consequendum.

§ 27. Et, ut concessiones, gratiae et litterae, per antedictum iudicem, sic, ut supra, concedendae, sublatis obstaculis, suum sortiantur effectum, quascumque personas, ad effectum dumtaxat omnium et singulorum praemissorum consequendum, ab omnibus et quibuscumque excommunicationibus, suspensionibus et interdictis, aliisque ecclesiasticis censuris, quibus innodati fuerint, absolvendi, et absolutas pronunciandi.

De causis, in quibus agitur de executione litterarum apostolicarum.

§ 28. Pro maiori tamen cautelâ, ea, quae infra sequuntur, declaramus et decernimus: videlicet non posse nec debere praedictum iudicem sese ingerere in causis, in quibus agitur de executione litterarum apostolicarum, etiam super collatione quorumcumque beneficiorum saecularium vel regularium, pro quarum executione certi sunt dati executores, quorum a decreto, seu datâ executione, si fuerit quoquomodo reclamatum, et de illato gravamine vel excessu dictum, tunc idem iudex in hisce causis in omnibus et per omnia, ut supra de aliis dictum et declaratum est, procedat:

De subdelegatis a iudice ecclesiastico deputandis.

§ 29. Deputare etiam non poterit subdelegatos in dioecesibus praedicti regni commorantes, multoque minus eis concedere exemptionem a iurisdictione suorum Ordinariorum, praeterquam unum, qui tamen ecclesiasticus sit, in quacumque episcoporum residentiâ, et in praecipuis aliis regni civitatibus, ut sunt Drepanum, Therme, Mile, et Masara, seu Augusta, vulgo *Trapani, Termini, Melazzo* et *Augusta* nuncupatis:

De litteris patentibus exemptionis.

§ 30. Praeterea nemini concedi poterunt litterae patentes exemptionis a iurisdictione sui Ordinarii ex titulo inserviendi curiae vel tribunali ipsius iudicis delegati, exceptis tantum ministris et officialibus necessariis, qui tamen in toto regno non sint ultra quinquaginta, praeter eos qui praecipuis primae, secundae et tertiae instantiae ecclesiasticis curiis Panormi inserviunt:

De disciplinâ et observantia regularium.

§ 31. Nullatenus quoque idem iudex ecclesiasticus nec in primâ instantiâ nec in gradu appellationis aut recursûs aut per modum provisionis sese ingerat in quomodolibet concernentibus disciplinam et observantiam regularem personarum utriusque sexus, distributionem officiorum, collocationem regularium in uno aut altero monasterio aut conventu, ordinationes circa chorum et allocutorium monialium earumque clausuram, designationes cellarum aliaque similia; sed in his omnibus procedatur ab iis ad quos pertinet iuxta sacros canones,

statuta singulorum Ordinum, et apostolicas constitutiones:

De praesidibus capitulorum et superioribus atque officialibus in monasteriis.

§ 32. Caveat similiter ne deputet praesides capitulorum, superiores vel abbatissas, vicarios vel vicarias, vel qualescumque officiales in monasteriis vel domibus regularibus utriusque sexus ex quocumque titulo, vel colore, sive inconvenientium, sive dissidiorum, sive discrepantiae suffragiorum, etiam per viam actuum provisionalium; sed omnino liberae remaneant, iuxta sacrorum canonum praescriptum et ipsorum Ordinum regularium statuta, electiones et deputationes omnium praelatorum et officiorum:

De magistris praelectoribus et rectoribus studiorum.

§ 33. Itidem nequeat, etiam per modum provisionis, deputare magistros, lectores, rectores studiorum, neque in possessione munerum vel officiorum confirmare eos, qui, finito tempore a constitutionibus suorum Ordinum praescripto, debent illa dimittere, vel qui remoti a legitimis superioribus fuerint: in causis autem inter regulares vere contentiosis, et in quibus esse potest de iure locus appellationi, expleto cursu iudicii in unoquoque Ordine regulari a suis constitutionibus praefinito, si succumbentes prosequi intendant, tunc causae ad praedictum iudicem ecclesiasticum devolvantur, qui procedere teneatur, servatis in omnibus et per omnia iis quae supra quoad alias causas statuta sunt: ita tamen ut in causis nullitatis professionis, tam ante quam post elapsum quinquennii, nullo modo se interponat; sed illae ad normam omnino sacrorum canonum et sacri Concilii Tridentini, sessione XXV *De regularibus*, cap. XXIX, cognoscantur et terminentur:

[illegible]

§ 34. Ad haec delegatus non impediat usum iurisdictionis a sacro Concilio Tridentino episcopis, uti Sedis Apostolicae delegatis, in exemptos saeculares clericos attributae; facultatem tamen habet idem iudex ecclesiasticus procedendi etiam in primâ instantiâ in eorumdem clericorum saecularium exemptorum causis tam civilibus quam criminalibus, easdemque, iuris ordine servato, cognoscendi ac iudicandi; et in casu appellationis a decretis vel sententiis eiusdem iudicis delegati, in omnibus ea serventur quae supra hac de re statuta sunt.

De gravioribus episcoporum causis.

§ 35. Quoad graviores episcoporum et archiepiscoporum causas servetur omnino dispositio sacrarum constitutionum et sacri Concilii Tridentini, sessione XXIV, cap. V, *De reformatione*. In aliis vero minoribus et civilibus causis, in quibus episcopi aut archiepiscopi regni Siciliae ultra Pharum, non actores, sed rei sunt, delegatus ius habet iudicandi etiam in primâ instantiâ, si causa sit archiepiscopi vel episcopi exempti a iurisdictione metropolitanâ (et signanter quoad omnes in causis solutionis pensionum), et in secundâ tantum instantiâ, si causa sit episcopi iuri metropolitico subiecti; tunc enim in primâ instantiâ causa ab archiepiscopo erit iudicanda: in casu autem appellationis a iudicio delegati, serventur omnia in superioribus deposita.

[illegible]

§ 36. Denique, ut nos nostrique successores Romani Pontifices diligenter curabimus ut supra disposita ac statuta adamussim serventur, quae vim et effectum habere concordiae statuimus et decernimus, nec quidquam a nostris ministris sub quovis praetextu vel colore peragatur quod eorumdem observantiam et executionem retardare vel impedire possit; ita dictus iudex ecclesiasticus nullas sibi sumat partes, etiam per modum provisionis, vel sub alio quovis praetextu, contra ordinationes et mandata, quae vel nostrâ vel nostrorum

pro tempore successorum propriâ manu per speciale rescriptum signata et subscripta erunt, nec eorum executionem, quantum in ipsomet sit, audeat impedire vel retardare; sed eisdem debita reverentia, observantia et executio omnino praestetur.

Clausulae. § 37. Decernentes, omnia et singula in superioribus expressa per nullum patriarcham, archiepiscopum, episcopum, aliâsque aliâ auctoritate, dignitate et praeeminentiâ fulgentes, impugnari unquam posse aut debere, praesentesque semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, atque ab omnibus et singulis, ad quos spectat sive spectabit, eas firmiter et inviolabiliter observandas esse, nulloque unquam tempore notari, retractari, invalidari, inque ius vel controversiam vocari posse, ipsasque praesentes sub quibuscumque gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per nos ipsos et successores nostros Romanos Pontifices factis et faciendis, concessis et concedendis, minime comprehendi; sed statuimus, easdem has litteras, tamquam ad ecclesiarum Siciliae tranquillitatem et pacem a nobis editas, semper omnino excipiendas, et, quidquid secus super his, ut praefertur per nos approbatis, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus. Non obstantibus consuetudinibus, privilegiis et indultis, quomodocumque in contrarium praemissorum aliàs concessis.

Nemo has litteras infringere audeat. § 38. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis, concordiae et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVIII, III kalendas septembris, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 30 augusti 1728, pontif. anno v.

CCXXXIV.

Confirmatur instrumentum quoddam emphyteuticum super abbatiâ S. Clementis in Piscariâ nullius dioecesis provinciae Theatinae inter eminentissimum et reverendissimum cardinalem Finy et Congregationem Caelestinorum, et pro eâ abbatem et monachos monasterii S. Spiritus de Murrone eiusdem Congregationis, confectum [1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Exposuit nobis nuper dilectus filius noster Franciscus Antonius S. R. E. presbyter cardinalis Finy nuncupatus, quod ipse, ut suam ac monasterii abbatiae nuncupati S. Clementis in Pisca- Expositio facti.

[1] Haec abbatia S. Clementis, nono Ecclesiae saeculo a Ludovico Pio imperatore fundata, ab omni episcoporum quorumcumque iurisdictione immunis declarata fuit ab Hadriano IV et Alexandro III; et Caelestinus III *soli Romanae Ecclesiae subiectam*, atque *ab omnium ecclesiarum seu personarum iugo liberam esse* decrevit, ubi praeter abbatem nullus alius exercere possit iurisdictionem. Horum Pontificum et aliorum similes constitutiones collectae reperiuntur inter *Rerum Italicarum Scriptores*, tom. II, part. II. De aliis iurisdictionibus abbatiae S. Spiritus de Murrone, cui haec S. Clementis unitur, *tamquam si radicitus in eius abbate fundata fuisset*, vide S. Caelestini V constit. edit. MCCXCIV, die 13 novembris, pontificatus I; Urbani V constit. edit. MCCCLXIII, die XXIII februarii, pontif. I; Eugenii IV constit. edit. MCDXXXIV, die 28 octobris, pontif. IV, etc.

riâ nullius dioecesis provinciae Theatinae, S. Benedicti seu alterius Ordinis, quod in commendam ad sui victum ex concessione et dispensatione apostolicâ obtinet, conditionem[1] efficeret meliorem, praeviâ opportunâ facultate et licentiâ sibi a nobis die XII mensis ianuarii proximi praeteriti per Congregationem venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum ad id attributâ, omnia et singula bona, res et iura, ad praedictum monasterium quomodolibet spectantia, cum iurisdictione tam spirituali quam temporali ab eo quomodolibet dependente, Congregationi monachorum Caelestinorum dicti Ordinis S. Benedicti, ac pro eâ dilectis filiis modernis et pro tempore existentibus abbati et monachis Montis S. Spiritus de Murrone in viciniis civitatis Sulmonen siti quod caput et praecipuum monasterium praefatae Congregationis monachorum existit et in quo abbas generalis eiusdem Congregationis monachorum residere consuevit, et[2] in emphyteusim perpetuam sub annuo canone quadringentorum sexaginta trium scutorum monetae romanae, praeter et ultra alia octogintaseptem scuta paris monetae quae ex locis montium Camerae nostrae Apostolicae non vacabilium in almâ Urbe nostrâ consistentium ad supradictum monasterium S. Clementis in Piscariâ pertinentibus quotannis retrahuntur, ipsique Francisco Antonio cardinali eiusque in monasterio huiusmodi successoribus perpetuo remanere debent, ac, simul cum praedictis quadringentis sexagintatribus scutis, annuam summam quingentorum quinquaginta scutorum huiusmodi in totum constituunt, cum diversis pactis et conditionibus concessit per solemne ac publicum die V mensis aprilis novissime elapsi desuper stipulatum instrumentum, quod subinde, nempe die IX mensis maii subsequentis, a capitulo generali totius Congregationis eorumdem monachorum, tunc temporis in memorato monasterio S. Spiritus de Murrone congregato, per aliud simile confectum instrumentum in omnibus et per omnia ratificatum, acceptatum et approbatum fuit: et aliàs, prout uberius continetur in binis instrumentis huiusmodi tenorum qui sequuntur: primi, etc.

Instrumentum praedictum.

In nomine Domini. Amen. Praesenti publico instrumento cunctis ubique pateat evidenter, et sit notum, quod anno a salutiferâ sanctissimi domini nostri Iesu Christi MDCCXXVIII, indictione VI, die vero V mensis aprilis, tempore pontificatus sanctissimi in eodem domino nostro Iesu Cristo patris et domini nostri domini Benedicti divinâ providentiâ Papae XIII, eminentissimus et reverendissimus dominus dominus Franciscus Antonius S.R.E. cardinalis Finy, mihi, etc., cognitus, agens infrascripta omnia et singula uti modernus abbas commendatarius abbatiae S. Clementis in Piscariâ sitae[1] in provinciâ Theatinâ nullius dioecesis, et vigore benignae permissionis et licentiae desuper obtentae a sanctissimo domino nostro Papa Benedicto XIII feliciter regnante per medium sacrae Congregationis eminentissimorum et reverendissimorum dominorum S.R.E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum, prout ex rescripto in calce precum praelibato sanctissimo domino per eminentiam suam priusquam ad dignitatem cardinalitiam promoveretur porrectarum extenso, atque per eminentissimum et reverendissimum dominum cardinalem Curtium Origo eiusdem sacrae Congregationis praefectum subscripto sub die XII elapsi ianuarii, quod, ad effectum in praesenti instrumento inserendi, mihi, etc., originaliter traditur, tenoris inferius registrandi, sponte, etc., ac aliàs omni modo meliori, etc., supradictam S. Clementis in Piscariâ abbatiam, cum territorio separato

1 Edit. Main. legit *conditione* (R. T.).

2 Coniunctio *et* delenda (R. T.).

1 Edit. Main. legit *sita* (R. T.).

ac iurisdictione fere episcopali super quinque terris, Alanni nempe, Pietranici, Castiglionis, Turris Passerum, et Bolognani, et cum iure, possessione et exercitio etiam iurisdictionis laicalis civilis in dictâ terrâ Bolognani, ecclesiamque, palatium et bona quaecumque, tam mobilia quam stabilia, semoventia, omniaque alia cuiusvis generis et speciei ad eamdem abbatiam quomodolibet et sub quovis nomine et titulo spectantia, et in eâ illiusque territorio ac aliàs ubilibet posita et existentia, cum [1] usibus, commoditatibus, fructibus, redditibus et proventibus decursis, pendentibus et maturatis a die 1 ianuarii proximi, necnon privilegiis et facultatibus ad libitum administrandi et meliorandi bona eiusdem abbatiae, intentandi, prosequendi et terminandi lites pro recuperandis eiusdem abbatiae bonis et iuribus a quopiam forte occupatis et usurpatis, et cum libero exercitio dictae iurisdictionis laicalis in praedictâ terrâ Bolognani, et cuiusvis alterius iurisdictionis civilis cuiuscumque generis, quas dicta abbatia de praesenti habet aut in futurum habere poterit, atque cum omnibus privilegiis, exemptionibus et praerogativis, quibus gaudet et potitur abbas commendatarius dictae abbatiae S. Clementis, retinendis, fruendis et exercendis per reverendissimum patrem abbatem Murronensem pro tempore, cum omnimodâ et totali independentiâ non solum ab eodem eminentissimo et reverendissimo domino cardinali Finy moderno, sed et ceteris abbatibus commendatariis pro tempore eiusdem abbatiae, absque eo quod a quopiam possit sub quovis praetextu, causâ, ingenio vel quaesito colore, etc., praetendi, peti et obtineri recursum aliquod [2] adversus abbatem Murronensem pro tempore super rebus concernentibus interesse dictae abbatiae, gubernium ecclesiae, et exercitium dictae iurisdictionis, quae poterit et debebit per dominum patrem abbatem Murronensem haberi, retineri et exerceri, perinde ac si omnimoda iurisdictio quasi episcopalis esset in ipso patre abbati Muronensi radicitus fundata, eo modo et formâ quibus residet in eodem eminentissimo abbati commendatario, atque cum omnibus et singulis aliis facultatibus necessariis et opportunis, nihilo penitus excluso neque excepto, et reservatis tantummodo ad ipsius eminentissimi domini moderni abbatis commendatarii, aliorumque eius in dictâ abbatiâ successorum, locis montium hic in Urbe ad eamdem abbatiam spectantibus, quae in praesenti concessione non comprehendantur, nec comprehensa esse intelligantur, et non aliàs, etc., ad corpus et corpora, non autem ad mensuram, et pro tantis quanta eadem bona sunt, in emphyteusim perpetuam et perpetuo duraturam et valituram, etiam quod omnes in dictâ abbatiâ pro tempore abbates successores, omni meliori modo, etc., locavit atque concessit, etc., reverendissimo patri abbati, et reverendis monachis Caelestinis venerabilis monasterii Murronensis, vulgo nuncupati *la Badia di S. Spirito*, in viciniis Sulmonae (quod monasterium est caput venerabilis Congregationis Caelestinorum, et in eo tamquam abbas residet reverendissimus pater abbas generalis eiusdem venerabilis Congregationis), licet absentibus, pro eis praesente reverendissimo patre abbate domino Caelestino Galliano tamquam procuratore generali eiusdem venerabilis Congregationis Caelestinorum (sicuti constat ex litteris patentibus ad eius favorem expeditis, quarum copia collationata praesentibus inseritur, tenoris inferius registrandi), pro eâdem venerabili Congregatione, ad effectum de quo infra, nihilominus ad abundatiorem cautelam de rato in formâ et de faciendo cuncta infrascripta ratificare in proximo capitulo generali eiusdem venerabilis Congregationis, et dictae ratificationis instrumentum in actis mei, etc., existendo [1] promittente libere, etc., ita praedictae aliàs, etc., resque uti procuratore ad hunc effectum specialiter atque capitulariter constituto per dominum reverendissimum patrem abbatem et reverendos monachos Murronenses ex instrumento rogato per dominum

1 Praeposit. *cum* nos addimus (R. T.).

2 Aptius lege *aliquem* (R. T.).

1 Quae sequuntur emendare minime potuimus; itaque edimus prout legimus in edit. Mainardi (R. T.).

Paulum de Amicis notarium publicum a Pratulis, rogatum sub die XII ianuarii proximi, cuius copia publica interisque legalitatis munita, mihi, etc., tradita, praesentibus inserenda, tenoris inferius registrandi, et in vim dictae praeinsertae pontificiae licentiae acceptandi, et unà mecum notario legitimam stipulante: et ex causâ et titulo concessionis huiusmodi in emphyteusim, dictus eminentissimus et reverendissimus dominus cardinalis Finy, abbas commendatarius praesens, pro se et successoribus in eâdem abbatiâ virtute dictae pontificiae licentiae ut supra obtentae, cessit quoque et renunciavit, etc., favore dicti venerabilis monasterii et reverendorum monachorum Murronensium, ut supra, absente stipulante praedictâ interventione omnia et singula iura, etc, nullo iure, etc., nisi directo dominio et proprietate bonorum eiusdem abbatiae, atque infrascripto annuo perpetuo canone, pactisque, capitulis, conventionibus, promissionibus, caducitatibus et aliis inferius exprimendis, et non aliàs, aliter, nec alio modo, etc., de quo, etc., ita quod, etc., ad habendum, etc., ponens, etc., dans, etc., constituens, etc., et donec, etc., constituit, etc., omni, etc. Hanc autem in emphyteusim perpetuam concessionem supradictus eminentissimus et reverendissimus dominus cardinalis Franciscus Antonius Finy, quo supra nomine et vigore supradictae pontificiae licentiae, fecit facereque dixit et declaravit, etc., erga et ad favorem dicti reverendissimi patris abbatis et reverendorum monachorum Caelestinorum monasterii Murronensis, ut supra, absen- stipulante praedicta interventa pro annuo perpetuo canone scutorum quadragintorum sexagintatrium monetae romanae de iuliis decem pro quolibet scuto solvendorum et exbursandorum, prout idem reverendissimus pater abbas dominus Caelestinus Galliano, procurator generalis praedictus, nedum vice et nomine dicti venerabilis monasterii Congregationis Caelestinorum, omniumque et singulorum eius monasteriorum in solidum, animo tamen respectu ad dictam venerabilem Congregationem et cetera eius monasteria habendi relevationem a praedicto venerabili monasterio Murronensi in casu, etc., solvere et exbursare promisit, seque obligavit, etc., dicto eminentissimo et reverendissimo domino cardinali Francisco Antonio Finy, moderno abbati commendatario, eiusque in dictâ abbatiâ successoribus, pro seipso et eis dicto eminentissimo et reverendissimo domino cardinali Finy praesente, etc., in duabus solutionibus aequalibus, primâ nempe in festivitate S. Ioannis Baptistae mense iunii, et alterâ in festivitate S. Ioannis apostoli et evangelistae mense decembris currentis, et deinde cuiuslibet anni ab hodie in posterum decurrentis, hîc Romae, libere, etc., alias, etc., de quibus, etc., cum infrascriptis tamen pactis, capitulis, conditionibus, caducitatibus et aliis inter ipsas partes amicabiliter conventis et concordatis, inviolabiliterque observandis, et materno sermone appositis, videlicet:

« E primieramente si conviene, come si è detto di sopra, che nella presente concessione non s' intendano nè siano compresi li suddetti Luoghi di Monte di Roma spettanti a detta abazia, ma quelli, di qualunque erezione, denominazione, qualità e quantità siano, restino e debbano restare a comodo di detto moderno eminentissimo abate et altri successori in detta abazia, senzachè detti venerabile monastero e reverendi monaci Morronesi sopra e per causa di essi possano pretendere, domandare o conseguire cosa alcuna, perchè così, ecc. Secondo, si conviene per patto espresso, che oltre il suddetto annuo perpetuo canone da pagarsi come sopra, debbano restare a carico e peso di detto venerabile monastero Morronense tutte le spese del mantenimento di due cappellani della solita adoga di ducati sette e grana sessanta al banco della Nunziata di Napoli, e della spesa per le due feste solite farsi in ciascun anno, delle suppellettili sacre e del mantenimento di fabbriche della chiesa ed altri edifizi, ed ogni altra qualsivoglia spesa, tanto ordinaria quanto straordinaria, per il mantenimento e miglioramento dei beni di detta badia, perchè così, ecc. Terzo, si conviene per patto espresso, che detto venerabile monastero e reverendi mo- (Pacta quaedam conventa inter ipsas partes.)

naci Morronesi, e detta venerabile Congregazione de' Celestini, e ciaschedun monastero della medema, *in solidum* sempre *et in perpetuum*, siano tenuti et obbligati, conforme detto reverendissimo padre procuratore generale ne' nomi suddetti promette e s' obbliga a detto eminentissimo e reverendissimo signor cardinale Finy, abate commendatario suddetto, come sopra presente, et altri successori in detta abazia, il sopraddetto annuo perpetuo canone di scudi quattrocento sessantatre moneta, come sopra convenuto, non ostanti le suddette spese, e non ostante che detti venerabile monastero e reverendi monaci Morronesi non cavassero utile alcuno da detta badia e suoi beni, e non ostante anche i terremoti, guerre, peste, sterilità, grandine, incendio, siccità, inondazione, tempesta, carestia, grilli, sorci, che Iddio non voglia, e finalmente in qualsivoglia altro caso benchè fortuito, solito e insolito, pensato e non pensato, qui non espresso, e del quale fosse necessario farne speciale menzione, et anco non ostanti qualsivoglia dazî, gabelle, tasse, imposizioni, et altri pesi imposti e da imporsi da qualsivoglia persona d'autorità per sussidio o per altre cause ed occasioni; ai quali ed altri casi, benchè venissero reiteratamente e più volte in un anno, detto reverendissimo padre procuratore generale, in nome come sopra, espressamente rinuncia, e prende tutti sopra detti venerabile monastero Morronense e sua venerabile Congregazione de' Celestini, tante volte quanto accadessero, senza poter domandare defalco, ristoro o compensazione di sorte alcuna del detto annuo perpetuo canone, che dovrà pagarsi intieramente e senza diminuzione et eccezione alcuna, perchè così, ecc. Et all'incontro detto eminentissimo e reverendissimo signor cardinale Finy moderno ed altri qualsivoglia abati commendatari successori in detta badia non possano mai in alcun tempo, per qualsivoglia pretesto e causa, benchè affatto nuova, impensata et insperata, pretendere, domandare o conseguire alcun augumento di detto annuo canone, anco per titolo della maggior rendita di detti beni, e de' miglioramenti in essi fatti e da farsi, benchè considerabili e considerabilissimi, in modo che il detto annuo perpetuo canone debba sempre et in perpetuo essere inalterabile ed immutabile per ciascheduna delle parti, non ostante qualsivoglia eventualità o favorevole o contraria come sopra, perchè così, ecc. Quarto, si conviene per patto espresso, che in evento che detto venerabile monastero e reverendi monaci Morronesi e sua venerabile Congregazione delli Celestini fossero morosi e negligenti, o in qualsivoglia modo mancassero di pagare a detto eminentissimo e reverendissimo signor cardinal Finy moderno et altri abati commendatari *pro tempore* di detta badia il sopraddetto annuo perpetuo canone per due termini e paghe continue, benchè non ne fossero ricercati, ovvero in caso che per qualsivoglia causa vendessero, dassero o permutassero, et in qualsivoglia modo alienassero, prendendo il vocabolo d'alienazione in largo modo, li beni e ragioni di detta badia, e ciascheduno di essi, ovvero i miglioramenti fatti e da farsi in essi e sue ragioni, o pure sopra di essi imponessero censi o speciali ipoteche, o qualsivoglia altra servitù, senza espressa licenza e consenso di detto eminentissimo e reverendissimo signor cardinal Finy moderno o altro abate commendatario *pro tempore*, e senza beneplacito apostolico espresso, i detti beni, sue ragioni e miglioramenti in essi fatti, di qualsivoglia qualità, quantità e valore, ancorchè fosse notabilissimo, devolvano e ricadano, e s' intendano devoluti e ricaduti all'abate commendatario *pro tempore*, e sia lecito al medemo pigliarne il vero, reale et attual possesso di propria autorità e di fatto, senza decreto di giudice, vizio di spoglio, nullità et attentati, e senza speranza che detto venerabile monastero e reverendi monaci Morronesi possano in modo alcuno purgare la mora, benchè minima, *etiam de aequitate canonica*, perchè così, ecc. Finalmente si conviene per patto espresso, che per maggior validità ed osservanza del presente istromento e cose in esso convenute, e perchè non possa mai impugnarsi nè in tutto nè in parte da qualsivoglia abate com-

mendatario *pro tempore* di detta badia, sotto qualsivoglia pretesto, ma il medemo istromento, assieme con tutte le cose in esso convenute et espresse, debba sempre et in perpetuo inviolabilmente osservarsi, e non controvertersi, che detto eminentissimo e reverendissimo signor cardinal Finy debba, conforme promette, tra sei mesi prossimi ottenere a proprie spese la conferma del medemo istromento, mediante Breve o altro diploma pontificio con l'inserzione del presente istromento, per la di lui perpetua validità ed osservanza, con tutte le clausole e deroghe necessarie ed opportune, perchè così, ecc. »

Promittens antedictus eminentissimus et reverendissimus dominus cardinalis Finy, abbas commendatarius praedictus, bona, iura, facultates, iurisdictiones, exemptiones et privilegia ut supra concessa, et ad dictum abbatem S. Clementis spectasse et pertinuisse, spectareque et pertinere, neminique alteri fuisse et esse cessa, concessa vel assignata, nec aliud quicquam de eis vel aliquâ [1] eorum parte fuisse, nec esse factum aut in futurum factum apparebit in praeiudicium huiusmodi perpetuae concessionis, quam promisit esse ac semper et perpetuo fore bonam, validam et legitimam, beneque, valide et legitime factam, sibique nomine, pacto et vigore dictae praeinsertae pontificiae permissionis facere licuisset et licere [2], et pro tali ac tamquam talem omni futuro tempore etiam per abbates commendatarios successores attendere, manutenere et inviolabiliter observare, habereque ratam, gratam, validam et firmam, contraque non facere, dicere, excipere, opponere vel venire, quovis sub praetextu, causâ, ingenio vel quaesito colore, etc., et in eam facere consentire omnes et singulos abbates commendatarios successores in dictâ abbatiâ, et alias quasvis personas ius aut interesse aliquod desuper habentes vel habere quomodolibet praetendentes, ad omnem solam, simplicem et extraiudicialem requisitionem dictorum venerabilis monasterii et reverendorum monachorum Murronensium, libere, etc., ita quod aliàs, etc., litemque aliquam desuper non inferre nec inferri facere, aut inferenti modo aliquo consentire, imo omnem litem et molestiam, si quae, etc., in quovis iudicio petitorio, possessorio, summario, summariissimo, sive mixto articulo, Salviani, ac eorum quolibet in solidum in primâ et aliis ulterioribus instantiis, avocatâ vel non avocatâ possessione in se ipsum uti abbatem commendatarium praedictum et aliàs in eâdem abbatiâ successores suscipere, susceptamque prosequi, mediare, terminare pariter et finire omnibus suis sumptibus et expensis, etiam procuratoris et advocati, absque ullâ curâ, operâ, impensâ vel labore dictorum venerabilis monasterii et reverendorum monachorum Murronensium, quos semper et perpetuo manutenere et conservare promisit, etc., in quietâ et pacificâ possessione liberâque fruitione bonorum iurium et aliorum ut supra concessorum, easque eximere, defendere et liberare ab omnibus lite, molestiâ et molestante personâ, aliàs in eventum contrarii, contraventionis, nullitatis, invaliditatis aut rescissionis praesentis contractus ex quocumque capite resultante, ultra praecisam et inviolabilem observantiam ad quam, etc., teneri etiam ipsum et alios successores abbates voluit de omni et quacumque dictorum bonorum, iurium et aliorum ut supra concessorum, et cuiuslibet eorum evictione, iurisque et facti defensione universali, generali et particulari, in formâ iuris validâ atque in Urbe solitâ et consuetâ, necnon ad omnia et singula damna, etc., de quibus, etc., quae omnia, etc., aliàs, etc., de quibus, etc., quod, etc.; pro quibus, etc., dictus eminentissimus et reverendissimus dominus cardinalis Finy, quo supra nomine, seipsum et ceteros in dictâ abbatiâ successores, bonaque omnia et iura quaecumque eiusdem abbatiae; dictus vero reverendissimus pater abbas procurator generalis bona omnia et iura quaelibet dictorum venerabilis monasterii et reverendorum monachorum Murronensius, et totius venerabilis Congregationis Caelestinorum, cunctorumque eius monasteriorum in solidum, in ampliori reverendae Camerae

1 Edit. Main. legit *aliquo* (R. T.).
2 Vel *liceret*, vel ante *licuisse* (R. T.).

apostolicae formâ solitis cum clausulis, etc., citra, etc., virtute supradictae praeinsertae licentiae, respective obligarunt, more, etc., iurarunt, etc.: super quibus omnibus et singulis praemissis petitum fuit a me notario publico infrascripto, ut unum vel plura publicum seu publica instrumentum et instrumenta conficerem atque traderem, prout opus fuerit et requisitus. Actum Romae in palatio Vaticano et mansionibus solitae residentiae dicti eminentissimi et reverendissimi domini cardinalis Finy, iuxta, etc., praesentibus, audientibus et intelligentibus his videlicet: illustrissimis dominis comite Xaverio Canali filio bonae memoriae comitis Ioannis Mariae Interamnensis, et canonico Donato Antonio Murgini filio domini Laurentii de Gravina, testibus ad praedicta omnia et singula adhibitis, vocatis specialiter atque rogatis.

Supplex libellus porrectus Sanctitati suae a praedicto cardinali pro obtinendâ licentiâ relatum instrumentum conficiendi.

Tenor supradictae pontificiae licentiae talis est videlicet:

« Beatissimo Padre. — Francesco Antonio Fini, arcivescovo di Damasco moderno abate di S. Clemente in Pescara, prostrato ai santissimi piedi di Vostra Santità, umilmente le espone, come la detta badia situata nella provincia di Chieti *nullius* con territorio separato, o giurisdizione quasi vescovile sopra cinque terre, che sono Alanno, Pietranico, Castiglione, Torre dei Passeri, e Bolognano, nella quale ultima terra possiede ed esercita ancora la giurisdizione laicale civile, fu dalla beata memoria del cardinal Fabbroni suo immediato antecessore data in affitto, in vari tempi che egli l'ha posseduta, in diversi prezzi or più or meno tra li sei in settecento ducati di moneta di regno, e l'ultimo fitto fatto dal medemo è stato di ducati parimenti di regno seicento quaranta, coll'andare a conto dell'istesso abate tutte le seguenti spese, cioè il mantenimento di due cappellani, che importavano ducati sessanta l'anno, l'adoga di ducati sette e grana sessanta al banco della Nunziata di Napoli, per le due feste in ciaschedun anno ducati nove, e di più andavano a conto del medemo il mantenimento si della fabbrica della chiesa, e della sacra suppellettile, come pure quello d'altre fabbriche della stessa badia, di maniera che le suddette spese un anno per l'altro ascendevano a ducati cento in circa, la qual somma deducendosi da quella dell'ultimo fitto di ducati seicento quaranta, resta che il frutto del suo antecessore ritrattone sia stato in moneta di regno ducati cinquecento quaranta in circa l'anno, ed in moneta romana (supponendo il cambio non più che al trentacinque per cento) scudi quattrocento. Dopo che l'oratore è stato proveduto della stessa badia dalla Santità Vostra, ha egli praticato tutte le diligenze possibili per migliorarla, ed accrescerne le rendite, ma ha sperimentato inutile ogni diligenza; anzi nel fitto procuratone, anche coll'accensione della candela la maggior offerta è stata di ducati di regno quattrocento cinquanta, con dovere andare anche a conto suo tutte le suddette spese forzose, in modo che per esso, secondo tale offerta, non verrebbero a costare[1] netti che ducati di regno trecento cinquanta, che in moneta romana non fan più che scudi duecento settanta in circa. E ciò deriva, perchè colla lontananza degli abati i beni della badia posti in luoghi alpestri, e fuor di mano, in potere de' fittuari ed amministratori alla giornata sempre più deteriorano. Oltre a suddetti beni e rendite, che sono tutte nel regno di Napoli, possiede in Roma la stessa badia ottantasette scudi romani annui in tanti luoghi di monti, che si esigono immediatamente a drittura dall'abate non compresi nel fitto che si fa *in partibus* di tutto il rimanente della badia. In questo stato di cose, a maggiore utilità della badia medema e degli abati *pro tempore*, crede l'oratore essere espediente di darla a locazione o sia enfiteusi perpetua ai monaci Celestini del monastero Morronese volgarmente chiamato la badia di S. Spirito nelle vicinanze di Solmona, che è capo della loro Congregazione, e vi risiede per abate il padre generale della medema, e fargliene la concessione per l'annuo canone di scudi romani quattrocento sessantatre, che offeriscono li medemi pagare ciascun anno in

1 Forsan *restare* (R. T.).

Roma bipartitamente in due semestri, cioè la metà in S. Gioanni Battista di giugno, e l'altra metà in S. Giovanni apostolo ed evangelista di Natale, netti e franchi da qualunque spesa, all'abate presente, come anche a futuri abati *pro tempore in perpetuum*, con andare a conto de' medemi padri Celestini tutte le suddette spese forzose riferite di sopra, ed altre straordinarie, che per il mantenimento e miglioramento dei beni della badia potessero occorrere, obbligando per tal pagamento, oltre i beni di detto monastero Morronese, tutti gli altri che in Roma e fuor di Roma possiede la loro Congregazione, e col patto di non alienare, nè donare, nè ipotecare, nè in tutto nè in parte i beni della stessa badia di S. Clemente, sotto pena della caducità e devoluzione, anche in mancanza degli annui pagamenti, e con altri patti e condizioni soliti a praticarsi in simili contratti, sovra de' quali se ne dovrà stipulare qui in Roma solenne istromento in forma; col concedere viceversa a' padri Celestini del suddetto monastero pienissima potestà di amministrare a loro arbitrio e di migliorare i beni della stessa badia di S. Clemente, d'intentar liti e proseguirle per ricuperare i beni della medema, in caso trovassero esserne stati da chi che sia usurpati, col libero esercizio ai medemi padri Celestini dell'accennato monastero di Morrone, e senza alcuna dipendenza dagli abati *pro tempore* della giurisdizione civile laicale nella terra di Bolognano, e di ogni altra giurisdizione civile di qualunque genere, che la medema badia si abbia, e che col tempo possa avervi, con espressa dichiarazione, che, riuscendo a suddetti monaci di migliorare i beni di essa badia di S. Clemente, e di accrescerne le rendite, in niun tempo dagli abati, sotto qualunque pretesto o motivo, possa pretendersi maggior censo di quello ora concordato e stabilito di scudi romani quattrocento sessantatre, di giuli dieci l'uno, sicchè uniti a questi gli altri sovraccennati scudi ottantasei de' luoghi de' monti, che si esigeranno immediatamente dall'oratore e dagli abati suoi successori in Roma, viene ad assicurarsi il frutto certo annuo in perpetuo della badia della somma di scudi romani cinquecentocinquanta, che difficilmente potrà aversi, non che fermarsi ed accettarsi ogni anno in qualunque circostanza di tempo. Avendo quivi effetto, mediante il beneplacito e consenso della Santità Vostra, il suddetto contratto, si stima per utile alla medema badia di S. Clemente, ed alle terre che sono sotto la sua quasi vescovile giurisdizione, che questa stessa giurisdizione spirituale sopra le medeme cinque terre riferite di sopra si faccia amministrare in perpetuo dal suddetto monastero Morronese ed abate di esso, perchè dimorando questi quasi sulla faccia del luogo, e non più che dieci miglia lontano da S. Clemente, potrà con maggior profitto di quelle anime esercitarla. Ma acciochè col progresso del tempo non siano per tal giurisdizione li suddetti monaci inquietati e molestati da liti, viene umilmente la Santità Vostra supplicata, nel conferire ad essi monaci tal giurisdizione, di comunicare ad esso monistero ed abate Morronese tutti i privilegi, esenzioni, e prerogative, che gode l'abate di S. Clemente, col dichiarare che tal giurisdizione si debba esercitare dal suddetto abate Morronese con totale indipendenza non solo dall'abate presente, ma anche da' futuri in perpetuo, senza che mai per qualunque pretesto possa a' medemi abati farsi ricorso alcuno per cose concernenti interessi della badia, governo della chiesa, ed esercizio di detta giurisdizione, la quale dovrà da detto padre abate Morronese esercitarsi *perinde ac si omnimoda iurisdictio quasi episcopalis esset in ipso abate Murronensi radicitus fundata*, nella maniera che ella trovasi nello stesso abate di S. Clemente. Somigliante contratto, siccome riuscirà di grandissimo utile alla suddetta badia di S. Clemente e degli abati sì *pro tempore*, così pure sarà profittevole alle anime che sono sotto la giurisdizione della medema, senza che sia per essere svantaggioso al monastero Morronese, i di cui monaci con la loro presenza ed attenzione potranno migliorare i beni di quella badia, e ritrarne maggior frutto di quello

che possono mai ricavarne gli abati, che per lo più a breve tempo e da lontano per mezzo d'altri lo amministrano. E perciò l'oratore supplica umilmente la Santità Vostra volergliene concedere il solito beneplacito apostolico, con la facoltà a'monaci suddetti di obbligarsi nella maniera espressa di sopra, e stipularne colle dovute solennità l'istromento; che il tutto, ecc. ».

Tenor permissionis et licentiae obtentae a Pontifice.

« Die XII ianuarii MDCCXXVIII, sanctissimus dominus noster, oratoris precibus benigne annuens, facultatem ineundi supradictum perpetuum contractum cum omnibus et singulis pactis et conventionibus supra expressis, iuxta petita, eidem oratori ac supradictis monachis Caelestinis impertitus est. — C. card. Origus praefectus — P. archiepiscopus episcopus Anconae secretarius. *Loco † sigilli. Gratis etiam quoad scripturam* ».

Tenor litterarum patentalium generalis Congregationi Caelestinorum ad Caelestinum Galliani cum quo praedictum instrumentum confectum fuit, quibus ille totius Congregationis procurator generalis declaratur.

Tenor autem praedictarum litterarum patentalium est infrascriptus, videlicet:

« D. Theodorus Carli abbas S. Spiritus de Murrone ac praesidens generalis totius Congregationis Caelestinorum Ordinis S. Benedicti, dilecto nobis in Christo fratri Caelestino Galliani abbati nostri collegii Caelestini Urbani ac parochialis ecclesiae S. Mariae in Posterulis de Urbe, salutem in Domino, et in commissis fidelem diligentemque exequtorum[1]. Antiquâ et approbatâ patrum nostrae Congregationi consuetudine per nostras constitutiones sancitum reperitur, ut aliquis eiusdem Congregationis probatae vitae, sufficientis scientiae, congruae experientiae et diligentis prudentiae monachus ad iura Congregationum tuenda, bona conservanda, augenda et recuperanda, eamque et eius monasteria, castra, loca et membra, personas et vassallos ab iniuriis defendendos apud Romanam Curiam et sanctam Apostolicam Sedem in generalem totius nostrae Congregationis procuratorem eligatur pariter et constituatur. Cum igitur tu talis repertus talique officio dignus in presenti generali capitulo fueris electus et constitutus, prout in actis eiusdem generalis capituli plene continetur, nos, unâ cum definitorialis nostri capituli patribus, de tuis prudentiâ, fide, legalitate, bonitate, sufficientiâ, rerum experientiâ, atque erga nostram Congregationem zelo et pietate ac experimento confisi, te praedictum dilectum fratrem nostrum dominum Caelestinum Galliani abbatem, ut supra, generalem procuratorem specialemque nuncium totius nostrae Congregationis apud sanctissimum dominum, sanctam Sedem Apostolicam et Romanam Curiam, ubique existentem, tenore praesentium nominatum, electum, creatum et constitutum declaramus, et ad omnium ad quos spectat notitiam deducimus. Dantes et concedentes tibi omnimodam plenamque auctoritatem, potestatem ac facultatem, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, pro dictâ nostrâ Congregatione, eiusque locis, membris, personis, vassallis et quomodocumque subiectis, annexis, participantibus et connexis, procurandi, tamquam vero et legitimo generali totius Congregationis nostrae provinciae nuncio et oeconomo ad causas omnes et singulas, ac loca et personas ut supra quomodocumque pertinentes peragendas destinato; comparendi quoque coram quocumque iudice et tribunali tam ecclesiastico quam saeculari, et coram quibuscumque personis tam publicis quam privatis, cuiuscumque status, gradus, dignitatis et conditionis existant, apud dictam Romanam Curiam et sanctam Apostolicam Sedem, pro causis et negotiis omnibus civilibus et criminalibus et mixtis ad Congregationem praedictam, eiusque loca et personas ut supra spectantes, easque tractandi et terminandi; agendi insuper cum iisdem iudicibus tribunalibus et personis quaecumque de iure vel consuetudine in favorem dictae nostrae Congregationis, eiusque locorum et personarum, ut supra, contra quascumque personas erunt peragenda; citandi, accusandi, denunciandi, litem movendi, motas contestandi, agendi, prosequendi, componendi et terminandi; peculium Congregationis, quod Romam de nostro mandato pro tempore mittitur, recipiendi; easdem pecunias et alias omnes ad dictam nostram Congregationem, eiusque loca et personas, ut supra, quomodocumque spectantes, a quibusvis

[1] Videtur legendum *executionem* (R. T.).

personis eas detinentibus a publicis banchis exigendi et recipiendi; exigendi quoque redditus seu fructus quoslibet sive censuum sive locationum sive locorum montium, tam decursos, quam in futurum suis loco et tempore decurrendos, sive quorumcumque aliorum effectuum quomodolibet spectantium tam ad monachos dictae nostrae Congregationis, aliaque loca et personas nobis subditas et subiectas, et de rescriptis quod ipsas quietantiae iuxta morem et usum faciendi; defendendi quoque omnia et singula nostra monasteria, loca, personas, vassallos et quomodocumque subiectos, ipsorumque iura et iurisdictiones tuendi, bona quaecumque earumdem conservandi, manutenendi et augendi, ac tandem omnia et singula faciendi agendi, exequendi et terminandi, quae ad dicti procuratoratus generalis officium de iure vel consuetudine quomodocumque spectare dignoscuntur, iuxta procurationis mandatum, et per nos ipsos, si personaliter ad Congregationis negotia pertractanda et terminanda adessemus, fieri et perfici possent: nos enim, pro praedictorum omnium et singulorum exequtione, concedimus tibi omnem necessariam et opportunam auctoritatem et nostrae Congregationis nomine totum nostrum posse, etiam vices et voces, ratum, gratum et firmum ex nunc pro tunc quidquid a te, pro praefatorum omnium et singulorum exequtione ac inde quomodocumque emergentium annexorum et connexorum, actum, gestum, factum et terminatum fuit, quod licentes et habentes. In quorum fidem has praesentes fieri iussimus nostrà subscriptione firmas, nostrique sigilli impressione munitas et roboratas. Datum ex praedictâ nostrâ regali abbatiâ Murronensi die XV maii MDCCXXV. — D. THEODORUS abbas generalis. — D. CAELESTINUS BRANCIA secretarius — *Loco* † *sigilli* ».

Instrumentum aliud, quo a capitulo generali totius Congregationis Caelestinorum, in monasterio S. Spiritus de Murrone congregato, relatum prius instrumentum approbatum fuit.

Tenor tandem supradicti instrumenti mandati procurae est sequens videlicet:

« In nomine Domini Amen. An. MDCCXXVIII, die vero XII mensis ianuarii, in regali et venerabili monasterio S. Spiritus de Murrone, etc., capitulariter congregati et in unum ad sonum campanulae claustralis, ut moris, coadunati omnes infrascripti reverendissimus pater abbas et reverendi monachi venerabilis monasterii Murronensis Congregationis Caelestinorum, vulgo nuncupata *la Badia di S. Spirito*, in viciniis Sulmone, in loco infrascripto, ubi pro rebus et negotiis dicti eorum monasterii peragendis et pertractandis congregari et coadunari solent, videlicet reverendissimus dominus Theodorus Carli abbas huius monasterii ac praesidens generalis totius Congregationis Caelestinorum, pater dominus Hyacinthus Cotinelli abbas S. Ioannis in Pano et prior huius abbatiae, dominus Caelestinus Rolli secretarius reverendissimi patris generalis, dominus Iustinus Valignani socius reverendissimi prioris generalis, dominus Mutius De Carolis decanus, dominus Horatius Cimaglia procurator et vicarius castrorum, dominus Fridericus de Iudice lector philosophiae et cancellarius, dominus Ioseph Calenzali archipresbyter et vicarius forensis, dominus Fabritius Noia lector moralis, dominus Benedictus Valletta depositarius, dominus Matthaeus Venditta archivista, dominus Carolus Gandolfi sacrista, archivista et depositarius, dominus Octavius Tomachelli, dominus Beda S. Coloma, dominus Philippus Bancore, dominus Leopoldus Cialli, dominus Placidus Ciembrui, dominus Ioannes Girardus Zanchi, dominus Aloysius de Iudice, dominus Fortunatus Capri, dominus Vuolsangus Piscopus, et dominus Albinus de Angora, asserentes, et mediante, etc., affirmantes, ipsos et maiorem et seniorem [1] partem, ac ultra duas ex tribus partibus, vocem et votum in capitulo habentes, totumque et integrum capitulum repraesentantes, nihilominus pro absentibus et infirmis, si qui sint, de rato in formâ promittentes, libere, etc., ita quod, etc., aliàs, etc., sponte, etc., omnique meliori modo, etc., fecerunt et constituerunt, etc., eorum dictique eorum venerabilis monasterii procuratorem generalem patrem dominum Caelestinum Galliano procuratorem generalem eiusdem venerabilis Congregationis, licet absentem et in almâ Urbe commorantem, sed tamquam praesentem, etc.,

1 Forsan *saniorem* (R. T.).

specialiter et expresse ad ipsorum reverendorum dominorum monachorum constituentium dictique eorum venerabilis monasterii nominibus, et pro eis praeviâ tamen necessariâ et opportunâ facultate apostolicâ, debitâque permissione, concessionem in locationem, seu emphyteusim perpetuam duraturam, et quae afficere etiam debeat abbates commendatarios successores abbatiae S. Clementis in Piscaria nullius dioecesis cum territorio separato et iurisdictione fere episcopali super quinque terris Allani nempe, Petranici, Castiglionis, Turris Passerum et Bolognani, et cum iurisdictione laicali civili in dictâ postremâ terrâ Bolognani, omniumque et singulorum eiusdem abbatiae S. Clementis bonorum mobilium, stabilium, semoventium, et aliorum quorumcumque ad ea[1] quomodolibet spectantium et pertinentium et in eâ ubique locorum existentium[2], iurium quoque, membrorum, pertinentiarum, adiacentiarum, usuum et commoditatum universarum, etiam ad effectum recuperandi bona eiusdem abbatiae casu quo reperientur a quopiam usurpata et occupata, nihilo penitus excepto neque excluso, et solum non comprehensis locis montium in almâ Urbe ad dictum abbatem spectantibus per eminentissimum et reverendissimum dominum Franciscum Antonium S. R. E. cardinalem Finy eiusdem abbatiae modernum abbatem commendatarium favore eorum venerabilis monasterii modo quo supra faciendam, cum amplissimâ quoque facultate tribuendâ eorum venerabili monasterio semper et in perpetuo, dico et perpetuo, administrandi pro libero arbitrio reverendissimorum monachorum pro tempore et meliorandi bona eiusdem abbatiae, lites et causas instruendi, prosequendi et terminandi, aliaque necessaria et opportuna ad eorum libitum agendi et exercendi absque ullâ dependentiâ a dicto eminentissimo domino abbate commendatario et aliis in eâ pro tempore successoribus etiam quoad iurisdictionem civilem cuiusvis generis nunc et pro tempore ad eamdem abbatiam competentem[1] et competituram, et quam eadem abbatia habet, seu in futurum habere posset, et cum communicatione eorum venerabili monasterio Murronensi illiusque[2] reverendissimo patri abbati pro tempore omnium et singulorum privilegiorum, exemptionum et praerogativarum dicti eminentissimi domini abbatis commendatarii, et aliorum pro tempore in eâdem abbatiâ successorum, habendorum et exercendorum per eorum reverendissimum patrem abbatem cum totali independentiâ ab eodem moderno eminentissimo domino abbate commendatario illiusque pro tempore successoribus in eâdem abbatiâ in perpetuum, absque eo quod sub quovis praetextu adversus reverendissimum patrem abbatem eiusdem venerabilis monasterii pro tempore haberi et fieri possit quicumque recursus quoad res concernentes interesse eiusdem abbatiae, gubernium ecclesiae et exercitium dictae iurisdictionis per eumdem reverendissimum patrem abbatem Murronensem omni futuro tempore habendae, fruendae et exercendae, perinde ac si omnimoda iurisdictio quasi episcopalis esset in ipso reverendissimo patre abbate Murronensi pro tempore radicitus fundata, eoque modo et formâ quibus ad praesens residet in eodem eminentissimo domino abbate commendatario, et non aliâs, etc., acceptandum, etc., eamdemque abbatiam cum suis praefatis bonis et iuribus, modisque et formis superius expressis, in eamdem locationem et emphyteusim perpetuam, observandamque etiam per quoscumque abbates commendatarios successores, cum solitis et consuetis clausulis[3] conducendum, etc., pro annuo perpetuo canone scutorum quatuorcentum sexaginta trium monetae romanae de iuliis decem pro quolibet scuto, eumdemque annuum perpetuum canonem in almâ Urbe solvere et exbursare duabus solutionibus aequalibus, primâ nempe in festivitate S. Ioannis Baptistae mense iunii, secundâ vero in festivitate S. Ioannis apostoli et evangelistae mense decembris, singulo anno, perpetuis

1 Edit. Main. habet *spectantia* et *pertinentia ... existentia* (R. T.).

2 Forsan legendum *eam* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *competere* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *illius* (R. T.).

3 Edit. Main. legit *clausuris* (R. T.).

futuris temporibus dicto moderno eminentissimo domino abbati commendatario aliisque futuris abbatibus promittendum, seque obligandum, etc., atque insuper de subeundo, ultra dictum annuum perpetuum canonem, omnes et quascumque expensas tam ordinarias quam extraordinarias occurrentes et necessarias pro manutentione ecclesiae et bonorum eiusdem abbatiae, faciendum et in formâ validâ emittendum; ulterius vero conveniendum et cum dicto eminentissimo et reverendissimo domino abbate commendatario concordandum quod solutio supra praefati annui perpetui canonis scutorum quatuor centum sexaginta trium monetae romanae, ut supra facienda eidem eminentissimo domino abbati commendatario eiusque successoribus in perpetuum, sit esseque semper et perpetuo debeat integra et intacta in eâdem suprâ praefatâ summâ quatuor centum sexaginta trium scutorum pro abbate commendatario, quodque nullatenus minui possit, etiamsi dictum venerabile monasterium tantam reddituum quantitatem ex dictâ abbatiâ eiusque bonis non perciperet, et non obstantibus quoque bello, peste, glacie, sterilitate, grandine, incendio, siccitate, inundatione, tempestate, penuriâ, fame, grillis, surcis (quod Deus avertat), et tandem non obstantibus quocumque alio casu, licet fortuito, solito et insolito, cogitato et incogitato, hicque non expresso et necessario forsan exprimendo, et non obstante etiam quibuscumque datiis gabellis, taxis, impositionibus et aliis oneribus impositis et imponendis quacumque auctoritate ob subsidia vel alias quascumque causas, etiam si reiterato acciderent, e converso autem idem canon nullo unquam tempore augeri possit, nec praetendi valeat aliquod illius augmentum ab abbatibus commendatariis pro tempore, sive aliis, ex causâ meliorationis dictorum bonorum, seu ingentis et ingentissimi redditus qui perciperetur ab eodem venerabili monasterio, et ex aliâ quavis causâ etiam prorsus novâ, incogitatâ et insperatâ, in modum ut dictus canon semper persolvi et respective exigi debeat in dictâ solâ et immutabili summâ scutorum quatuorcentum sexaginta trium monetae romanae, non obstantibus omnibus supradictis casibus, aliisque quibuscumque eventualitatibus, quibus inde habeatur pro renunciato; item conveniendum quod nullatenus liceat dicto venerabili monasterio eiusque reverendis prioribus abbatibus pro tempore bona et iura dictae abbatiae, neque in parte licet minimâ, vendere, donare, permutare, dare in solutum vel partem soluti, censuare, hypothecare, vel aliàs quomodolibet alienare, alienationis vocabulo latissime sumpto, sub poenâ caducitatis et devolutionis ipso facto incurrendae; et isto casu omnia bona praefata, cum suis melioramentis licet considerabilibus et praemaximis, revertantur ad eamdem abbatiam eiusque dominos abbates commendatarios absque eo quod ab eorum venerabili monasterio praetendi possit, necnon etiam eadem caducitas et devolutio incurratur in casu morositatis in solvendo canone per tempus a praefato reverendissimo patre procuratore, ut supra constituto, concordandum et stabiliendum, absque eo quod peti nec praetendi possit admissio ad beneficium purgationis morae, etiam de aequitate canonicâ, quinimo eidem beneficio etiam mediato renunciandum, etc.; omniaque alia et singula pacta, capitula, conditiones et conventiones ex nostrâ[1] contractus apponenda et apponendis[2] eidemque reverendissimo patri procuratori ut supra constituto melius placitas et benevisas concordandum, firmandum et stipulandum; obligationemque per dictum eminentissimum dominum abbatem commendatarium faciendam, et successores etiam comprehendentem, de manutenendo dictum eorum venerabile monasterium in quietâ et pacificâ possessione bonorum et iurium dictae abbatiae, et de illorum evictione, iurisque et facti defensione universali, generali et particulari, in formâ iuris validâ, amplissime et latissime extendi, acceptandum; quatenus vero pro adimplemento promittendorum in dictâ concessione eorum venerabilis Congregatio se obligat, de eâ saepius fuerit

1 Interpretetur lector scius (R. T.).
2 Forsan *apponendas* (R. T.).

relevando atque ab omnibus damno, expensâ et interesse liberando, obligatione in formâ amplissimâ faciendum et emittendum, etc.; et praemissorum causâ et occasione quodcumque instrumentum et instrumenta, cum quibusvis pactis et capitulis, conditionalibus, promissionibus, clausulis et cautelis in similibus apponi solitis et consuetis, eidemque reverendissimo patri procuratori ut supra constituto melius placitis et benevisis, atque per eum arbitrandis, per acta cuiusvis publici notarii fieri, recipi, rogari et stipulari faciendum, illiusque et eorum adstipulationi interveniendum, etc., et pro illorum et in eis promittendum observantiâ et inviolabili adimplemento bona omnia et iura quaecumque dicti eorum venerabilis monasterii in quavis validiori et de iure strictiori etiam R. E. A. formâ solitis cum clausulis, etc., obligandum, etc., et hypothecandum, etc., obligationesque instrumento et alio quovis robore valendum, etc., et generaliter in praemissis omnibus et singulis gerendum ea omnia et singula, quae facere et gerere possent ipsi reverendissimus pater abbas et reverendi monachi si praesentes et personaliter interessent, etiamsi talia forent quae magis speciale et individuum procurae mandatum, quam praesentibus est expressum, requirerent, cum dicta alter ego, itaut defectus mandati procurae praetendi, opponi et allegari nequeat, non solum isto, sed et omni, etc., promittentes, etc., relevantes, etc., super quibus, etc., omnibus observandis, etc., et ut, etc., praedicti constituentes obligarunt seipsos, posteros et successores, ac bona omnia mobilia et stabilia, praesentia et futura, etc., cum potestate, etc., constituentes, etc., et renunciaverunt, etc., et iuraverunt, etc., unde, etc., *Laus Deo, etc.*, praesentibus opportunis, etc. *Extracta est praesens copia ab actis mei Pauli De Amicis a Pratulis, apostolicâ per totum orbem auctoritate notarius, iudex ordinarius in archivio Romanae Curiae descriptus, et meo solito sigillo requisitus signavi, etc. — Laus Deo, etc. Loco † sigilli.* — De Amicis. — Testor ego infrascriptus suprafatum Paulum de Amicis a Pratulis esse talem qualem se facit, eiusque privatis ac publicis scripturis omnem esse fidem habendam, etc.: in cuius rei testimonium, etc., datum ex regali abbatiâ Murronensi prope Sulmonem hac die XIII ianuarii MDCCXXVIII. Dominus Theodorus Carli, abbas generalis Caelestinorum ac Ordinarius terrae Pratularum. Ego dominus Fridiricus de Iudice cancellarius. *Loco † sigilli.* Ita est pro domino Petro Nicolao de Canterellis curiae Capitolii notario de praedicto instrumento rogatus fui. Ego Sebastianus de Bernardinis Romanus civis, Dei gratiâ et apostolica auctoritate notarius publicus eiusdem curiae Capitolii, praesens istrumentum subscripsi et publicavi, meoque solito signo signavi requisitus, etc. *Locus † signi* ».

Alterius vero: « In Dei nomine, *Amen.* — Die VIII mensis maii anno MDCCXXVIII, in regali ac venerabili abbatiâ S. Spiritus de Murrone, et prope, etc., Reg., etc., nos, etc., capitulariter congregati, et in unum ad sonum campanae, et praemissis solitis caeremoniis, ut moris, in capitulo generali coadunati omnes infrascripti reverendissimi patres praesidens generalis, abbates et vocales venerabilis Congregationis Caelestinorum Ordinis S. Benedicti in loco infrascripto, ubi pro habendo et tenendo capitulo generali congregari et coadunari solent, videlicet: reverendissimus pater dominus Theodorus Carli, abbas huius abbatiae ac praesidens generalis totius Congregationis Caelestinorum, reverendus pater coabbas dominus Bernardus Paglioni, abbas S. Eusebii de Urbe ac vicarius generalis, reverendus pater coabbas dominus Matthaeus Vecchi, abbas S. Mariae de Casaluce, pater dominus Hyacinthus Cotinelli, abbas S. Ioannis in Plano et prior huius regalis abbatiae, pater dominus Dionysius Cimboli abbas S. Benedicti de Nursia ac visitator primus, pater dominus Hieronymus Marini abbas S. Mariae de Pedemontio ac visitator secundus, pater dominus Caelestinus Cortese abbas SS. Annuntiatae de Tarento ac visitator tertius, pater dominus Franciscus Righi, abbas SS. Trinitatis de Faventia ac visitator quartus, pater dominus Maurus Tor-

Instrumentum alterum eiusdem tenoris.

1 Legerem *promittendorum* (R. T.).

lini, abbas S. Onuphrii de Cumiplo ac definitor primus, pater dominus Gaspar Cotinelli, abbas S. Ioannis Baptistae de Bononiâ, ac definitor secundus, pater dominus Bernardus Sassi, abbas S. Ioannis de Uria, ac definitor tertius, pater dominus Gaspar Maggioni, abbas S. Mariae de Magenta ac definitor quartus, pater dominus Caelestinus Galliano, abbas S. Mariae in Posterula ac procurator generalis in Romanâ Curiâ, pater dominus Caelestinus de Jorio abbas S. Mariae Collismadii de Aquila, pater dominus Silvester Calenzali abbas S. Spiritus de Magella, pater dominus Fortunatus Palumbo abbas S. Petri ad Magellam de Neapoli, pater dominus Ioseph de Caffro abbas S. Bartholomaei de Luceria, pater dominus Andreas de Stephanis abbas S. Catharinae de Terranova, pater dominus Ramirus Delmatis abbas S. Petri Caelestini de Mediolano, pater dominus Ambrosius Biancolella abbas S. Gregorii de Novo, pater dominus Petrus Hieronymus Barcellini abbas S. Michaëlis de Florentia, pater dominus Caelestinus Cornice abbas SS. Trinitatis de S. Severo, pater dominus Caelestinus de Lecto abbas S. Angeli de Celano, pater dominus Ioseph Amati abbas S. Petri ad Magellam de Aversa, pater dominus Ludovicus de Leon abbas S. Benedicti de monte Gargano, pater dominus Beda de Mari abbas S. Mariae civitatis Theatinae, pater dominus Aloysius Mattiolis abbas S. Mariae ad Magellam de Capua, pater dominus Ramirus Tabbassi abbas S. Nicolai de Bergamo, pater dominus Theophilus Galeucci abbas SS. Annunciatae de Gesualdo, pater dominus Bonifacius Pepe abbas SS. Trinitatis de Barulo, pater dominus Antonius Meroni abbas S. Mariae Meiulanae de Corropolo, pater dominus Antonius Sgarzi abbas S. Hieronymi de Caesena, pater dominus Caelestinus Paladini abbas S. Iacobi de Salerno, pater dominus Maurus Zaccagna abbas S. Stephani de Bononiâ, pater dominus Maurus Troiani abbas S. Mariae de Messapia, pater dominus Zaccarias de Ellectis abbas S. Petri Caelestini de Siponto, pater dominus Ioannes Baptista Talleoni abbas S. Nicolai de Arimino, pater dominus Benedictus Rossi abbas S. Catharinae de Beneventi, pater dominus Hieronymus Cobicci abbas titularis, prior Vici aequensis ex Brevi speciali Summi Pontificis regnantis, etc., asserentes, et mediante iuramento, etc., affirmantes ipsos omnes habere votum et vocem in eorum capitulo generali, illudque integraliter valide et legitime constituere, repraesentare, nihilominus pro vocabulis infirmis et absentibus, si qui sint, de rato in formâ promittentes, libere, etc., ita quod, etc., aliàs, etc., asserentes quoque et similis iuramenti[1] affirmantes ipsos habere plenam notitiam, certam scientiam et informationem de instrumento rogato per acta domini Cantarelli, curiae Capitolii in almâ Urbe notarii, sub die v mox elapsi aprilis, quo mediante eminentissimus et reverendissimus dominus dominus Franciscus Antonius S.R.E. cardinalis Finy, uti modernus abbas commendatarius abbatiae S. Clementis in Piscariâ, sitâ in provinciâ Theatinâ nullius dioecesis, vigore benigne permissionis et licentiae in formâ specificâ obtentae a sanctissimo domino nostro Papa Benedicto XIII, concessit in emphyteusim perpetuam et perpetuo duraturam, etiam quoad alios abbates commendatarios successores, venerabili monasterio et reverendissimo patre abbati pro tempore ac reverendis monachis S. Spiritus de Murrone eorum venerabili Congregationi in viciniis Sulmonis supradictam abbatiam S. Clementis in Piscaria cum territorio separato et iurisdictione fere episcopali super quinque terris, Alanni nempe, Petranici, Castiglionis, Turris Passerum et Bolognani, et cum iure, possessione et exercitio etiam iurisdictionis laicalis civilis in eâdem terrâ Bolognani, ecclesiamque, palatium et bona quaecumque eiusdem abbatiae, unâ cum omnibus et singulis suis iuribus, membris, pertinentiis, adiacentiis, usibus, commoditatibus, fructibus, redditibus et proventibus, decursibus[2], pendentibus et maturis a die primâ ianuarii proximi, privilegiis quoque, facultatibus et iurisdictionibus universis, pro

1 Sic ed. M. quam in omnibus referimus (R.T.).
2 Potius lege *simili iuramento* (R. T.).

annuo perpetuo canone scutorum quadringentorum sexagintatrium monetae romanae de iuliis decem pro quolibet scuto immutabiliter et absque ullâ diminutione solvendo et exbursando eidem eminentissimo et reverendissimo domino cardinali Finy moderno et aliis abbatibus commendatariis in perpetuum duabus solutionibus aequalibus in Urbe faciendis, primâ nempe in festivitate S. Ioannis Baptistae mense iunii, et alterâ in festivitate S. Ioannis apostoli et evangelistae mense decembris nunc currentis, et deinde cuiuslibet anni in posterum decurrentis, et pro qua solutione annui perpetui canonis reverendissimus pater abbas dominus Caelestinus Galliani, tunc in Romanâ Curiâ procurator generalis, obligavit totam eorum venerabilem Congregationem, omniaque et singula monasteria, cunctaque bona et iura in solidum, animo tamen, respectu ad dictam venerabilem Congregationem et cetera eius monasteria, habendi et consequendi relevationem adversus dictum venerabile monasterium Murronense eiusque bona in casu, etc., et cum promissione per dictum reverendissimum patrem procuratorem generalem emissâ de faciendo omnia per gesta ratificari in praesenti capitulo generali, ac de omnibus et singulis pactis, capitulis, conditionibus, promissionibus, obligationibus, caducitatibus, clausulis et cautelis in eodem instrumento concessionis in emphyteusim ut supra rogato contentis et expressis, et nihilominus in abundantiorem cautelam melius per me certiorati mediante lecturâ eiusdem instrumenti, mihi, etc., in publicam formam ad hunc effectum exhibito, omniumque et singulorum in eo contentorum, praesentibus reverendis dominis, de verbo ad verbum, et a primâ usque ad ultimam syllabam factâ intelligibili et clarâ voce, quibus per eosdem reverendos patres auditis, et bene, ut dixerunt, et mediante, etc., affirmarunt, intellectis, sponte, etc., in vim supra expressae, pontificiae licentiae, et aliàs omni meliori modo, etc., idem supradictum instrumentum concessionis in emphyteusim perpetuam ut supra factam pro dicto annuo perpetuo canone scutorum quadringentorum sexagintatrium monetae romanae, cum obligatione dictae venerabilis Congregationis, cunctorumque illius monasteriorum, ut dictum est, in Urbe solvendorum, omniaque et singula in eodem instrumento contenta et expressa, a primo ad ultimum, nihilo penitus excluso neque excepto, sed singula singulis congrue referendo, acceptarunt, ratificarunt, approbarunt et confirmarunt, et pro plenissime acceptatis, ratificatis, approbatis et confirmatis haberi voluerunt, et volunt, non solum isto, sed omni, etc., quum[1] quidem acceptationem, etc., supradicti reverendi patres in capitulo generali ut praemittitur congregati promiserunt, etc., seseque obligarunt, etc., semper et perpetuo habere ratam, gratam et firmam, et pro tali ac tamquam talem attendere, manutenere et inviolabiliter observare, contraque non facere, dicere, excipere, apponere vel venire, quovis sub praetextu, causâ, ingenio vel quaesito colore, etc., aliàs, etc., de quibus, etc., quod, etc., pro quibus, etc., totam eorum venerabilem Congregationem, cunctaque illius monasteria, bona, etc., iura, etc., in ampliori reverendae Camerae Apostolicae formâ, solitis cum clausulis, etc., citra, etc., in solidum obligarunt, etc., appellationi, etc., renunciantes, etc., consentientes, etc., unicâ, etc., et tactis pectoribus de more, etc., iurarunt, etc., super quibus, etc. Praesentibus opportunis, etc., licet aliena manu, etc., extractâ est praesens copia ab actis mei Pauli de Amicis a Pratulis, utrâque auctoritate notarii, et, factâ collatione, concordat, meliori semper salvâ, etc., et meo solito signo requisitus signavi, etc. *Laus Deo, etc. — Loco † signi.* — De Amicis ».

Preces cardinalis et monachorum praedictorum pro relatorum confirmatione.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, idem Franciscus Antonius cardinalis praemissa omnia et singula, pro perpetuâ eorum validitate, inviolabili robore, efficaciâ exactiorique observantiâ, apostolicae nostrae confirmationis patrocinio, etiam iuxta pactum in primo et[2] praeinsertis instrumentis

1 Videtur legendum *quam* (R. T.).

2 Videtur deesse *secundo* aut *altero* (R. T.).

inter partes conventum, communiri summopere desideret: nobis propterea dictus Franciscus Antonius cardinalis tam suo quam modernorum abbatis et monachorum dicti monasterii S. Spiritus de Murrone totiusque Congregationis monachorum Caelestinorum praefatorum nomine humiliter supplicavit ut sibi et eisdem abbati, monachis et Congregationi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio praedictorum omnium.

§ 3. Nos igitur, ipsos Franciscum Antonium cardinalem, abbatem, monachos et Congregationem specialis favore gratiae prosequi volentes, dictorumque abbatis, monachorum et Congregationis singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existant, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concessionem omnium et singulorum bonorum, rerum ac iurium supradicti monasterii S. Clementis in Piscariâ, cum iurisdictione spirituali et temporali ab eo dependente, eidem Congregationi monachorum Caelestinorum, et pro eâ abbati et monachis monasterii S. Spiritus de Murrone, in emphyteusim perpetuam a memorato Francisco Antonio cardinali factam, et per capitulum generale eiusdem Congregationis monachorum ratificatam, ut praefertur, confectaque desuper bina instrumenta praeinserta, cum omnibus et singulis pactis et conditionibus et aliis quibuscumque in eis respective contentis et expressis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis et irrefragabilis apostolicae firmitatis vim, robur et efficaciam adiungimus, ac omnes et singulos tum iuris quam facti ac solemnitatum quarumcumque, tum ex iuris communis et constitutionum apostolicarum, praesertim super alienationibus bonorum Ecclesiae editarum, tum ex praefatorum monasteriorum illorumque Congregationis et Ordinis et aliorum quorumvis statutorum, consuetudinum, usuum et privilegiorum apostolicorum quorumcumque praescripto, seu aliàs de stylo in similibus etiam de necessitate observandarum, et alios quoslibet etiam quantumvis formales[1], naturales et substantiales, ac incogitatos et inexcogitabiles defectus, si qui in praemissis seu eorum aliquo principaliter vel accessorie, seu aliàs quomodolibet intervenerint seu intervenisse dici, censeri, praetendi vel intelligi quovis modo possent, plenissime et amplissime supplemus et sanamus, ac penitus et omnino tollimus, perimimus et abolemus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet illi in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, nec causae, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae vel iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque causâ, occasione, colore, praetextu et capite, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quamtumvis magno et substantiali, ac individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retra-

1 Ed. Main. legit *formulas* pro *formales* (R. T.).

ctari, seu in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari vel intentari, seu impetrato, aut etiam motu proprio concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti, seu se iuvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter et inconcusse observari et adimpleri, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, aliosve quoslibet quacumque praeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet[1] quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatoriae. § 5. Non obstantibus felicis recordationis Pauli II et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon dictorum monasteriorum, Congregationis et Ordinis, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, usibus, stylis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, ac pluries approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, aut formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque, contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut, finitâ seu quomodolibet deficiente concessione emphyteuticâ, praedicta bona, res et iura sub illâ comprehensa, cum suis membris et pertinentiis universis, necnon melioramentis desuper pro tempore factis, ad dictum monasterium S. Clementis in Piscariâ pleno iure atque omnino libere revertantur, illique cedant, absque eo quod renovatio concessionis huiusmodi a quoquam sub quovis praetextu seu ex quacumque causâ peti vel praetendi possit.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX augusti MDCCXXVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 30 augusti 1728, pontif. anno. V.

1 Edit. Main. legit *cuiuslibet* (R. T.).

CCXXXV.

Subiiciuntur tertiarii Ordinis Carmelitarum iurisdictioni et regimini magistri generalis eiusdem Ordinis[1].

Benedictus Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Expositio facti.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius modernus procurator generalis Ordinis fratrum beatae Mariae de Monte Carmelo, quod, cum ipse longâ experientiâ comprobaverit, nonnullas molestias ac vexationes utriusque sexus eiusdem Ordinis tertiariis illatas ab illis locorum Ordinariis qui eiusmodi tertiarios ad eorum subiectionem seu superioritatem adigere volunt exoriri, idque eisdem tertiariis animi perturbationem, spiritusque dispersionem, atque supradicti Ordinis superioribus non modicam sollicitudinem afferre, dictus procurator generalis, quo similibus inordinationibus occurratur, litteras nostras sub plumbo desuper ad perpetuam rei memoriam anno Incarnationis dominicae MDCCXXV, IV idus decembris, pontificatus nostri anno II, expeditas, per quas inter alia tertiarii Ordinis sancti Francisci a iurisdictione et superioritate Ordinariorum eximuntur, ad tertiarios primodicti Ordinis per nos summopere extendi et ampliari desiderat. Nobis propterea praefatus procurator generalis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Subiectio praedictorum tertiariorum.

§ 2. Nos igitur, ipsum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, litteras nostras praefatas, per quas tertiarii secundodicti Ordinis omnimodae iurisdictioni et regimini eorum ministri generalis subiiciuntur, ad tertiarios utriusque sexus primodicti Ordinis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo extendimus et ampliamus; itaut illi prioris generalis pro tempore existentis[1] huius Ordinis curae et superioritati subiecti omnino sint.

Clausulae derogatoriae.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, primodicti Ordinis, etiam iuramento, etc.[2]

Fides habenda transumptis.

§ 4. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, etc.[3]

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX augusti MDCCXXVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 30 augusti 1728, pontif. anno V.

CCXXXVI.

Statuuntur et confirmantur nonnulla favore Congregationis fratrum Bethlehemitarum in Indiis occidentalibus[4].

1 De commissario Tertii Ordinis Carmelitarum provinciae Fluminis Ianuarii vide aliam huius Pontificis const. ed. MDCCXXVI, die XXIV iulii, pontif. III.

1 Edit. Main. legit *priori generali ..... existenti* (R. T.).

2 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

3 Ut supra pag. 469 *b* (R. T.).

4 De aliis privilegiis iisdem concessis vide aliam huius Pontificis constit. ed. MDCCXXVIII, die IX aprilis, pontif. IV, et const. ed. MDCCXXIX, die XXX septembris, pontif. VI.

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Quum nonnulla decreta a capitulo generali praedictae Congregationis constitutionibus plane contraria edita fuissent, habito a nonnullis recursu ad S. Sedem,

§ 1. Aliàs pro parte tunc existentium praefecti generalis et vocalium capituli generalis Congregationis fratrum Bethlehemitarum nuncupatorum in Indiis occidentalibus, quae in veram religionem auctoritate apostolicâ erecta reperitur, nobis exposito, quod, cum in praecedenti capitulo generali eiusdem Congregationis anno MDCCXXIV celebrato, contra formam constitutionum ipsius Congregationis auctoritate apostolicâ confirmatarum, statutum fuisset officium praefecti generalis dictae Congregationis perpetuum, sive ad vitam electi esse debere, ac nonnulla alia decreta praefatis constitutionibus plane contraria edita essent, adversus quae plurium hospitalium sive domorum dictae Congregationis nomine habito ad felicis recordationis Clementem PP. XI praedecessorem nostrum recursu, ac rei cognitione Congregationi tunc existentium S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae per eumdem Clementem praedecessorem demandatâ, et ab hac tribus ipsius Congregationis cardinalibus ad id specialiter deputatis remissâ, prodiisset a Congregatione particulari dictorum trium cardinalium die XII aprilis MDCCIX decretum tenoris sequentis, videlicet:

Emanavit praesens decretum Congregationis particularis quo revocata fuere praedicta decreta constitutionibus contraria.

Revocatis decretis asserti capituli generalis in eâ parte, in qua sunt contraria constitutionibus apostolicâ auctoritate confirmatis, serventur omnino eaedem constitutiones, et archiepiscopo Limano pro executione et convocatione capituli, cui praesideat per se sive per alium cum omnibus facultatibus sacrae Congregationis, et, quatenus tunc temporis archiepiscopus obierit, exequatur et praesideat vicarius capitularis;

Aliis deinde instantiis coram eâdem Congregatione propositis, ab eâ emanavit decretum pro convocatione capituli generalis, in quo discuterentur et resolverentur puncta in praefatis instantiis proposita.

Subinde vero coram eâdem Congregatione particulari cardinalium nonnullae aliae instantiae per tunc pariter existentes in almâ Urbe dictae Congregationis fratrum procuratores propositae essent, quas ipsa Congregatio particularis cardinalium die XXXI ianuarii MDCCX admittere noluerat, sed votum proximi capituli generalis desuper exquiri mandaverat; iterumque ad trutinam in dictâ Congregatione particulari cardinalium revocatâ resolutione ab eâdem die XII aprilis captâ, reque die V februarii MDCCXIV accurate discussâ, emanasset ab eâ decretum, quo, persistendo in decisis quoad revocationem decretorum in capitulo generali anni MDCCIV ut praefertur editorum et convocationem dicti capituli generalis, iniunctum fuerat, per vota secreta in hoc proximo capitulo generali exquiri an expediret officium praefecti generalis dictae Congregationis fratrum in posterum fore ad sexennium, seu potius ad novennium, exclusâ[1] omnino illius perpetuitate; quamobrem, cum in capitulo generali huiusmodi in civitate Limanâ celebrato, illique praesidente venerabili fratre archiepiscopo Limano, post peractam electionem dicti praefecti generalis, discussa in eo et resoluta fuissent puncta in praefatis instantiis proposita, ac successive a nobis eorum confirmatio et approbatio expetita fuisset, nosque eorumdem examen supradictae Congregationi cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae commisissemus: eadem Congregatio cardinalium, post auditam desuper relationem dilecti filii nostri Ludovici ipsius S. R. E. cardinalis Pici nuncupati praefatae Congregationis fratrum apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, visaque iura distributa, et auditum votum bonae memoriae Caroli Augustini, dum viveret, eiusdem S.R.E. cardinalis Fabroni nuncupati, causae

1 Edit. Main. legit *exculsa* (R. T.).

ponentis, eiusmodi resolutiones in capitulo generali praefato unanimiter captas die xx aprilis MDCCXXV mature examinaverat, atque in hunc, qui sequitur, modum reformaverat et approbaverat, nimirum[1]:

Resolutiones in capitulo generali captae referuntur.

I. Officium praefecti generalis, ac omnia officia illorum, qui in capitulo generali eliguntur, prout sunt assistentes particulares utriusque regni, durare debere ad novennium: servatis tamen, quoad electiones superiorum localium, constitutionibus Ordinis praecipientibus quod istae fiant de triennio in triennium;

De quibusdam officiis ad novennium duraturis.

De promovendis ad sacerdotium.

II. Expedire permittere religiosis ut promoveri possint ad sacerdotium cum sequentibus tamen conditionibus, videlicet: 1°, dummodo nullus promoveatur nisi post elapsum decennium a die ingressus in religionem; 2°, quod, ad effectum se promovendi ad sacerdotium, nullus directe vel indirecte uti possit mediatione alterius personae pro obtinendâ licentiâ a patre generali et assistentibus generalibus, sed proponi praefato generali debeat a vice-praefecto generali et assistentibus, si sit de regno ubi residet idem vice-praefectus generalis, si vero sit de regno ubi residet praefectus generalis, ipsi proponatur a superiore et a capitulo conventuali domus quae sit de sacerdote providenda, debeantque praefati vice-praefectus et assistentes, superior et capitulum patri generali eiusque definitorio illas personas significare, quas huiusmodi dignitates promereri posse crediderint; 3°, si aliter quispiam ad sacerdotium fuerit promotus, *ipso facto* incurrat in suspensionem a divinis, a qua nonnisi per Summum Pontificem absolvi possit; 4°, ad sacerdotium promoti teneantur celebrare et applicare sacrificium iuxta intentionem praefecti localis et iuxta obligationes[2] communitatis illius domus, et quod si pro celebratione aliquam eleemosynam receperint, teneantur illam tradere in manibus ipsius praefecti localis[3], ubi missae celebrantur, vel cuius subditus fuerit ille qui extra conventum celebraverit, sub poenis contra proprietarios inflictis; 5°, in quolibet conventu non adsint nisi duo sacerdotes, et in domibus, quae sunt matrices, tres, ad effectum supplendi in casum obitus in aliis conventibus; 6°, casu vero quo de licentiâ etiam patris generalis et assistentium aliqui ultra numerum praefixum promoverentur, si id ex propriâ promotorum culpâ contigerit, isti celebrare non possint, nisi supervenerit vacatio alicuius loci per obitum alterius sacerdotis, superiores autem qui licentiam dederunt, expleto novennio, voce activâ et passivâ remaneant privati; 7°, sacerdotes, ut supra, promoti, debent in omnibus sequi vitam regularem et deferre coronam clericalem ad instar sacerdotum Ordinis S. Ioannis Dei, et nunquam, nec etiam per breve temporis spatium, possint esse praefecti generales, nec ullam praelaturam in religione habere supremam seu ordinariam, nec ex dispensatione patris generalis, nec definitorii generalis, nec cuiuscumque alterius superioris, sed solummodo possint esse discreti conventuum, magistri novitiorum et assistentes provinciae; 8° denique, si aliquis sacerdos saecularis aegrotus in hospitalibus degens pro suâ devotione peteret ad habitum religionis, antequam obiret, admitti, possint pater generalis et definitorium pro huiusmodi admissione alicui de praefectis localibus licentiam concedere, accedente tamen consensu illius communitatis, non obstante quod in eodem conventu alii duo adsint sacerdotes, ut supra:

III. Neque praefectus generalis, neque alius quicumque superior, illos possit in religionem suscipere, qui eidem religioni inservierunt, vel fuerint, ut vulgo dicitur, *donados*; quod si secus factum fuerit, admissio, per eiusmodi emissa, nullius sit roboris vel momenti: reservatâ tamen capitulo generali facultate *donados* ad habitum admittendi, quatenus expedire censuerit:

De non suscipiendis in religionem iis, qui religioni inservivinnt, vulgo *Donatos*.

IV. In casu obitus praefecti generalis, quando ad eum spectaret convocare capitulum, seu vicarii generalis, vel in casum

Qui praesidere debeat capitulo generali et illud convocare.

1 Confer supra pag. 161 *a* et seq. (R. T.).
2 Ed. Main. legit *obligationis* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *locali* (R. T.).

gravis infirmitatis seu cuiuscumque alterius legitimae causae eos legitime impedientis, ius convocandi capitulum generale et in eo praesidendi pertineat ad assistentem generalem antiquiorem, seu, etiam eo impedito, ad alios assistentes iuxta eorum antianitatem, vel alios vocales qui sequuntur, attentâ semper eorum antianitate:

De vice-praefectis.

v. Demum defunctis vice-praefectis generalibus Limae aut Messici, seu praefecto cuiuscumque alterius provinciae, praefectus noviter electus, unâ cum assistentibus illius regni, ea omnia gerere possit quae a constitutionibus Ordinis vice-praefectis generalibus conceduntur, donec adveniat eius confirmatio ab iisdem constitutionibus praescripta; et, si iustis de causis denegata fuerit, adhuc omnia per ipsum gesta valida sint et plenarium suum effectum consequi debeant, dummodo ea aliunde sacris canonibus et constitutionibus eiusdem Ordinis contraria non sint:

Quae resolutiones alias a Pontifice confirmatae fuere.

Et in eàdem expositione subiuncto, quod ipsi praefectus generalis, aliique vocales praemissa apostolicae confirmationis patrocinio communiri plurimum desiderarent: nos, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas capituli generalis resolutiones auctoritate apostolicâ approbavimus et confirmavimus, et aliàs, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis die IV maii eiusdem anni MDCCXXV expeditis litteris uberius continetur.

Verum postea iustis de causis aliquot declarationes et reformationes a praedictis fratribus in ultimo capitulo generali editae fuere, preces addentes, ut ab Apostolicâ Sede confirmarentur.

§ 2. Et postmodum, pro parte dilectorum filiorum modernorum praefecti et assistentium generalium dictae Congregationis fratrum nobis exposito, quod, aucto hospitalium seu domorum ipsius Congregationis fratrum numero, quem semper magis in dies, benedicente ac incrementum dante Domino, ad Dei gloriam pauperumque aegrotantium levamen, auctum iri sperabant, eadem Congregatio fratrum nonnullis gratiis et praerogativis, illius vero constitutiones a Sede Apostolicâ confirmatae aliquot declarationibus et reformationibus praesenti religionis statui accommodatis indigebant, atque tam istas, quam novam breviorem in ultimo capitulo generali confectam professionis regularis emittendae formulam, per nos approbari et praescribi summopere cupiebant, precibusque, nobis super hoc exhibitis, ad memoratam Congregationem cardinalium negociis et consultationibus episcoporum et regularium praepositam iussu nostro similiter remissis: dicta Congregatio cardinalium, auditis prius ipsius Ludovici cardinalis et protectoris necnon dilecti pariter filii nostri Ludovici dictae S. R. E. cardinalis Belluga et Moncada nuncupati, ponentis, relationibus sibi desuper factis, negocioque mature expenso, die XII iulii MDCCXXVI et XXI novembris MDCCXXVII eisdem precibus annuendum censuit ut infra, nempe:

Reformatio professionis in posterum emittendae.

I. Firmâ et validâ permanente professione[1] illorum religiosorum, qui hactenus sub veteri formulâ professi fuerunt, approbandam fore novam breviorem formulam in capitulo generali exaratam, sub qua solemnis professio per religiosos in posterum professuros emitti debeat, quae quidem formula est tenoris sequentis, videlicet: *In nomine sanctissimae et individuae Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ego N. N. liberâ et spontaneâ voluntate solemniter voveo et promitto omnipotenti Deo, iuxta regulam sancti patris Augustini et constitutiones Ordinis hospitalitatis sub titulo de Bethlehem, in manibus reverentiae vestrae observare obedientiam sanctissimo patri nostro sancto Pontifici N. N. eiusque successoribus, et reverendo patri nostro praefecto generali, aliisque meis superioribus, eorumque successoribus; ac insuper voveo et promitto paupertatem, castitatem et exercere hospitalitatem usque ad mortem erga pauperes infirmos, etiam infideles, licet contagiosâ infirmitate afficiantur. — Et ego*

1 Edit. Main. legit *professionem* (R. T.).

N. N., facultate mihi concessâ a reverendo patre praefecto generali et nomine meae religionis, tuam professionem accepto ratamque habeo, et siquidem usque ad mortem vota tua Domino reddideris, et promissa tua, adiuvante gratiâ, adimpleveris, nomine eiusdem omnipotentis Dei Patris, Filii et Spiritus Sancti vitam tibi aeternam atque immortalem gloriam tibi promitto.

Declarationes nonnullae praedictae.

II. Qui praefecti generalis munus expleverunt, in capitulo generali perpetuum tam activum quam passivum votum habeant; ultimus vero praefectus generalis, post expletum sui generalatus officium, in capitulo generali immediate sequenti voce passivâ careat, ita ut pro novennio immediate sequenti in eodem officio nec confirmari nec eligi valeat.

Suffragium praefecti generalis decidere debet suffragiorum aequalitatem.

III. Quia aliquando contingere solet, quod in scrutandis materiis et controversiis bonum regimen ac gubernium religionis concernentibus, sive in definitorio generali, sive in particulari, suffragia vocalium reperiantur aequalia, ne ob eiusmodi aequalitatem materiae remaneant indecisae, per novum praefecti generalis ibidem praesidentis suffragium, quaecumque materia seu discordia in suffragiorum aequalitate posita et constituta dirimatur et decidatur.

De sacramentis ab iis, qui hospitalibus Bethlehemiticis inserviunt, quocumque tempore administrandis.

IV. Cum praecipuum, imo unicum huius religionis institutum sit hospitalia retinere, in eisque omnes recipere infirmos quacumque infirmitate etiam epidemicâ laborantes, capellani sive saeculares a superioribus Bethlehemiticis electi, sive sacerdotes ex eàdem religione Bethlehemiticâ vel ex quacumque aliâ assumendi, tam illis, qui ipsis infirmis et convalescennibus inserviunt, quam omnibus aliis hospitalium servitio addictis, etiam in Paschate, Poenitentiae, Eucharistiae et Extremae Unctionis sacramenta possint et valeant administrare, dummodo praefati capellani pro Poenitentiae sacramento administrando, mortis articulo excepto, ab Ordinario loci, qui actu suam ecclesiam gubernet, licentiam confessiones excipiendi habeant.

De hospitalibus pro mulieribus infirmis.

V. Quamvis autem in constitutionibus eiusdem Ordinis, cap. VI, § 3, ita statutum sit: *Non debet excludi ab hospitalibus nostris ullum genus personarum, ad omnes debent extendi, omnes debent amplecti charitatis ulnae, liberos, servos, mauros, nigros et gentiles:* nihilominus in iisdem excipiuntur mulieres, quae nec ut curentur, nec ad invisendos infirmos in hospitalibus debent admitti. Quia vero nonnullae civitates et loca religiosos Bethlehemitas ad erigendum in ipsis hospitalia vocarunt vel admiserunt, et quamplures eâ lege hospitalia fundarunt vel eleemosynas contribuerunt, ut in ipsis, sub curâ mulierum et in aedibus separatis ab illis virorum, pauperes mulieres infirmae excipi et curari possint, compertumque experientiâ sit in maximum id proximi cedere auxilium: ideo, firmâ remanente praefatâ constitutione quoad hospitalia virorum, approbanda esse hospitalia, seu domus, ut supra erecta, aliaque posse in futurum erigi ac fundari, in quibus mulieres infirmae recipi et curari valeant, dummodo huiusmodi hospitalia seu domus ab hospitalibus et domibus virorum nedum sint separata, verum etiam nullâ ex parte eisdem sint immediate contigua, ac dummodo in hospitalibus vel domibus mulierum nonnisi religiosus sexagenarius pro rectore, et unus vel duo sacerdotes aetate provecti pro administrandis sacramentis, constitui valeant, quin alius religiosus commorari ibi possit [1], ita et taliter quod, si alio modo fiat in aliquâ domo vel hospitali, eo casu eadem domus vel hospitale *ipso facto* subiectum sit et remaneat visitationi episcopi et Ordinarii loci.

De capellanis praedictorum hospitalium a quovis onere eximendis.

VI. Cumque necesse sit quod religiosi Bethlehemitici et capellani continuo moram trahant in hospitalibus, ne detur casus quod aliquis infirmus repentino accidente correptus absque sacramentis debitâque assistentiâ decedat, declarandum, et, quatenus opus, de novo concedendum fore, quod tam praefati omnes religiosi Ordinis Bethlehemitici, quam presbyteri saeculares vel regulares alterius cuiusque religionis, qui per superiores praefati Ordinis in capellanos assumpti sunt et imposterum assumi contigerit, sint exempti a quocumque onere pro-

1 Edit. Main. legit *possint* (R. T.).

cessionum publicarum vel functionum ecclesiasticarum, ob quas teneantur abesse etiam pro modico tempore ab hospitalibus, ad instar religiosorum S. Ioannis de Deo.

Confirmatio declarationum et constitutionum relatarum.

§ 3. Cum autem, sicut iidem praefectus et assistentes generales nobis denuo nuper exponi fecerunt, ipsi praefatas declarationes, reformationes et novas constitutiones ab ipsâ Congregatione cardinalium conditas seu approbatas, quo firmius subsistant ac serventur exactius, apostolicae quoque nostrae confirmationis praesidio roborari maxime desiderent: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut in infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de eorumdem venerabilium fratrum nostrorum dictae S. R. E. cardinalium negociis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, declarationes, reformationes et novas constitutiones praeinsertas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus itidem et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui in eis quomodolibet intervenerint, supplemus, atque tam illas quam praeinsertas quoque resolutiones in supradicto capitulo generali captas, et a nobis per litteras nostras praefatas similiter approbatas et confirmatas, sicut praemittitur, in praxim et usum redigi, et ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, religiose et inconcusse servari, praecipimus et mandamus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, quos concernunt et pro tempore concernent, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sedis Apostolicae nuncios, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quoad ea quae praesentibus adversantur, dictae Congregationis fratrum, illiusque provinciarum, domorum seu hospitalium, etiam iuramento, etc.[1]

Fides habenda transumptis.

§ 12. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, etc.[2]

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII septembris MDCCXXVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 13 septembris 1728, pontif. anno V.

CCXXXVII.

Statuuntur nonnulla motu proprio in gabellarum fraudatores [3].

1 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

2 Ut supra pag. 459 *b* (R. T.).

3 Similia statuta a Romanis Pontificibus aliisque iudicibus inferioribus Urbis confecta hic

Benedictus Papa XIII,

MOTU PROPRIO, ETC.

A multis Summis Pontificibus in vectigalium fraudatores constitutione editae fuere.

Benchè da molti Sommi Pontefici nostri predecessori con diverse loro costituzioni, e dal reverendissimo cardinal camerlengo, e nostri *pro tempore* tesorieri generali, con le loro ordinazioni, editti e bandi publicati in diversi tempi, sia stato più volte proibito espressamente a tutte e singole persone di qualsivoglia stato, grado e condizione, anche ecclesiastiche, secolari e regolari di qualunque Ordine e Congregazione, il commettere contrabandi e fraudi di qualunque cosa, benchè in tenue quantità, in pregiudizio delle gabelle, dazî ed imposizioni dovute alla nostra Camera, tanto in questa nostra città, quanto nelle città, terre e luoghi mediatamente e immediatamente soggetti a questa Santa Sede, sotto gravissime pene pecuniarie, corporali ed anche spirituali espresse in dette constituzioni, editti e bandi, da incorrersi ed applicarsi rispettivamente nella forma che in essi è disposto; e sebbene, avendo noi inteso fin dal principio del nostro pontificato, che da molti con poco timore e rispetto delle constituzioni, ordinazioni e bandi suddetti, e con tanto pregiudizio della nostra Camera e suoi appaltatori, si continuano[1] li stessi contrabbandi e fraudi, procurassimo far innovare tale proibizione mediante un editto fatto publicare dal nostro reverendissimo cardinal segretario di Stato, ed ordinassimo altre provisioni che stimassimo espedienti per evitare tali pregiudizi :

confirmantur; praesertim illa a Sixto V contra pulsos in exilium et contra fraudatores vestigalium emanata const. ed. MDLXXXV, die 1 iulii, pontif. I, et MDLXXXVIII, die 17 novembris, pontif. IV; et ab Innocentiio XII, const. ed. MDCCIX, die 19 iunii, pontif. IX; et Clementis XI const. MDCCXVII, die 12 iunii, pontif. XVII.

1 Forsan *continuavano* (R. T.).

Causae huius constitutionis.

§ 1. Con tutto ciò essendoci nuovamente pervenuto a notizia con grave molestia dell'animo nostro, che da molti senza verun timore delle pene suddette, anche con sofferenza o almeno dissimulazione de' baroni e feudatarî dei predetti luoghi, si fabbricano robe soggette a dette gabelle, e susseguentemente si comprano e vendono, con audacia de'contrabandieri uniti ed armati si trasportano in questa Città ed altri luoghi del nostro Stato per esitarle, in gravissimo ed evidente pregiudizio di detta nostra Camera e suoi appaltatori, e che per rimediare a tali disordini non è giovata la spedizione fatta in diverse occasioni de' commissarî con grave dispendio di detta nostra Camera ed appaltatori, mentre detti contrabandieri così uniti ed armati hanno incusso timore agli officiali e ministri di giustizia con resistergli arditamente, ed offenderli anche nelle persone fino al termine di ucciderli, restando poi i delinquenti impuniti per la difficoltà di poterli avere in potere della giustizia, e ricovrandosi ne' luoghi immuni per salvar non solo le proprie persone, ma insieme le robe di contrabando, per ivi contrattarle e venderle con maggior franchezza e libertà:

Confirmantur constitutiones quaedam summorum Pontificum et edicta in latrones publicarum viarum et vectigalium fraudatores emanatae.

§ 2. Volendo perciò noi con ogni possibil mezzo reprimere in ogni conto la temerità di detti contrabandieri, che così uniti ed armati turbano anche la quiete del nostro Stato, e rendono altresì poco sicure le publiche strade, e così provedere all'indennità della nostra Camera e suoi appaltatori, e insieme alla sicurezza de' nostri sudditi, e rispettivamente degli officiali e ministri di giustizia, e rimuovere affatto ogni occasione di disturbo, abbiamo determinato di rinnovare, ampliare e dichiarare le suddette constituzioni, or-

dinazioni, editti e bandi, acciò da tutti siano inviolabilmente osservati nella forma, come in appresso. Avendo per tanto nella presente Cedola di nostro moto proprio per inserto e di parola in parola registrato l'intiero tenore delle costituzioni pubblicate dalla felice memoria di Sisto V nostro predecessore, una cioè contro i banditi e malviventi, spedita il primo luglio MDLXXXV, che comincia *Haec nostri pontificatus initia*, e l'altra contro i contrabbandieri del sale, per suo *Motuproprio* spedito li 17 novembre MDLXXXVIII, de' chirografi della felice memoria d'Innocenzo XII, segnato li 19 giugno MDCC, diretto al nostro monsignor tesoriere generale, e della felice memoria di Clemente XI, segnato li 12 giugno MDCCXVII, diretto al reverendissimo cardinale camerlengo, dei bandi generali della Congregazione della nostra Consulta, del bando generale del governo di questa nostra Città, degli editti e bandi in diversi tempi publicati dal nostro segretario di Stato, dal reverendissimo cardinal camerlengo, e dal nostro tesoriere generale, e specialmente di quelli publicati sotto li 23 agosto MDCLXIV, 17 luglio MDCVII, e 2 aprile MDCCXXVII, di tutte e singole pene in essi comminate, imposte e ingiunte, de' premi promessi, degli ordini e regole rispettivamente dati e prescritti, e ogni altra cosa, quantosivoglia necessaria ad esprimersi, di nostro moto proprio, certa scienza e pienezza della nostra suprema potestà, confermiamo, approviamo e rinnoviamo tutte le suddette constituzioni, editti e bandi, e specificamente tutte si singole proibizioni in essi espresse, pene ingiunte e premi promessi, e, salvo le seguenti dichiarazioni, restrizioni e ampliazioni, vogliamo che in tutto e per tutto e in tutte le loro parti debbano inviolabilmente osservarsi ed eseguirsi da qualunque persona, anche ecclesiastica, secolare e regolare, di qualunque stato, grado e condizione, comprese anche le undici Congregazioni, l'Ordine Gerosolimitano, e qualunque altra che per comprenderla si ricercasse speciale e individua menzione, sotto le medesime pene, non ostante qualunque preteso privilegio ed esenzione, anche risultante da qualunque constituzione apostolica nostra e de' nostri predecessori, quali tutte in questa parte e per l'effetto suddetto rivochiamo, annulliamo e aboliamo, e vogliamo che s'abbiano per rivocate, annullate e abolite.

Declarationes nonnullae praedictarum constitutionum et edictorum.

§ 3. E sebbene nella suddetta Bolla di Sisto V dell'anno MDLXXXV, ne' bandi generali della Congregazione della nostra Consulta al cap. XXXIII, e nello editto del reverendissimo cardinal segretario di Stato venga proibita la coadunazione e conventicole di più persone armate, dichiarandosi che per conventicole e coadunazione s'intende quando saranno trovati insieme più di sei persone armate, e più di dieci senz'armi; e nel bando altresì del Governo di questa nostra città di Roma, proibendosi al cap. LXXXII le medesime coadunanze e conventicole, si dichiari esser conventicola quando saranno ritrovate più di quattro persone armate e più di sette senz'armi: tuttavia, confermando e rinnovando noi con il presente nostro Motoproprio, per quanto faccia di bisogno, le proibizioni come sopra fatte nella suddetta Bolla del detto nostro predecessore Sisto V e bandi successivamente sopra di ciò emanati, come se qui il tenore di ciascun di essi fosse stato di parola in parola registrato, vogliamo e dichiariamo, che quando la coadunazione di tali persone armate sarà fatta a fine di far contrabandi

tanto di sale, quanto di polvere, tabacco, vitriolo, cera, o altra qualunque cosa soggetta al pagamento delle suddette gabelle, portando le persone coadunate seco qualche quantità di dette robe di contrabando, s'abbia ad intendere e sia tenuta per conventicola quella che comporrà il numero di sole tre persone, al qual numero, nel caso solo di detti contrabbandieri, riduciamo e restringiamo tali conventicole e coadunazioni, volendo che le suddette tre persone armate ed unite come sopra per il fine suddetto, s'intendano subito incorse e soggette a tutte le pene ingiunte ed espresse nella suddetta Bolla ed editto del reverendissimo cardinal segretario di Stato, benchè in essi e negli altri bandi suddetti sia prescritto diverso e maggior numero di persone; e vogliamo inoltre, che dette tre sole persone armate, portando seco qualche quantità di ciascuna di dette robe di contrabando, siano riputate e tenute come ribelli del nostro Stato, e che tanto gli esecutori e ministri di giustizia, quanto altre qualunque persone private, anche senza mandato di giudice, possano arrestarle, carcerarle ed ucciderle impunemente, secondo alla disposizione di detta Bolla, bando ed editto, e che se il contrabandiere arrestato, carcerato, ovvero ucciso, fosse anche bandito di vita o di galera, possano gli arrestanti, carceranti, oppure uccisori conseguire, oltre la suddetta nomina, anche l'altra che gli si deve unitamente con la taglia, a tenore dell'editto contro i banditi e facinorosi.

Extensiones earumdem. § 4. Proibendosi espressamente nel suddetto Motoproprio della felice memoria di Sisto V dell'anno 1588 sotto diverse pene li contrabandi del sale, noi per l'effetto suddetto estendiamo la detta proibizione anche alli contrabandi della polvere, tabacco, vitriolo, cera, carta, e di qualunque altra cosa soggetta alle gabelle e dazi suddetti, dichiarando che sotto le pene in esso imposte per le fraudi della gabella del sale s'intendano comprese anche le fraudi e contrabandi della polvere, tabacco, vitriolo, cera, carta, ed altre robe suddette, come se tutte fossero specialmente ed espressamente comprese e specificate in detto Motoproprio. Avendo la felice memoria d'Innocenzo XII nell'accennato suo chirografo dei 19 giugno MDCC concesso a monsignor tesoriere generale *pro tempore* la facoltà di poter, per invenire fraudi e contrabandi, perquirere non solo nei molini, case, collegi, conventi ed altri luoghi immuni, ma ancora nelle chiese de' sopraddetti ecclesiastici ed ordini militari, anche dei Gerosolimitani, ove dai defraudatori e contrabandieri fossero state ascose, trafugate e custodite robe, per le quali si dovesse pagare la gabella alla nostra Camera, e di far ivi tutti gli atti che avesse stimato necessarî, senza licenza degli Ordinarî, protettori e loro giudici privativi, con l'intervento però ed assistenza d'una persona ecclesiastica da deputarsi da esso monsignor tesoriere generale, e di venire anche all'estrazione di dette robe di contrabando, con facoltà di potersene servire per corpo di delitto nel giudizio criminale: noi per estirpare in ogni modo questi contrabandieri, sì pregiudiziali tanto alla nostra Camera e suoi appaltatori, quanto alla pubblica quiete, ampliamo ed estendiamo le suddette facoltà anche rispetto alle persone dei contrabandieri, e dichiariamo, che quando questi saranno trovati nei suddetti luoghi immuni, e che ivi ritenessero robe di contrabando, sia lecito agl' officiali e ministri di giustizia, ed altre persone, anche

privale, di poter liberamente, impunemente, con l'assistenza però di detta persona ecclesiastica da deputarsi da detto monsignor tesoriere generale, arrestare ed estraere da detti luoghi immuni non solo le robe di contrabando, secondo la disposizione del suddetto chirografo, ma insieme le persone delli stessi contrabandieri; volendo ed ordinando, che a questi, ritenendo appresso di sè in detti luoghi immuni robe di contrabando, e così abusandosi de' luoghi sagri, non vaglia, nè suffraghi alcun beneficio d'immunità ecclesiastica, non ostante che nel suddetto chirografo sia ristretto tal facoltà alle sole robe di contrabando, come sopra.

Praecipitur publicatio harum litterarum.

§ 5. Ed affinchè queste nostre ordinazioni, provisioni e dichiarazioni abbiano la dovuta ed inviolabile osservanza ed esecuzione, senza verun ostacolo ed impedimento, incarichiamo in virtù di santa ubbidienza alli reverendissimi cardinali, anche legati *a latere*, arcivescovi, vescovi e loro vicarî, che per l'effetto suddetto debbano far pubblicare la presente nostra ordinazione nelle chiese cattedrali e collegiate delle loro diocesi, acciò venga a notizia di tutti, e specialmente degli ecclesiastici, inculcandone ai medesimi la piena esecuzione ed osservanza, ed al medesimo effetto comandiamo, come sopra, a tutti i provinciali visitatori, guardiani, priori e rettori dei regolari di qualunque Ordine, comprese anche le undici congregazioni e cavalieri Gerosolimitani, che debbano invigilare, affinchè dai loro religiosi e ministri non si comprino, vendano, o ritengano le suddette robe di contrabando, o in qualunque modo si presti aiuto e favore a detti contrabandieri, sotto pena della privazione della voce attiva e passiva, ed altre a nostro arbitrio.

Statuuntur nonnulla ad hanc vectigalium fraudem evitandam et ad eorum fraudatores facilius comprehendendos et puniendos.

§ 6. Comandiamo inoltre in virtù di santa ubbidienza, come sopra, a tutte e singole persone a noi mediatamente ed immediatamente soggette di qualunque stato, grado, condizione e qualità, vescovi, arcivescovi, patriarchi, duchi, principi, marchesi, conti, e di qualsisia altra dignità e preeminenza così ecclesiastica che secolare e regolare, comprese anche le undici congregazioni e cavalieri Gerosolimitani, e li reverendissimi cardinali di Santa Chiesa, siccome altresì ai governatori, castellani, capitani ed altri officiali, sì di fortezze e torri, che di galere e milizie di soldati, che sotto qualsivoglia pretesto, causa o quesito colore in qualunque modo non ardiscano o presumano, o alcun di loro ardisca o presuma fabbricare, ricevere, ritenere, comprare, vendere, donare, distribuire, o in qualsivoglia altro modo contrattare, nè rispettivamente permettere, che nelle città, terre, castelli, fortezze, torri, galere, quartieri ed altri luoghi ad essi in qualunque modo soggetti si fabbrichino, ricevano, ritengano, vendano, comprino, donino, distribuiscano, o in qualsisia modo contrattino robe di qualsivoglia sorte, ancorchè di minima quantità e valore, soggette alle gabelle e dazî spettanti e dovuti alla nostra Camera, in pregiudizio delle sue dogane generali, e rispettivamente degli appaltatori, volendo che i baroni e feudatarî predetti, governatori, luogotenenti, e qualunque officiale delle città, terre e luoghi suddetti, come anche i castellani, capitani, ed altri officiali di fortezze, torri, galere, e milizie di soldati non ardiscano, nè presumano in modo alcuno pretendere ed allegare alcun privilegio ed esenzione, e con tal titolo contrattare alcuna annua risposta o ricognizione cogli appaltatori camerali, sotto pena, in quanto

ai baroni e feudatari, della nostra indignazione, di scudi 500 d'oro, ed altre anche più gravi a nostro arbitrio, oltre le pene contenute nella predetta costituzione e Motoproprio di Sisto V delli 17 novembre MDLXXXVIII, da noi, come sopra, confermato ed ampliato, quale vogliamo che s'abbia qui per inserto e repetito di parola in parola; ed in quanto agli appaltatori, parimente della nostra indignazione, ed altre a nostro arbitrio: nè in verun modo impedire che i commissari, ministri ed officiali della nostra Camera e degli appaltatori e conduttori suddetti, che *pro tempore* saranno deputati sopra tali fraudi, non possano liberamente perquirere ed esercitare il loro officio nelle loro città, terre, castelli, fortezze, torri, galere, quartieri di soldati, case di persone particolari, ed altri luoghi, ancorchè fossero tali che godessero l'immunità ecclesiastica, alla quale intendiamo di derogare in questa parte, come abbiamo sopra disposto, e far altre diligenze che stimeremo[1] necessarie, anche all'improvviso, senza notificarlo precedentemente agli officiali e ministri di giustizia, purchè, adempito il loro officio, facciano a quelli constare delle loro facoltà; anzi, essendo li governatori delle armi, sergenti maggiori, capitani, ed altri officiali subalterni delle milizie, richiesti dagli offiziali e ministri di giustizia, tanto esplicitamente col chiamarli o farli chiamare in loro aiuto, quanto implicitamente con il suono che d'ordine di quelli si farà della campana, all'armi, vogliamo che li medesimi debbano prestare a detti officiali e ministri di giustizia ogni aiuto, favore e braccio, accorrendo subito con i loro soldati armati a prestare l'effettivo aiuto, braccio ed assistenza alli suddetti ministri di giustizia che vorranno apprendere, arrestare o uccidere li delinquenti suddetti, ovvero a quelli levare e togliere le robe di contrabando che seco portano, sotto pena, in caso di contravvenzione, non solo della perdita e privazione irremissibile delle cariche ed altre rispettivamente espresse nelle suddette costituzioni, editti e bandi, ma anche della refezione di tutti i danni, che li detti ministri di giustizia e nostri appaltatori camerali patissero o avessero potuto patire dal non aver potuto ridurre in mano della giustizia tanto li delinquenti suddetti che le dette robe di contrabando, intorno al valore delle quali, a fine di condannare al pagamento e reintegrazione di esse, li detti governatori delle armi, sergenti maggiori, capitani ed altri officiali subalterni di milizie, a favore di detti ministri di giustizia ed appaltatori camerali, basterà che consti dal detto di due testimoni che averanno vedute le dette robe di contrabando, e che daranno il loro giudizio, secondo la loro credulità, del valore di dette robe, ovvero che in questa parte s'abbia a prestar tutta la fede alli stessi esecutori di giustizia.

§ 7. Ordiniamo pertanto al reverendissimo cardinal camerlengo, al nostro tesoriere generale, ai reverendissimi cardinali legati, vice-legati, presidenti, governatori, rettori, luogotenenti, ed altri giudici ordinari delle città, terre e luoghi mediatamente ed immediatamente a noi soggetti, e particolarmente de' luoghi marittimi, e de' confini del nostro Stato, siccome anche agli arcivescovi, vescovi e loro vicari, giudici ed officiali, che debbano esattamente invigilare per la piena ed inviolabile osservanza di quanto da noi è stato come sopra prescritto, ed in caso di contravvenzione procedere contro i delinquenti, trasgressori e inubbidienti all'esecuzione delle

Committitur ampla hac super re facultas cardinali praecipue S. R. E. camerario.

1 Forsan *stimeranno* (R. T.).

pene suddette, e ad altri rimedi che di ragione stimeranno opportuni, eccettuate però le persone costituite in dignità ecclesiastica, e quelli che sono decorati di titoli temporali, quali sottoponiamo e soggettiamo, e vogliamo che restino sottoposti e soggetti privativamente alla giurisdizione del reverendissimo cardinale camerlengo e del nostro tesoriere generale, alli quali riserviamo anche la facoltà di prender altre provvisioni, e pubblicar nuovi editti e bandi, per la pronta ed esatta esecuzione di quanto da noi è stato come sopra ordinato, per esser così mente e volontà nostra espressa.

Clausulae. § 8. Volendo e decretando che alla presente Cedola di nostro motoproprio, ammettendosi e registrandosi in Camera e ne' suoi libri, secondo la Bolla di Pio IV nostro predecessore *De registrandis*, non possa mai darsi nè opporsi di surrezione, orrezione, nè di alcun altro vizio o difetto della nostra volontà ed intenzione, nè che mai sotto tali o altri pretesti possa esser impugnata, moderata, o rivocata, e che così e non altrimente debba sempre giudicarsi, definirsi e interpretarsi da qualunque giudice e tribunale, benchè collegiale, Congregazioni anche di reverendissimi cardinali legati *a latere*, dalli predetti reverendissimo cardinal camerlengo di S. Chiesa e nostro tesoriere generale, della[1] piena Camera, e suoi chierici, presidenti e qualunque altro, togliendo loro ogni facoltà e giurisdizione di definire e interpretare diversamente; e dichiarando noi fin d'adesso preventivamente nullo, irrito e invalido tutto ciò che da ciascuno di essi con qualsivoglia autorità scientemente o ignorantemente fosse in qualunque tempo giudicato contro la forma e disposizione della presente Cedola di nostro motoproprio, quale vogliamo che vaglia e debba aver sempre il suo pieno effetto, esecuzione e vigore con la semplice nostra sottoscrizione, benchè non vi siano stati chiamati, sentiti, nè citati quelli, che in qualunque modo vi avessero o pretendessero avervi interesse, ancorchè fossero persone ecclesiastiche, privilegiate e privilegiatissime, che ricercassero speciale e individua menzione: non ostanti tutte e singole cose premesse, e specialmente qualunque indulto, privilegio, esenzione e licenza contro le cose predette da noi e dai nostri predecessori, dalla nostra Camera in qualsivoglia tempo e per qualunque causa e titolo a favore di qualsisiano persone, tanto pubbliche quanto private, ecclesiastiche secolari e regolari, in qualsivoglia modo concesse, confermate, approvate e innovate, la regola della nostra Cancellaria *de iure quaesito non tollendo*, e qualsisiano altre costituzioni e ordinazioni apostoliche nostre e de' nostri predecessori, benchè concistoriali e munite di qualsivoglia clausule e forme, anche derogatorie delle derogatorie, ed altre più efficaci, effrenate ed inusitate, e con decreti irritanti, quali vogliamo che qui s'abbiano come se di parola in parola fossero registrate, la disposizione de' concilî generali, provinciali e sinodali, le resoluzioni e decreti della nostra Congregazione dell'immunità ecclesiastica, leggi civili e canoniche, statuti, anche confermati da questa Santa Sede, riforme, stili, usi, consuetudini, anche immemorabili, delle quali se ne ricercasse una special menzione e specificazione, e qualunque altra cosa che facesse o potesse fare in contrario; alle quali tutte e singole, avendone il tenore qui per espresso e di parola in parola inserto, e supplendo noi con la pienezza

1 Videtur legendum *della* (R. T.).

della nostra potestà pontificia ad ogni vizio e difetto quantunque sostanziale e formale che vi potesse intervenire, per questa volta sola, e per la piena e totale esecuzione ed effetto di quanto si esprime nella presente Cedola di nostro motoproprio, ampiamente ed espressamente deroghiamo.

Fides habenda transumptis.

§ 9. Decretando inoltre, che questa nostra Cedola, affissa e pubblicata nei luoghi soliti di questa nostra Città, lighi ed astringa ognuno, come se fosse stata a tutti personalmente intimata, e che alli transunti impressi di essa, muniti col sigillo del detto reverendissimo cardinal camerlengo, o del predetto nostro monsignor tesoriere generale, e sottoscritti da uno de' segretari della nostra Camera, si presti l'istessa fede in giudizio e fuori di esso, come se fosse esibita e presentata l'istessa Cedola originale.

Dato dal nostro palazzo apostolico Vaticano, questo dì XVII settembre MDCCXXVIII.

Dat. die 17 septembris 1728, pontif. anno V.

CCXXXVIII.

Prohibetur monialibus S. Radegundis Mediolanensis musicos concentus figuratos in usu habere.

Benedictus Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Facti expositio, et causae huius constitutionis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Iulius Aresius, abbas monasterii S. Simpliciani civitatis Mediolanensis, ac praesidens Congregationis Cassinensis sancti Benedicti, quod, cum in antiquis constitutionibus a monachis dictae Congregationis, iussu felicis recordationis Leonis X editis et Gregorii XIII Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum approbatione munitis, musica instrumenta et cantus, quem vocant figuratum, eis interdicantur, ut vix in ecclesiis eiusdem Congregationis organa permittantur; quod adeo sancte et constanter receptum est, ut eamdem prohibitionem seu interdictum in recentioribus constitutionum Congregationis huiusmodi editionibus repetere superfluum fuerit; moniales vero S. Radegundis civitatis praedictae, tametsi eximiâ cum laude et ingenti monasticae disciplinae commendatione regulam eiusdem S. Benedicti iuxta ritus et consuetudines praedictae Congregationis sub curâ et regimine pro tempore existentis abbatis primodicti monasterii profiteantur, nihilominus aliquae ex illis, neglecto cantu gregoriano, quem monachi eiusmodi Congregationis haereditario veluti iure a S. Gregorio Magno et aliis acceperunt, nonnullis ab hinc annis consueverunt, et de praesenti etiam, festis diebus, et praecipue solemnioribus, dum sacra peraguntur et vespertinae horae decantantur, musico concentu figurato uti, et, praeter organa, varii generis instrumenta saecularem levitatem redolentia pulsare solent; et quia in cantu et sono addiscendo vel docendo integros fere dies impendunt, ceteras moniales, quae silentio, orationi, aliisque regularibus operibus pie vacant, summopere distrahunt et perturbant; sed, quod caput malorum est, moniales illae, quae[1] artem musicam perfecte callent, non semel magnatum et nobilium personarum, quae in dictam civitatem se conferunt, officiosis deprecationibus devictae, in locutoriis musica oblectamenta illis exhibere coguntur, frustra superioribus reclamantibus et contranitentibus, qui a piae memoriae Innocentio XI et Clemente XI Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris rescripta has cantile-

1 Edit. Main. legit *qui* (R. T.).

nas et symphonias sub certis poenis interdicentia impetrarunt.

Prohibitio praedicta.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, longâ experientiâ compertum sit, eiusmodi remedia malum hoc ad breve dumtaxat tempus avertisse; ut autem idem abusus radicitus evellatur, et haec licentia, ex qua gravia scandala exoriri posse, nedum timendum est, sed etiam dolendum, coërceatur, dictus Iulius abbas et praesidens opportune in praemissis a nobis provideri plurimum desiderat: nos, pro commisso nobis caelitus pastorali munere, monialium secundodicti monasterii, quae, oblitae domum patris sui, totas se Iesu Christi domini nostri earum sponsi obsequiis devoverunt, quieti peculiari studio iugiter consulere, eiusdemque Iulii abbatis et praesidentis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, illumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis monasterii S. Radegundis monialibus, nunc et pro tempore existentibus, et quibusvis aliis puellis in illo educationis causâ de Sedis Apostolicae licentiâ degentibus, ne de cetero quaequam ex dictis monialibus et puellis nunc et pro tempore existentibus, sub quovis quaesito colore, ingenio, causâ, ratione et occasione, musicos concentus figuratos in usu habere, et musicis instrumentis in ecclesiâ et choro uti audeat seu praesumat, sub poenâ interdicti Ecclesiae; in locutoriis vero et cratibus, sub excommunicationis latae sententiae, a qua nisi[1] a nobis et pro tempore existente Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo constituta, absolutionis beneficium obtinere possit, ac privationis vocis activae et passivae poenis, per contrafacientes eo ipso absque aliâ declaratione incurrendis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo interdicimus et prohibemus.

Deputatio exequutoris.

§ 3. Praeterea, ut praesentes nostrae litterae debitae executioni mandentur, eidem Iulio abbati et praesidenti harum serie committimus et mandamus, ut praesentes litteras, seu illarum tenorem, in idioma vulgare fideliter transferri, ac translatas imprimi, illarumque exemplum in formam authenticam redactum, in secundodicto monasterio, sacristiâ, choro et locutoriis, in loco conspicuo, ubi ab omnibus cerni et legi possit, constitui et collocari curet.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos et quas spectat seu pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque, etc.[2]

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, secundodicti monasterii, Congregationis et Ordinis praedictorum, etiam, etc.[3]

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XIX septembris MDCCXXVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 19 septembris 1728, pontif. anno V.

1 Aptius lege *nonnisi* (R. T.).
2 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).
3 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

CCXXXIX.

Confirmatur iudicium episcopale Ticini habitum de corpore S. Augustini[1].

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ad summi Dei gloriam in sanctis eius amplificandam mirabile nuper factum est in oculis nostris, dum exuviae S. Augustini, Hipponensis episcopi et praestantissimi Ecclesiae doctoris, quarum venerationem antiquus Dei et sanctorum hostis aliquandiu perturbare tentaverat, tandem omnium christifidelium cultui pristinaeque honorificentiae, universâ Ecclesiâ plaudente, restitutae fuerunt.

Corpus S. Augustini Hipponâ in Sardiniam, atque hinc Ticinum translatum, multos post annos repertum est.

§ 1. Probatissimis litterarum monumentis constat, Vandalorum persecutione in Africanam Ecclesiam excitatâ, sanctissimos illarum partium episcopos et fidei catholicae confessores, in Sardiniam exilio damnatos, corpus eximii doctoris sub finem saeculi V secum in eamdem insulam transtulisse, ibique usque ad initium saeculi VIII christianâ, idest maximâ religione custoditum. Tunc enim, Saracenis, qui in Sardiniam irruerant, loca sacra impie foedantibus, Liutprandus Longobardorum rex, sanctarum Augustini reliquiarum pietate motus, per legatos ab se illuc transmissos, magno eas pretio redimendas, et Ticinum, quae aliàs Papia dicitur, sacrâ pompâ transferendas curavit: ubi confessione aedis S. Petri in caelo aureo tunc primum ad hoc unum iussu regis[2] exstructâ, Augustiniani corporis thesaurus debito tanto patri honore depositus fuit, populisque devotionis causâ usque ad nostram aetatem illuc undique confluentibus, in eiusdem confessionis cryptâ, inter puteum aquâ salutari manantem, et altare inferius, piissimo studio servatus est. Tandem vero die I octobris anni dominici MDCXCV, albus marmoreus sarcophagus sub mausoleo lateritio ibidem loci detectus, inque eo sanctissimae Augustini exuviae in arcâ argenteâ clausae repertae fuerunt: quae omnia coram plurimis testibus canonice comprobata per curiae episcopalis ministros et actuarios in processus et commentarios, publicâ auctoritate munitos, summâ fide conscriptos, tunc digesta, perque totum quinquennium adversus quorumdam dubitationes, non segniter agentibus fratribus eremitis Ordinis S. Augustini, qui in eâdem S. Petri basilicâ aeque ac canonici regulares Congregationis Lateranensis alternis mensibus divina officia persolvunt, disceptata fuerunt, donec unus et triginta sacrae paginae et decretorum doctores pro iisdem Augustini reliquiis sententiam suam, mirâ consensione firmatam, scripto ediderunt.

Summus Pontifex iudicium episcopale de eodem corpore peragi iubet.

§ 2. Quum vero ad audientiam nostram pervenisset, ob non extinctas et abolitas iudicio episcopali Ticinensium praesulum eiusmodi dubitationes, venerandos tanti doctoris cineres, quasi incertos, sine debito honore habitos: nos, rei gravitate perculsi, litteras nostras sub annulo Piscatoris die XXIII ianuarii huiusce anni ad venerabilem fratrem episcopum Ticinensem dedimus, ei serio iniungentes, ut iudicium de invento illic S. Augustini corpore, ulteriori dilatione sublatâ, secundum Deum et veritatem, ceteris quaestionibus de alio corpore inveniendo remotis, ad finem perducere[1]; illi praeterea mandantes ut cavillationibus eorum, qui decisionem

1 Constitutio, qua controversiam de corpore S. Augustini iudicio episcopali dirimi hic Pontifex iussit, edita est MDCCXXVIII, die XXIII ianuarii, pontif. IV.

2 Male ed. Main. legit *regia* pro *regis* (R. T.).

1 Forsan legendum *perduceret* (R. T.).

ac definitionem huiusce causae impedire tentassent, etiam per ecclesiasticas censuras occurrere deberet, utque illis, a quibus causa cognoscenda esset, iisdem adhibitis, si opus esset, remediis, ediceret ne ullis officiis, commendationibus, aut partium studiis obsequerentur, sed solum Deum veritatis prae oculis haberent. Et ne in re tantâ definiendâ novis procrastinationibus locus esse posset, bimestre tempus huïc iudicio conficiendo praefiximus. Has vero litteras dilectus filius Fulgentius Bellellus, prior generalis fratrum eremitarum totius Ordinis S. Augustini, in coenobio iuxta praedictam aedem sancti doctoris, aliàs S. Petri in caelo aureo, Ticini constitutus, ipsi episcopo per dilectos filios Iosephum de Gregoriis a S. Elpidio, et Aloysium de Bellagente, Ticinensem, fratres eremitas eiusdem Ordinis, tamquam speciales procuratores in hac causâ a se deputatos, praesentari curavit.

Ad canonicas Ecclesiae regulas idem iudicium episcopale peragitur.

§ 3. Episcopus Ticinensis, acceptis litteris nostris et iuridice vocatis vocandis, qui olim pro identitate sacri corporis declarandâ, nomine eorumdem fratrum eremitarum in memorato coenobio degentium, vocati fuerant, inspectisque actis in eâdem causâ a mense octobris anni MDCXCV usque ad mensem martium anni MDCXCIX confectis, unâ cum visitationibus ipsius corporis S. Augustini, annis MDCXCV, MDCXCVI et MDCXCVII, pariter factis, necnon iuribus, documentis, testium depositionibus, aliisque monumentis et scripturis tunc et subsequentibus annis publicâ auctoritate exaratis; compluries etiam theologis sacrorumque canonum interpretibus coram se congregatis, quos ex piis doctisque viris ad praescripta sacrosancti Concilii Tridentini in consilium sibi adhibendos delegerat, quibus poenas, in iisdem litteris nostris expressas indixit, singula causae momenta attente discussa et mature considerata fuerunt. Tandem vero idem episcopus die XXV iunii, unâ cum iisdem suis hac in causâ consiliariis ab se delectis, coram fratribus eremitis Augustinianis et canonicis regularibus Lateranensibus sacrum corpus in confessione repertum anno MDCXCV, post recitatum ad aram maximam hymnum *Veni creator Spiritus*, ex confessione in capsâ clausum ad eamdem aram per sex presbyteros inter accensa fanalia reverenter perlatum, exacte et sedulo visitavit diebus XXV et XXVI iunii, adhibitis tribus ex peritioribus civitatis anatomes professoribus, iureiurando de veritate dicendâ obstrictis, qui singulas sacri corporis partes studiose recognoscentes, *os brachii sinistri* ab humero ad cubitum, atque aliud quod *atlas* vocatur, deesse animadverterunt: quorum primum Ticini a felicis memoriae decessore nostro Benedicto Papa VIII B. Egelnotho primati Cantuariensi dono traditum fuerat; alterum vero in Dalmatiâ servatur in thesauro sacrarum reliquiarum metropolitanae ecclesiae Rausinae. Iis peractis, sacroque deposito in pristinum confessionis locum eâdem caeremoniâ restituto, idem episcopus Ticinensis solemnes supplicationes aliasque publicas et assiduas preces ad divinam opem pro recto iudicio secundum Deum et veritate ferendo impetrandam indixit, quibus devote cum utroque clero et populo civitatis interfuit; visisque tandem omnibus videndis, et consideratis considerandis, congregatisque iterum coram se sacrae theologiae magistris et canonum professoribus, quos, uti iam diximus, ad sanctiones Concilii Tridentini, antea in consilium vocaverat, quique decem et septem numero pro veritate atque identitate re-

liquiarum S. Augustini unanimem sententiam tulisse memorantur, ipse coram dilectis filiis priore generali totius Ordinis fratrum eremitarum S. Augustini et praeposito canonicorum regularium Congregationis Lateranensis, atque aliorium complurium qui illuc supremum hac de re episcopale iudicium audituri convenerant, post missae sacrificium de Spiritu Sancto celebratum, solum Deum veritatis prae oculis habens, hoc eodem anno MDCCXXVIII, indictione VI, feriâ VI, die XVI mensis iunii, horâ tertiarum, in episcopio pro tribunali sedens, hoc decretum cum plenâ causae cognitione pronunciavit:

Decretum episcopi Ticinensis de corpore S. Augustini.

Christi nomine repetito, per hanc nostram definitivam sententiam dicimus, pronunciamus et declaramus, satis constare corpus inventum in confessione templi S. Petri in cœlo aureo huius civitatis die 1 octobris anni MDCXCV, *et nuper per nos recognitum ac sigillo nostro munitum, esse corpus S. Augustini Ecclesiæ doctoris, ideoque pro tali esse colendum, et publicæ fidelium venerationi exponendum.*

D. FRANCISCUS *episcopus Papiensis*.

Summi Pontificis et Ecclesiae gaudium ob vindicatas Augustini reliquias.

§ 4. Nuncio tam sancti, tam gravis et maturi iudicii episcopalis ad nos perlato, prae gaudio exsiliit cor nostrum, summâque laetitiâ perfusi gratias Deo egimus, quod suam gloriam in S. Augustini exuviis canonice vindicatis augere voluerit, quem, ob sanctimoniam atque intemeratam doctrinae excellentiam, ut fulgentissimum Ecclesiae lumen Innocentius, Zosimus, Bonifacius, Caelestinus, Gelasius, Hormisdas, aliique decessores nostri Romani Pontifices magno semper in honore habuerunt, nosque ipsi ut parentem aeque ac magistrum veneramur, utpote cuius regulam et doctrinam in nostro Praedicatorum Ordine a primis adolescentiae annis professi sumus, et favente Deo profitemur. Ut autem nostrum iuxta ac totius Ecclesiae gaudium ubique diffunderetur, per litteras nostras universis christifidelibus inscriptas die IV augusti, omnibus et singulis utriusque sexus vere poenitentibus et confessis, qui aliquam ex ecclesiis tam fratrum quam sororum Ordinis eremitarum S. Augustini ubicumque exsistentem, die per Ordinarios locorum designando, visitassent, atque ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum indulgentiam et remissionem concessimus; dieque subsequenti alias litteras dedimus ad episcopum Ticinensem, ipsius pietatem et fidem laudantes, quod omnem dubitationis nebulam de veritate corporis S. Augustini tam accurato examine dissipare studuisset; districte interdicentes, sub poenâ excommunicationis latae sententiae, ne quis auferre, asportare aut distrahere quamlibet sacratissimi eius depositi particulam auderet. Subinde in die festo eiusdem Ecclesiae doctoris XXVIII augusti ad eiusdem titulum et coenobium fratrum Eremitarum nos ipsi accedentes, in illius honorem sacrosanctum missae sacrificium ritu pontificali celebravimus, adsistentibus nobis venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis et et episcopis, et post peracta divina mysteria, in gratiarum actionem pro sancto eius corpore luculente et canonice comprobato hymnum *Te Deum*, christianae laetitiae praenuncium solemni caeremonia praecinentes, in trinis Personis unum Deum collaudavimus.

Iudicium episcopale de corpore S. Augustini a Summo

§ 5. Ne vero ex pastoralis officii debito erga sanctarum Augustini reliquiarum conservationem et venerationem a

Pontifex confirmatur.

nobis quidquam praetermittatur, quascumque dubitationes, controversias, causas et lites de corpore S. Augustini quomodolibet exortas sive introductas, illarumque iura, scripturas et titulos omnes praesentibus pro plene expressis habentes, et, quatenus opus sit, ad nos avocantes, prorsus extinguimus et abolemus, et perpetuum silentium super illis imponimus. Et ne unquam futuris temporibus de praedicto episcopali iudicio, ad sanctiores Ecclesiae regulas absoluto, possit quomodolibet haesitari, ad submissas preces dilecti filii Felicis Leoni, totius Ordinis eorumdem fratrum eremitarum procuratoris generalis, eius libello supplici nobis porrectas, piae recordationis antecessoris nostri Martini PP. V vestigiis inhaerentes, qui translationem corporis B. Monicae, venerabilis Augustini matris, ex civitate nostrâ Ostiensi ad hanc eamdem ecclesiam domus fratrum dicti Ordinis eremitarum S. Augustini factam, suis apostolicis litteris incipientibus *Pia charitas* adprobavit; nos quoque iudicium episcopi Ticinensis de veritate corporis sancti doctoris, ut apud christifideles notius et manifestius evadat, ac devotio erga Augustinum magis inflammetur, tenore praesentium ratum et gratum habentes, ex certâ scientiâ, atque etiam motu proprio, apostolicâ auctoritate, undequaque adprobamus et confirmamus, et perpetuis futuris temporibus firmum semper et validum esse ac fore decernimus: non obstantibus quibuscumque.

Nemo has litteras infringere audeat.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis, avocationis, extinctionis, abolitionis, silentii impositionis, decreti adprobationis, confirmationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVIII, X kalendas octobres, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 22 septembris 1728, pontif. anno V.

CCXL.

Fratribus Ordinis Praedicatorum iurisdictio quasi episcopalis, quam iampridem exercebant in ecclesiâ parochiali B. Mariae et Ss. XII Apostolorum terrae Balneariae, confirmatur [1].

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium ductum ex eo quod Summus Pontifex lites inter ecclesiasticas personas extinguere soleat.

Contentiones et lites inter quascumque religiosas familias, praesertim vero inter nostri Ordinis fratrum Praedicatorum aliasque ecclesiasticas personas, quae quidem lites sine gravissimis incommodis et impensis atque divini cultus animarumque salutis detrimento ferri nequaquam possunt, ad nos pertinet extinguere et prorsus eliminare, quemadmodum pontificii muneris nostri ratio suadet, ut ius suum, supremâ quam in terris obtinemus auctoritate, unicuique tribuamus, insuper et alia libenti animo peragentes quae salubriter expedire animadvertimus.

Parochialis ecclesia praedicta a Caelestino III Apostolicae Sedi subiecta, postmodum transit in ius canonicorum basilicae Lateranensis, qui eam Iacobo quondam Rufo, loci domino, vendiderunt.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, aliàs et postquam parochialis ecclesia B. Mariae et Ss. XII Apostolorum terrae Balneariae, nullius dioecesis, provinciae Rheginensis (quam olim felicis recordationis Caelestinus Papa III praedecessor noster soli Romanae Ecclesiae

[1] Hanc iurisdictionem dictis fratribus primo fecit Gregorius XIII const. ed. MDLXXXII, die XIII novembris, pontif. XI, confirmavit Sixtus V const. ed. MDLXXXVIII, die VII maii, pontif. IV.

subiacere decreverat, et sub beatorum Petri et Pauli apostolorum Sedisque Apostolicae protectione susceperat, eamque et illius bona, pertinentias, dependentias, ac annexa quaecumque, dictamque terram, unà cum eis subiectis locis, ab omni iugo, potestate, iniuriâ et molestiâ quorumcumque hominum liberam esse voluerat atque statuerat, pariterque decreverat), postremo, unâ cum universis eiusdem parochialis ecclesiae bonis, grangiis, membris annexis, iuribus, actionibus et pertinentiis quibuscumque, capitulo et canonicis ecclesiae S. Ioannis Lateranensis nuncupatae de Urbe concessa, sive illorum mensae capitulari canonice unita, annexa et incorporata extitisset, ipsique capitulum et canonici postmodum, intendentes suam et dictae mensae capitularis conditionem efficere meliorem, omnia et quaecumque bona praedicta ad dictam parochialem spectantia et pertinentia quondam tunc in humanis agenti Iacobo Rufo, dictae terrae, dum viveret, domino in temporalibus, pro eo eiusque successoribus causamque ab eo habentibus, cum hoc ut dictus Iacobus, eiusque successores, causamque ab eo habentes praefati, centum viginti novem ducatos monetae neapolitanae, ac nonagintasex tumulos frumenti singulis annis, necnon tertiam partem bonorum recuperandorum, ad eamdem parochialem ecclesiam etiam spectantium et pertinentium, pro dictae parochialis ecclesiae, illiusque fabricae et sacristiae, necnon eiusdem parochialis ecclesiae rectoris pro tempore existentis manutentione et[1] respective congruâ sustentatione persolvere et tradere deberent, ac forsan sub aliis pactis et conditionibus tunc expressis, pro pretio viginti duorum millium scutorum monetae romanae, ad effectum pretium huiusmodi in tot bonis stabilibus in territorio Urbis existentibus reinvestiendi, ac aliàs sub certis modo et formâ tunc expressis, sub Sedis Apostolicae beneplacito vendidissent;

Gregorius XIII eamdem ecclesiam parochialem adsignat Ordini fratrum Praedicatorum.

§ 2. Recolendae memoriae Gregorius Papa XIII, etiam praedecessor noster, qui venditionem huiusmodi apostolicâ auctoritate confirmaverat, seu confirmari mandaverat, Ordinem fratrum Praedicatorum propagare, divinique cultus in ipsâ parochiali ecclesiâ incremento consulere volens, dictam parochialem ecclesiam (praeviâ unionis de illâ dictae mensae capitulari, aliàs, ut praefertur, factae dissolutione, et pro eo quod tunc assereretur seu praetenderetur quod dicta parochialis ecclesia olim fuisset monasterium monachorum Cisterciensis Ordinis, seu quod apud illam monachi dicti Ordinis Cisterciensis olim habitassent, etiam praeviâ dicti Ordinis Cisterciensis, omnisque illius dependentiae ac status et essentiae regularium, ac nominis, denominationis, qualitatis et formae monasterii dicti Ordinis Cisterciensis in dictâ parochiali ecclesiâ, illiusque situ, solo, ambitu, domibus, hortis, membris, annexis, connexis, iuribus et pertinentiis suis, suppressione et extinctione) Ordini fratrum Praedicatorum apostolicâ auctoritate concesserit et assignaverit, seu univerit et incorporaverit, et in eiusdem parochialis ecclesiae domo seu domibus, hortis, membris, iuribus et pertinentiis huiusmodi, eidem parochiali ecclesiae contiguis vel adiacentibus et circumstantibus, unam domum dicti Ordinis fratrum Praedicatorum, sub dictâ invocatione, titulo et denominatione B. Mariae et Ss. XII Apostolorum, pro perpetuis usu et habitatione unius prioris et saltem aliorum quindecim fratrum eiusdem Ordinis fratrum Praedicatorum, sub certis modo et

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

formâ tunc expressis, erexerit et instituerit; illique sic erectae et institutae pro eius ecclesiâ dictam parochialem ecclesiam cum illius domibus, membris, hortis, iuribus et pertinentiis eidem parochiali ecclesiae contiguis vel adiacentibus et circumstantibus praefatis, demptis tamen omnibus illis bonis praefato Iacobo ut praefertur venditis, similiter perpetuo concesserit et assignaverit; ac eidem domui fratrum Praedicatorum sic erectae et institutae, necnon dictae parochiali ecclesiae vel illius sacristiae aut fabricae, pro eius dote et manutentione ac prioris et fratrum praefatorum subventione, dictos centum viginti novem ducatos monetae neapolitanae ac nonagintasex tumulos grani seu frumenti, necnon tertiam partem bonorum recuperandorum huiusmodi, et alia bona mobilia et immobilia ipsi domui fratrum Praedicatorum, ut praefertur erectae et institutae, per quoscumque pro tempore quomodolibet danda seu relinquenda, cum hoc ut dicti prior et fratres in ipsâ domo pro tempore degentes dictae parochiali ecclesiae in divinis aliàs deservire, dictamque illius animarum curam exercere, ac iura, oblationes, eleemosynas et alia emolumenta parochialia, et ex servitio et curae animarum exercitio huiusmodi provenientia, cuiusvis licentiâ desuper minime requisitâ, percipere et habere deberent et valerent; ipsique prior et fratres huiusmodi magistro generali vel procuratori generali eiusdem Ordinis fratrum Praedicatorum dumtaxat, non autem provinciali seu provincialibus, prioribus, vel aliis ministris seu officialibus, nisi ab ipso magistro generali vel procuratore generali pro tempore deputatis visitatoribus, subessent, etiam perpetuo applicaverit et appropriaverit;

Fratres Praedicatores dictae ecclesiae, iurisdictionem quasi episcopalem exercent, quae a Summo Pontifice Sixto V eis confirmatur.

§ 3. Cum vero prior et fratres dictae domus ut praefertur erectae et institutae, tunc et pro tempore existentes, iurisdictionem quasi episcopalem in dictâ terrâ eique subiectis locis, quemadmodum capitulum et canonici praedicti illam exercuerant, etiam exercere continuarent seu continuare vellent, clerus dictae terrae priori dictae domus ut praefertur erectae et institutae, se non esse subiectum praetendens, ac illi obedientiam et reverentiam debitas et devotas exibere recusans, ad Sedem Apostolicam recursum habuisset, causaque huiusmodi per felicis etiam recordationis Xystum Papam V etiam praedecessorem nostrum Congregationi S. R. E. cardinalium negociis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum examinanda et fine debito terminanda commissa extitisset, ac iterum propositâ ratione capituli et canonicorum praefatorum (qui, post emanatam ab eâdem Congregatione ad favorem eorumdem prioris et fratrum contra clerum praefatum resolutionem ad causam huiusmodi, ex causis tunc expressis, ad se pertinere, ipsosque priorem et fratres, ut Mendicantes, harum rerum incapaces existere praetendebant) ab eâdem Congregatione idem quod prius ad favorem prioris et fratrum Praedicatorum praefatorum, ac contra capitulum et canonicos praefatos, quod ipsi[1] priori et fratribus liceret huiusmodi iurisdictionem exercere, bonaque possidere, et alia his similia habere, uti ex eorum privilegiis plene constiterat, determinatum fuerit; capitulo vero et canonicis praedictis necdum acquiescentibus, cum idem Xystus praedecessor universam rem, ad instantiam capituli et canonicorum praefatorum, bonae memoriae Antonio Ss. Ioannis et Pauli Carafae et Scipioni S. Salvatoris in Lauro nuncupatis respective ti-

1 Aptius lege *ipsis* (R. T.).

tulorum presbyteris, dum viverent, S.R.E. cardinalibus Lancellotto respective nuncupatis, tunc in humanis agentibus, reassumendam et cognoscendam commisisset, ipsique Antonius et Scipio cardinales, priorem et fratres praefatos super praemissis indebite et iniuste molestatos fuisse, retulissent[1], idem Xystus praedecessor universam causam huiusmodi ad se avocaverit, litemque huiusmodi penitus et omnino extinxerit, necnon capitulo et canonicis praefatis, ac aliis quibuscumque personis, perpetuum silentium desuper imposuerit, itaut capitulum et canonici praefati nullam prorsus iurisdictionem, nullamque auctoritatem et potestatem sive praeeminentiam in ecclesiam et clerum dictae terrae in posterum haberent seu habere deberent, necnon clero dictae terrae et quibusvis aliis personis quacumque auctoritate, dignitate et officio fungentibus, in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poenâ contrafacientes eo ipso incurrendâ, praeceperit, quatenus, omni et quocumque praetextu remoto, priori dictae domus pro tempore existenti in spiritualibus obedientiam et reverentiam debitas et devotas exhiberent et exhibere procurarent, sicut antea factum fuerat, necnon omnia et singula privilegia, gratias, immunitates, favores, exemptiones, libertates, iurisdictiones et praeeminentias, cum suis grangiis annexis, eatenus per Romanos Pontifices praedecessores suos concessa, seu approbata et innovata, approbaverit et confirmaverit, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiecerit, necnon ipsis prioribus et fratribus praedictis, ut illis omnibus et singulis privilegiis, gratiis, immunitatibus, favoribus, exemptionibus, libertatibus, iurisdictionibus et praeeminentiis, quibus antea canonici regulares Ordinis sancti Augustini Congregationis Lateranensis, quibus ipsa parochialis ecclesia primitus concessa fuerat, necnon deinde monachi dicti Ordinis Cisterciensis, et postea capitulum et canonici praedicti in eâdem parochiali ecclesiâ, ac suis annexis, usi et potiti fuerant, aeque principaliter et pariformiter, ac sine ullâ prorsus differentiâ, in omnibus et per omnia uti, frui, potiri et gaudere valerent, nec essent adstricti in dictâ domo plures esse quam duodecim propter dictae domus tenuitatem et insufficientiam, nec ad id a quoquam cogi deberent, apostolicâ auctoritate, motu proprio, etc., indulserit: ac aliàs, prout in singulis Caelestini, ac Gregorii et Xysti praedecessorum huiusmodi desuper confectis litteris plenius continetur:

§ 4. Cum autem, sicut etiam accepimus, licet prior pro tempore existens dictae domus ab emanatis praefati Xysti praedecessoris litteris praefatis iurisdictionem quasi episcopalem in praedictâ terrâ ad haec usque tempora pacifice, nemine contradicente, exercere continuavit, nuperrime tamen clerus dictae terrae denuo ad Sedem Apostolicam variis contra modernos priorem et fratres dictae domus, tam circa competentiam iurisdictionis huiusmodi, modumque illam exercendi, ac subsistentiam nonnullarum ordinationum, a pro tempore existentibus prioribus dictae domus factarum, ac praeeminentias ac emolumentorum parochialium participationem et piorum montium administrationem, dictaeque parochialis ecclesiae servitium, ac incessum sub cruce eorumdem fratrum et sepulturam clericorum, necnon consuetum presbyterorum saecularium spolium, quam circa consuetudinem exigendi quamdam portionem piscium aliorumque comestibilium, in diebus festivis

Nihilominus a clero dictae terrae tum circa competentiam dictae iurisdictionis, tum circa alia, recursus ad Sedem Apostolicam adversus eos denuo habitus est.

1 Edit. Main. legit *retulisset* (R. T.).

piscatorum et respective venditorum, excitatis praetensionibus, recursum habuerit; causa vero huiusmodi iterum ad eamdem Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negociis, consultationibus episcoporum et regularium praepositorum delata, eaque ab eâdem Congregatione, audito prius venerabili fratre episcopo Miletensi, intra cuius dioecesis fines dicta terra cum suo territorio existere praetendebatur, dilecto filio nostro S. R. E. cardinali Spinula nuncupato videnda et referenda commissa exstiterit, concordatisque coram eo vigintisex circa praemissa dubiis, et signanter primo, videlicet: *An constet de territorio separato, itaut clerus et populus Balneariæ sit subiectus priori pro tempore B. Dominici dictæ terræ:* eoque unâ cum aliis octo ex praedictis vigintisex dubiis proposito sub die XXII mensis augusti anni proxime praeteriti, prodierit responsum: *Dilata, et coadiuventur probationes, citatis episcopis vicinioribus, et interim prior concedat, cum facultatibus sacrae Congregationis, licentiam concionandi et audiendi confessiones, sed se abstineat a concedendis dimissoriis, et ad mentem, ac ad sequentia dubia, dilata:* cumque, sicut pariter accepimus, prior et fratres praedicti, licet pro tuendâ plusquam centenariâ possessione exercitii iurisdictionis huiusmodi, tum antiquis tum modernis validissimis documentis muniti sint, nihilominus huiusmodi probationum coadiuvatio, litisque prosequutio, citatis episcopis vicinioribus, gravissimum illis afferret incommodum atque dispendium:

Ne fratres praedicti litium incommodis afficerentur, haec edita est constitutio.

§ 5. Nos igitur, paternae sollicitudinis studio excitati, prioris et fratrum praedictorum ulteriora incommoda et dispendia prohibere cupientes, litesque huiusmodi omnino submoveri ac prorsus evelli, illasque futuris temporibus nunquam amplius suscitari, magistrum generalem Ordinis fratrum Praedicatorum huiusmodi, et nunc et pro tempore existentes priorem et fratres dictae domus specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eosque et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, ac Caelestini, Gregorii et Xysti praedecessorum praefatorum litterarum praefatarum tenores etiam veriores ac datas praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ meràque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, universam causam huiusmodi in praedictâ Congregatione ut praefertur introductam, et adhuc pendentem indecisam, ad nos avocamus, litemque huiusmodi penitus et omnino extinguimus, ac clero praefato necnon populo dictae terrae aliisque quibuscumque personis perpetuum silentium desuper imponimus; necnon omnia et singula privilegia, gratias, immunitates, favores, exemptiones, libertates, iurisdictiones et praeeminentias eidem parochiali ecclesiae eiusque grangiis annexas, tam in insulâ Siciliae quam in provinciâ Calabriae, et per Caelestinum ac Gregorium et Xystum praefatos aliosque Romanos Pontifices praedecessores nostros hactenus concessa et approbata ac confirmata, ac etiam innovata, apostolicâ auctoritate, earumdem tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, necnon, ut prior

aliusve superior, necnon fratres domus praefatae, nunc et pro tempore existentes, illis omnibus et singulis privilegiis, gratiis, immunitatibus, favoribus, exemptionibus, libertatibus ac iurisdictionibus, et, quoad priorem aliumve superiorem praefatum dictae domus, etiam quasi episcopali[1], et praeeminentiis, quibus antea canonici regulares, ac deinde monachi, et postea capitulum et canonici praefati, ante factam dictae parochialis ecclesiae Ordini fratrum Praedicatorum huiusmodi unionem praefatam, et postremo prior dictae domus pro tempore existens praefatus, ante praefatas lites motas, eatenus usi, potiti et gavisi fuerunt, in posterum pariformiter et aeque principaliter, ac sine ullâ prorsus differentiâ in omnibus et per omnia, etiam quoad exercitium iurisdictionis ordinariae et quasi episcopalis, uti, frui, potiri et gaudere possint et valeant, ac etiam debeant, apostolicâ auctoritate praedictâ etiam perpetuo decernimus et declaramus atque indulgemus.

Balnearia cum toto agro, suis limitibus terminato, Sedi apostolicae subiicitur.

§ 6. Et insuper, quatenus opus sit, ut novis litibus atque discordiis, quae in posterum, satore zizaniarum pacisque inimico procurante, suscitari valerent, via penitus et omnino praecludatur, dictam terram Balneariae universumque illius territorium (quod, ut asseritur, a dioecesi Miletensi orientem versus in montibus viâ publicâ, ac septentrionem versus in confinibus oppidorum seu castrorum Palmarum et Seminariae alveo fluminis Grimoldi nuncupati, a dictâ viâ publicâ ad mare decurrentis[2], a dioecesi vero Rheginensi meridiem versus altero fluvio rustico, sive torrente, aut rivo, a praefatâ viâ publicâ montium etiam ad mare defluente, et occidentem versus mari, respective, dividitur et terminatur), ac loca et villas (si quae sint in dicto territorio, et intra dicta confinia existentia, et ab eis dependentia) a praefatis Miletensi (cuius potius quam alius cuiuscumque, si terra illiusque territorium[1] huiusmodi ad aliquam dioecesim pertinerent, existerent, ut pariter asseritur), et a Rheginensi aliisque quibuscumque dioecesibus (nullo episcopi Miletensis et archiepiscopi Rheginensis, aliorumque quorumcumque episcoporum aut archiepiscoporum ad hoc requisito consensu), dictâ auctoritate similiter perpetuo separamus et dismembramus, ac terram illiusque territorium huiusmodi sic separata et dismembrata, necnon praedictam parochialem ecclesiam aliasque ecclesias et capellas, si quae in terrâ illiusque territorio huiusmodi nunc extant, et in posterum extiterint, illarumque rectores et in eis beneficiatos aliasque personas inibi beneficia ecclesiastica obtinentes, oratoria, hospitalia, aliaque loca pia quaecumque, universumque clerum et populum terrae illiusque territorii huiusmodi, per praesentes, ut praefertur, separatorum et dismembratorum, ab omni et quacumque iurisdictione, superioritate, correctione, visitatione, regimine et administratione tam in spiritualibus quam temporalibus praedictorum Miletensis et Rheginensis et aliorum quorumcumque episcoporum viciniorum, ac ab exhibitione reverentiae et obedientiae, necnon solutione quorumcumque iurium eis exhibendorum, eâdem apostolicâ auctoritate etiam perpetuo eximimus et liberamus, ac nobis et dictae Sedi immediate pariter perpetuo subiicimus, ac sub nostrâ ac Romani Pontificis pro tempore existentis, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum protectione suscipimus, ac in posterum terram praefatam, illiusque

1 Edit. Main. legit *quasi episcopalis* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *decurrente* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *territorio* (R. T.).

territorium, ut prefertur, separatum et dismembratum, ac separatam et dismembratam huiusmodi, nullius dioecesis provinciae Rheginensis existere ac dici et censeri debere, eâdem apostolicâ auctoritate decernimus et declaramus.

De amplâ iurisdictione dicti prioris.

§ 7. Ac terram praefatam, illiusque territorium, ut praefertur, separatam et dismembratam, dictamque parochialem aliasque quascumque ecclesias, capellas, oratoria, hospitalia, aliaque loca praefata, in terrâ illiusque territorio per praesentes ut praefertur de novo separatis et dismembratis praefatis nunc canonice erecta et in posterum etiam canonice erigenda, illarumque rectores, et singulos in eis respective beneficiatos nunc existentes et pro tempore extituros, ac universum clerum et populum praefatos, illorumque res et bona quaecumque, omnimodae iurisdictioni, superioritati, correctioni, visitationi, curae, regimini et administrationi moderni et pro tempore existentis prioris dictae domus (qui ad formam constitutionum Ordinis fratrum Praedicatorum huiusmodi per dictae domus fratres pro tempore existentes canonice eligi et praefici, necnon aetate maturus, ac moribus spectabilis, prudentiâ quoque praeditus, et in sacris canonibus, quantum fieri potest, versatus, atque in regendo saltem aliquo suae provinciae insigni conventu infracti animi, solertiae, dexteritatis ac prudentiae specimen dederit, ac intra Ordinem graduatus, vel ad minus ad gradus suscipiendos approbatus, atque magistro generali vel procuratori generali Ordinis fratrum Praedicatorum huiusmodi dumtaxat subiectus esse, necnon a magistro vel procuratoris generalibus praefato, tam postquam pro primâ vice canonice per fratres praefatos electus fuerit, quam postquam sui prioratus biennium effluxerit, quoties huiusmodi prioratus prorogationem concedendam esse expediens visum fuerit, etiam dumtaxat confirmari debeat); priore vero huiusmodi deficiente, vel eo amoto, subprioris vel praesidentis aut vicarii dictae domus, in spiritualibus et temporalibus, pleno iure ordinario (itaut eorum quilibet in praemissis casibus prior pro tempore existens praefatus, utpote territorium particulare, et per praesentes, ut praefertur, de novo separatum et dismembratum huiusmodi, vere habens, in dictâ terrâ aliisque sibi subiectis locis iurisdictionem quasi episcopalem exercere, ac synodum convocare, et in eâ examinatores, servatâ tamen Concilii Tridentini decretorum formâ, deputare, atque concursus pro parochialibus ecclesiis in praefatâ terrâ aliisque sibi ut praefertur subiectis locis praefatis existentibus conferendis indicere, ac beneficia quaecumque ecclesiastica in ecclesiis dictae terrae illiusque territorii per praesentes, ut praefertur, separatorum et dismembratorum huiusmodi erigere et instituere, illaque, ac etiam nunc existentia, et quae in posterum quandocumque extiterint, iuxta facultatem archiepiscopis et aliis Ordinariis collatoribus de iure, usu vel consuetudine competentem, salvis tamen et illaesis semper remanentibus omnibus et quibuscumque reservationibus et affectionibus apostolicis, etiam conferre, et in eis instituere, ac litteras dimissoriales suis subditis, ab aliquo catholico antistite, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente, clericali charactere insigniri et ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines rite se promoveri facere cupientibus, concedere, ac sacramentum Confirmationis a vicinioribus archiepiscopis vel episcopis sibi magis benevisis subditis administrari facere, sacraque olea ab eo quem ma-

fuerit ex dictis archiepiscopis vel episcopis recipere, necnon primodictae parochialis ecclesiae illique inservientium, ac aliarum ecclesiarum, capellarum, oratoriorum, hospitalium aliorumque piorum locorum, et respective in eis beneficia obtinentium, ac aliorum subditorum praefatorum, ubicumque existentium, causas beneficiales, matrimoniales, ac civiles et criminales vel mixtas ad forum ecclesiasticum spectantes, quotiescumque et ubicumque casus evenerit, quin[1] locorum Ordinarii ullam in subditos, aliosque praedictos, eorumque respective bona, redditus et proventus, iurisdictionem, superioritatem, dominium vel potestatem, etiam ratione cuiuscumque contractus, necnon cuiusvis generis delicti etiam turbatae iuridictionis, vel alterius etiam gravioris speciei, et specialem mentionem requirentis, vel alterius rei, ubicumque locorum contractus initus et delictum commissum fuerit et res ipsa consistat, exercere valeant, non obstantibus omnibus et quibuscumque processibus contra illos vel illorum aliquem per quoscumque locorum Ordinarios vel eorum vicarios in spiritualibus generales, vel quosvis alios ad id ab eisdem locorum Ordinariis deputandos, etiam in casu negligentiae moderni et pro tempore existentis prioris praefati, pro tempore factis, necnon quibuslibet etiam excommunicationis vel suspensionis et aliis quibuscumque sententiis promulgatis, quas nullas et invalidas nulliusque roboris vel momenti fore volumus, necnon quomodolibet ad praemissa omnia praefata etiam in alterius quam dicti prioris pro tempore existentis iurisdictionem quomodolibet per subditos aliasque personas huiusmodi praestito seu etiam praestando consensu, quem non valere decernimus et declaramus, cognoscere, decidere et terminare absque voto et consilio assessoris, quatenus prior pro tempore existens praefatus in iure canonico versatus existat, sin minus, cum consilio et voto prout de iure assessoris in aliquâ approbatâ universitate studii generalis doctorali laureâ insigniti, vel saltem in iure canonico licentiati, in iis tamen causis in quibus de fisci vel partium interesse agitur, libere et licite possit et valeat) eâdem apostolicâ auctoritate etiam perpetuo subiicimus et supponimus.

Conceduntur quaedam alia eidem priori in signum perfectae iurisdictionis ordinariae.

§ 8. Et insuper priori pro tempore existenti praefato, ut quaecumque litterae apostolicae, etiam in formâ Brevis, tam gratiam quam iustitiam concernentes, et praesertim super dispensationibus matrimonialibus, et in formâ *significavit*, quae a nobis ac Apostolicâ Sede pro personis eiusdem prioris pro tempore existentis iurisdictioni subiectis, posthac concedentur[1] et ad partes transmittentur, eidem moderno pro tempore existenti priori, tamquam loci Ordinario, non autem archiepiscopis vel episcopis vicinioribus, dirigantur et committantur; dictusque prior pro tempore existens litteras praefatas aperire et exequi, necnon in causis et negotiis, quae huiusmodi litterae concernent, procedere; eidemque priori pro tempore existenti, ut[2] litteras Poenitentiariae nostrae Apostolicae, eidem priori pro tempore existenti pro illarum executione directas, et ad supplicationem personarum prioris pro tempore existentis praefati iurisdictioni subiectarum expeditas, etiam aperire, illasque etiam exequi, in omnibus et per omnia libere et licite valeat ac debeat, ut alii quicumque locorum Ordinarii in suis civitatibus et dioecesibus procedere possunt et debent,

1 Male edit. Main. legit *quia* pro *quin* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *concedumtur* (R. T.).

2 Praepos. *in* hinc abiicimus (R. T.).

perpetuo pariter concedimus et indulgemus.

Clerus saecularis eidem ecclesiae subiectus.

§ 9. Et ut divinus cultus in dictâ parochiali ecclesiâ decentius honorificentiusque procedat, priori pro tempore existenti praefato, ut presbyteros et clericos saeculares, sibi, ratione iurisdictionis praefatae, subditos, ad ea personalia servitia, quae, cum veste talari et superpelliceo, dictae ecclesiae tamquam parochiali et quasi cathedrali hactenus praestare consueverunt, et quae de iure praestare tenentur, pariformiter imposterum praestanda cogere, et, pro celebratione missarum solemnium sive cantandarum in festivitatibus, diaconum et subdiaconum ex eodem clero assumere, necnon diaconos et subdiaconos aliosque clericos ad suos respective ordines in dictâ parochiali ecclesiâ exercendos, iniunctaque eis de iure munera adimplenda, etiam cogere et compellere; presbyteris vero et clericis praefatis, ut in choro dictae parochialis ecclesiae iisdem modo et formâ, quae hactenus observata fuerunt, sedere, ac in processionibus sub unâ eâdemque cruce cum fratribus praefatis incedere, iisdemque prioribus et clericis, qui in vesperis festivitatum vesperas, et in maiori hebdomadâ divina officia horasque canonicas unâ cum fratribus praefatis, iuxta eorumdem fratrum ritum, in dictâ parochiali ecclesiâ illiusque choro psallentes recitaverint, ut pro illis horis, quas, ut praefertur, recitaverint, non obstante ritus huiusmodi diversitate, proprio oneri, absque novâ divini officii iuxta proprium ritum recitatione, satisfacere; necnon priori pro tempore existenti praefato, ut defunctorum clericorum spolium super cottâ, breviario et bireto consistens, iuxta consuetudinem in pluribus dioecesibus illarum partium vigentem, exigere; et attento, quod, ut similiter accepimus, prior et fratres pro tempore existentes praefati in possessione, seu quasi, quamdam portionem seu decimas piscium, qui a quibuscumque personis in maritimâ dictae terrae Balneariae piscantur, necnon fructuum et aliarum rerum comestibilium, quae in dictâ terrâ etiam in diebus festivis venduntur, exigendi et percipiendi reperiuntur, priori et fratribus pro tempore existentibus praefatis, ut eamdem portionem seu decimas piscium piscatorum et rerum vendendarum huiusmodi imposterum etiam exigere et percipere, ac piscantes et vendentes huiusmodi portionem seu decimas huiusmodi priori et fratribus pro tempore existentibus praefatis dumtaxat, et non alii [1] vel aliis, tradere et omnino respondere; contradictores vero et inobedientes aut rebelles corrigere, mulctare, et etiam sub ecclesiasticis sententiis, censuris, aliisque condignis poenis compescere, libere et licite respective possint et valeant, ac etiam respective debeant et teneantur ac obligati existant, auctoritate praedictâ etiam perpetuo respective concedimus et indulgemus.

§ 10. Praesentes quoque, ac omnia et singula praemissa, ullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel alio quovis defectu, etiam ex eo quod causae, propter quas eadem praemissa facta fuerint, coram locorum Ordinariis, etiam tamquam Sedis praefatae delegatis, examinatae, verificatae, et ab eis approbatae, ac interesse forsan habentes ad id vocati, citati et auditi non fuerint, nec desuper suum consensum praestiterint, seu ex quavis aliâ causâ, vel quocumque praetextu, quaesito colore vel ingenio, notari, impugnari, invalidari, retractari, ad viam et terminos iuris re- — Haec constitutio perpetuum robur obtineat.

1 Edit. Main. legit *aliis* pro *alii* (R. T.).

duci, seu in ius vel controversiam vocari, aut adversus illos et illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari minime posse, nec sub ullis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis excipi, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et eum, in quo antea quomodolibet erant, statum, restituta, reposita et plenarie reintegrata, ac de novo etiam sub[1] quacumque posteriori datâ per magistrum seu procuratorem generales aut pro tempore existentem priorem praefatos quandocumque[2] eligendâ[3], concessas, ac semper perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, eisdemque[4] ministro ac procuratori generalibus necnon priori nunc et pro tempore existenti suffragari debere, nec eos desuper a quoquam, quavis auctoritate fungente vel dignitate fulgente, etiam sub quovis praetextu, quaesito colore vel ingenio, causâque et occasione, inquietari, molestari, perturbari aut impediri ullatenus unquam posse; sicque et non aliâs per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, et causarum palatii apostolici auditores, necnon eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, definiendi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari, definiri et interpretari debere, et, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

§ 11. Quocirca pro tempore existenti S. R. E. cardinali dicti Ordinis fratrum Praedicatorum protectori, ac dilectis filiis causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori, ac nostro et Sedis Apostolicae nuncio in regno Neapolitano commoranti, nunc et pro tempore existentibus, motu simili per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte ministri seu procuratoris generalium, aut pro tempore existentis prioris praefatorum, aut alicuius eorum, requisiti fuerint, solemniter publicantes, eisque et eorum cuilibet in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes et in eis contenta huiusmodi ab omnibus inviolabiliter observari, eosque et eorum quemlibet illis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, ac, legitimis super his habendis servatis processibus, servatâque formâ Concilii Tridentini, sententias, censuras et poenas huiusmodi incurrisse declarando ac etiam iteratis vicibus aggravando: invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio.

Huius constitutionis defensores a Summo Pontifice deputati.

§ 12. Non obstantibus nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII similiter praedecessoris nostri, qua cavetur, ne quis extra suam civitatem vel dioecesim,

Derogatoriae.

1 Male edit. Main. legit *sua* pro *sub* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *quodcumque* (R. T.).
3 Male edit. Main. legit *eligendo* pro *eligenda* (R. T.).
4 Edit. Main. legit *eisdem* (R. T.).

nisi in certis expressis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine suae dioecesis ad iudicium avocetur, sed[1] ne iudices a Sede praefatâ deputati contra quoscumque procedere, seu alii vel aliis vices suas committere praesumant, ac in generali Lateranensi Concilio editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, et quibusvis aliis apostolicis constitutionibus et ordinationibus, necnon Ordinis fratrum Praedicatorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ac quibusvis privilegiis et indultis ac litteris apostolicis eidem Ordini ac Ordinariis locorum et quibusvis ecclesiasticis et locis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam consistorialiter, et motu, scientiâ ac potestatis plenitudine similibus, ac aliàs quomodolibet etiam per nos pluries concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione aliàs de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, latissime et plenissime ac specialiter et expresse, hac vice dumtaxat, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, derogamus et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque: aut si aliquibus communiter, aut divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

1 Potius lege *seu* pro *sed* (R. T.).

Fides habenda transumptis.

§ 13. Volumus autem ut ipsarum praesentium exemplaribus, etiam impressis, alicuius in dignitate ecclesiasticâ constitutae personae sigillo et notarii manu obsignatis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae adhiberetur praesentibus si forent originaliter exhibitae vel ostensae.

Nemo has litteras infringere audeat.

§ 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae abolitionis, avocationis, extinctionis, silentii, impositionis, approbationis, confirmationis, roboris adiectionis, separationis, dismembrationis, exemptionis, liberationis, subiectionis, suppositionis, concessionis, indulti, decreti, derogationis infringere[1], vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVIII, idibus septembris, anno V.

Dat. die 13 septembris 1727, pontif. anno V.

CCXLI.

Conceditur iurisdictio et diversae facultates praefecto palatii apostolici pro tempore existenti[2].

1 Vocem *infringere* nos addimus (R. T.).

2 Aliâ huius Pontificis const. edit. MDCCXXIV, die 17 augusti, pontif. I, restituta fuit cardinali vicario Urbis iurisdictio cumulativa in omnibus causis.

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Constitutio Innocentii XII quae incipit *Romanus Pontifex*, xv kalendas octobris suppressit tribunalia particularia ex privilegiis Romanorum Pontificum constituta, easque ad ius commune reduxit.

§ 1. Cum, occasione constitutionis felicis recordationis Innocentii PP. XII praedecessoris nostri quae incipit *Romanus Pontifex*, xv kalendas octobris MDCXCII editae, per quam idem Innocentius praedecessor particularia tribunalia et speciales iudices vigore privilegiorum a Romanis Pontificibus praedecessoribus suis diversis temporibus concessorum in Curiâ Romanâ eatenus constituta et constitutos suppressit, abolevit et abrogavit, privilegiaque eiusmodi ad viam et terminos iuris reduxit, variae identidem obortae sint lites et controversiae super iurisdictione praefecti palatii apostolici, quae per eamdem constitutionem non secus ac aliorum particularium iudicum ex privilegio ita sublata fuisse contendebatur, ut nec quaevis sacrorum canonum legumque civilium dispositio, nec omnium fere gentium mores et consensus, neque quantumvis longaeva, ac scientibus et prudentibus praedecessoribus praedictis antea servata consuetudo, ac eiusdem iurisdictionis exercitium, ipsi praefecto palatii apostolici quicquam de cetero adversus memoratam constitutionem suffragari possent; contra vero crebrae ad nos querimoniae delatae fuissent, a recto ordine et ratione plane alienum esse, causas interesse eiusdem palatii praefecto agitari[1], familiaresque nostros ad quaelibet almae Urbis tribunalia, non sine obsequii, quod nobis et palatio praedicto impendunt, detrimento distrahi:

Ad ea, aliaque tollenda per has litteras in forma Brevis sequentes conceduntur facultates praefecto sacri palatii apostolici.

§ 2. Hinc est quod nos, eiusmodi lites et controversias, quae promptam iustitiae administrationem impediunt, aliaque multiplicia incommoda ac turbas adferunt, dirimere, simulque omnem de cetero dubitandi in praemissis occasionem penitus tollere cupientes, atque non minus ad Romani Pontificis pro tempore existentis decus et dignitatem, quam ad ipsius palatii apostolici providum regimen et utilitatem ac dictorum familiarium commoditatem nostrae dirigentes considerationis intuitum, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium ad id a nobis specialiter deputatorum, qui rem ipsam mature ac diu discusserunt, consilio, venerabili fratri Camillo patriarchae Constantinopolitano, moderno ac pro tempore existenti eiusdem palatii apostolici praefecto (firmâ in reliquis remanente enarratâ Innocentii praedecessoris constitutione), in quibusvis causis interesse ipsius palatii apostolici quomodolibet concernentibus, civilibus, criminalibus et mixtis, omnimodam et privativam, ac, quoad delinquentes in palatio apostolico, ubi Romani Pontifices pro tempore resident, seu eorum residentiae deputato vel deputando, et delicta inibi perpetrata, prout quoque quoad delicta etiam extra palatium huiusmodi ubicumque inter nostros et eiusdem Pontificis familiares commissa, plenariam et privativam itidem; in delictis autem, quae extra dictum palatium inter familiarem et non familiarem admissa fuerint, si reus fuerit familiaris, similiter privativam, sin minus, cumulativam cum aliis iudicibus ceteroquin competentibus; quod vero ad causas civiles attinet, ubi dumtaxat familiaris sit reus et executive tantum procedatur, privativam quoque iurisdictionem, cum omnibus et singulis facultatibus necessariis et opportunis, auctoritate apostolicâ, tenore praesen-

[1] Comma istud imperfectum esse dignoscitur; forsan legendum *causas interesse eiusdem palatii concernentes ab aliis quam a praefecto agitari* (R. T.).

tium concedimus et indulgemus: et, si agatur actione reali adversus familiarem eiusmodi, tunc eidem praefecto palatii sola competat facultas concedendi licentiam exequendi sententias, mandata vel decreta, vulgo *Exequatur*, quae absque reassumptione cognitionis meritorum causae praestetur; quod et cum artificibus aliisque patentibus eiusdem palatii apostolici munitis ex veteri more et aequâ honestate servatur. Declarantes, quod nomine familiarium non veniant nisi in albo seu tabellâ dicti palatii et ut vulgo dicitur *Rollo* descripti, quodque memorata iurisdictio in omnibus casibus praemissis concessa sit et esse ac competere intelligatur, sive delinquentes et familiares aut aliae personae huiusmodi ecclesiasticae, ac etiam in ecclesiasticâ dignitate constitutae, sive saeculares fuerint.

Praeservatur praefectus sacri palatii apostolici ab irregularitate.

§ 3. Porro eidem Camillo patriarchae, ac pro tempore existenti palatii apostolici praefecto, ut, muneris huiusmodi ac praemissorum ratione et occasione, in negociis et causis criminalibus quibuscumque, quoties opus fuerit, se immiscere, et in eis consilium, mandata et iussiones tam verbo quam in scriptis dare, ac debitae executioni demandare seu demandari facere, etiamsi sanguinis effusio membrorumque mutilatio seu etiam mors inde sequatur, libere et licite ac absque alicuius poenae vel censurae ecclesiasticae incursu possit et valeat, dummodo tamen a sententiâ in causâ sanguinis per seipsum ferendâ omnino abstineat, auctoritate et tenore praefatis facultatem concedimus et impertimur.

Adimitur facultas has litteras quomodolibet impugnandi.

§ 4. Decernentes, ipas praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, nec causae, propter quas eaedem praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, vel ex aliâ quacumque quantumvis legitimâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs, aliove quolibet quantumvis magno ac formali et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu proprio concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac ipsius S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus, quatenus opus

sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, et, quoad ea quae praesentibus adversantur, praefati Innocentii praedecessoris, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV septembris MDCCXXVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 24 septembris 1728, pontif. anno V.

CCXLII.

***Declarantur nulla quaedam acta per Ordines regni Poloniae emanata adversus Nunciaturae apostolicae in eo regno libertatem et Pontificum auctoritatem* [1].**

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

In supremo apostolicae dignitatis fastigio, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam constituti, nostra et huius Sanctae Sedis iura ecclesiasticamque libertatem, ex commissi nobis caelitus pastoralis officii debito, sarta tecta tueri, et, si ea pravis quorumcumque ausibus violata esse novimus, ab eiusmodi violationibus asserere et vindicare tenemur, sicut, omnibus maturae considerationis trutinâ perpensis, aequitati et iustitiae consentaneum esse in Domino arbitramur.

Ab Ordinibus regni Poloniae in comitiis Groduensibus novella quaedam lex seu constitutio lata fuit adversus Nunciaturae apostolicae in eodem regno tribunal et ecclesiasticam libertatem.

§ 1. Aliàs siquidem, per nos accepto quod Ordines regni Poloniae in eorum diaetâ, sive comitiis Groduensibus mense octobri MDCCXXVI habitis, quamdam novellam legem seu constitutionem, non minus adversus bonae memoriae Vincentii, dum viveret, archiepiscopi Trapezuntini nostri et Apostolicae Sedis apud carissimum in Christo filium nostrum Augustum Poloniae regem illustrem tunc temporis nuncii personam ac dignitatem et Nunciaturae apostolicae in eodem regno tribunal, quam adversus ecclesiasticam libertatem nostramque et dictae Sedis auctoritatem

1 Aliâ huius Pontif. const. ed. MDCCXXVI, die 14 februarii, pontif. II, declarata fuerunt nulla gesta per saecularem potestatem in ducatu Sabaudiae adversus monasterium S. Bernardi Ordinis canonicorum regularium S. Augustini, et const. ed. MDCCXXIX, die 19 decembris, pontif. VI, declarantur nulla edicta saecularium contra extensionem officii S. Gregorii VII.

et iurisdictionem tulerant atque promulgaverant, ac subinde, nempe die XXVI mensis novembris immediate subsequentis, quinque articulos, quos gradus executionis dictae novellae legis seu constitutionis vocant, ediderant, quibus, inter alia, sub carcerum, executionis militaris, aliisque atrocibus poenis et mulctis etiam pecuniariis districte inhibebatur omnibus et singulis causidicis et advocatis, ne de cetero coram eodem Vincentio archiepiscopo et nuncio, ac in Nunciaturae praefatae tribunali causas et lites, ut moris erat, defendere et actitare, aut ab eis aliqua gratiae vel iustitiae remedia negociorumve expeditiones obtinere auderent; parochi autem et vicarii, ac superiores monasteriorum et conventuum censuras ecclesiasticas, quae a dictâ Nunciaturâ apostolicâ emanarent, in suis respective ecclesiis publicare, sub poenâ sequestri bonorum quae possidebant, prohibebantur; ac insuper ut in domibus prope Nunciaturam praedictam milites statuerentur, qui, nedum causidicos et procuratores huiusmodi, sed etiam alios quoscumque ad eamdem Nunciaturam recurrere volentes, inde arcerent et amandarent, expedire decernebatur; aliaque in maximum ecclesiasticae et pontificiae potestatis contemptum et iniuriam praescribebantur, perinde ac si inclytae nationi Poloniae[1], ob cultum pietatis et constantem in Romanos Pontifices et hanc Sanctam Sedem devotionem per omnes aetates summopere commendatae, ignotae fuissent gravissimae per sacros canones irrogatae poenae ac censurae in eos, qui arcam Dei sic attingere sacraque Ecclesiae iura conterere non exhorrent: nos, praemissa omnia in amaritudine cordis nostri serio considerantes, tum paternis nostris litteris, quas ad memoratum Augustum regem necnon venerabiles fratres archiepiscopos et episcopos et proceres regni Poloniae conscripsimus, tum aliis adhibitis mediis, arguimus, obsecravimus, increpavimus, instantes opportune et importune in omni patientiâ, ut enarrati excessus, debitâ actorum rescissione congruâque tantorum gravaminum reparatione, sarcirentur: caritati interea nostrae diuturniori longanimitate indulgentes, ut, qui illa admirantur[1], ita[2] eam, a qua tam longe aberraverant, iustitiae viam tandem redirent. Quae dum praestolabamur, non sine novo animi nostri moerore, ad novellae legis seu constitutionis ac quinque articulorum huiusmodi executionem, per intimationem atque denunciationem, tum cancellario dictae Nunciaturae, ne aliquem actum iurisdictionis ab eâ dependentis exerceret, tum causidicis et advocatis praefatis, ne inibi ad causas ac negocia procuranda comparerent, factam, processum fuisse, ex epistolis eiusdem Vincentii archiepiscopi et nuncii cognovimus. Licetque subinde, postquam videlicet litterae nostrae praedictae in regnum Poloniae pervenerant, inhibitio, cancellario, causidicis et advocatis huiusmodi sicut praemittitur denunciata, relaxata fuerit, non tamen ad novellae legis seu constitutionis cum quinque articulis praedicti, uti par erat futurumque sperabamus, abolitionem deventum est. Quamobrem paterna nostra officia et monita interponere denuo non defuimus, ac demum venerabilem fratrem Camillum archiepiscopum Iconiensem ad eumdem Augustum regem Polonamque rempublicam nostrum et dictae

Necnon extraordinarius nuncius adlegatus.

1 Aptius lege *Polonae* (R. T.).

1 Forsan legendum *admiserant* (R. T.).

2 Videtur legendum *in* pro *ita* (R. T.).

Sedis nuncium extraordinarium adlegavimus, ei specialiter iniungendo, ut omni studio ac animi contentione novellam legem seu constitutionem praedictam antiquari et abrogari, hancque a nobis molestiam et a nomine Polono labem depellere curaret.

Declaratio nullitatis novellae regis praedictae seu constitutionis, necnon quinque articulorum pro illius exsequutione editorum.

§ 2. Cum autem, sicut nuper accepimus, pravis illorum praevalentibus consiliis qui ad tutelam et amplificationem saecularis potestatis pertinere arbitrantur ecclesiasticam auctoritatem modis omnibus impetere, quaecumque nos hac in re, charitate suadente, hucusque peregimus, dictusque Camillus archiepiscopus et nuncius iussu nostro sedulo praestitit, parandae optatae quieti adeo non profuerunt, ut, iis penitus neglectis, perpetuam[1] ac per intolerabilem iniuriam actorum rescissio hactenus teneri nequiverit: hinc est quod nos, ne in tam apertâ apostolicae auctoritatis atque eclesiasticae immunitatis oppugnatione torpescere videamur, tametsi notorii et explorati iuris sit, ea omnia, quae in praeiudicium Sedis Apostolicae ac Ecclesiae eorumque iurium quovis modo attentantur, nullius prorsus roboris esse et momenti, quinimo felicis recordationis Urbanus Papa VIII praedecessor noster dictae Sedis Romanaeque et aliarum inferiorum ecclesiarum ac personarum ecclesiasticarum iura quaecumque a praeiudicialibus huiusmodi per quamdam suam constitutionem die v iunii MDCXLI editam amplissime praeservaverit; nunc tamen Ecclesiae et ipsius Sedis Apostolicae iurium indemnitati peramplius providere volentes, ac omnium et singulorum, quae in praemissis seu eorum occasione quovis modo decreta, iussa, ordinata, acta et gesta fuerunt, seriem, causas et circumstantias, etiam aggravantes, ac personarum quarumcumque in eisdem praemissis quomodolibet culpabilium qualitates, dignitates, nomina et cognomina, aliave quaecumque, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et exacte specificatis habentes, motu proprio, ac certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, novellam legem sive constitutionem et quinque articulos *gradus executionis* nuncupatos, ac quaecumque in eis contenta, necnon alia quaelibet in praemissis, seu eorum occasione, in dictis comitiis Groduenensibus in praeiudicium libertatis, immunitatis et iurisdictionis ecclesiasticae atque auctoritatis apostolicae respective quovis modo emanata, edita, acta, gesta et perpetrata, cum omnibus et singulis inde secutis, et forsan quandocumque secuturis, penitus et omnino nulla, irrita, invalida, iniusta, damnata, reprobata, inania, et a non habente potestatem damnabiliter attentata, et de facto praesumpta, nullius plane roboris et momenti vel efficaciae esse et ab initio fuisse, ac perpetuo fore, neminemque ad illorum observantiam teneri, imo nec ea a quopiam observari posse vel potuisse, nec ex illis cuiquam aliquod ius, vel actionem, aut titulum etiam coloratum, aut possidendi seu quasi possidendi vel praescribendi causam acquisitam vel acquisitum fuisse vel esse, aut quandocumque acquiri vel competere posse, neque illa ullum statum facere vel fecisse, sed, perinde ac si nunquam emanassent aut[1] facta fuissent, pro non extantibus et non factis perpetuo itidem haberi debere, tenore praesentinm declaramus. Et nihilominus ad maiorem et abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa

1 Videtur legendum *perpetratorum* (R. T.).

1 Particulam *aut* nos addimus (R. T.).

omnia et singula, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, harum serie damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus et abolemus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac pro damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis et abolitis, iuribusque et effectu penitus et omnino vacuis, semper haberi volumus et mandamus.

Declaratur itidem censuras a sacris canonibus inflictas incurrisse eos, qui praedictis omnibus operam suam praestiterunt.

§ 3. Ad haec omnes et singulos, cuiuscumque status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis ecclesiasticae et facultatis fuerint, qui novellae legi seu constitutioni ac quinque articulis huiusmodi subscripserunt, sive illorum executionem, publicationem, intimationem ac denunciationem mandarunt et ordinarunt, illosve executi sunt, publicarunt, intimarunt et denunciarunt, vel in eis consilium, auxilium, favorem, vel quamvis aliam damnabilem operam praestiterunt, censuras omnes ecclesiasticas a sacris canonibus generalium conciliorum decretis ac apostolicis constitutionibus contra similia perpetrantes latas et inflictas, archiepiscopos vero et episcopos in praemissis quomodolibet culpabiles suspensionis a divinis, exercitio pontificalium eorumque iurisdictionis, et interdicti ab ingressu ecclesiae poenas eo ipso incurrisse, nec eos a censuris et penis huiusmodi, post debitam et condignam Ecclesiae realiter et cum effectu praestitam satisfactionem, a quoquam, nisi a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente (praeterquam in mortis articulo, et tunc cum reincidentiâ in easdem censuras et poenas eo ipso quo convaluerint) absolvi et liberari posse aut valere, harum serie statuimus ac itidem declaramus.

Clausulae peculiares.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praefati et alii quicumque in praemissis sive eorum aliquo ius vel interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, seu aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ qualibet etiam quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali ac incogitato et inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab[1] illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et eiusdem Sedis nuncios, aliosve

1 Particulam *ab* nos addimus (R. T.).

quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, et irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatoriae. § 5. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ac usibus et stylis etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibuscumque personis, etiam quantumvis sublimibus et specialissimâ mentione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, seu ad quarumcumque personarum, etiam imperiali, regali, aliâque qualibet mundanâ vel ecclesiasticâ dignitate fulgentium, instantiam, vel earum contemplationem, seu aliàs quomodolibet, in genere vel in specie, etiam consistorialiter, in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis. § 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXV septembris MDCCXXVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 25 septembris 1728, pontif. anno V.

CCXLIII.

Declarantur quaedam allata dubia super constitutione Pretiosus, *ad favorem fratrum Praedicatorum iampridem editam*[2].

Benedictus Papa XIII.

Beatissime Pater,

Supplex libellus magistri ac procuratoris generalium Ordinis Sanctissimo porrectus pro declaratione dubiorum. Magister ac procurator generales Ordinis Praedicatorum, provoluti pedibus S. V., humillime eidem exponunt, exorta hactenus fuisse plura dubia circa intelligentiam constitutionis *Pretiosus*, super quibus maxime Ordo ipse vexatur. Quoniam vero divinae placet providentiae, ad Ecclesiae eiusdemque Ordinis firmamentum, Beatitudinem Vestram in vivis, iuxta fervida oratorum ac Ordinis vota,

1 Ut supra pag. 72 *b* (R. T.).

2 Laudata constit. edit. fuit MDCCXXVII, die 26 maii, pontif. III. Hac de re vide etiam huius Pontificis constit. edit. MDCCXXVIII, die 10 decembris, pontif. V.

conservare, eapropter supplices exorant, quatenus dignetur Sanctitas Vestra ore proprio apostolicam circa eadem dubia mentem aperire. Dubia vero selectiora ac graviora haec sunt:

Dubium I. De omnimodâ subiectione confraternitatum in ecclesiis Ordinis erectarum superioribus eiusdem Ordinis

I. An, stantibus omnimodâ subiectione ac dependentiâ a superioribus aut delegatis Ordinis praescriptâ a Sanctitate Vestrâ confratribus aut congregatis quarumcumque societatum pro tempore in ecclesiis, oratoriis aut claustris Ordinis praedicti erectarum, vel etiam convenientium pro opere pio aut devotione aliquâ exercendâ, necnon omnimodâ pertinentiâ ad ecclesias et conventus Ordinis ipsius bonorum quorumcumque praedictarum societatum, harum confratres sive congregati, etiam illi qui aliàs peculiare oratorium ac societatem aliam ab Ordine independentes habeant, in eligendis, removendis, mutandis officialibus, in processionibus, custodiâ, usu, administratione quarumlibet rerum, atque in omnibus et singulis aliis quae quomodocumque pertineant ad societates ipsas fundatas, vel quatenus convenientes, ut supra, ad ecclesias, oratoria aut claustra, praedictam subiectionem et dependentiam sub poenis in constitutione taxatis habere; mobilia vero et signanter sacrae imagines et supellectilia, eorumque, sicut et cuiuslibet altaris, oratorii, sacrarii ac ecclesiae claves, penes fratres residere; hisque confratres et congregati praedicti, tamquam veri et simplices bonorum Ordinis ministri et administratores, in maius Dei servitium a fratribus ipsis assumpti, et, datâ saltem occasione, amovibiles, *privative* quoad Ordinarios quoscumque locorum, rationem administrationis cuiuscumque generis bonorum, toties quoties requisiti fuerint, reddere, necnon, *privative* quoque quoad Ordinarios praedictos, superiores tamquam vere propria, ac pleno iure non ad confraternitates quasvis laicorum sed ad Ordinem pertinentia, non solum oratoria aut ecclesias, quae ante Ordinis ingressum ad societates illas spectabant, ac Ordini postmodum per unionem perpetuo accesserunt, sed etiam oratoria, capellas, altaria societatum quarumvis in ecclesiâ parochiali Ordinis perpetuo unitâ vel uniendâ erectarum, necnon societatum SS. Nominis Iesu, Rosarii, aliarumque ad Ordinem spectantium usibus quandocumque extra ecclesias aut claustra Ordinis destinata vel destinanda, quamvis ipsarum societatum aut confratrum expensis fabricata vel fabricanda, eorumque supellectilia et ornamenta quaecumque, in omnibus et per omnia, ad instar bonorum, supellectilium ac ornamentorum societatum per solos fratres ipsos dumtaxat in omnibus et per omnia administratarum, sive aliàs pleno iure et dominio ad Ordinem ipsum pertinentium, visitare, tamquam vere dispositioni Concilii Tridentini, sess. XXII, cap. VIII et IX, pluribusque Congregationum episcoporum et regularium ac concilii decretis non subiecta, debeant ac teneantur?

Dubium II. De omnimodâ exemptione eorumdem fratrum a iurisdictione Ordinariorum et parochorum.

II. An, spectatâ immediatâ soli Summo Pontifici ac Romanae Ecclesiae Ordinis ac omnium et singulorum ad ipsum spectantium subiectione, cum amplissimâ exemptione praedictorum omnium a iurisdictione cuiuscumque alterius, a Sanctitate Vestrâ in confirmatione ac innovatione constitutionum praedecessorum suorum validissime firmatâ, et si opus sit restitutâ, Ordinarii quicumque locorum, capellas, oratoria aut altaria quaecumque, etiam in grangiis Ordinis erecta, aut in ecclesiis parochialibus Ordini perpetuo unitis vel uniendis, saltem cum clausulâ *salvis iuribus episcopalibus*, praeter altare parochiae, ac cetera animarum curam et administrationem sacramentorum, ad tramites Concilii Tridentini, sess. XXV, cap. XI, spectantia, alia altaria, aut ecclesias ipsas, aut ornamenta, supellectilia et mobilia altaris, cui sit adnexum beneficium aliquod saeculare, a fratribus praedictis posita, posita vero a beneficiato, non assistente superiore locali Ordinis visitare; praelati vero inferiores, parochi, capitula, aliive clerici saeculares in ecclesiis, oratoriis, claustris, capellis quibuscumque Ordinis, hucusque dictis, officium parochiale exercere, conciones aut sermones habere, sacramenta administrare vel infirmis ministranda accipere, cadavera sepelire, vel, non determinatâ cum

fratribus congruâ delationis horâ, portare, missas cantare, vel, libere non annuentibus fratribus ipsis, celebrare, exequias qualibet, exclusis fratribus vel iisdem admissis, solemnes cum thurificatione aut aspersione aquae benedictae, aut aliter quam a Sanctitate Vestrâ permissum est in saepedictâ constitutione, § 74, sive non libere, ultra unum dumtaxat parochum, a defuncto ante mortem, vel post mortem ab haeredibus electi aut vocati, ac aliam quamcumque functionem peragere possint et valeant?

Dubium III. De approbatione fratrum ad confessiones saecularium audiendas.

III. An, circa approbationem fratrum, praevio examine, et ad confessiones saecularium audiendas, episcopi teneantur, iuxta sancita a sanctae memoriae Clemente X in Bullâ *Superna*, fratres *generaliter repertos idoneos generaliter quoque et sine limitatione temporum, locorum aut personarum* approbare, ac saltem fratres graduatos, sive aetate maturos, in primo examine simpliciter ac generaliter eodem modo approbare vel reprobare, quod aliàs a Congregatione Concilii decretum universaliter refertur; subindeque, non obstante aliàs consuetâ in patentibus litteris ad eas pro arbitrio episcoporum renovandas temporis praefixione, semel sic approbatos, nisi gravis superveniat causa confessiones ipsas spectans, a confessionibus suscipiendis arceri aut suspendi non possint?

Dubium IV. Num firma remanere debeant, quae eisdem fratribus concessa sunt pro habendis concionibus.

IV. An, ut firma et illibata permaneant quae post Tridentini sessionem V, cap. II, sanctum Pium V et Clementem X, praedicatoribus Ordinis Sanctitas Vestra concessa voluit, fratres pro habendis concionibus quadragesimalibus aut annualibus in ecclesiis aut oratoriis eiusdem ipsorum Ordinis, solummodo et quidem ad terminos constitutionis praedictae laudati Clementis X, benedictionem ab episcopo petere, licentiam vero ac litteras patentes, necnon pro singularibus concionibus moralibus, sive panegyricis, atque pro promovendis societatibus supradictis, benedictionem a solo eorum superiore dumtaxat petere et obtinere teneantur; haecque etiam locum habere debeant ex Bullâ *Pretiosus*, ubi iidem fratres in ecclesiis aut oratoriis praedictis soli in Quadragesimâ vel per annum conciones habere solent ac consueverunt, ac etiamsi electionem, nominationem, aut etiam eleemosynam a communitate quacumque extraneâ, atque insuper intra praedicta tempora conciones aut sermones singulares in ecclesiis, quae non sunt ipsius Ordinis, ex devotione cleri vel populi consuetudine, aut etiam conventione aliquâ sint habituri? Quum obstet decretum Congregationis Concilii in unâ *Theanensi*, post emanatam constitutionem ipsam *Pretiosus*, latum XIX iunii MDCCXXVIII.

Dubium V. Circa Ordinariorum iurisdictionem in moniales sibi subiectas.

V. Circa ordinariam iurisdictionem in moniales sibi subiectas quam restitutam voluit Sanctitas Vestra Ordini suo ad terminos Tridentini et constitutionum S. Pii, an ad episcopum pertineat, ultra explorationem voluntatis puellae iuxta idem Concilium, sess. XXV, cap. XVII, dare facultatem ad congregandum capitulum pro vestitione aut professione, sive ad dandum habitum aut emittendam professionem, aut exigere attestationem de peractis exercitiis spiritualibus, disponere etiam *privative* quoad superiores Ordinis de dote ipsius post emissam professionem, *privative* quoque, aut *cumulative* cum ipsis, dare licentiam pro extraneorum accessu ad colloquendum monialibus, aut subscribere licentias pro ingressu monasteriorum in casibus necessitatis, non obstante contrariâ eiusdem Tridentini dispositione, iuxta declarationem S. Pii V in constitutione *Etsi Mendicantium*, a Sanctitate Vestrâ confirmatam; in visitatione quoque ac ingressu clausurae, episcopo, toties quoties opus erit, facultate ab ipso Tridentino ac Sanctâ Sede delegatâ, competentibus, aliud quodcumque, praeter clausuram ipsam materialem, aut non associante superiore, visitare, ac etiam ingrediendo cum pluviali et stolâ, contra decretum Congregationis Concilii in unâ *Florentina*, XXIX iunii MDCLXXXIV, aut cum praeparatione non strati sed sedis cum baldachino in alterutrâ, aut in utrâque ecclesiâ, aut receptus a monialibus processionaliter, sive cum cruce erectâ, aut cum cantico *Benedictus*, aut ab ipsis accipiendo crucem deosculandam, contra decreta praedictae Congregationis, ad dubia *Visitationis clausurae*, XIX ianuarii MDCLXXXVI?

Dubium VI. De personis utriusque sexus Tertii Ordinis S. Dominici.

VI. Quantum ad personas utriusque sexus Tertii Ordinis S. Dominici, an, spectatis omnibus quae Sanctitas Vestra mandare dignata est, illae quae non habent requisita omnia in constitutione *Pretiosus* praescripta, sed absque voto in domibus propriis degunt, nec habitum Ordinis patentes, sed vel absconditum, vel in signo, aut parte aliquâ eiusdem deferunt, solis tantummodo indulgentiis et gratiis spiritualibus Tertio Ordini ibidem concessis, et, si sint clerici in sacris ordinibus constituti, etiam facultate recitandi officium, ac respective celebrandi missam, sub ritu tamen romano, de Sanctorum ac Beatorum Ordinis Praedicatorum, iuxta indulta huic Ordini a Sanctâ Sede facta vel facienda, dummodo tamen in iis, quae proprium institutum spectant, magistro Ordinis in eâdem constitutione praescriptum obedientiam ac reverentiam servent; personae vero seorsim in domibus privatis, cum voto habitu et regulâ eiusdem Tertii Ordinis viventes, etiam pro anno probationis, non minus ac quae collegialiter vivunt, omnibus et singulis in praedictâ constitutione, et signanter circa sacramentorum receptionem, et earum cadaverum post mortem sepulturam, necnon plenissimam exemptionem a iurisdictione cuiuscumque Ordinarii concessis, frui, gaudere et potiri possint et debeant? Possint nihilominus superiores Ordinis, ad tollendas innumeras lites, absque ullo praeiudicio propriae iurisdictionis processu cuiuscumque longissimi etiam centum et biscentum annorum temporis, ubi non adsit legittima consuetudo in contrarium ante vel post editam constitutionem ipsam *Pretiosus* introducta, ac ubi parochus citra omnem controversiam et difficultatem acquiescat, et non aliter, permittere, quatenus parochus ipse hisce praedictis tertiariis, mortaliter aut habitualiter infirmis, sacram Eucharistiam in mortis articulo, Paschate et in aliis solemnitatibus, ac etiam, urgente peculiari aliquo rationabili motivo, Extremam Unctionem ministrare, eorumque cadavera, cum obierint, usque ad fores ecclesiarum Ordinis exclusive associare, tumque, titulo congruae eleemosynae, non vero cuiuscumque parochialis quartae, aut cuiuscumque alterius canonicae portionis sibi debitae, iuxta taxam inter Ordinarium et superiorem loci per modum regulae perpetuo retinendae firmandam, illud, quod ab iisdem conveniens iudicatum fuerit, recipere libere ac licite possit ac valeat?

Dubium VII. De declarationibus super iis dubiis a Sanctissimo edendis.

VII. An declarationes, quas vivae vocis oraculo super iis dubiis edere dignabitur Sanctitas Vestra, censeri debeant tamquam litteraliter scriptae, insertae et expressae in praedictâ constitutione *Pretiosus,* etiam cum avocatione et extinctione litium desuper pendentium, facultate sublatâ cuicumque tribunali, etiam S. R. E. cardinalibus, aliter iudicandi, declarandi et definiendi, decreto irritante, commissione executionis, mandato de habendâ fide exemplaribus etiam impressis, cum aliis omnibus in eâdem constitutione contentis, et signanter cum clausulis praeservativis ac derogativis quibuscumque obstantibus, itaut non solum ibidem recensitis, sed etiam censeri debeat ac sit derogatum omnibus et singulis individuis etiam conventionibus, etiam in limine fundationis, etiam cum iuramento factis, provincialibus quoque et synodalibus decretis, tribunalium quorumcumque sententiis, ac Congregationis S. R. E. cardinalium responsionibus, decisionibus, decretis, rescriptis, resolutionibus, et praedictis quidem etiam si semel vel pluries, etiam in formâ specificâ et specialiter a Sanctâ Sede approbatis vel confirmatis, sive etiam clausulis et formulis undequaque extraordinariis conceptis, approbatis vel confirmatis, ac etiam quavis specificâ et individuâ ac de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, mentione dignis, itaut eodem pacto pro insertis haberi debeant?

Declarationes praedictae.

Ex audientiâ Sanctissimi, die XXVIII septembris MDCCXXVIII. — Factâ per me relatione, Sanctitas Sua benigne declarando dubia, ut in adiunctis precibus excitata, ad I, III, IV, VI et VII respondit *in omnibus affirmative*; ad II vero et V *negative in omnibus*. Per id tamen Sanctitas Sua episcopis, qui *privative* vel *cumulative* licentias pro accessu vel in-

gressu in monasteria subiecta Ordinis dare vel subscribere aliàs consueverunt, non intelligit prohibere quin possint etiam in posterum easdem dare vel subscribere, *cumulative* tamen semper cum Ordinis superioribus, et non aliàs. Ubi autem iidem episcopi renuant, sufficiat licentia sive subscriptio Ordinis superiorum ad utrumque effectum. Decretis Congregationum, constitutionibus et aliis quibuscumque, quomodolibet in contrarium facientibus, quoad omnia superius declarata, minime refragantibus.

Dat. die 28 septembris 1728, pontif. anno v.

CCXLIV.

Unitur officium auditoratus generalis causarum confidentialium officio causarum Curiae auditoratus generalis Camerae Apostolicae [1].

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex in [2] supremo Apostolicae Sedis solio dispositione incommutabili divinâque providentiâ constitutus ut noxia evellat et destruat, ac evulsa et destructa in utiliorem providae directionis erigat dignitatem, interdum, quae rationabilibus ex causis a Sede Apostolicâ disposita sunt, subinde, rerum experientiâ suadente, maioribus ex causis alterat et immutat, ac his pastoralis officii sui partes sollicite et prudenter interponit, prout, rerum temporumque qualitatibus debite pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

Causae confidentiales praedictae primum ab ipso Pontifice cognosci et decidi consueverant.

§ 1. Aliàs siquidem (et postquam felicis recordationis Pius Papa V praedecessor noster, et tunc suus, omnium causarum confidentialium pro tempore movendarum cognitionem et decisionem ac litterarum apostolicarum a piae memoriae Pio PP. IV etiam praedecessore nostro, tunc suo, super huiusmodi confidentiis emanatarum executionem sibi et successoribus suis reservaverat, et postmodum, ob varias et continuas pro tempore existentis Romani Pontificis in gravissimis et arduissimis totius reipublicae christianae negociis occupationes, causae ipsae in Romanâ Curiâ pro tempore motae et introductae per particularem iudicem ex delegatione apostolicâ audiri, decidi et cognosci consueverant, ipse vero iudex, nedum solo Romani Pontificis nutu amovibilis, sed etiam sibi contra ordinarios collatores episcopos et alios superiores praelatos hac confidentiali labe praedictâ infectos procedendi facultas praeclusa existeret, cui etiam in huiusmodi causarum prosecutione ut plurimum delegabantur diversae simoniacae pravitates et aliae illicitae pactiones, quae, licet ex ipsis confidentiis resultarent, seu illis mixtae et coniunctae forent, tamen a nonnullis praetendebatur, eas sub facultatibus iudici praedicto concessis minime comprehendi, nec in illis ab ipso sine speciali Sedis Apostolicae rescripto posse procedi; unde eveniebat, ut, modo ipsius iudicis mutatione, quae interdum contingebat, facultatum suarum angustiâ, ac etiam delinquentium cavillationibus et subterfugiis, eiusdem iudicis auctoritas saepius eluderetur, ac ea quae ad purgandam hac contagione Dei Ecclesiam a dictis praedecessoribus sapientissime sancita fuerant, ut plurimum debito ef-

1 Hac de re vide Sixti V const. edit. MDLXXXVII, die 30 octobris, pontif. II; et in aliâ huius Pontificis constit. edit. MDCCXXVIII, die 24 septembris, pontif. v, agitur de iurisdictione praefecti palatii apostolici.

2 Male, ut patet, edit. Main. legit *de* pro *in* (R. T.).

fectu carebant, in animarum perniciem et scandalum plurimorum)

Tum vero a Sixto V unum officium auditoratus generalis quarumcumque causarum confidentialium est erectum.

§ 2. Eiusdem recordationis Sixtus Papa V, similiter praedecessor noster, incommodis praedictis obviare cupiens, operae pretium duxit praedicti iudicis personam speciali titulo et denominatione decorare, illiusque iurisdictionem ampliare, ut in tribunali suo tum iudicia tum cetera ad id munus pertinentia perpetuo stabilirentur, ac ad certum debitumque finem ordinarentur; motu eius proprio, merâque deliberatione et eius certâ scientiâ, et de apostolicae potestatis plenitudine, unum officium auditoratus generalis quarumcumque confidentialium, etiam simoniacam pravitatem et quamcumque aliam illicitam pactionem inducentium, seu connexitatem aliquam cum confidentiâ habentium causarum rerumque omnium inde resultantium, pro uno generali illarum auditore, qui omnium et singularum causarum huiusmodi ordinarius iudex exerceret[1], et officium ipsum ad eius vitam obtineret, illudque in eiusdem Sixti praedecessoris huiusmodi et pro tempore existentis Romani Pontificis manibus quandocumque resignare licite posset, ad instar aliorum Romanae Curiae officiorum vacabilium et resignabilium, apostolicâ auctoritate perpetuo erexit et instituit; illique sic erecto et instituto pro illius dote decimam partem omnium et singulorum fructuum, reddituum, proventuum, iurium, obventionum ac etiam distributionum quotidianarum, etiam solis praesentibus et divinis officiis interessentibus dari et per eos percipi solitarum, et aliorum quorumcumque emolumentorum, ac etiam pensionum annuarum, cum interventu confidentiae vel aliàs simoniacâ aut aliâ illicitâ pactione interveniente seu cum his confidentiis aliquam dependentiam vel connexitatem habente indebite perceptorum, ad quorum restitutionem quoscumque per ipsius auditoris sententiam condemnari, etiamsi postmodum per alios iudices causam fortasse revideri et dictam sententiam confirmari seu reformari, ac etiam super quibus post litem desuper in officio huiusmodi intentatam quomodolibet componi vel aliàs concordari contigisset, necnon omnia et singula alia iura, salaria, regalia et emolumenta quaecumque ordinaria et extraordinaria undecumque et quomodocumque provenientia, etiam sportulas vel alio quocumque nomine nuncupata, quae iudices causarum confidentialium huiusmodi in dictâ Curiâ pro tempore deputati quomodolibet et quocumque titulo vel causâ habere, consequi, lucrari et percipere consueverant, seu etiam potuissent ac debuissent, cuiuscumque qualitatis, quantitatis et valoris fuissent, apostolicâ auctoritate praedictâ, etiam perpetuo applicavit et appropriavit.

Et nonnullis concessis privilegiis, amplissimâ facultate et iurisdictione in praedictis causis, illum donavit.

§ 3. Ipseque auditor pro tempore existens omnibus et singulis privilegiis, quibus veri familiares, tunc sui, et Romani Pontificis pro tempore existentis, continuique commensales, praelati domestici, Sedisque praedictae notarii quomodolibet fruuntur, potiuntur et gaudent, sibi similiter perpetuo concessis et indultis...[1]; omnes et singulas dictarum confidentiarum, simoniacam pravitatem vel quamvis aliam illicitam pactionem inducentium, seu aliquam dependentiam vel connexitatem habentium, rerumque omnium inde resultantium, causas huiusmodi in eâdem Curiâ quomodocumque, et qualitercumque, ac alias quascumque personas, etiam cardi-

1 Potius lege *existeret* (R. T.).

1 Plura desunt ad complendam syntaxim, ut patet ex tomo VIII, pag. 796 *a* (R. T.).

palatus honore, ac patriarchali, archiepiscopali et episcopali dignitatibus fulgentes, etiam per viam inquisitionis, aut ex officio, aut apostolicâ delegatione, vel aliàs quomodolibet motas et movendas (ac etiam quae, per viam appellationis a sententiis definitivis vel interlocutoriis vim definitivae habentibus, per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos ac etiam dictae Sedis legatos vel nuncios pro tempore latis et promulgatis, ad Sedem praedictam pro tempore interpositae, seu reclamationis iudicialis, aut nullitatis, ad Sedem eamdem eatenus devolutae erant, vel in posterum devolverentur, itaut causae appellationum huiusmodi per eum solum cognosci, nec alteri[1], nisi per commissionem in signaturâ gratiae, vocato ipso auditore, propositam, et manu eiusdem Sixti praedecessoris signatam, committi possent) summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, solâ veritate inspectâ, et manu regiâ, ac terminis substantialibus, qui de stylo seu ordinatione palatii apostolici observari consueverant, penitus omissis, ac etiam quibusvis appellationibus, nullitatibus et aliis diffugiis prorsus semotis, procedendo, unâ cum omnibus et singulis earum incidentiis, dependentiis, emergentiis, annexis et connexis, ac etiam toto negocio principali, audiendi, cognoscendi, decidendi, fineque debito terminandi, etiam singulis diebus et horis feriatis et non feriatis, praeterquam in honorem Dei feriatis;

Item in causis annexis et mixtis.

§ 4. Nec non super omnibus et singulis confidentiis, etiam aliquam dependentiam vel connexitatem cum simoniacâ vel aliâ illicitâ pactione habentibus, seu mixtis huiusmodi, rebusque omnibus inde resultantibus, tam ad procuratoris fiscalis denunciationem et promotionem, quam etiam partium accusationem, seu ex mero officio, inquirendi; omnes et singulas huiusmodi confidentialem et simoniacam pravitatem vel quamvis aliam illicitam pactionem inducentium, seu aliquam dependentiam vel connexitatem habentium, rerumque omnium inde resultantium causas, coram quibusvis iudicibus, etiam palatii apostolici causarum auditoribus, inter quascumque personas motas et movendas, ad se et suum tribunal avocandi, ac omnes et singulos dictarum confidentiarum et simoniarum auctores, machinatores, consocios, complices, et alios, quos opus esset, ac sua quomodolibet interesse putantes, etiam per edictum publicum, si ad eos tutus non pateret accessus, citandi; et, constito sibi, quantum sufficere videretur, de indiciis, ad personaliter vel aliàs legitime comparendum, sub excommunicationis aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, ac privationis omnium et singulorum beneficiorum et officiorum per eos obtentorum, ac inhabilitatis ad illa et alia quaecumque imposterum obtinenda, nec non pecuniariis aliisque eius arbitrio, etiam, iuxta demeritorum exigentiam, corporis afflictivis poenis, monendi; eisque ac quibusvis iudicibus tam ordinariis quam commissariis, etiam quacumque auctoritate fungentibus et functuris, sub similibus sententiis, censuris et poenis, tam in dictâ Curiâ quam extra eam ubilibet inhibendi; detinentes quoscumque libros, scripturas, computa, instrumenta et alia documenta publica et privata, dictarum confidentiarum causas, etiam, ut praeferebatur, mixtas, quomodolibet concernentia, ad illa exhibenda, nec non quoslibet testes ad se examini subiiciendum, ac veri-

[1] Pessime ed. Main. legit *alterari* pro *alteri* (R. T.).

latis testimonium perhibendum, etiam ex officio, vel aliàs, prout sibi visum foret, per similes censuras et poenas cogendi et compellendi; eosque, necnon contradictores quoslibet et rebelles, in[1] sententias, censuras et poenas etiam privationis huiusmodi incidisse, servatâ formâ Concilii Tridentini, declarandi, auxiliumque brachii saecularis invocandi; necnon unum locumtenentem in huiusmodi causis cum simili vel limitatâ potestate, quoties visum foret, constituendi et deputandi, eumque revocandi ac alium eius loco subrogandi;

Aliae et tributae facultates.

§ 5. Necnon litteras seu[2] constitutiones Pii IV et Pii V praedecessorum huiusmodi super dictis confidentiis editas, ac omnes et singulas sententias in dictis causis confidentiarum, tam eatenus per earum iudices, qui pro tempore fuissent, latas, quam imposterum per tunc futurum auditorem huiusmodi eiusque successores ac locumtenentes ferendas, viâ executivâ, nullâ telâ iudiciariâ servatâ, ac quacumque appellatione remotâ, ac aliàs iuxta litterarum seu constitutionum praedictarum ac etiam facultatum dictis iudicibus per eum et praedecessores suos quomodolibet concessarum formam, continentiam[3] et tenorem, plenarie et totaliter exequendi et executioni demandandi, mandataque exequutiva et alia quomodolibet necessaria et opportuna decernendi et relaxandi; et generaliter omnia et singula alia, quae in praemissis omnibus et singulis quomodolibet necessaria et opportuna fuissent, faciendi, dicendi, gerendi, exercendi, mandandi, decernendi, statuendi, ordinandi et exequendi, plenam et liberam et omnimodam facultatem, potestatem et auctoritatem haberet et habere deberet;

Necnon concessit, ut officium notariatus earumdem causarum ab liberam pro tempore existentis auditoris praedicti dispositionem spectaret.

§ 6. Quodque officium notariatus earumdem causarum, de cetero perpetuis futuris temporibus, ad meram et liberam pro tempore existentis auditoris praedicti dispositionem spectaret et pertineret, ipseque pro tempore existens auditor officium notariatus huiusmodi quibusvis personis, de quibus sibi visum foret, per suas patentes litteras, sigillo officii sui auditoratus munitas, gratis vel pro pretio reperibili, concedere et assignare, ac solutâ sibi solitâ compositione resignationis de dicto officio notariatus pro tempore faciendae, necnon personam, cui officium ipsum notariatus pro tempore concessisset et assignavisset, ad illud illiusque liberum exercitium absque aliâ dicti Sixti praedecessoris et pro tempore existentis Romani Pontificis concessione et assignatione, recipere et admittere, ac per eos, ad quos spectabat et pro tempore spectasset, recipi et admitti, ac illis de solitis et consuetis iuribus et emolumentis responderi facere libere et licite valeret, eisdem auctoritate et tenore similiter perpetuo statuit et ordinavit: ac aliàs, prout in litteris apostolicis eiusdem Sixti praedecessoris desuper sub datum III kalendas novembris, pontificatus sui anno II, plenius continetur.

Causae praesentis constitutionis.

§ 7. Cum itaque postmodum officium auditoratus generalis causarum confidentialium, vel aliàs ut praefertur mixtarum huiusmodi, per liberam dimissionem venerabilis fratris nostri Francisci Friderici de Iordanis, moderni archiepiscopi Melitensis, nuper dictarum causarum confidentialium auditoris, de dicto auditoratu, quem tunc obtinebat, praeviâ tamen restitutione pretii eiusdem officii cum Datariâ nostrâ concordati, in manibus nostris factam et per

1 Male edit. Main. legit *per* pro *in* (R. T.).
2 Particula *seu* addimus ex loc. parall. (R. T.).
3 Pessime edit. Main. legit *continentium* pro *continentiam* (R. T.).

nos admissam, vacaverit et vacet ad praesens: nos, incommodis praedictis, ac cavillosis iudicii competentis allegationibus consultius obviare, ac promptiorem adversus tam perniciosam in exitium animarum labem providae [1] iustitiae manum excitare cupientes, necnon Pii IV, Pii V ac Sixti praedecessorum huiusmodi respective litterarum et constitutionum praedictarum, necnon praedictorum privilegiorum, indultorum, gratiarum et facultatum pro tempore existenti causarum confidentialium huiusmodi auditori quomodolibet concessorum, ac sententiarum desuper forsan latarum et inde secutarum quarumcumque tenores, necnon litium et causarum super confidentiis huiusmodi, aut aliàs ut praefertur, contra quoscumque coram eodem auditore nunc quomodolibet introductarum et adhuc indecisarum pendentium, status et merita, nominaque et cognomina litigantium praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ meràque deliberatione nostris, et de apostolicae potestatis plenitudine similibus, ab officio auditoratus generalis quarumcumque causarum confidentialium praefatarum, per dictum Sixtum praedecessorem, ut praefertur, erecto et instituto, et ad praesens per dicti Francisci Friderici archiepiscopi dimissionem praefatam vacante huiusmodi, omnimodam praedicti officii auditoratus generalis quarumcumque causarum confidentialium venalitatem, ac omnimodam illius resignabilitatem, ei illudque pro tempore obtinendi [2], in illius erectione et institutione ab eodem Sixto praedecessore ut praefertur factis, apostolicâ auctoritate quomodolibet concessas, tributas et indultas, et usque nunc ad instar aliorum officiorum vacabilium et resignabilium exercitas, perinde ac si venalitas et resignabilitas huiusmodi tunc minime concessae, tributae et indultae, ac nunquam exercitae fuissent, apostolicâ auctoritate perpetuo abdicamus, abstrahimus, penitusque supprimimus, extinguimus et abolemus.

Annexio praedicti officii auditoratus generalis causarum confidentialium officio auditoratus generalis causarum curiae Camerae Apostolicae.

§ 8. Illisque sic abdicatis, abstractis, suppressis, extinctis et abolitis, officium auditoratus generalis quarumcumque causarum confidentialium et simoniacam pravitatem et quamcumque aliam illicitam pactionem inducentium seu aliquam connexitatem cum simoniae labe habentium praedictum, et ad praesens ut praefertur vacans, cum reliquis omnibus et singulis privilegiis, indultis, gratiis, facultatibus, immunitatibus, libertatibus, omnimodâque in praemissis iurisdictione, necnon omnibus et singulis iuribus, salariis et emolumentis quibuscumque, ordinariis et extraordinariis, undecumque et quomodocumque provenientibus, etiam sportulis vel alio quocumque nomine nuncupatis, iudicibus causarum confidentialium praedictarum in dictâ Curiâ aliàs pro tempore deputatis quomodolibet et quocumque titulo vel causâ haberi, consequi, lucrari et percipi solitis et consuetis, quaeve iudices praedicti, ante erectionem officii auditoratus causarum confidentialium huiusmodi a praedicto Sixto praedecessore ut praefertur factam, habere, consequi, lucrari et percipere consueverant, potuerant et debuerant, et in illius erectione huiusmodi ab eodem Sixto praedecessore, in eiusdem officii auditoratus generalis causarum confidentialium huiusmodi [1] tunc ut praefertur factâ, officio huiusmodi illiusque auditori generali pro tempore existenti perpetuo applicata et appropriata fuerant, apostolicâ

1 Edit. Main. legit *provide* (R. T.).

2 Forsan legendum *obtinenti* (R. T.).

1 Iterum repetenda vox *erectione*, vel aliter lectio emendanda (R. T.).

auctoritate praedictâ de novo perpetuo erigimus et instituimus; illudque sic de novo erectum et institutum officio causarum curiae Camerae Apostolicae auditoratus generalis (ita quod liceat causarum curiae Camerae nostrae huiusmodi generali auditori, illiusque locumtenentibus nunc et pro tempore existentibus, omnibus et singulis beneficiis indultis, gratiis, facultatibus, immunitatibus, libertatibus, ac quacumque privativâ quoad omnes alios quoscumque iudices in causis confidentialibus, aut aliàs ut praefertur mixtis, aut quamcumque cum eis connexitatem quomodolibet habentibus, prout causarum confidentialium huiusmodi tunc et[1] pro tempore existens auditor uti, frui, potiri et gaudere consuevit, ac si officii causarum confidentialium huiusmodi venalitas illiusque resignabilitas a nobis ut praefertur abdicatae non fuissent, uti, frui, potiri et gaudere, necnon omnia et singula iura, obventiones, salaria, regalia et emolumenta quaecumque ordinaria et extraordinaria undecumque et quomodocumque provenientia, ac etiam sportulas aliaque quocumque nomine nuncupata, et a pro tempore existente causarum confidentialium huiusmodi auditore generali ratione causarum confidentialium huiusmodi auditoratus generalis percipi et exigi solita, percipere et exigere possint et valeant, sublatâ tamen facultate auditori generali causarum confidentialium huiusmodi per eiusdem Sixti praedecessoris litteras praedictas concessâ disponendi de officio notariatus earumdem causarum, quarum acta et consuetae expeditiones, cum primum per cessum vel decessum aut privationem seu amotionem dilecti filii Ioannis Baptistae Constantini, qui dictum notariatus officium ad praesens possidet et exercet, vel cuiusvis alterius qui illud pro tempore quomodolibet obtinebit, aut aliàs quovis modo vacare contigerit, servatâ in reliquis quoad dictum notariatus officium formâ et dispositione litterarum praedicti Sixti praedecessoris, tunc per causarum curiae Camerae nostrae Apostolicae notarios confici et respective subscribi omnino debeant) dictâ apostolicâ auctoritate aeque principaliter, non autem subiective et extinctive, eâdem apostolicâ auctoritate perpetuo applicamus et appropriamus.

Conceditur praedicto auditori generali causarum curiae Camerae Apostolicae, ut in mandatis, praeter alios titulos, adiungat illud auditoratus causarum confidentialium.

§ 9. Et ut omnis per applicationem et appropriationem a nobis per praesentes ut praefertur facta[1] confusio tollatur iurisdictionis, et ut universis et singulis constet, liquidoque appareat, qua facultate, quave iurisdictione causarum curiae Camerae nostrae praedictae auditor generalis nunc et pro tempore existens huiusmodi in iudicandis terminandisque confidentialibus causis utatur, eidem auditori causarum curiae praedictae generali nunc et pro tempore existenti, ut ipse imposterum, ac perpetuis futuris temporibus, in singulis suis mandatis desuper quoad causas confidentiales huiusmodi expediendis, eius solitis et consuetis inscriptionibus et titulis aliam inscriptionem aliumque titulum nempe auditoratus generalis causarum confidentialium huiusmodi adiungat.

Praescribitur eidem auditori, ut unum dumtaxat commissarium sibi pro qualibet dioecesi Ordinariorum eligere possit.

§ 10. Necnon omnes, qui in exercitio auditoratus causarum confidentialium huiusmodi quoad numerum litterarum patentium pro officialibus et ministris per civitates et dioeceses a tunc pro tempore existentibus causarum confidentialium huiusmodi auditoribus praedictis expediri solitarum irrepserunt, abusus penitus amovere cupientes, auditori causarum curiae Camerae nostrae prae-

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

1 Aptius lege *factam* vel *factas* (R. T.).

dictae generali nunc et pro tempore existenti, ut ipse unum dumtaxat commissarium sibi pro quavis dioecesi, Ordinariorum iurisdictione[1], ad assumendas informationes processusque construendos, aliaque circa causas et materias in eorumdem Pii IV et Sixti praedecessorum respective litteris praedictis expressas et contentas sibi benevisa facienda et gerenda, per suas patentes litteras gratis et absque ullâ solutione eligere et constituere; eidemque commissario, sic ab eo ut praefertur electo et constituto, facultatem notarium sibi benevisum assumendi, et procuratorem fiscalem, etiamsi de alienâ dioecesi extiterint, constituendi, in causis tamen particularibus contingentibus, facultatem concedere posse, apostolicâ auctoritate praedictâ perpetuo earumdem praesentium edicto praecipimus et mandamus.

Commissarii praedicti aliique ministri praefati auditoris, huius iurisdictioni subiiciuntur.

§ 11. Ut autem commissarii, aliique ministri et officiales, a causarum curiae Camerae nostrae huiusmodi auditore generali nunc et pro tempore existente praedicto ad causas confidentiales huiusmodi conficiendas aliaque praemissa exequenda ut praefertur eligendi et constituendi, tuto ac libere eorum respective ministeriis, eis et eorum cuilibet demandandis, incumbere possint et valeant, commissarios videlicet praedictos a quorumcumque Ordinariorum et iudicum plenarie et perpetuo, quo vero ad notarios et procuratores fiscales a commissariis ipsis in singulis causis particularibus ut praefertur deputandos, eisdem tantum causis durantibus, quatenus contra Ordinarios ipsos inquiri et procedi contigerit, et non aliàs, ab eorumdem Ordinariorum iurisdictione respective eximimus, eosque causarum curiae Camerae nostrae praedictae auditoris generalis nunc et pro tempore existentis iurisdictioni subiicimus et supponimus. Volumus autem, quod commissarii pro tempore ut praefertur eligendi et constituendi huiusmodi ecclesiasticae personae, vitae, morum honestate, prudentiâ, rerum experientiâ, aliâque omni debitâ ad eorum ministeria exequenda idoneitate praediti existant, et quoad eos omnia et singula serventur quae in Concilio Romano tit. IX, cap. III, in verbo *Subcollectores*, servari debere Concilium ipsum demandat.

Clausulae irritantes speciales.

§ 12. Praesentes quoque validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis observari debere, neque sub quibuscumque similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus et aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, sub quibuscumque verborum expressionibus et formis, ac quibusvis clausulis et decretis, pro tempore factis, comprehendi vel confundi, sed semper et perpetuo ab illis excipi, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo concessas esse et fore, sicque et non aliàs per quoscumque iudices, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, iudicari et definiri debere, irritumque et inane decernimus, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 13. Non obstante causarum confidentialium praedictarum auditoratus generalis aliàs a Pio IV et Sixto V prae-

1 Forsan legendum *ab Ordinariorum iurisdictione exemptum* (R. T.).

decessoribus praedictis, ut praefertur, respective factâ[1], et, quatenus opus sit, de iure quaesito non tollendo, aliisque nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, necnon Pii IV et Pii V ac Sixti praedecessorum praefatorum ac aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae et Camerae praedictae non alienandis, et male alienatis recuperandis, illisque non obligandis, ac eiusdem Pii IV praedecessoris praefati de gratiis eiusdem Camerae interesse quomodolibet concernentibus in dictâ Camerâ intra certum tempus praesentandis ac registrandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, causarum confidentialium auditoratus, a nobis per praesentes, ut praefertur, abdicati, ac de novo erecti et applicati, auditori pro tempore existenti, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et efficacissimis clausulis, ac etiam irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine ac merâ deliberatione praedictis, ac aliàs in contrarium praemissorum omnium et singulorum praedictorum quomodolibet pluries concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque singulis et totis tenoribus habenda sit mentio specialis, perinde ac si in eisdem praesentibus eorum tenores et de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, inserti forent, pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, latissime et plenissime ac expresse, ad validissimum praemissorum omnium et singulorum praedictorum effectum, etiam specialiter et expresse motu pari derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Videtur deesse *erectione* (R. T.).

Poenae in contravenientes.

§ 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae abdicationis, abstractionis, suppressionis, extinctionis, abolitionis, novae erectionis, institutionis, applicationis, praecepti, mandati, exemptionis, subiectionis, suppositionis, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVIII, nonis decembris, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 3 novembris 1728, pontif. anno V.

CCXLV.

Erigitur insignis collegiata terrae Fabriani in cathedralem, ac terra praedicta in civitatem [1].

Benedictus XIII,
Pontifex maximus.

Exordium.

Notoriae sunt fraternitatibus vestris sane compertae qualitates et praerogativae, quibus terra Fabriani in Piceno sita praefulgeat. Hinc nos, enixis et iteratis dilectorum filiorum illius communitatis et populi de hac Sanctâ Sede non semel benemeriti supplicationibus indulgere cupientes, insignem collegiatam ecclesiam S. Venantii, in dictâ existentem, in cathedralem, ac terram ipsam in civitatem erigere intendimus.

Elogia terrae Fabriani in Piceno

§ 1. Fabrianum Piceni oppidum, Terra nuncupatum, situm est in dioecesi Camerinensi, et septem mille circiter chri-

1 Aliâ huius Pontificis const. ed. MDCCXXVIII, die XXVIII maii, pontif. IV, erecta fuit terra Roncilionis in civitatem.

stifideles complectitur sub dominio huius Sanctae Sedis. Extat in illo insignis collegiata ecclesia in honorem S. Venantii martyris, magnifice et eleganter extructa, a priore, unicâ dignitate, et undecim canonicis cum octo cappellanis aliisque pluribus presbyteris et clericis ministrata, ubi exercetur cura animarum, et sacrâ suppellectili ad divina peragendam suffultum, ac pluribus Sanctorum reliquiis decoratum. Adsunt in dictâ terrâ aliae tres parochiales, inter quas altera collegiata, ecclesiae, duodecim virorum et novem monialium coenobia, quindecim confraternitates, quinque hospitalia et Mons Pietatis. Territorium ad quinquaginta circiter milliaria in circuitu extenditur, ac quindecim oppida complectitur et plures pagos. Ceterum ecclesiae dictae terrae eximiis iisque pluribus Beatorum exuviis ditantur, signanter Ss. Romualdi ac Silvestri abbatum, debitâ veneratione et condigno decore custoditis.

Erectio insignis collegiatae S. Venantii in praedictâ terrâ existentis in cathedralem et eiusdem terrae in civitatem.

§ 2. *Quid vobis videtur?* Auctoritate omnipotentis Dei sanctorumque apostolorum Petri et Pauli, ac nostrâ, declaramus memoratam ecclesiam in cathedralem, dictamque terram Fabriani in civitatem erigimus et instituimus, ac ecclesiam ipsam ecclesiae cathedrali Camerinensi aeque et principaliter perpetuo canonice unimus, annectimus et incorporamus, sub immediatâ ut prius huic Sanctae Sedi subiectione, cum insigniis, praerogativis, exemptionibus et privilegiis, quibus dicta ecclesia Camerinensis et aliae cathedrales gaudere solent, necnon assignatione praefati eius territorii pro illius dioecesi, et cum derogationibus, indultis, concessionibus et clausulis necessariis et opportunis in decreto et schedulâ consistorialibus latius et uberius extendendis, cum decreto quod memorati communitas et populus teneantur de proprio domum episcopalem assignare, ac insuper congruam pro vicario generali ibidem moraturo, iuxta oblationem ab ipsis factam, necnon sacrarium sufficienter instruere de supellectilibus sacris ad pontificalia exercenda, et necessarios sumptus impendere pro erectione seminarii. Volumus autem, et apostolicâ auctoritate decernimus, quod, nisi adimpleto in omnibus per dictos communitatem et populum decreto assignationum et sacrarii instructionis praefatarum, effectu gratiae erectionis et unionis huiusmodi per nos factarum minime gaudeant, itaut nec dicta ecclesia nomen cathedralis assumere, nec terra praefata civitas denominari possit, donec et quousque praefata omnia adimpleantur. *In nomine Patris* ✠, *et Filii* ✠, *et Spiritus Sancti* ✠ *Amen*.

In concistorio secreto habito feriâ II, die IV novembris MDCCXXVIII.

Dat. die 4 novembris 1728, pontif. anno V.

CCXLVI.

Motusproprius, quo revocatur alius Motusproprius ad favorem collegii triginta notariorum Curiae Capitolinae[1].

Benedictus Papa XIII,
Motu proprio, etc.

In praedicto Motuproprio nonnulla concessa fuere minime ferenda.

§ 1. Dopo esser stata impressa e pubblicata in questa nostra città di Roma la cedola di nostro Motoproprio, che nel dì XXIII ottobre prossimo passato segnammo a suppliche ed in favore del collegio delli trenta notarî della Curia Capitolina, essendo pervenute a nostra notizia le doglianze degli altri tribunali di Roma per esser state in quella espresse e concedute alla detta Curia, benchè a noi, nè in voce nè tampoco nel breve

[1] Motusproprius, qui revocatur, signatus fuerat sub die XXIII octobris proxime praeteriti.

sommario riferite, molte cose pregiudiziali a' detti tribunali, ed esorbitanti, e contrarie tanto alli sagri canoni, quanto alla consuetudine di Roma, e specialmente tra le altre, che la detta Curia ed i suoi giudici laici possano lecitamente e legittimamente procedere nelle subaste, deliberazioni, cessioni e vendite de' beni ed effetti enfiteutici dei luoghi pii ed ecclesiastici posseduti nell'utile dominio dai laici fino alla totale terminazione e consumazione senz' alcuna licenza, ma col mero *exequatur* del giudice ecclesiastico nel mandato *De deliberando* solamente, con quella ragione erroneamente dedotta che tali atti, e gli altri ulteriori sino alla consumazione inclusiva, risguardino solamente l'utile dominio de' beni posseduti da' laici, e non si vulneri, nè tocchi niente, anzi si riservi il diretto dominio e la proprietà a favore de' luoghi pii ed ecclesiastici, e che la detta Curia Capitolina goda la giurisdizione privativa in tutte e singole liti e cause fra i cittadini ed incoli di Roma, anche in vigore di diverse Bolle de' Pontefici nostri predecessori, e dell' istesso statuto, a tenore specialmente del capitulo XLI del lib. I:

Quod fuit causae ut Pontifex animum induceret ad praedictum Motumproprium revocandum.

§ 2. Onde noi, che abbiamo sempre avuta ed abbiamo ferma intenzione di provvedere all'indennità d' ognuno secondo il diritto della giustizia, dopo aver riconosciuto ed esaminato il tenore del detto nostro Motoproprio, e fatta seria e matura riflessione alle cose in quello contenute, ben avveduti d'esserci state quelle nella maggiore e più rilevante parte occultate, e come sopra non espresse nè in voce nè tampoco (come è solito praticarsi) nel breve sommario del medesimo Motoproprio, che suole contenere in compendio la sostanza di tutta la grazia in esso contenuta (che se ci fossero state espresse, o in voce o nel detto sommario, avressimo avuto giusto motivo di non sosciverlo, e di rigettarne nella maggior parte l'istanza), quantunque fossimo venuti in sentimento di ritirare a noi il detto nostro Motoproprio, pienamente rivocare tutte le cose in quello contenute, ci piacque nondimeno per procedere più cautamente di sentirne il parere d'una particolar Congregazione composta d'alcuni nostri ministri legali, che a bocca deputammo per esaminare la sussistenza delle cose in quello contenute, la quale essendosi uniformata al nostro sentimento, ci siamo però determinati di moderare, e nella maggior parte affatto rivocare, la predetta nostra cedola di Motoproprio, come appresso.

Declarantur quaedam in praedicto Motuproprio concessa nullius roboris esse, nec attendi debere, veluti de iurisdictione iudicis laici in bonis emphyteuticis ecclesiarum et ecclesiasticorum.

§ 3. Pertanto, avendo in questa per espresso e di parola inserto l' intero tenore dell'altra come sopra da noi segnata, e qualunque altra cosa quantosivoglia necessaria d'esprimersi, di nostro moto proprio, certa scienza e pienezza della nostra suprema potestà apostolica, dichiariamo e decretiamo, che il giudice laico non abbia, nè debba avere veruna giurisdizione sopra i beni enfiteutici delle chiese ed ecclesiastici, benchè il detto giudice proceda contro il dominio utile posseduto da'laici, riprovando e condannando noi la proposizione espressa nell'antidetta nostra cedola di Motoproprio, che la Curia Capitolina o giudice laico possa procedere lecitamente e legittimamante nelle subaste, deliberazioni, cessioni e vendite de' beni ed effetti enfiteutici de' luoghi pii ed ecclesiastici posseduti nell'utile dominio dai laici, ed insieme la ragione erroneamente ivi dedotta, che tali atti, e gli altri ulteriori da farsi, risguardino solamente l'utile dominio de' beni posseduti da' laici, e non si

vulneri nè tocchi in niente, anzi che si riservi il diretto dominio e proprietà a favore de' luoghi pii ed ecclesiastici, essendo tal proposizione contraria alli sagri canoni, specialmente nel cap. *Quae in ecclesiar. de constitut.*, ed all'opinione comune de canonisti e de'tribunali della Curia Romana e della Congregazione dell'Immunità, mentre il dominio diretto è annesso e connesso e complicato col-l'utile, come accessorio e subordinato al diretto dell'enfiteusi ecclesiastiche, e per conseguenza da quello inseparabile, talmente che il giudice laico resta totalmente privato della giurisdizione sopra detto dominio utile, e tale opinione de'sagri canoni e canonisti, come sopra, abbiamo noi fortemente sostenuta nella Congregazione dell'Immunità, mentre eravamo in qualità di cardinale ed arcivescovo di Benevento.

Necnon de iurisdictione privativa Curiae Capitolinae in quibusque litibus et causis cives et incolas urbis Romae.

§ 4. Dichiariamo inoltre, che la detta Curia Capitolina non abbia nè debba godere la giurisdizione privativa in tutte e singole liti e cause tra cittadini ed incoli di Roma, essendo ciò contro l'inveterata consuetudine, ed in pregiudizio e spoglio di tutti li altri nostri tribunali, a'quali in vigore di tante Bolle de'Sommi Pontefici nostri predecessori compete simil giurisdizione, e specialmente al tribunale del reverendissimo cardinal vicario, a tenore del nostro Motoproprio spedito del mese di settembre del MDCCXXIV. E perciò ordiniamo e vogliamo, che s'osservi la suddetta consuetudine e pratica, nello stesso modo e forma che si è sinora osservata nella Curia Romana, senza innovazione alcuna, massime che neanche lo *Statuto di Roma* lib. I, cap. XLI, *De for. comp.*, allegato nel primo detto nostro Motoproprio, concede tal sorte di privativa assoluta; dichiarando e decretando noi, che per cittadini ed incoli di Roma s'intendano quelli che tali sono secondo la disposizione del *ius comune* e del medesimo statuto.

Rata habenda declaratur restitutio eidem collegio facta officii *de' mastri giustizieri* quod vocant.

§ 5. E benchè, chiunque per sorrezione ed orrezione procuri d'ottenere ed ottiene le grazie pontificie, debba restar privo in tutto e per tutto di quanto ha in tal forma ottenuto; nientedimeno, volendo noi praticare col detto collegio delli trenta notari di Campidoglio gli atti della nostra paterna beneficenza, ci contentiamo ed ordiniamo e vogliamo, che resti ferma al detto collegio dei trenta notari la grazia da noi fattagli della restituzione ed incorporazione del-l'uffizio de' mastri giustizieri allo stesso collegio col suo libero esercizio e percezione di tutti li suoi frutti ed emolumenti nel modo e forma che abbiamo disposto nell'antidetta nostra cedola di Motoproprio.

Revocatio et abolitio praedicti Motusproprii.

§ 6. Quale, e tutte l'altre cose in essa contenute nelle rimanenti sue parti, di nostro simil moto proprio, certa scienza e pienezza della nostra assoluta potestà, rivochiamo, cassiamo ed annulliamo, e vogliamo che s'abbia e debba aversi per cassata, annullata e rivocata, e di niuna forza e valore, appunto come se non fosse mai emanata, proibendo espressamente ad ognuno, a quale spetti, che (a riserva della detta restituzione ed incorporazione del detto uffizio de' mastri giustizieri, esercizio di esso, e libera percezione de'suoi frutti) non abbia nè debba la detta nostra cedola di Motoproprio, come sopra segnata in favore dello stesso collegio, esser ammessa, nè attendersi mai in tempo alcuno, come da noi rivocata e pienamente annullata nelle rimanenti sue parti; e molto più proibiamo allo stesso collegio ed alli trenta notari, che lo compongono ora, e *pro tempore* esistenti, che non ardiscano (salva sola-

mente l'incorporazione del detto uffizio de' mastri giustizieri) farne uso alcuno, nè in qualunque tempo ed occasione allegarla, nè in giudizio nè fuori di esso, e tanto nei tribunali della nostra città di Roma, quanto in tutti gli altri tribunali del distretto di essa e del nostro Stato; e respettivamente l'istesso proibiamo a qualsivoglia altre persone anco fuori del nostro Stato Ecclesiastico circa la proposizione come sopra contraria ai sacri canoni, opinione comune de'canonisti, de' tribunali della curia Romana, e della Congregazione dell'Immunità, essendo tale la mente e volontà nostra precisa.

Clausulae. § 7. Volendo e decretando che alla presente nostra cedola di Motoproprio, benchè non s'ammetta nè registri in Camera e ne' suoi libri secondo la disposizione della Bolla di Pio IV nostro predecessore *De registrandis,* non possa in alcun tempo mai opporsi di surrezione, orrezione, nè d'alcun altro vizio o difetto della nostra volontà ed intenzione, ma che vaglia e debba aver sempre il suo pieno effetto, esecuzione e vigore colla nostra semplice sottoscrizione, e che così e non altrimenti debba sempre giudicarsi, definirsi ed interpretarsi dai tribunali della nostra Camera e Rota, dai giudici di detta Curia Capitolina, e da qualunque altro tribunale e giudice secolare ed ecclesiastico, e da qualsisia Congregazione, benchè composta de' reverendissimi cardinali, togliendo loro, ed a ciascuno di essi, ogni facoltà ed autorità di giudicare, definire ed interpretare diversamente, dichiarando noi d'adesso preventivamente nullo ed invalido tutto ciò che scientemente o ignorantemente si facesse o si tentasse di fare in contrario, ancorchè non vi siano stati chiamati, citati nè sentiti il detto collegio, ed i suoi notari, e qualsisiano altre persone che v'avessero o pretendessero d'avervi interesse: non ostanti la soprariferita nostra cedola di Motoproprio, e le cose in essa contenute, le ragioni, e motivi allegati, decreti e clausole nella medesima apposte, la regola della nostra Cancellaria *De iure quesito non tollendo,* la Bolla del detto Pio IV *De registrandis*, e qualsisiano altre costituzioni ed ordinazioni apostoliche nostre e dei nostri predecessori, leggi, statuti, riforme, usi, stili, consuetudini, ed ogn'altra cosa che facesse o potesse fare in contrario; alle quali tutte e singole, avendone il tenore qui per espresso ed inserto di parola in parola, e supplendo noi colla pienezza della nostra suprema potestà a qualunque vizio e difetto sì sostanziale che formale che potesse intervenirvi, questa volta sola, per l'effetto predetto, pienamente ed ampiamente deroghiamo.

Dato dal nostro palazzo apostolico Vaticano, questo di XXIX novembre MDCCXXVIII.

Dat. die 29 novembris 1728, pontif. anno V.

CCXLVII.

Conceditur coenobium Carmelitarum oppidi Medicinae, Bononiensis dioecesis, in grangiam alterius collegii Carmelitarum eorumdem Bononiae instruendi [1].

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

In apostolici ministerii fastigio, disponente Domino, constituti, dum saepe recolimus quanta ad gregem dominicum — Exordium. — Religiosi Ordinis divinarum litterarum scientia prae-

1 Alià huius Pontificis const. ed. die 3 augusti MDCCXXVI, pontif. III, quoddam conservatorium erectum fuit in conventu tertiariorium eiusdem Ordinis.

stantes summo pontificatus totiusque Ecclesiae perutiles.

nostrae sollicitudini commendatum recte dirigendum religiosi Ordines, ingenuis artibus et divinarum litterarum scientiâ praestantes, conferant, hac ipsâ curâ nobis commissâ rem dignam nos facere existimamus, si eosdem Ordines ad ecclesiastica studia vehementer accendimus, quorum esse observantia regularis in viris Deo dicatis augetur, et egregiis moribus tutisque et probis sententiis ad summi Dei gloriam et reipublicae bonum sedulo promovendum animi imbuuntur, qui postea virtutibus vere christianis per sacros et doctos viros ornati et contra ingruentium errorum insidias muniti, atque optime instructi, ceteros quoque per vias Domini secum recte ambulantes veluti manuducunt.

Ordo Carmelitarum de instituendo Bononiae collegio studiorum consilium init.

§ 1. Hos animi nostri sensus dum erga omnes Ordines regulares pro singulari nostrâ erga eos dilectione patefacere cupimus, dilectus filius Antonius Iosephus Amabilis Feideau, fratrum Ordinis B. Mariae Virginis a Monte Carmelo prior generalis, sacrarum doctrinarum cultum suaeque familiae decus in suis coenobiis instaurandi avidus, libello supplici nobis exposuit, se, unâ cum praecipuis eiusdem suis Ordinis sociis, in coenobio S. Mariae Transpontinae huius almae Urbis degentibus, consilium iniisse ut in nostrâ civitate Bononiae, ubi omnium disciplinarum studia florere consueverunt, generale collegium et gymnasium, pro suae regulae alumnis in coenobio B. Mariae Gratiarum optimis facultatibus sedulo informandis, auctoritate nostrâ institueret, quemadmodum aliorum etiam Ordinum fratres, et praesertim nostri Praedicatorum et Minorum Conventualium, sua collegia seu gymnasia ibidem instituerunt, ex parvulis conventibus in earum partium tractu speciatim dispersis quosdam redditus et proventus novis collegiis ab se conditis apostolicâ auctoritate adiungentes: quod sane nos ipsi in civitate nostrâ Beneventanâ a monachis Congregationis S. Petri Caelestini fieri quoque concessimus.

Coenobii Carmelitarum oppidi Medicinae redditus novo eorum collegio Bononiae erigendo incorporandi consilium exponitur.

§ 2. Quo vero in hoc novo fratrum Carmelitarum collegio et gymnasio instituendo omnia rite et recte procederent, nobis propositum est ut conventum B. Mariae, eiusdem Ordinis et provinciae, situm in oppido Medicinae, dioecesis Bononiensis, in grangiam et praedium memorati coenobii Bononiensis converteremus, redditusque eiusdem coenobii Medicinensis, non quidem civium eleemosynis, sed aere quatuor priorum generalium, ipsius coenobii filiorum, maximâ ex parte acquisitos, qui ad duo millia scutorum argenteorum adscendere dicuntur, novo collegio Bononiae erigendo incorporantes, applicaremus. Nos autem huiusmodi postulationibus, quae virtutis cultum et incrementum respiciunt, accurate perpensis, ac Dei gloriae et ecclesiae utilitati respondere compertis, huic operi conficiendo apostolicae firmitatis robur adiicere constituimus, quoniam, rei, locorum, morum et temporum qualitate consideratâ, id in Domino salubriter expedire undequaque arbitramur.

Coenobium Medicinense fit grangia et praedium collegii Carmelitarum Bononiae instituendi, servatis tamen constitutionibus Innocentii X.

§ 3. Atque eumdem Antonium Iosephum Amabilem, cum suis sociis a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, eius supplicationibus annuentes et specialem gratiam ei facere volentes, coenobium et conventum Carmelitarum oppidi Medicinae, dioecesis Bononiensis, ut dictum est, in grangiam et praedium conventus Bo-

noniensis B. Mariae Gratiarum eiusdem Ordinis auctoritate nostrâ apostolicâ convertimus, eiusque redditus duorum millium scutorum, cum quibuscumque rebus mobilibus, et bibliothecâ ibidem servatâ, generali collegio uti diximus ibidem instituendo, de plenitudine potestatis, tenore praesentium, perpetuo incorporamus et incorporatos esse volumus, ut eiusdem coenobii et collegii Bononiensis fratres his beneficiis cumulati ad pietatem et graviora studia excolenda alacrius incumbant, nec mendicando et ostiatim sibi victum quaerendo bonas horas in posterum terant. Constitutionibus tamen inhaerentes felicis recordationis antecessoris nostri Innocentii Papae X, quae incipiunt *Instaurandae* atque *Ut in parvis*, quarum plenae et viridi observantiae, pro nostri pastoralis officii debito gravissimis de causis, quas idem antecessor noster prae oculis habuit, maxime invigilamus, omnino volumus et mandamus, ut, perpetuis futuris temporibus, a conventu Bononiensi B. Mariae Gratiarum sex fratres presbyteri, cum tribus laicis probatae vitae et regulam Carmelitarum exacte professis, alantur in conventu Medicinensi, eiusdem ecclesiae iugi obsequio ac famulatui mancipati, atque incolarum spiritualibus necessitatibus sedulo inservituri. Nec tamen Bononiensis conventus novos alumnos eiusdem loci filios futuros prius instituat, quam provinciale capitulum Ordinis certum numerum praelectorum seu professorum, ac pariter filiorum, semper deinceps ibidem servandum, ante praefinierit.

Filii conventus Medicinensis, filii sint conventus Bononiensis.

§ 4. Omnes filii conventus Medicinensis, hactenus legitime electi, in posterum habeantur et sint veri et reales filii conventus Bononiensis; quibus tamen, si triginta annos religiosae professionis impleverint, liberum sit in alterutro coenobio et conventu nimirum Medicinensi vel Bononiensi pro arbitrio suo commorari.

Modus regendi deinceps coenobium Medicinense praescribitur.

§ 5. In conventu Medicinensi nullus prior amplius instituatur neque ullae omnino electiones habeantur, sed capitulum conventuale Bononiense singulis bienniis vicarium eligat, qui ceteris fratribus in conventu Medicinensi degentibus praesit, quique ibi sit oeconomus pro conventu Bononiensi. Hic idem vicarius, singulis trimestribus evolutis, coram priore et clavariis conventus Bononiensis exactam accepti et expensi rationem reddere debeat, atque ubi in suae villicationis officio administrando minus fidelis compertus fuerit, statim sine ullâ formâ processus iudicialis deponi et pro culpae gravitate puniri possit.

Bononiensis conventus fabrica perficiatur et duo anniversaria in eo celebrentur.

§ 6. Prior et clavarii conventus Bononiensis alteram eiusdem sui conventus fabricae partem, recipiendis praelectoribus et religiosis alumnis, ibidem studio litterarum operam daturis mox aedificandam curabunt; quae, unâ cum valetudinario et hospitalibus mansionibus, pernecessaria reputatur. Istic etiam in aede B. Mariae Gratiarum quotannis pro animabus fratrum conventus Medicinensis duo anniversaria et missae privatae a fratribus celebrabuntur.

Hae litterae perpetuum robur obtineant.

§ 7. His ergo stabilitis, atque hac nostrâ constitutione motu proprio, ex certâ scientiâ, deliberatione et voluntate nostrâ firmatis, decernimus, easdem praesentes semper et perpetuo validas esse et fore, suumque plenarium effectum et robur habere, nullo eas tempore, nullâ occasione et causâ, quantumvis legitimâ et iuridicâ, irritas, invalidas, obreptitias et subreptitias dici unquam posse, etiamsi fratres conventus hominesque oppidi Medicinensis, seu

quicumque alii cuiuscumque dignitatis, gradus, conditionis et praeeminentiae, in praemissis omnibus et singulis et circa eos quomodolibet et quavis ex causâ, ratione, actione vel occasione ius vel rem habentes, vel se habere putantes, ad id nequaquam vocati essent, neque illis consensissent, etiamsi causae, ob quas hae nostrae litterae prodiissent, adductae aut comprobatae non haberentur, vel intentionis nostrae[1] aut ius et rem habentium consensus deesset, aut quidlibet aliud, quantumvis magnum, non excogitatum, neque excogitabile, ac specialem propriamque mentionem et expressionem requirens, etiam propterea quod in praemissis eorumve aliquo solemnitates et quaevis alia, servanda atque adimplenda, servata et adimpleta revera non essent, aut denique ex quocumque alio capite, a iure vel facto, statuto aut consuetudine aliquâ procedente, sive etiam enormis maximaeque laesionis colore, praetextu, ratione vel causâ, in ipso etiam corpore iuris expressâ, licet iustâ, rationabili, legitimâ, iuridicâ, piâ, ex privilegio ortâ, ac etiamsi talis esset quae ad robur et vim praemissorum omnino exprimi necessario deberet, fortasse propterea quod de voluntate nostrâ ceterisque superius enarratis nusquam appareret, aut nihil probari posset, has nostras litteras notari, impugnari, invalidas reddi, retractari, in ius vel controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris vel facti aut gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu simili concesso vel impetrato aut edito uti, seu se iuvare in iudicio vel extra unquam posse, decernimus et iubemus; universis litibus et controversiis hac de re, si quae fortasse sunt aut fuerunt, perpetuum silentium imponentes.

Hae litterae nullis revocationibus et limitationibus subiiciunt.

§ 8. Has easdem litteras nostras sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes et per Sedem Apostolicam motu pari, scientiâ et plenitudine potestatis, consistorii decreto, ex quibuslibet causis, et sub quocumque verborum tenore et formâ, ac cum quibusvis clausulis et decretis, licet in eis de his nostris litteris eorumque toto tenore et datâ specialis mentio fieret, pro tempore factis et concessis, ac faciendis et concedendis, non posse aut debere comprehendi statuimus, sed eas, tamquam ad maius bonum tendentes, semper et omnino ab illis excipi, et, quoties illae prodierint, toties in pristinum et validissimum, atque in eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restitutas, repositas et plenarie integratas, ac denuo etiam sub quacumque posteriori datâ, quandocumque eligendâ, concessas esse et fore, sicque et non aliàs in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, eiusdemque Sedis nuncios, et alios quoscumque, quavis auctoritate, potestate, praerogativâ et privilegio fulgentes, sublatâ eis et eorum cuilibet qualibet facultate et auctoritate aliter iudicandi et interpretandi, in quocumque foro et iudicio et in quacumque instantiâ iudicari et definiri debere, sique, secus ac nos sancimus,

1 Vel legendum *intentio nostra*, vel addendum *testimonum* aut simile (R. T.).

super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, hoc totum irritum et inane habendum esse decernimus.

Deputatio Bononiensis archiepiscopi in executorem.

§ 9. Quocirca venerabili fratri archiepiscopo Bononiensi, nunc et pro tempore existenti, motu simili per apostolica scripta mandamus, quatenus ipse, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Antonii Iosephi Amabilis requisitus fuerit, solemniter publicans, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostrâ easdem praesentes et in eis contenta huiusmodi ab omnibus inviolabiliter observari, eumque illis pacifice, frui et gaudere, non permittens eumdem desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, contradicentes quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, ac, legitimis super his habendis servatis processibus, servatâque formâ Concilii Tridentini, sententias, censuras et poenas huiusmodi incurrisse declarando, ac etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit brachii saecularis auxilio.

Clausulae derogatoriae.

§ 9. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet editis vel edendis constitutionibus, conciliis, aliisque, ordinationibus quoque apostolicis vel statutis quavis firmitate roboratis, eorumque reformationibus, novis additamentis, stylo, usu, consuetudinibus, quamvis immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, litteris apostolicis, quae iisdem fratribus conventus atque hominibus oppidi Medicinensis, eorumque maioribus, concessae fuissent, seu personis ac locis quibuscumque, licet speciali et expressâ mentione dignis, sub quocumque tenore, formâ, et quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque decretis, generatim vel speciatim, motu quoque huic simili, et in consistorio, aut aliàs quomodolibet, et saepe etiam in contrarium praemissorum concessis, approbatis, confirmatis et renovatis, quamvis discrte in eis caveretur ne iisdem his[1] nostris litteris apostolicis per quascumque alias motu quoque simili pro tempore editas, etiam derogatoriarum derogatorias in se continentes, derogari unquam possit, vel iis censeatur his derogatum; quibus omnibus et singulis, quamvis de illis et eorum tenore specialis et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis expressio habenda aut quaelibet alia exquisita forma ad hoc servanda esset, illorum omnium et singulorum tenorem, formam et causas quascumque pias et ex privilegio deductas his nostris litteris pro plene et sufficienter insertis, ac de verbo ad verbum, nullo prorsus omisso, expressis habentes, illis in suo robore aliàs permansuris, ad praemissorum omnium et singulorum validissimam vim et effectum tantum, hac vice dumtaxat, latissime, plenissime ac sufficienter, necnon speciatim et expresse, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, harum serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter aut divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non

1 Vocem *his* delenda videtur (R. T.).

possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Nemo has litteras infringere audeat.

§ 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis, reddituum et proventuum incorporationis et applicationis, collegii et gymnasii institutionis et erectionis, sanctionis, concessionis, indulti, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVIII, kalendis decembris, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 1 decembris 1728, pontif. anno V.

CCXLVIII.

Eximitur terra, vulgo Vetralla, *a iurisdictione praesulis gubernatoris Viterbiensis in quibuscumque causis*[1].

Benedictus Papa XIII.

Causae praesentis constitutionis.

§ 1. Volendo noi rimostrare alla nostra terra di Vetralla la nostra beneficenza, non meno in riguardo alla spesa di circa trentamila scudi fatta da quella comunità nell'erezione d'una chiesa collegiata ad onore del glorioso apostolo S. Andrea, ma anche per il merito fattosi presso di noi e nostri predecessori in diverse contingenze; per ciò, e per gli accertati rincontri avuti, che la terra suddetta, oltre ad essersi resa copiosa in se stessa d'abitatori, abbia anche un contado numeroso di circa trecento casali abitati, con speranza, mediante il divino aiuto, che possa andar sempre più crescendo in avvenire:

Declaratio praedictae exemptionis.

§ 2. Di qui è che noi, di nostro moto proprio, certa scienza e pienezza della nostra suprema autorità, per decorazione maggiore di detta terra, vogliamo che in avvenire, in perpetuo, sia indipendente ed esente, conforme noi l'esentiamo e dichiariamo affatto libera, separata ed indipendente dalla podestà e giurisdizione del governatore *pro tempore* della città di Viterbo e nostra provincia del Patrimonio in tutte e singole cause civili, criminali, mere o miste, in prima, in seconda e qualunque altra istanza; volendo noi che tutte le cause de'cittadini o abitanti di Vetralla suddetta e suo contado, attive e passive, spettanti al fòro secolare, dalla data del presente nostro moto proprio, si debbano incominciare, proseguire e terminare in prima istanza dal governatore presente e *pro tempore* di detta terra di Vetralla, che vogliamo sia in avvenire e in perpetuo eletto per Breve da noi e nostri successori; e che da decreti definitivi o sentenze del governatore suddetto si possa domandare ed avere il ricorso o appellazione ai giudici ordinari della nostra città di Roma, che hanno giurisdizione anche nel distretto.

Inhibitio gubernatori Viterbii hac super re.

§ 3. Ordiniamo perciò espressamente in virtù di sant'obbedienza al governatore di Viterbo e provincia del Patrimonio presente e *pro tempore*, e sotto le pene arbitrarie a noi e nostri successori, ai loro luogotenenti e ministri di qualunque titolo, che dalla data del presente nostro Motoproprio, sotto qualunque pretesto o privilegio concedutogli anche da noi e nostri prede-

[1] Aliâ huius Pontificis const. ed. MDCCXXVIII, die XV novembris, pontif. V, erecta fuit terra Fabriani in civitatem; et constit. MDCCXXVI, die XVIII septembris, pontif. III, nonnulla statuuntur pro civitate Ravennae.

cessori, non presumano d'ingerirsi, anche ad istanza e col consenso delle istesse parti, nelle cause civili, communitative, criminali, mere o miste de'cittadini ed abitanti di Vetralla e suo contado suddetto; ma solamente possano proseguir quelle che si trovano già introdotte legittimamente avanti di loro, ed anche queste debbano averle intieramente decise e terminate come crederanno di ragione per tutto il mese d'aprile dell'entrante anno MDCCXXIX; volendo noi che spirato tal termine sia spirata affatto la loro giurisdizione nelle cause già introdotte come sopra, e che le cause suddette non terminate, nello stato e termine in cui allora si troveranno, s'intendano onninamente e pienamente devolute a' suddetti giudici ordinarî della nostra città di Roma, che hanno giurisdizione anche nel distretto di essa.

Quoad causas criminales quomodo novus gubernator in praedicta terra se gerere debet.

§ 4. Per le cause poi criminali il suddetto governatore di Vetralla dovrà unicamente ed immediatamente dipendere dalla Consulta; e per le cause di quella Comunità, economia e buona amministrazione di essa, suoi effetti e proventi, dovrà parimente dipendere unicamente ed immediatamente dalla Congregazione del Buon Governo, allo arbitrio della quale rimettiamo il tassare e stabilire un conveniente salario o provisione da pagarsi mestrualmente dalla stessa Comunità tanto al governatore perchè possa vivere con onesto decoro, quanto al barigello da eleggersi, conforme il solito, dalla Consulta, col peso di tenere continuamente quel numero di birri che si stimeranno necessarî al buon servizio della giustizia ed alla custodia inoltre della selva comunitativa.

Clausulae irritantes.

§ 5. Volendo e decretando, che il presente nostro Motoproprio, benchè non ammesso nè registrato in Camera e ne' suoi libri, abbia in perpetuo il suo pieno effetto, vigore ed esecuzione, e contro di esso non si possa in alcun tempo opporre di obrezione e subrezione, mancanza della nostra volontà ed intenzione, nè qualsivoglia difetto, benchè degno d'espressa, speciale e individua menzione, e che non si possa diversamente interpretare, giudicare o definire anche dalle suddette ed altre Congregazioni de'reverendissimi cardinali; dichiarando noi nullo ed irrito tutto ciò che si facesse o si attentasse in contrario.

Derogatoriae.

§ 6. Non ostante, quanto a tutte e singole cose premesse, che non vi siano stati citati, chiamati o sentiti il suddetto governatore di Viterbo e suoi ministri, il nostro fiscale generale, il commissario della nostra Camera, anche per l'interesse che vi potesse avere a titolo dell'affitto delle cancellerie di detta provincia, ed ogni altra persona che vi avesse o potesse avere interesse, la regola della nostra Cancelleria *De iure quaesito non tollendo*, le facoltà, prerogative e privilegî conceduti a tutti li sopraddetti, ed ogni e qualunque altra ordinazione o costituzione apostolica nostra e de'nostri predecessori, leggi civili e canoniche, usi, stili, consuetudini, e qualunque altra cosa che facesse o potesse fare in contrario; alle quali tutte e singole, avendo il loro tenore qui per espresso e di parola in parola inserto, per questa volta sola ampiamente deroghiamo, perchè tale è la nostra certa, espressa e determinata volontà.

Dato in Roma dal nostro palazzo apostolico in Vaticano il dì VII decembre MDCCXXVIII.

Dat. die 7 decembris 1728, pontif. anno V.

CCXLIX.

Confirmantur motu proprio provisiones et conventiones initae inter religionem Domenicanam et ministros Camerae Apostolicae super exemptione a gabellis, collectis et datiis[1].

Benedictus Papa XIII.
Motu proprio, etc.

Ab Ordine Praedicatorum variae obtentae exemptiones a gabellis.

§ 1. Godendo pacificamente la nostra religione domenicana tanto in questa nostra città di Roma, quanto in tutto il nostro Stato Ecclesiastico, in virtù si del dritto comune, che in vigore di varî particolari privilegî concessigli anche forse a titolo oneroso da diversi Pontefici nostri predecessori, e specialmente dalla gloriosa memoria di S. Pio V, ed ultimamente da noi nella nostra costituzione *Pretiosus*, data in Sezze li XXVI maggio MDCCXXVII, l'esenzione da tutti e singoli dazî, gabelle, collette, imposizioni ed altri qualunque pesi, sì camerali che comunitativi, alcuni dei quali, specialmente del macinato, nei tempi passati da detta religione sono stati pagati non ostante detta esenzione; ed essendo non di meno insorte alcune controversie tra detta religione e li ministri della nostra Camera sopra la liquidazione e tassa di dette esenzioni da noi benignamente ampliate ed accordate nell' accennata costituzione *Pretiosus*; fattosi perciò a noi ricorso si[2] dal padre procuratore generale di esso Ordine, che dai ministri di detta Camera:

Quae a Sanctissimo remissae sunt auditori suo examinandae, qui que auditis partibus ad Sanctissimum refertur.

§ 2. Noi, a fine di assicurare con ogni modo più facile l'esenzione a detta nostra religione, ed insieme provvedere all'indennità di essa nostra Camera, con levare ogni sospetto ed apertura alle frodi e pregiudizî, e così porre fine a qualunque controversia che potesse insorgere in avvenire, rimettessimo l'esame di tal affare al reverendissimo cardinale Accoramboni, già nostro uditore, a fine che, sentite le parti, quanto alli predetti pesi camerali solamente, eccettuatine però li beni di prima erezione de'conventi, monasterî e collegî fondati in detto nostro Stato Ecclesiastico, ed eccettuati ancora li pesi, dazî, gabelle, ed altre qualunque imposizioni meramente e solamente communitative, anche imposte con autorità apostolica, dalle quali volemo onninamente in tutto e per tutto esente detto nostro Ordine, a tenore del dritto comune di detta nostra Bolla *Pretiosus*, ed altre costituzioni apostoliche, e delle precise dichiarazioni di nostra mente sopra ciò fatte per mezzo del nostro reverendissimo segretario di Stato, particolarmente sotto li XX novembre MDCCXXVII, riferisse a noi tutte le controversie sopra ciò inserte, e le ragioni che dall'una e dall'altra parte si fossero addotte, per potere poi prendere quelle risoluzioni che si fossero stimate adequate per l'indennità d'ambe le parti; ed avendoci susseguentemente esso reverendissimo cardinale riferito, che dopo essersi tenuti avanti di lui diversi congressi, con l'intervento di monsignor commissario di detta nostra Camera, del suo sostituto, e del padre maestro frà Giovanni Domenico Agnani, compagno del detto padre procuratore generale, intervenuto anche per parte ed a nome del padre maestro generale dell'Ordine e dello stesso procuratore generale e del computista del nostro convento della Minerva, per l'interesse tanto del medesimo padre generale e

1 Hac de re vide aliam huius Pontificis editam MDCCXXVIII, die 28 septembris, pontif. V, et const. *Pretiosus*, quae hic laudatur, ed. MDCCXXVII, die 26 maii, pontif. III.

2 Particulam *si* nos addimus (R. T.).

suo ospizio, e de' conventi e collegî di Roma, quanto di tutti gli altri conventi dello Stato Ecclesiastico e de'monasterî di monache, collegî di terziarie, sì di Roma che dello stesso Stato, che vivono sotto l'ubbidienza e regola Domenicana, ed in essi congressi esaminate maturamente tutte le esenzioni concedute dai Sommi Pontefici, sì generalmente alla religione Domenicana, dell'uno e l'altro sesso, che alli conventi particolari del detto Ordine, specialmente della Minerva di Roma, come pure la quantità delle gabelle, che dai medesimi si pagavano, e delle altre, delle quali indipendentemente dalla suddetta nostra Bolla *Pretiosus*, ed avanti che questa emanasse, attualmente e realmente senza contrasto godevano la esenzione per il vitto, vestito, mantenimento di chiesa, e tutt'altro che occorreva per servizio de'religiosi, conventi e loro chiese, fosse finalmente nel congresso tenutosi nel dì XXV aprile prossimo passato, di comun consenso, con riserva però della nostra approvazione, stabilito nel modo seguente:

Provisiones et conventiones praedictae.

I. Che in avvenire, come si dirà in appresso, tanto il convento della Minerva, ed il padre generale colli religiosi del suo ospizio, e tutti gli altri conventi e religiosi di Roma, compresovi quelli di Monte Mario, S. Sabina, S. Nicolò de' Perfetti, S. Sisto, S. Clemente e S. Quirico, quanto ancora tutti gli altri conventi e religiosi dello Stato Ecclesiastico, monasterî di monache e collegî di terziarie, sì di Roma che delle Stato suddetto, che vivono sotto l'ubbidienza immediata e regola dell'Ordine de' Predicatori, debbano pagare (a riserva però de'beni di prima erezione, per i quali dovranno godere le esenzioni nell'istesso modo e forma che l'hanno godute per il passato, e le godono presentemente, e di qualunque peso comunitativo, come sopra) tutte e quali si siano gabelle, dazî, pesi, risposte ed imposizioni, tanto per ragione di vitto e vestito, quanto per ragione dei beni sì in Roma che nello Stato Ecclesiastico suddetto, alle dogane generali, tesorieri, appaltatori camerali, ed altri, a'quali spettassero dette gabelle e pesi, come appunto pagano i secolari laici, che non godano veruna esenzione, a guisa de'quali colle riserve suddette dovranno tenersi, ripararsi e regolarsi;

Renunciandum omnibus constitutionibus apostolicis et privilegiis quoad exemptiones praedictas.

II. Che a tale effetto, e colle riserve ed eccettuazione delli sopraddetti beni e pesi, debbano i suddetti padri, monache e collegî di terziarie del detto Ordine de'Predicatori, sì di Roma che del detto nostro Stato, mediante il padre procuratore generale dell'Ordine o suo compagno rinunziare a tutte le costituzioni, Brevi, chirografi e privilegî, per quello però riguarda solamente le esenzioni suddette, e non altrimenti, finora loro concedute da'Sommi Pontefici, e particolarmente da noi, benchè fossero quelli stati conceduti col titolo oneroso, con dichiarare di non volersene per detto effetto valere in avvenire, e che s'abbiano a considerare di niuna forza e valore, appunto come se non gli fossero mai state concedute;

A Camera Apostolica quantum pecuniae annuatim solvendum praedicto Ordini pro renunciatione praefata.

III. Che all'incontro, ed in correspettività della suddetta rinunzia, come sopra, da farsi da detti padri e monache Domenicane, sì di Roma, che di detto nostro Stato, mediante il detto padre procuratore generale dell'Ordine o suo compagno, e non altrimenti, la nostra Camera sia tenuta ed obbligata di pagare annualmente, per tutte le esenzioni godute e concedute sino al presente al detto convento e padri della Minerva di Roma ed ospizio del padre generale, in tutto scudi quattrocento ses-

santa annui, regolandosi l'esenzione a ragione di scudi due per ciascun religioso di detto convento ed ospizio, cioè per il detto convento per bocche numero cento cinquanta, così fissate e stabilite, per altre bocche ottanta per l'ospizio del detto padre generale, e così in tutto per bocche numero duecentotrenta, altri scudi annui al convento di Monte Mario per numero sei religiosi, altri scudi sedici annui al collegio della Penitenzieria per numero otto bocche, altri scudi sedici similmente annui per numero otto bocche nell'ospizio di S. Quirico, altri scudi settantotto annui per numero trentanove bocche nelli conventi di S. Sabina e di S. Nicolò de'Perfetti, ed altri scudi quaranta parimenti annui per numero venti bocche nelli conventi de' Ss. Sisto e Clemente; che in tutto sono scudi seicento ventiquattro che dovranno pagarsi per li conventi e religiosi di Roma;

Camerae obligatio.

IV. Che essendosi stabilite e fissate nelli conventi esistenti nello Stato Ecclesiastico bocche numero novecentosettantasei, sia tenuta la nostra Camera, in correspettività, come sopra, di detta renunzia, di pagare per i detti conventi e loro religiosi annui scudi novecento settantasei, regolando per questi l'esenzione a ragione di uno scudo per bocca.

Et iterum.

V. Che quanto alli monasteri e monache di Roma, e dello Stato Ecclesiastico e collegio delle terziarie di Bologna, soggetti immediatamente all'Ordine suddetto e non ad altri, de' quali monasterî e del numero delle loro monache e terziarie respettivamente si dovrà dar nota distinta dal padre procuratore generale, debbasi dalla nostra Camera pagare per tutte le esenzioni competenti e pretese come sopra, rispetto alli monasteri e monache di Roma, a ragione di scudo uno per ciascheduna, e per li monasterî e monache dello Stato e collegio delle terziarie di Bologna a ragione di giuli cinque per ciascheduna di esse annualmente, come sopra;

In cuius manu facienda sit praedicta solutio.

VI. Che dalla nostra Camera di sei in sei mesi, da principiare come si dirà in appresso, debbano farsi i suddetti pagamenti in mano del procuratore generale *pro tempore* di detto Ordine, al di cui carico e peso dovrà restare di farne il dovuto ripartimento a ciaschedun convento, monastero e collegio, sì di Roma che dello Stato Ecclesiastico, senza verun peso, cura e risico della nostra Camera;

De sale, ut antea largiendo.

VII. Che la detta nostra Camera debba dare il sale nel modo e forma e nella quantità che si è praticato fino al presente:

Confirmatio relatorum conventionum.

§ 3. E riflettendo noi, che le sopra espresse provvisioni e risoluzioni ridondano in evidente utilità di essa nostra Camera, attesa la generalità di dette esenzioni, e respettivamente riescono di molta quiete a' detti nostri religiosi, e che in tal forma viene tolta l'occasione d'ogni litigio, ci siamo determinati di confermarle ed approvarle, affinchè in perpetuo abbiano la dovuta esecuzione come in appresso. Quindi è che con la presente nostra cedola di Motoproprio, in cui abbiamo per espresso e di parola inserto l'intiero tenore di tutti i Brevi, chirografi e costituzioni apostoliche, e particolarmente della nostra sopra accennata costituzione *Pretiosus*, e di tutti e singoli altri privilegî da questa Santa Sede in qualunque tempo conceduti alla detta nostra religione Domenicana dell'uno e l'altro sesso per la esazione del pagamento delle gabelle, dazî ed altre imposizioni spettanti alla nostra Camera, ed ogni altra cosa quanto

si voglia necessaria da esprimersi, inerendo alle sopra registrate provvisioni e risoluzioni, quali in tutto e per tutto confermiamo ed approviamo, per l'esecuzione di esse, di nostro moto proprio, certa scienza, e pienezza della nostra suprema ed apostolica potestà, dichiariamo, decretiamo e vogliamo, che in avvenire, dall'infrascritto giorno, tanto il detto convento della Minerva di Roma ed il padre generale colli religiosi del suo ospizio, e tutti gli altri conventi e religiosi di Roma, compresivi quelli di Monte Mario, S. Sabina, S. Nicolò dei Perfetti, S. Sisto, S. Clemente e S. Quirico, quanto ancora tutti gli altri conventi e religiosi dello Stato Ecclesiastico, monasteri di monache e collegi di terziarie, sì di Roma che dello Stato suddetto, che vivono sotto l'ubbidienza immediata e regola dell'Ordine de'Predicatori, debbano pagare, conforme noi efficacemente l'obblighiamo a pagare (a riserva però de' beni di prima erezione, per i quali dovranno godere la esenzione nello stesso modo e forma che l'hanno goduta per il passato e la godevano presentemente, e di qualunque peso comunitativo come sopra) tutte e qualsisiano gabelle, dazî, pesi, risposte ed imposizioni camerali, tanto per ragione di vitto e vestito, quanto per ragione de' beni sì in Roma che in detto Stato Ecclesiastico, alle dogane generali, tesorieri, appaltatori camerali, ed altri a' quali dette gabelle e pesi spettassero, come appunto pagano i secolari laici che non godono veruna esenzione, a guisa de' quali, colle riserve suddette, vogliamo che in avvenire siano tenuti e reputati: al quale effetto noi, in nome e per li suddetti padri, monache e terziarie del detto Ordine dei Predicatori, sì di Roma che del nostro Stato, colle riserve ed eccettuazioni dei sopraddetti beni di prima erezione e pesi comunitativi, e non altrimenti, colla nostra suprema autorità cediamo ed espressamente rinunziamo a tutte le costituzioni, Brevi, chirografi e privilegî, per quello però riguarda solamente le esenzioni suddette, e non altrimenti, sinora loro concedute da' sommi Pontefici, e particolarmente da noi, benchè queste fossero state concedute col titolo oneroso; dichiarando, volendo ed ordinando noi che non possano per detto effetto valersene in avvenire, e che si abbiano da considerare di niuna forza e valore, come se appunto non gli fossero state mai concordate.

Praescribitur ut a reverendissima Camera Apostolica annuatim praedicta solutio erogetur singulis Romae et Ditionis Ecclesiasticae conventibus.

§ 4. Ed all'incontro, in correspettività della rinunzia che abbiamo come sopra fatta per li detti padri, monache e terziarie Domenicane, sì di Roma che del detto nostro Stato, vogliamo ed ordiniamo, che detta nostra Camera sia tenuta ed obbligata, conforme noi efficacemente e validamente l'obblighiamo, a dover pagare annualmente per tutte le esenzioni godute e concedute sino al presente, al detto convento e padri della Minerva di Roma ed ospizio del padre generale in tutto scudi quattrocento sessanta annui, regolandosi l'esazione a ragione di scudi due per ciascun religioso di detto convento ed ospizio, cioè rispetto a detto convento per bocche numero centocinquanta, così fissate e stabilite, e per altre bocche ottanta per l'ospizio del detto padre generale, che in tutto sono bocche numero duecento e trenta, altri scudi dodici annui al convento di Monte Mario per numero sei religiosi, altri scudi dodici annui al collegio della Penitenziaria per numero otto bocche, altri scudi sedici annui all'ospizio di S. Quirico parimente per numero otto bocche, altri scudi settantaotto annui alli conventi di S. Sabina e

di S. Nicolò de' Perfetti per bocche numero trentanove, ed altri scudi quaranta parimente annui alli conventi di S. Sisto e di S. Clemente, che in tutto fanno la somma di scudi seicentoventiquattro, da pagarsi per li conventi e religiosi di Roma; e quanto ai conventi esistenti in detto nostro Stato Ecclesiastico, essendosi stabilite e fissate bocche numero novecentosettantasei, e per queste essendosi regolata e stabilita la esenzione a ragione di scudo uno per bocca, vogliamo che la nostra Camera, in correspettività della suddetta rinunzia, sia tenuta e obbligata, conforme noi parimente l'obblighiamo, a pagare per li detti conventi e loro religiosi annui scudi novecentosettantasei. Rispetto poi alli monasterî e monache di Roma e dello Stato Ecclesiastico, e collegî delle terziarie della detta nostra città di Bologna, soggetti immediatamente all'Ordine suddetto e non ad altro (de'quali monasterî, e del numero delle loro monache e terziarie rispettivamente, si dovrà dare nota distinta dal padre procuratore generale), dovrà esser tenuta detta nostra Camera, come noi come sopra l'obblighiamo, a pagare per tutte le esenzioni suddette rispetto ai monasterî e monache di Roma a ragione di scudo uno per ciascheduna, e per li monasterî e monache dello Stato e terziarie di Bologna, a ragione di giulî cinque per ciascheduna di esse annualmente come sopra, e tali pagamenti vogliamo che dalla nostra Camera siano prontamente effettuati ed adempiti, e di sei in sei mesi, da principiare dalla data della presente cedola di Motoproprio, e che debbano farsi in mano del procuratore generale *pro tempore* del detto Ordine, a di cui carico e peso dovrà restare il farne il dovuto ripartimento a ciaschedun convento, collegio e monastero, sì di Roma che dello Stato Ecclesiastico, senza che la nostra Camera abbia ad averne e sentirne cura, peso e risico alcuno, ordinando noi per tale effetto al nostro monsignor tesoriere generale, che, in adempimento di ciò, ne diriga i suoi ordini, a' suoi debiti tempi, al depositario generale della nostra Camera, e che egli ne accetti e bonifichi in appresso li pagamenti ne' detti suoi conti, e tutto ciò senza verun pregiudizio della limosina del sale, solita darsi dalla nostra Camera ai conventi e collegî suddetti, quale vogliamo che debba continuarsi anche in avvenire nel modo e forma e nella quantità come si è praticato sinora.

§ 5. Volendo, dichiarando e decretando noi con la pienezza della nostra potestà pontificia, che tutto e quanto è stato da noi come sopra disposto ed ordinato per il buon regolamento di detta esenzione, debba perpetuamente ed inviolabilmente osservarsi ed eseguirsi, tanto per parte della Camera, quanto de' conventi de' religiosi e monasterî di monache Domenicane, sì di Roma che del nostro Stato Ecclesiastico, e collegio delle terziarie di Bologna, e che abbia forza di contratto giurato; ed a riguardo della suddetta rinunzia si reputi come fatto a titolo oneroso, ed appunto come se vi fosse intervenuto il positivo consenso, obbligo e giuramento d'ambe le parti, senza che veruna di essa possa in verun modo ed in alcun futuro tempo, sotto qualunque pretesto e causa, benchè inopinata ed incognita, reclamare da quanto abbiamo di sopra disposto e stabilito, imponendo loro ed a ciascuna di esse perpetuo silenzio; e vogliamo che per la perpetua osservanza ed esecuzione delle cose premesse, e ciascuna di esse, restino perpetuamente obbligati, conforme noi colla

Extensio praedictorum.

nostra suprema autorità validamente ed efficacemente obblighiamo la detta nostra Camera, e respettivamente i detti conventi e monasterî dell'Ordine dei Predicatori, sì di Roma che del nostro Stato, e collegio delle terziarie di Bologna, e qualsisiano respettivamente loro beni, effetti, rendite e ragioni nella più ampla forma di detta nostra Camera, essendo tale la mente e volontà nostra precisa.

Clausulae irritantes.

§ 6. Volendo e decretando che alla presente nostra cedola di Motoproprio, da ammettersi e registrarsi in Camera secondo la disposizione della Bolla di Pio IV nostro predecessore *De registrandis*, non possa mai in alcun futuro tempo opporsi di surrezione, orrezione, nè di alcun altro vizio e difetto della nostra volontà ed intenzione, che mai sotto tali o altri pretesti possa essere impugnata, moderata o rivocata, e che così e non altrimente debba giudicarsi, definirsi ed interpretarsi dal reverendissimo cardinale camerlengo, da' tesorieri generali, e da qualsivoglia altro giudice e tribunale, benchè collegiale, e da qualsivoglia Congregazione, ancorchè composta di reverendissimi cardinali, e da questi, ancorchè legati *a latere*, e da qualunque altro, togliendo loro ed a ciascuno di essi ogni facoltà e giurisdizione di definire ed interpretare diversamente, dichiarando noi fin d'adesso preventivamente nullo, irrito ed invalido tutto e quanto da ciascuno di essi con qualsivoglia autorità scientemente o ignorantemente fosse in qualunque tempo giudicato, o si tentasse di giudicare, contro la forma e disposizione della presente nostra cedola di Motoproprio, quale vogliamo che vaglia e debba sempre avere il suo pieno effetto, esecuzione e vigore colla semplice nostra sottoscrizione, benchè non vi siano stati chiamati, sentiti nè citati monsignore commissario della nostra Camera, ed i conventi, monasterî e collegî suddetti, tanto di Roma quanto di detto nostro Stato, ed i loro superiori, sindici e deputati, ed ogni altro che vi avesse o pretendesse avervi interesse.

Derogatoriae peculiares.

§ 7. Non ostante qualsisiano Brevi, chirografi e costituzioni de' nostri predecessori, anche la nostra sopraccennata *Pretiosus*, sopra la concessione sì generalmente che particolarmente fatta alli conventi, monasterî e collegî del detto Ordine Domenicano, e quantunque a titolo oneroso, e, per quanto faccia bisogno, anche le Bolle di Paolo II e Paolo IV, e del detto Pio IV *De rebus Ecclesiae et Camerae non alienandis, etc.*, la regola della nostra Cancellaria *De iure quaesito non tollendo*, e qualsisiano altre costituzioni ed ordinazioni apostoliche nostre e de' nostri predecessori, concilî generali e provinciali, leggi civili e canoniche, statuti, riforme, usi, stili, consuetudini, e qualunque altra cosa che facesse o potesse fare in contrario, alle quali tutte e singole, avendone il tenore qui per espresso e di parola in parola inserto, e supplendo noi colla pienezza della nostra suprema potestà ad ogni vizio e difetto, quantunque sostanziale e formale, che vi potesse intervenire, questa volta sola o per l'effetto suddetto ampiamente ed espressamente deroghiamo, anche con amplissima derogatoria delle derogatorie più insolite ed effrenate.

Fides habenda transumptis.

§ 8. Decretando inoltre che alle copie impresse di questa nostra cedola, munita col sigillo di persona costituita in dignità ecclesiastica e sottoscritte da qualunque notaro pubblico, si presti la stessa fede in giudizio e fuori di esso, come se fosse esibita e presentata la stessa cedola originale.

Dato dal nostro palazzo apostolico Vaticano, questo dì x decembre MDCCXXVIII.

Dat. die 10 decembris 1728, pontif. anno v.

CCL.

Declarantur inhabiles ad officia et dignitates religiosi S. Basilii Magni sibi procurantes archiepiscopatus et episcopatus, aliasque dignitates[1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Causae huius constitutionis et preces procuratoris generalis nomine totius Ordinis.

§ 1. Cum, sicut dilectus filius modernus procurator generalis Ordinis sancti Basilii Magni, tam suo quam eiusdem Ordinis nomine, nobis nuper exponi fecit, iuxta consuetudinem hactenus servatam in Ecclesiâ et Ritu Graeco-unito ad archiepiscopatus et episcopatus religiosi Basiliani assumantur, saepe vero contingat quod aliqui praedictas dignitates per commendationes magnatum, non sine praefati Ordinis perturbatione, sibi procurent: dictus procurator generalis, quo ambitiosis via praecludatur, opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri plurimum desideret:

Declaratio inhabilitatis praedictae.

§ 2. Nos, eiusdem procuratoris generalis votis quantum cum Domino possumus benigne annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ad officia et dignitates monachos omnes memorati Ordinis, qui sine expresso superioris generalis seu protoarchimandritae pro tempore existentis et memorati Ordinis consensu sibi archiepiscopatus, episcopatus, archimandrias aut quascumque alias dignitates procurarent, eo ipso ad illas inhabiles, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, etc.[1]

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam, etc.[2]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI decembris MDCCXXVIII, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 16 decembris 1728, pontif. anno v.

CCLI.

Erigitur custodia Alsatiae Minorum Capuccinorum in novam provinciam Alsaticam nuncupandam[3].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Pastoralis officii, quo catholicae Ecclesiae per universum terrarum orbem diffusae regimini divinâ dispositione praesidemus, sollicitudo nos admonet, ut felici prosperoque religiosorum virorum divinis obsequiis sub austerioris vitae disciplinâ mancipatorum, suavique Christi odore de bonâ conversatione fragrantium statui, regimini et progressui, interdum etiam per novarum provincia-

1 Consimilem prohibitionem contra ambitum officiorum, sive intra sive extra religionem obtinendorum, habent fere omnes religiones.

1 Ut supra pag. 587 *b* (R. T.).

2 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

3 De divisione provinciae Insulensis eorumdem fratrum, vide Clementis XI constit. edit. MDCCXXI, die 11 ianuarii, pontif. XXI; et in huius Pontificis constit. edit. MDCCXXIX, die 12 martii, pontif. v, agitur de alternativâ officialium provinciae Brixiensis.

rum institutionem, providere studeamus, sicut sublimium principum de Ecclesiâ Dei optime meritorum vota postulant, ac, rerum, temporum, locorum et personarum qualitatibus mature perpensis, ad omnipotentis Dei gloriam et religionis incrementum atque animarum salutem expedire in Domino arbitramur.

Quibusdam de causis conventus Alsatiae, qui in de provincia Helvetica, ab ea segregati et in custodiam quamdam erecti.

§ 1. Nomine siquidem carissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum regis christianissimi nobis nuper expositum fuit, quod, cum provincia Helvetica Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum, quae conventibus in variis ditionibus sitis constabat, inter alios conventus huiusmodi, etiam illos complecteretur qui in Alsatiâ dominio eiusdem Ludovici regis christianissimi subsunt, multipliciaque incommoda ac detrimenta praefatis conventibus Alsatiae eorumque fratribus inde enata fuissent, ac proinde dicti fratres definitorio capituli generalis ipsius Ordinis in almâ Urbe nostrâ novissime celebrati exposuissent nullum aliud efficacius huiusmodi damnis sarciendis aliisque in posterum avertendis remedium suppetere, quam quod praedicti eorum conventus Alsatiae non modo ab Helveticis plane segregarentur, sed etiam in novam provinciam erigerentur, definitorium capituli generalis praedicti die XXV iunii MDCCXXV censuit atque decrevit, ut dicti conventus Alsatiae ab ipsâ provinciâ Helveticâ penitus et totaliter separarentur, ac, tamquam custodia a praefatâ provinciâ Helveticâ in posterum independens, pro tunc, donec sufficientem ac necessarium fratrum et conventuum numerum haberet, soli ministro generali eiusdem Ordinis immediate subiacerent, et aliàs, prout in decreto definitorii capituli generalis huiusmodi desuper edito, cuius tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso haberi volumus, uberius continetur.

Cur ae eosdem conventus in provinciam erigendi.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, per enarratam provisionem, a definitorio dicti capituli generalis, sicut praemittitur, captam, minime statui ac religiosae tranquillitati praefatorum fratrum et conventuum Alsatiae usquequaque consultum sit; praedicta vero custodia undecim ad praesens conventus et quatuor hospitia, necnon singuli conventus religiosos regulari observantiae et disciplinae numero sufficientes habeant; ac in Ordine praefato plures reperiantur provinciae, quarum aliquae minori, aliae pari, et nonnullae non multo maiori quam praefato conventuum numero constituuntur; duoque ex dictis hospitiis, utpote in quibus satis est[1] religiosorum, in conventus formales facile erigi valeant; et, si fratres Helvetii eam curam praefatorum conventuum in ditione eiusdem Ludovici regis christianissimi existentium ac in Helvetiâ positorum gessissent, etiam antehac erigi potuissent; hisque accedat quod in custodiâ praefatâ, ultra novitiatum, ubi quatuordecim novitii continuo retinentur, ac quorum numerus augeretur, si per ministrum provincialem regeretur, philosophiae et sacrae theologiae studia vigeant, quodque intra dictae custodiae limites illius fratres ad victum et vestitum necessaria abunde, nec magno labore, ex quaestuatione ac fidelium liberalitate parent et inveniant: quibus aliisque gravibus rationibus consideratis plurimum expedire videtur, custodiam praefatam in provinciam erigi: nobis propterea eiusdem Ludovici regis nomine fuit humiliter supplicatum ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgeri de benignitate apostolicâ dignaremur.

1 Edit. Main. legit *et* pro *est* (R. T.).

Erectio praefata.

§ 3. Nos igitur, pio[1] ipsius Ludovici regis desiderio hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere, ac firmiori solidiorique memoratorum conventuum in Alsatiâ praedicti Ludovici regis dominio subiectâ, ut praefertur, consistentium, statui et quieti prosperoque regimini salubriter prospicere cupientes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praefatam custodiam in novam Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Capuccinorum provinciam Alsaticam nuncupandam, quae a propriis ministro provinciali ac definitoribus ceterisque superioribus, iuxta eiusdem Ordinis statuta eligendis, nominandis et deputandis, regi et gubernari debeat, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, erigimus et instituimus; ac ipsi novae provinciae sic erectae et institutae, illiusque conventibus, hospitiis, domibus, ac ministro provinciali et definitoribus, ceterisque superioribus pro tempore existentibus, fratribusque et personis quibuslibet, ut omnibus et singulis privilegiis, gratiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, praerogativis, praeeminentiis, indulgentiis et indultis, quibus aliae eiusdem Ordinis provinciae, illarumque conventus, hospitia, domus[2], superiores et fratres aliaeque personae tam de iure, usu et consuetudine, quam aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt in futurum, pari modo et absque ullâ prorsus differentiâ uti, frui et gaudere libere et licite possint et valeant, eâdem auctoritate harum serie similiter perpetuo concedimus et indulgemus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, etc.[3]

1 Male edit. Main. legit *pro* (R. T.).
2 Male ed. Main. legit *domos* pro *domus* (R. T.).
3 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon custodiae, et provinciae ac Ordinis praefatorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV decembris MDCCXXVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 14 decembris 1728, pontif. anno V.

CCLII.

Praecipitur ut serventur constitutiones generales Ordinis Minorum de Observantiâ Reformatorum, et Breve Urbani VIII super praecedentiâ eorumdem in provinciâ Romanâ[1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Ordo praecedentiae a generalibus Ordinis constitutionibus praescriptus et ab Urbano VIII approbatus fuit.

§ 1. Cum, sicut accepimus, aliàs (postquam iussu felicis recordationis Urbani Papae VIII praedecessoris nostri quaedam pro salubri regimine et gubernio dilectorum filiorum fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Reformatorum nuncupatorum familiae cismontanae generales constitutiones in ipso primordio institutionis provinciarum in eodem Ordine editae et promulgatae fuerant, per quas inter alia modus seu ordo praecedendi inter ipsos fratres sub gravibus poenis praescriptus, et ab ipso Urbano praedecessore per suas in simili formâ Brevis die XXII decembris MDCXLII expeditas litteras, quarum initium est *Aliàs*, *etc.*, approbatus fuit,

1 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).
2 Hac de re vide Urbani VIII const. edit. MDCXLII, die 22 decembris, pontif. XX, et Alexandri VIII const. edit. MDCLXV, die 23 decembris pontif. XI, quae hic laudantur.

quem fratres provinciae Romanae dicti Ordinis exacte servarunt, donec, instantibus ministro provinciali, definitorio, ministris exprovincialibus et aliis fratribus graduatis eiusdem provinciae Romanae, recolendae memoriae Alexander Papa VII etiam praedecessor noster, per suas in pari formâ Brevis die XXIII decembris MDCLXV emanatas litteras incipientes *Pastoralis, etc.*, formam eiusmodi praecedendi moderando, statuit quod in eâdem provinciâ romanâ nulli fratrum ius praecedendi sive honoratioris loci competeret, nisi ministro commissario, vicario et procuratori generalibus, ministro, commissario, vicario et procuratori generalibus, ministro, commissario et vicario provincialibus, custodi, commissario, visitatori, guardianis, praesidenti, seu commissario, et vicariis localibus, qui tamen, expletis eorum officiis, ad locum et praecedentiam Ordinis redirent, tam illi[2], qui ad[3] habitum per dictos fratres gestari solitum susceperant, ac de cetero susciperent, quam ii, qui se a fratribus de Observantiâ ad fratres Reformatos provinciae praefatae canonice transtulerant et transferrent, exceptis tamen eis qui ministri generalis seu commissarii generalis eiusdem cismontanae familiae officio functi erant et functuri essent, qui post superiores actuales immediate locum haberent, et aliàs prout in ipsis Alexandri praedecessoris litteris uberius continetur)

Hinc orta dissidia.

§ 2. Definitores actuales dictae provinciae, ubi primum hae Alexandri praedecessoris litterae prodierunt, se in earum dispositione minime comprehendi praetenderent, idque die III martii MDCLXVI a Congregatione tunc existentium S. R. E. cardinalium et Romanae Curiae praelatorum super negotiis visitationis apostolicae ecclesiarum et locorum piorum huius almae Urbis auctoritate apostolicâ deputatorum, tametsi non sine altercatione, decerni obtinuerint; prout etiam secretarii generales actuales, exprocuratores et exdefinitores generales, quantumvis procul dubio in memoratis Alexandri praedecessoris litteris comprehensi, praecedentiâ iuxta supradictas generales Ordinis constitutiones et Urbani praedecessoris litteras, non tamen absque querimoniis, gavisi fuerint; et, ad sedanda dissidia subinde enata, eamdem praecedentiam, sub nomine ac titulo loci commoditatis, nunc secretariis curiae, provinciae, visitatorum, nunc scriptoribus, lectoribus, exprovincialibus aliisque fratribus graduatis dictae provinciae, cum non mediocri illius perturbatione, concedere opus fuerit;

Pro quibus sedandis multum operae datum est, sed frustra.

§ 3. Quamobrem, ut his malis aliquod remedium adhiberetur, anno MDCCV institutum fuit pro moderatione praefatarum Alexandri praedecessoris litterarum; sed, cum Congregatio tunc similiter existentium S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita demandasset exquiri desuper votum proximi capituli generalis dicti Ordinis, et animadversum fuisset, quod, praeter dilationem celebrationis eiusdem capituli generalis, in eo vix tractari ac discuti soleant res ad universum Ordinem praefatum spectantes, non autem privative unius provinciae contentiones: demum ad deputationem Congregationis particularis nonnullorum eorumdem S. R. E. cardinalium et Romanae Curiae praelatorum pro negotio huiusmodi examinando deventum fuit. Verum, quia nonnulli fratres missionarii dictae provinciae per decretum cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum in possessione seu quasi

2 Male edit. Main. legit *illic* pro *illi* (R. T.).
3 Praeposit. *ad* delenda videtur (R. T.).

possessione praecedentiae, qua fruebantur, manuteneri obtinuerant, pro parte sese huic rei opponentium habito adversus eiusmodi decretum ad felicis recordationis Clementem PP. XI praedecessorem pariter nostrum recursu, ipse Clemens praedecessor per tunc quoque existentem auditorem suum mandavit, nihilominus[1] innovandum esse, neque dictum decretum executioni demandandum fore, donec et quousque controversia per praefatam Congregationem particularem cardinalium et praelatorum ab eo deputatam resolveretur, ac interim servari debere in omnibus et per omnia supradictas Alexandri praedecessoris litteras. Cumque, sicut nobis quoque innotuit, curâ et studio graviorum dictae provinciae religiosorum, qui concitatos illius fratrum animos placare, et, ne huiusmodi lis et quaestio in publicum efferretur, impedire adnixi sunt, Congregatio particularis cardinalium et praelatorum ad illam cognoscendam et decidendam deputato, prout praemittitur, hactenus minime habita fuerit:

Statuit ut in rubrica.

§ 4. Hinc est quod nos, attendentes, nihil magis spiritui humilitatis, quem fratres Ordinis praefati in primis profitentur, adversari, quam similes super praecedentiâ inter eos agitari contentiones et aemulationes, quae religiosae et fraternae quoque invicem charitatis serenitatem obnubilare consueverunt, simulque considerantes, rationi ac recto ordini consentaneum esse ut fratres dictae provinciae Romanae unam eamdemque praecedendi formam per enarratas generales totius Ordinis constitutiones ac Urbani praedecessoris litteras praescriptam, quam tenent fere omnes reliquae ipsius familiae cismontanae provinciae, observent: motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, litem et causam super eâdem praecedentiâ in memoratâ Congregatione particulari cardinalium et praelatorum seu alibi ubicumque pendentem (illius statum ac merita et alia quaecumque, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et specificatis habentes) in statu et terminis, in quibus de praesenti reperitur, ab eâdem Congregatione particulari cardinalium et praelatorum ac quibuscumque aliis iudicibus et tribunalibus ad nos harum serie avocamus, illamque perpetuo supprimimus et extinguimus, ac perpetuum desuper silentium imponimus.

Praecipitur, ut serventur constitutiones generales quoad praecedentiam editas et ab Urbano VIII approbatas.

§ 5. Praeterea generales constitutiones quoad praecedentiam pro fratribus eiusdem Ordinis editas ut praefertur, emanatasque desuper supradictas Urbani praedecessoris litteras quarum initium est *Aliàs, etc.*, in praefatâ provinciâ Romanâ ab omnibus et singulis illius fratribus deinceps exacte et inconcusse servari, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, tenore praesentium praecipimus et mandamus.

Clausulae.

§ 6. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, nec de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, ad terminos iuris reduci, in controversiam vocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, ac etiam motu, scientiâ et

1 Forsan legendum *nihil omnino* (R. T.).

potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo unquam posse, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores ac praedictae S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, et alios quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatoriae. § 7. Non obstantibus supradictis Alexandri praedecessoris litteris, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praefatorum Ordinis et provinciae, etiam, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI decembris MDCCXXVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 16 decembris 1728, pontif. anno V.

CCLIII.

Conceditur facultas definitorio generali Congregationis Hispaniarum canonicorum regularium Ordinis Praemonstratensis creandi unum vocalem in quolibet capitulo generali[1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Causae huius concessionis. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni definitores generales Congregationis Hispaniarum canonicorum regularium Ordinis Praemonstratensium, quod, cum in dictâ Congregatione multoties reperiantur aliqui canonici regulares titulo seu gradu praedicatorum generalium insigniti, et alii virtute ac meritis praestantes, qui progressus in litterarum studiis facere, dictaeque Congregationis decus ac dignitatem augere adnituntur, in capitulo vero generali eiusdem Congregationis pauci vocales adesse consueverunt, ipsi exponentes, quo religiosi ac litterarii eiusmodi canonicorum regularium labores aliquo condigno praemio donentur, definitorio generali eiusdem Congregationis unum ex praedictis canonicis regularibus in singulis capitulis generalibus vocalem creandi ac constituendi, facultatem tribui plurimum desiderent: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio praedictae facultatis. § 2. Nos igitur, ipsorum exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas[1] fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eiusdem modernis et pro tempore existentibus definitoribus generalibus dictae Congregationis Hispaniarum, ut ipsi in quolibet capitulo generali dictae Congregationis unum ex praefatis canonicis regularibus, qui titulo seu gradu praedicatoris generalis insignitus reperiatur, aut aliàs doctrinâ et

1 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

1 De habitu, missali et breviario Praemonstranensium dictae Congregationis Hispaniarum vide Clementis XI const. ed. MDCCV, die XXX maii, pontif. V.

1 Edit. Main. legit *absolutos* (R. T.).

meritis refulgeat, vocalem eiusdem capituli generalis, cum omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, honoribus et oneribus quibus alii vocales huiusmodi utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti frui et gaudere possunt, creare, constituere et declarare libere et valide possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Derogatoriae. § 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Congregationis et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII decembris MDCCXXVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 17 decembris 1728, pontif. anno V.

CCLIV.

Confirmatur chirographum, quo denuo gubernium Castri Gandulphi unitum fuit praefecturae palatii apostolici, cum nonnullis declarationibus et facultatibus [1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Æquitatis ac iustitiae ratio, ac praeclara venerabilis fratris Camilli patriarchae Costantinopolitani, palatii nostri apostolici praefecti, in nos et Apostolicam Sedem fidei et devotionis, aliaque multiplicia merita, assiduis, quos pro nobis et eâdem Sede indefesse sustinet, laboribus coniuncta, postulant ut non solum ea, quae ad eius suorumque in praefecturâ palatii apostolici huiusmodi successorum favorem a nobis prodierunt, quo inconcussa iuxta mentem et intentionem nostram firmiter subsistant, apostolicae confirmationis praesidio roboremus, sed etiam uberioribus illum in dies favoribus et gratiis prosequamur.

Aliàs per chirographum denuo gubernium Castri Gandolphi praefecturae palatii apostolici unitum. § 1. Cum itaque aliàs, postquam dilectus filius noster Annibal S. R. E. presbyter cardinalis Albanus nuncupatus, eiusdem S.R.E. camerarius, gubernium terrae nostrae castri Gandulphi Albanensis dioecesis, quod per aliquot annos exercuerat, et antea praefecturae ipsius palatii apostolici cum plenariâ iurisdictione ac independenter a quocumque alio tribunali annexum esse consueverat, sponte in manibus nostris dimisisset, nos, volentes ut huiusmodi gubernium praefecturae praefatae, eisdem[1] modo et formâ quibus olim reperiebatur, tametsi hoc medio tempore, quo ab eâdem praefecturâ separatum fuerat, quaedam in illo innovationes quoad exercitium iurisdictionis factae fuissent, de cetero quoque annexum remaneret, per chirographum manu nostrâ subscriptum et eidem Camillo patriarchae et praefecto directum, gubernium dictae terrae praefecturae praefatae, cum omnibus et singulis privilegiis, honoribus, praerogativis, ac plenariâ et privativâ iurisdictione in negociis et causis civilibus et criminalibus praefecti eiusdem palatii pro tempore existentis, independenter a quocumque alio tribunali, ac nonnisi nobis et pro tempore itidem existenti Romano Pontifici immediate subiectum, denuo univimus et annexuimus, statuentes, quidquid dicto tempore intermedio in contrarium praemissorum actum fuisset, nullum statum in praeiudicium ipsius praefecturae facere seu fecisse, ac, quatenus opus esset, revocantes et annullantes quodcumque in-

1 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

2 De iurisdictione et facultatibus praefecti palatii apostolici, vide aliam huius Pontificis const. ed. MDCCXXVIII, die XXIV septembris, pontif. V.

1 Edit. Main. legit *eidem* pro *eisdem* (R. T.).

dultum, mandatum et chirographum adversus praemissa quomodolibet emanatum; et insuper memorato Camillo patriarchae et praefecto, ut, ratione gubernii huiusmodi, negociis et causis criminalibus praefatis se immiscere, ac in eis consilium, mandata et iussiones tam verbo quam in scriptis dare, et debitae executioni demandare, seu demandari facere, etiamsi sanguinis effusio, membrorumque mutilatio, seu etiam mors inde sequeretur, libere et licite, ac absque ullo irregularitatis aut censurae ecclesiasticae incursu, posset et valeret, dummodo tamen a sententiâ in causâ sanguinis per ipsum ferendâ abstineret, indulsimus; et aliàs, prout uberius continetur in dicto chirographo tenoris qui sequitur, videlicet:

Chirographum praedictum Camillo Cybo, tunc palatii apostolici praefecto directum.

« Monsignor Camillo Cybo patriarca di Costantinopoli e maggiordomo del nostro palazzo apostolico. Avendo il reverendissimo cardinale Annibale Albani dimesso nelle nostre mani il governo di Castel Gandolfo dal medesimo esercitato per il passato, e che per prima era stato sempre unito alla prefettura del nostro palazzo apostolico con piena giurisdizione, independentemente da qualsivoglia altro tribunale; volendo riunire il suddetto governo, nello stato, modo e forma che prima si ritrovava, non ostante che in questo tempo intermedio fossero seguite delle innovazioni in ordine al medesimo nell'esercizio della sua giurisdizione, di nostro moto proprio, certa scienza, e pienezza della nostra potestà, riuniamo il suddetto governo alla prefettura del palazzo apostolico, con tutti e singoli privilegî, onori, prerogative, e con plenaria e privativa giurisdizione, tanto nelle materie civili, quanto che nelle criminali, del nostro maggiordomo *pro tempore*, independentemente da qualsivoglia altro tribunale, e solo a noi immediatamente soggetto; volendo che tutto ciò, che si fosse praticato in contrario nel tempo intermedio, non abbia da fare alcun stato in pregiudizio di detta prefettura, rivocando anche ed annullando, quando faccia di bisogno, ogni altro indulto, ordine e chirografo che vi potesse esser in contrario, ancorchè richiedessero speciale ed individua menzione, il tenore dei quali si abbia qui per espresso di parola in parola, essendo così mente e volontà nostra; ed affinchè detta riunione di governo nello stato e forma di prima, ed esercizio di plenaria e privativa giurisdizione, da[1] ogni altro tribunale, eccetto che da noi, independente, abbiano il loro pieno effetto, concediamo a voi con la nostra apostolica potestà la libertà, quando però ne abbiate di bisogno, e quando le facoltà ordinarie della prefettura del nostro palazzo non si stendessero anche al detto governo, di potervi lecitamente ingerire in qualunque negozio e causa criminale per conto del medemo governo, quante volte vi occorrerà, con dare, eseguire, o far eseguire qualunque consiglio, ordine e mandato in voce o in scritto, ancorchè ne seguisse effusione di sangue, mutilazione di membri, ed anche la morte, senza che perciò incorriate in veruna irregolarità o censura ecclesiastica, purchè vi asteniate dal proferire per voi stesso sentenza di sangue; volendo e decretando che il presente nostro chirografo, ammettendosi e registrandosi in Camera e ne' suoi libri a tenor della Bolla di Pio IV nostro predecessore *De registrandis*, vaglia ed abbia forza e vigore, non ostante qualsivoglia altra costituzione ed ordinazione apostolica nostra, e de' nostri

1 Edit. Main. legit *di* pro *da* (R. T.).

predecessori, leggi, statuti, riforme, usi, stili, consuetudini, e qualsivoglia altra cosa che facesse o potesse fare in contrario; alle quali tutte, e singole, avendone qui il tenore per espresso e di parola in parola inserto, per questa volta sola, ed all'effetto suddetto, pienamente deroghiamo. Dato dal nostro palazzo apostolico in Vaticano questo dì XVII aprile MDCCXXVIII

BENEDICTUS PAPA XIII».

Admissio in Camera praedicti chirographi.

Die XX aprilis MDCCXXVIII supradictum chirographum Sanctissimi in plena Camerâ exhibitum et praesentatum fuit, illudque commissum illustrissimo et reverendissimo domino Pamino Passarino Camerae Apostolicae clerico, et in Camerâ concistoriali diei XXIV eiusdem mensis, ad relationem praefati illustrissimi et reverendissimi domini Passarini, citato illustrissimo et reverendissimo domino Nicolao Lana dictae reverendae Camerae commissario generali, admissum et registratum fuit in libro signaturarum Sanctissimi sub folio 120. — *Ita est:* ANTONIUS PETRUCCIUS Camerae Apostolicae secretarius.

Confirmatio relati chirographi.

§ 2. Nunc autem nos, considerantes validiora et stabiliora esse illa quae apostolici muniminis fulciuntur patrocinio, ac proinde praemissorum firmiori robori et efficaciae peramplius prospectum esse cupientes, simulque eidem Camillo patriarchae et praefecto rem gratam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, motu proprio, non ad ipsius Camilli patriarchae et praefecti vel cuiuscumque alterius pro eo nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praeinsertum chirographum, omniaque et singula in eo contenta et in executionem chirographi huiusmodi facta et gesta, ac inde secuta et secutura quaecumque, tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae ac inviolabilis et irrefragabilis apostolicae firmitatis robur, efficaciam et validitatem adiungimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti et solemnitatum quarumcumque, quantumvis formalium et substantialium et de iure, statuto, stylo seu consuetudine, sive ex constitutionum et ordinationum apostolicarum etiam consistorialium praescripto et aliàs quovis modo etiam de necessitate in similibus observandarum et requisitarum[1], et alios quoscumque etiam inexcogitatos et inexcogitabiles defectus, si qui in praemissis quomodocumque et qualitercumque intervenerint, aut intervenisse dici, censeri, intelligi vel praetendi unquam possent, plenissime supplemus et sanamus, ac penitus et omnino tollimus, removemus et abolemus.

Declarationes quaedam.

§ 3. Praeterea, attentâ connexione et dependentiâ, quas gubernium dictae terrae habet cum praefecturâ eiusdem palatii apostolici, ne aliqua progressu temporis dubitandi oriatur occasio, praefatam plenariam ac privativam et a quocumque tribunali independentem iurisdictionem in causis et negociis civilibus et criminalibus dictae terrae eidem Camillo patriarchae moderno seu pro tempore existenti praefecto palatii apostolici, sicut praemittitur, competentem, eiusdem plane naturae, extensionis et qualitatis esse et censeri debere, ac illam, quam ipsi praefecto palatii apostolici quoad causas familiarium nostro-

1 Edit. Main. legit *observandam et requisitam* (R. T.).

rum seu Romani Pontificis huiusmodi per alias nostras desuper in simili formâ Brevis die XXIV mensis septembris proxime praeteriti expeditas litteras, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, concessimus et indulsimus[1], prout etiam ad causas mixtas dictaeque terrae comitatum et districtum extendi, ac illas et illos comprehendere, harum serie statuimus et declaramus.

Facultates nonnullae.

§ 4. Porro eumdem Camillum patriarcham modernum, ac pro tempore existentem dicti palatii apostolici praefectum, utpote nostris seu Romani Pontificis praedicti obsequiis continuo addictum, in praefatâ terrâ Castri Gandulfi eiusve comitatu et districtu residere non posse attendentes, quo praemissa plenius faciliusque suum sortiantur effectum, eidem Camillo patriarchae moderno et pro tempore existenti praefecto huiusmodi, ut etiam in almâ Urbe et Romanâ Curiâ omnimodam iurisdictionem praefatam in negociis et causis civilibus et criminalibus ac mixtis, quae ad illum in terrâ, comitatu et districtu praedictis, ut praefertur, spectat, per se ipsum seu auditorem aut locumtenentem suum in omnibus et per omnia ac in quavis instantiâ, etiam restitutionis in integrum et recursuum, perinde ac si in eiusmodi terrâ, comitatu et districtu personaliter resideret, et inibi causas praefatas cognosceret et terminaret, seu cognosci et terminari faceret, exercere libere et licite possit et valeat, et quibusvis iudicibus quacumque auctoritate, dignitate et praeeminentiâ ecclesiasticâ vel saeculari etiam in ipsâ Curiâ praefulgentibus inhibendi, ne in causis, quae ad suam omnimodam iurisdictionem huiusmodi pertinent, se intromittant, sed illas ad se seu auditorem vel locumtenentem suum, ut praefertur, remittant, omniaque et singula in praemissis et circa ea necessaria et quomodolibet opportuna faciendi, dicendi, gerendi et exequendi, plenam et liberam facultatem et licentiam, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, harum serie concedimus et impartimur, ita tamen quod propterea non liceat praefatis Camillo patriarchae moderno et pro tempore existenti praefecto, seu auditori vel locumtenenti suo, ratione gubernii praedicti carcerari facere in eâdem Urbe aliquem etiam ex terrâ, comitatu et districtu, neque aliquam executionem personalem, realem vel mixtam extra terram, comitatum et districtum praedictum facere.

Clausulae.

§ 5. Decernentes, ipsas praesentes litteras de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel quocumque alio defectu seu nullitate impugnari non posse, sed semper validas et efficaces fore et esse, sicque in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et eiusdem S. R. E. cardinalem, etiam camerarium, necnon Camerae Apostolicae praesidentes clericos, et quosvis alios quavis auctoritate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac regulâ nostrâ de iure quaesito non tollendo, necnon felicis recordationis Pii Papae IV praedecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse Camerae Apo-

[1] Verba *concessimus et indulsimus* addimus ex loco parallelo supra const. CCXLI, pag. 725, linea 1 (R. T.).

stolicae praedictae concernentibus in eâdem Camerâ intra certum tunc expressum tempus praesentandis et registrandis, itaut praesentes litteras ibidem praesentari et registrari nunquam necesse sit, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac stylo et usu Urbis et Curiae huiusmodi, et tam eiusdem Urbis, quam terrae, comitatus et districtus praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, eorumque reformationibus et novis additionibus, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis et iudicibus sub quavis formâ concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum et quorumcumque aliorum hic forsan exprimendorum et inserendorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xx decembris MDCCXXVIII, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 20 decembris 1728, pontif. anno v.

CCLV.

Confirmatur decretum de prohibitione libri, cui titulus Istoria delle guerre di Europa del marchese Francesco Maria Ottieri [1].

[1] Constit. edit. MDCCXXVIII, die 15 iunii, pontificatus v, damnati fuere alii duo libri gallico idiomate scripti; et constit. edit. MDCCXXIX, die 8 octobris, pontif. vi, annullantur quaedam folia eodem idiomate exarata contra recitationem officii S. Gregorii VII.

Decretum sacrae Congregationis eminentissimorum et reverendissimorum dominorum S. R. E. cardinalium a sanctissimo domino nostro Benedicto Papa XIII, sanctâque Sede Apostolicâ, ad indicem librorum eorumdemque prohibitionem, expurgationem et permissionem in universâ republicâ christianâ specialiter deputatorum, ubique publicandum.

Decretum praedictum Sacrae Congregationis Indicis, quo praedictus liber prohibitus fuit.

Sacrae Indicis Congregationis decreto damnatus et prohibitus fuit ubicumque et quocumque idiomate impressus imprimendusve liber cui titulus: *Istoria delle guerre avvenute in Europa e particolarmente in Italia per la successione alla monarchia delle Spagne, dall'anno* 1696 *all'anno* 1725, *scritta dal conte e marchese Francesco Maria Ottieri, accademico della Crusca, Roma*, 1728: tamquam continens expressiones offensivas et iniuriosas principibus, necnon aliquibus nationibus, atque viris sanguine, dignitate ac principum ministeriis conspicuis, et narrationes rerum minime subsistentium. Nemo itaque cuiuscumque gradus et conditionis praedictum librum in posterum vel imprimat, vel legat, vel retineat. Si quis interim habuerit, inquisitoribus seu locorum Ordinariis, a praesentis decreti notitiâ, tradat, sub poenis in Indice librorum prohibitorum contentis.

Approbatio relati decreti.

Quibus per me infrascriptum secretarium sanctissimo domino nostro Benedicto XIII relatis, Sanctitas Sua decretum sacrae Congregationis approbavit et executioni mandari iussit. In quorum fidem, manu et sigillo eminentissimi et reverendissimi domini cardinalis De Via, supradictae sacrae Congregationis praefecti, presens decretum signatum et munitum.

Romae in palatio apostolico Vaticano, die XVII ianuarii MDCCXXIX.

Dat. die 17 ianuarii 1729, pontif. anno v.

CCLVI.

Conceditur indulgentia plenaria visitantibus die XI *februarii aliquam ex eccle-*

siis fratrum Ordinis Servorum B. M. Virginis ubicumque existentibus[1].

Benedictus Papa XIII,
Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Concessio praefatae indulgentiae plenariae ad septennium tantum.

§ 1. Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris piâ charitate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis fratrum Ordinis Servorum B. M. V., ubicumque existententibus, die XI mensis februarii a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac S. M. E. exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus ad septennium tantum valituris.

Fides habenda transumptis.

§ 2. Volumus autem, ut, si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint; utque praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX ianuarii MDCCXXIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 29 ianuarii 1729, pontif. anno V.

1 Aliae indulgentiae iisdem ecclesiis concessae fuerunt a Clemente XI constit. edit. MDCCIV, die 11 iunii, pontif. IV, pro tertiâ dominicâ septembris.

CCLVII.

Confirmantur privilegia omnia sacro Ordini Cisterciensi adhuc concessa[1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In apostolicae dignitatis fastigio per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam nulle licet meritorum nostrorum suffragio constituti, privilegia, gratias et indulta religiosis Ordinibus, quos tamquam fertilia agri dominici cultorum plantaria sapiens Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum pietas instituit, ac sincerae apostolicae dilectionis prosequimur affectu, provide concessa, ut firma, semper et illibata persistant, apostolici muniminis nostri praesidio libenter roboramus.

Ordo Cisterciensis pluribus privilegiis tum a Romanis Pontificibus, tum ab aliis principibus ornatus existit.

§ 1. Nuper siquidem pro parte dilecti filii Andochii Pernot abbatis generalis totius Ordinis Cisterciensis nobis expositum fuit, quod idem sacer et inclytus Ordo a S. Roberto primo illius abbate fundatus, et abinde mirifice propagatus, atque a domino Bernardo Ecclesiae doctore mellifluo illustratus, ita alumnorum suorum sanctimoniâ praefulsit, omnigenae virtutis floribus vernavit, ac uberrimis redundavit fructibus, ut illius odor, sicut agri pleni suavitas cui Dominus benedixit, totam repleverit Ecclesiam, et veluti fons hortorum irriguus ceteros religiosos Ordines fecundaverit, unde Deo et hominibus acceptus multis privilegiis et indultis nedum a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, verum etiam ab imperatoribus regibusque et aliis sublimibus principalibus[2], quo Ordo praedictus illiusque monachi liberius divinis officiis vacare et adversus quoscumque ausus

1 Similis confirmatio facta fuit a Sixto V const. edit. MDLXXXVI, die 17 maii, pontif. II.

2 Nescio an legendum *principibus* (R. T.).

ac noxios incursus sese tueri possent, muniri ac donari promeruerit, quae novissime a felicis recordationis Sixto Papa V praedecessore nostro confirmata ac innovata fuerunt per quasdam suas desuper in simili formâ Brevis die XVII maii MDLXXXVI expeditas litteras tenoris qui sequitur, videlicet:

Constitutio Sixti V qua privilegia praedicta confirmata et innovata fuere.

§ 2. *Sixtus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.* Pontifex Romanus primarius Christi Dei, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII maii MDLXXXVI, pontificatus nostri anno II.

Confirmatio ut in rubrica.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, idem Andochius abbas generalis, experientiâ ipsâ edoctus eam esse rerum humanarum vicissitudinem ut optimae etiam leges et privilegia facile hominum temporumve iniuriâ infringantur atque sensim labefactentur nisi novis praesidiis saepius fulciantur, praemissa, quo firmius subsistant serventurque exactius, apostolicae confirmationis nostrae robore constabiliri plurimum desideret: nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, qui praedictum Ordinem Cisterciensem praeclaris in Ecclesiâ Dei meritorum decoribus ac laudum praeconiis eximie ac longe lateque fulgentem in visceribus paternae gerimus charitatis, ipsius Andochii abbatis generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ac etiam motu proprio et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praeinsertas Sixti V praedecessoris litteras, ac omnia et singula in eis contenta, necnon privilegia, praerogativas, immunitates, exemptiones, libertates, indulgentias, conservatorias, facultates, indulta et alias gratias universo Ordini praefato, eiusque monasteriis, capitulo generali, definitoribus, superioribus, monachis et personis quibuscumque per memoratos et alios quoslibet Romanos Pontifices praedecessores nostros concessa et innovata (quatenus tamen non fuerint revocata, aut sub aliquâ revocatione comprehensa, et aliàs iuxta easdem Sixti V praedecessoris litteras), tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui in praemissis quomodolibet intervenerint, supplemus, necnon, quatenus opus sit, illa omnia et singula, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, harum serie innovamus seu de novo concedimus et indulgemus.

Clausulae cum derogatoriis.

§ 3. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel quovis alio defectu notari, argui vel impugnari nullatenus posse, sed semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et quandocumque spectabit in futurum, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordina-

[1] Reliqua vide in tom. VIII, pag. 706 et seq. (R. T.).

rios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praedictae cardinales, etiam de latere legatos, ac Sedis Apostolicae nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis quae in praeinsertis Sixti V praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 5. Volumus quoque, ut praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subcriptis, et sigillo abbatis generalis alteriusve ex superioribus Ordinis huiusmodi munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXV ianuarii MDCCXXIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 25 ianuarii 1729, pontif. anno V.

CCLVIII.

Mandatur publicari decretum canonizationis B. Ioannis Nepomuceni [1].

Benedictus Papa XIII.

Decretum Pragense canonizationis B. Ioannis Nepomuceni, canonici ecclesiae metropolitanae Pragae.

Refertur decretum praedictum.

§ 1. Cum a sanctissimo domino nostro Benedicto XIII, die XI ianuarii anni currentis MDCCXXIX, coacta coram se fuerit Congregatio generalis sacrorum rituum, in eâque per reverendissimum dominum cardinalem de Althan ponentem seu relatorem proposita causa Pragensis canonizationis B. Ioannis Nepomuceni ecclesiae metropolitanae Pragae canonici, super dubio: *An et de quibus miraculis constet in casu, et ad effectum de quo agitur;* Sanctitas vero Sua, auditis tunc votis dominorum consultorum et reverendissimorum dominorum cardinalium, post fusas ad Deum preces, die XVIII eiusdem mensis Cathedrae Romanae divi Petri sacrâ, ex propositis miraculis, sequentia approbaverit: nimirum, primum *perrennis incorruptionis linguae B. Ioannis in secundo genere;* secundum in actu recognitionis eiusdem linguae coram Pragensi archiepiscopo aliisque iudicibus a Sede Apostolicâ delegatis pluribusque de clero et populo nobilibusque viris patratum, videlicet: *repentinae intumescentiae et mutationis coloris praedictae linguae, item in secundo genere;* quartum, *instantaneae sanationis Annae Theresiae Cretsin a paralysi in brachio sinistro, in tertio genere;* et sextum *praeservationis a submersione Rosaliae Hodanchiane, quae in flumen deciderat, similiter in tertio genere:*

Conficitur in alterâ Congregatione decretum pro canonizatione.

§ 2. Tandem ad instantiam reverendi patris domini Ioannis Rodulphi Sporck, episcopi Adratensis electi, canonici metropolitanae Pragae et postulatoris, habita fuit die XV februarii eiusdem anni coram praedicto sanctissimo domino nostro alia Congregatio generalis eorumdem sacrorum rituum, propositoque per memoratum reverendissimum dominum cardinalem ab Althann altero, quod supererat in eâdem causâ, dubio, an scilicet, *stante approbatione quatuor miraculorum, tuto quandocumque procedi possit ad solemnem canonizationem ipsius*

[1] Aliâ huius Pontificis const. edit. MDCCXXVI, die 31 decembris, pontif. III, publicata fuit canonizatio B. Stanislai Kostkae.

beati, in casu, etc.; omnibusque unanimi sententiâ *affirmative* respondentibus: idem sanctissimus dominus noster, accitis postmodum coram se reverendo patre domino Carolo Alberto Cavalchino, archiepiscopo Philippensi, fidei promotore, et me infrascripto sacrae Congregationis secretario, praesens canonizationis B. Ioannis Nepomuceni quandocumque faciendae decretum expediri et publicari mandavit. Die XVI eiusdem mensis februarii et anni MDCCXXIX.

Dat. die 16 februarii 1729, pontif. anno V.

CCLIX.

Mandatur peculiari chirographo erectio collegii Cerasoli nationis Bergomensis, eiusque unio collegio Urbis nobilium, vulgo Nazareno [1].

Benedictus Papa XIII.

Monsignor Francesco Maria Pittoni, vescovo d'Imeria, nostro auditore.

Testamentum Flaminii Cerasola refertur.

§ 1. Ci è stato rappresentato per parte del conte Girolamo Cerasola di Bergamo, che il fu Flaminio Cerasola nel di lui testamento rogato per gli atti del Salvetti, notaro di questa nostra città, li 10 novembre 1640, istituì, sopra tutti i suoi beni che possedeva in Roma, una perpetua primogenitura e *fideicommisso* a favore del fu Girolamo Cerasola seniore, e de' di lui descendenti si maschi che femmine in infinito, con ordine di primogenitura, col peso però che dei frutti di detti suoi beni si dovessero investire ogni anno scudi trecento, e sempre moltiplicarsi per fino a tanto che con questi si fosse costituito un capitale sufficiente per l'erezione e mantenimento perpetuo di un collegio in questa stessa città, quale dovesse chiamarsi il collegio Cerasola, capace di sei alunni Bergamaschi, sotto la direzione di un rettore e d'un pedante, nella maniera e forma e cogli stessi ordini, regole e statuti co'quali si trovava già di quel tempo eretto il collegio Mattei; e perchè il detto Girolamo Cerasola, suo primo erede istituito, si trovava fuori di Roma, e che perciò non poteva assistere all'adempimento di questa sua volontà, nominò e dichiarò suoi esecutori testamentari ed amministratori perpetui di detta sua eredità li guardiani *pro tempore* della Compagnia de' Ss. Bartolomeo et Alessandro della nazione Bergamasca, incaricando a questi il peso di fare detto investimento e moltiplico, e di adempire con ogni possibile sollecitudine l'erezione di detto collegio; et affinchè questi non ricusassero tale amministrazione, lasciò alla stessa Compagnia un legato di scudi cento annui, da detraersi e ritenersi prima di ogni altra cosa dai frutti delli stessi beni primogeniali, col solo peso in perpetuo d'una messa quotidiana ed un anniversario, dando insieme agli stessi guardiani la facoltà di nominare li sei alunni, seguita che fosse l'erezione di detto collegio, unitamente col total governo del medesimo, e sostituendo inoltre detto collegio alla successione dell'intiera eredità in caso di mancanza delle linee mascoline e femminine dell'erede istituito;

Verum rebus negligenter ab exequutoribus administratis, variae ortae sunt lites ab haeredibus substitutis intentatae.

§ 2. E che sin dall'anno 1641 li predetti guardiani esecutori testamentari entrarono in possesso dell'amministrazione di tutti i beni di detta primogenitura, e da detto tempo fino all'anno

1 Aliâ huius Pontificis const. edit. MDCCXXVIII, die 28 iunii, pontif. V, quaedam capitalia applicata fuere seminario Civitatis Plebis; et Clementis XII const. edit. MDCCXXXI, die 6 novembris, pontif. VI, confirmantur nonnulla statuta pro bono regimine quorumdam seminariorum Hispaniae.

1708, dopo il decorso di anni sessantaotto, non poterono gli eredi istituiti e sostituiti godere verun frutto di detta primogenitura, poichè le entrate di esse, amministrate da'detti esecutori testamentari con poca diligenza ed economia, appena erano sufficienti alla soddisfazione del legato ed adempimento del moltiplico, ed altri pesi e legati pii ordinati dal testatore; e che dopo la morte del suddetto Girolamo Cerasola seniore, primo erede istituito, portatosi a Roma il conte Gerardo Cerasola di lui figlio, padre di esso supplicante, l'anno 1662, e nuovamente l'anno 1704, bramando godere una volta qualche beneficio di detta primogenitura, intentò giudizio contro detti guardiani esecutori testamentari per l'immissione al possesso de'beni di detta primogenitura, ed alla totale amministrazione di essi, attesa la sua attuale permanenza in Roma, e dopo una lunga e dispendiosa lite sostenuta nel tribunale della nostra Rota, gli riuscì ottenere con due sentenze conformi l'immissione al possesso de' capitali spettanti alla primogenitura impugnata sì pertinacemente da' detti guardiani, quali poi rinunciarono alla lite, con restare a loro peso la continuazione del moltiplico co'frutti de' capitali già sino a quel tempo investiti e moltiplicati; alla qual lite si aggiunse anche l'altra non meno strepitosa e dispendiosa, proseguita anche dallo stesso supplicante dopo la morte di detto conte Gerardo suo padre sino al presente, avanti ad una Congregazione particolare di prelati deputata dalla felice memoria di Clemente XI nostro predecessore sopra il rendimento de' conti dell'amministrazione fatta da detta Compagnia e suoi guardiani *pro tempore*, e sopra l'effettiva aperizione di detto collegio; nella qual Congregazione venuta a causa anche la fabbrica di S. Pietro per il ritardato adempimento di detta opera pia, dopo varie perizie giudiziali, fu da detta Congregazione riconosciuto apertamente con quanta negligenza fossero state amministrate dette rendite, poichè sotto li 17 febbraio 1726 fu da detta Congregazione particolare condannata la Compagnia suddetta a dover reintegrare il moltiplico destinato per il collegio Cerasola nella quantità di luoghi settantaquattro di monti per l'importo di scudi ottomila cinquecentodieci non investiti a suo debito tempo, abilitando insieme la medema a poter per detta somma crearne un censo a favore di detto moltiplico, e a pagarne i frutti alla ragione de' luoghi de' monti, e ordinando che il collegio dovesse aprirsi in principio dell'anno 1727; per quale aperizione noi con nostro Breve spedito li 30 settembre di detto anno 1726 gli prorogassimo il termine ad altri tre anni, permettendogli, durante detta proroga, il libero godimento de' frutti di detto moltiplico in beneficio di detta Compagnia; e proseguitasi da esso supplicante la causa in detta Congregazione particolare sì per detto rendimento de' conti che per lo stabilimento de' capitali necessarî per l'erezione e mantenimento di detto collegio, poichè trovandosi questi ascendere al valore di scudi trentaseimila novecentocinquantasei e quaranta, credeva esso supplicante che fossero esuberanti per tal mantenimento, e che perciò come primogenito e cessionario di detta fabbrica gli si dovesse con tutta giustizia assegnare ed applicare tutto il sopravanzo di detti capitali, non ostanti le valide ragioni dedotte in detta Congregazione particolare, questa con suo rescritto de' 30 settembre 1728 dichiarò che si dovesse onninamente aperire detto collegio in principio del-

l'anno 1730, in cui terminava la detta nostra proroga, coll'assegnamento di tutte le entrate di detto moltiplico, e con facoltà di erogare la somma di scudi seicento de' capitali di esso in provvista delle necessarie supellettili per detta aperizione, tassando anche la pigione di casa dove si dovesse aprire il collegio, che non eccedesse annui scudi centottanta, e condannata inoltre la Compagnia a dover pagare ad esso supplicante la somma di scudi mille per doverli erogare in estinzione de' proprî debiti, l'assolvè da detto rendimento de' conti, dichiarando che questi fossero stati legittimamente resi, e confermando insieme la precedente risoluzione sopra l'imposizione del censo per il valore de' suddetti luoghi settantaquattro dei monti non investiti;

Quibus litibus heredes praedicti pene facultatibus omnibus consumpti sunt.

§ 3. E che per sostenere egli lungo tempo tante dispendiose liti, gli è convenuto, per pura necessità di supplire alle gravi spese di esse e al proprio mantenimento, gravarsi di varî debiti, e in particolare d'un censo in sorte di scudi millecinquecento, imposto l'anno 1720 a favore dell'abadia di S. Gregorio di Roma, con obbligo de' beni di detta primogenitura in vigore d'indulto impetrato dalla felice memoria di Clemente XI nostro predecessore; e per essere continuate anche susseguentemente le spese di dette liti, non avendo perciò egli potuto corrispondere al pagamento de' frutti di detto censo, e molto meno dell'annuo legato di scudi cento dovuto a detta Compagnia dei Bergamaschi, si trova per tal causa sequestrate da molto tempo le sue entrate, dalle quali per sola pietà de' giudici gli è stata assegnata la tenue somministrazione di scudi cinque il mese, insufficienti al proprio necessario mantenimento; vedendosi perciò ridotto in stato sì deplorabile, molto ripugnante alla propria condizione, e così inabilitato a poter passare allo stato matrimoniale per propagare l'agnazione artificiale voluta dal testatore nell'istituzione di detta primogenitura, e che nella lunga serie d'anni ottantanove ancora non si è adempita l'erezione di detto collegio con tanto pregiudizio della propria patria, benchè dal testatore si ordinasse l'adempimento più presto che si fosse potuto;

Hinc preces ultimi haeredis, ut collegium praedictum erigendum uniretur collegio nobilium Urbis, vulgo *Nazareno*, sub quibusdam conditionibus, quae inter ipsum et rectorem dicti collegii convenerant.

§ 4. Egli, sì per veder effettuata con stabilità e profitto l'opera pia, che per dar qualche sollievo alle sue estreme necessità, ha implorato la nostra clemenza, supplicandoci che vogliamo con la nostra suprema autorità unire ed aggregare detto nuovo collegio Cerasola al collegio Nazareno di questa città, e ordinarne in esso l'erezione, e benignamente permettere ad esso supplicante, che, come moderno possessore di detta primogenitura, possa farne l'effettiva erezione ed aggregazione, ed assegnare a detto collegio Nazareno tanti capitali del suddetto multiplico, quanti siano sufficienti per il mantenimento non solo de' sei giovani nazionali secondo la mente del testatore, a nomina perpetua de' predetti esecutori testamentarî, e nella forma prescritta in detto testamento, ma insieme di altri due giovani, quali egli brama aggiungere, a nomina però dello stesso supplicante ed altri primogeniti possessori *pro tempore*, nella forma e con le condizioni espresse in varî capitoli concordati col rettore di detto collegio, tra' quali si conviene, che, per memoria perpetua del testatore e di detto nuovo collegio, sopra una porta di detto collegio Nazareno situata in strada pubblica, visibile agli occhi di tutti, si debba porre l'iscrizione Collegium Cerasoli, o altra consimile.

Capitula quaedam, quibus praedictae continentur.

§ 5. Come da detti capitoli sottoscritti da detto rettore li 21 gennaro prossimo passato del tenore seguente, cioè :

Io infrascritto rettore del collegio nobile detto il *Nazareno* di Roma mi esibisco ed accetto di prendere li sei alunni del collegio Cerasola da erigersi, e respettivamente gli altri due che si vogliono aggiungere, con li seguenti patti però e condizioni : — I. Saranno li suddetti alunni nel predetto collegio ammaestrati non solo in tutto ciò che concerne il santo timor di Dio, la civiltà ed il buon costume, ma ancora in tutte le scienze, cominciando dai primi rudimenti della grammatica, fino a tutta la teologia ; e di più nella geometria, geografia e ogni altra scienza matematica ; e tutti questi studi gli averanno in collegio senza alcuna loro spesa e con tutta comodità senza andare fuori di casa. — II. Li suddetti otto alunni saranno distribuiti secondo la loro età nelle camerate de' signori convittori nobili di detto collegio, da'quali non devranno esser differenti nell'esatta osservanza della disciplina del collegio medesimo, siccome nè meno nella qualità degli abiti, tanto in casa quanto fuori, da provvedersi a proprie spese, essendo tale la mente del testatore. — III. La nomina de' medesimi alunni resterà sempre libera appresso quelli che ha ordinato il testatore, e respettivamente a chi sarà dovuta o riservata dalla Santità di Nostro Signore, li quali però non potranno eleggere alcuno che sia minore d'anni nove o maggiore d'anni sedici, rendendosi a questi difficile la disciplina del collegio ; e nel caso che avessero maggiore età d'anni sedici, resterà in arbitrio del rettore di esso collegio di riceverli secondo le informazioni favorevoli che ne averà ; parimente non potranno eleggere se non chi è nato nobile, in conformità della mente del testatore, il quale vuole che i suoi alunni si eleggano a tenore delle costituzioni del collegio dei signori Mattei di Roma, e diversamente eleggendosi, il collegio suddetto non sarà obbligato ad accettarli. — IV. Se mai accadesse che alcuno de' predetti alunni fosse insofferente ostinatamente, et inosservante delle leggi sostanziali del collegio, o commettesse qualche grave colpa, per cui meritasse di esserne licenziato, in tal caso sarà libero al rettore del collegio poterlo licenziare, acciò non resti tutto il convitto pregiudicato dalla malizia di un solo ; dovrà però prima passarne parola con chi averà la nomina de' medesimi, per buona convenienza, ed acciò possano sostituire altro soggetto. — V. Per gli alimenti de'suddetti alunni si contenterà il collegio che gli si dia un fisso perpetuo assegnamento annuo, da pagarsi tre mesi per tre mesi anticipatamente, e da concordarsi fra li superiori del medesimo collegio ed il signor conte Girolamo Cerasola, odierno erede del pio benefattore ; e siccome il collegio si obbliga a tenere otto luoghi perpetuamente addetti al servizio et educazione de' predetti alunni, senza poterne disporre a favore di altri convittori che se gli presentassero, così non intende che il predetto assegnamento annuo debba cessare, in caso dai signori, ai quali appartiene, si trascurasse la nomina di alcuno de' suddetti alunni, e si lasciasse vacante alcuno degli otto predetti luoghi, ma dovrà correre continuatamente lo stesso annuo assegnamento. — VI. Quando però si stimasse meglio di assegnare al collegio un fondo, ossia capitale certo, sicuro e non fallibile in Roma, che dia il medesimo annuo frutto da concordarsi come sopra, il collegio l'accetterà, a condizione però che resti obbligata l'eredità all'evizione di tal fondo o capitale, per tutti gli accidenti che potessero occorrere, eccetto però se saranno luoghi de' monti camerali e non vacabili. — VII. Acciò poi resti perpetua la memoria del testatore e del collegio Cerasola, si porrà sopra una porta del sopraddetto collegio Nazareno, situata in una pubblica strada, visibile agli occhi di tutti, una iscrizione con le parole seguenti o altre simili : COLLEGIUM CERASOLI. — VIII. Succedendo il caso di qualche lite, che da chiunque potesse muoversi ne'tempi presenti e successivi per causa dell'aggregazione dei suddetti alunni al collegio Nazareno, espressamente si dichiara che il medesimo collegio non intende nè vuole essere

obbligato ad alcuna molestia di lite, ma che debba qualunque molestia e lite assumersi dal sopraddetto erede e suoi successori.

E così mi esibisco, obbligo ed accetto come sopra e nel modo suddetto, avendo sottoscritto la presente di proprio pugno, e corroborata col sigillo del collegio, questo di 21 gennaro 1729. — Paolino di S. Giuseppe, rettore del predetto collegio Nazareno, ecc. *Loco † sigilli.*

Insuper supradictus haeres se obligavit duos alumnos praeter sex a testatore praescriptos in praedicto collegio sese aucturum.

§ 6. Facendo ancora il suddetto accrescimento delli due giovani, a motivo di essersi dal sopraddetto testatore ordinato, che, seguita l'erezione per detti sei, e crescendo in avvenire l'entrata, dovesse accrescersi maggior numero di giovani, benchè quest' accrescimento mai sarebbe stato sperabile, o almeno assai difficile, dall'amministrazione dei guardiani della Compagnia de' Bergamaschi, che per il passato si sono sempre opposti alla detta erezione, pretendendo non essere le rendite del moltiplico neppur sufficienti alla medesima erezione di soli sei, per voler erogare largamente una gran parte di esse rendite nelle altre spese necessarie per l'istessa formale erezione; e che, fatto il suddetto assegnamento ed accettato dal collegio Nazareno e suo rettore suddetto, vogliamo applicare tutto il sopravanzo de' capitali di detto moltiplico, libero ed esente da qualunque vincolo e peso, a beneficio di esso supplicante, affinchè col prezzo di esso possa intieramente soddisfare a' suoi creditori, e così liberare i beni della primogenitura da' predetti sequestri, e insieme sovvenire ad altre proprie urgentissime necessità:

Causae praesentis chirographi.

§ 7. E noi riflettendo che in tal forma vien perfettamente adempita la mente del testatore sinora trascurata, e che questa riuscirà non solo stabile e permanente colla memoria del collegio Cerasola bramata dall' istitutore, attesa l'accordata iscrizione, ma insieme di molto maggior vantaggio della nazione Bergamasca per l' instantaneo accrescimento degli altri due giovani, oltre li sei prefissi dal testatore, e di considerabilissimo profitto di quei che saranno eletti, poichè col buon esempio e direzione sì de' religiosi di detto collegio Nazareno, che degli altri giovani, che in esso in gran numero continuamente si ritengono, e col comodo della moltiplicità delle scuole, che ivi si esercitano, potranno con maggior facilità e beneficio apprendere le virtù cristiane ed ogni qualità di scienze, il che non si potrebbe verisimilmente sperare in un piccol collegio distinto in casa privata composto di soli sei giovani sotto la direzione e cura di un sol rettore ed un pedante secondo l'ordinazione del testatore, senza comodo di scuole in casa, e che non si reca verun pregiudizio alla Compagnia dei Bergamaschi e guardiani di essa, alli quali si riserva l' istessa facoltà di nominare perpetuamente i sei giovani studenti, non dovendosi avere in considerazione l' amministrazione e governo del collegio riservatagli dal testatore, perchè in una Compagnia composta di tanti soggetti, attesa la solita annual mutazione e variazione de' guardiani *pro tempore* destinati esecutori ed amministratori, non può perfettamente adempirsi tal peso con profitto del collegio, e risguardando altresì al presente stato infelice del supplicante possessore di detta primogenitura, al quale, come descendente dal pio testatore, mediante la presente grazia si dà con giustizia e con equità qualche sollievo col sopravanzo del moltiplico proveniente dalle rendite della stessa primogenitura, senza verun pregiudizio dell' Opera Pia, siamo volentieri condescesi a fargliene

la grazia nella forma, come in appresso.

Brevis epilogus omnium, quae ante dicta sunt.

§ 8. Avendo pertanto nel presente nostro chirografo per inserto e di parola in parola registrato l'intiero tenore del testamento del suddetto Flaminio Cerasola, come sopra rogato, dell'ordinazione di detto moltiplico da farsi dalli guardiani *pro tempore* di detta Compagnia de' Ss. Bartolomeo ed Alessandro de' Bergamaschi deputati perpetui esecutori testamentari, dell'obbligo di erigere detto collegio Cerasola, colla prefissione di sei giovani della nazione di Bergamo, sotto la cura di un rettore e di un pedante, e nel modo e forma, ordini e statuti co' quali si trovava già eretto il collegio Mattei, e coll'amministrazione e governo di detti esecutori testamentari, ed altre condizioni, obblighi, dichiarazioni, pesi ed altro in esso prescritto, de' decreti, risoluzioni e sentenze di detta Congregazione particolare, della proroga di tre anni da noi concessa a detta Compagnia ad erigere detto collegio ed applicazione in tanto dell'entrate di detto moltiplico a beneficio della medesima per le cause espresse nell'accennato Breve, del preciso stato, capacità, regole e costituzioni di detto collegio Nazareno, della precisa quantità e qualità de' capitali di detto moltiplico e loro annua rendita, de' debiti, de' quali esso supplicante si trova come sopra gravato, ed ogni altra cosa quanto si voglia necessaria d'esprimersi:

Mandatur praedicto auditori pontificio, ut nonnulla exequutioni mandet ad praedictam unionem conficiendam.

§ 9. Di nostro moto proprio, certa scienza, e pienezza della nostra suprema potestà, vi ordiniamo che in nome nostro diate e concediate, siccome noi diamo e concediamo, al predetto conte Girolamo Cerasola supplicante, ampla ed assoluta facoltà di poter liberamente (e non ostante le riserve e dichiarazioni fatte dal predetto testatore a favore de' guardiani *pro tempore* di detta Compagnia de' Ss. Bartolomeo ed Alessandro de' Bergamaschi, sì rispetto all'erezione che all'amministrazione e governo del collegio erigendo, e qualunque altro ostacolo risultante dalla disposizione del suddetto Flaminio Cerasola, e non ostante le risoluzioni, decreti e sentenze di detta Congregazione particolare e proroga come sopra da noi concessa, alle quali cose tutte colla pienezza della nostra potestà *motu proprio* deroghiamo) istituire ed erigere, e respettivamente unire ed aggregare detto nuovo collegio Cerasoli dentro lo stesso collegio Nazareno, nei modi e forme stabilite e concordate ne' sopra inserti capitoli, colla destinazione in perpetuo de' sei giovani della stessa nazione da eleggersi sempre da' guardiani della detta Compagnia de' Bergamaschi nel modo prefisso in detto testamento, e con l'augumento di altri due giovani della medesima nazione, quando ci siano, ed, in mancanza di questi, anche di qualunque altro luogo e nazione, da nominarsi però da esso supplicante ed altri possessori *pro tempore* di detta primogenitura, e nell'atto di detta erezione assegnare, cedere e rinunciare irrevocabilmente ed in perpetuo a detto collegio Nazareno l'entrante rata de' capitali fruttiferi di detto moltiplico come sopra terminato, quanta sia sufficiente per il mantenimento perpetuo di detti otto giovani, nel modo che si concorderà con li superiori di detto collegio, con far trasferire detta rata di capitali in credito del medesimo.

Unitur praedictum collegium, ut supra, ac praescribitur ad quos spectat alumnos nominare.

§ 10. E seguita per istromento pubblico detta erezione ed assegna, noi uniamo ed aggreghiamo detto collegio Cerasola a detto collegio Nazareno, e

lo soggettiamo a tutte le costituzioni, leggi, statuti e regole di esso collegio, ed adesso, e per quando sarà seguita la stipulazione dell' istromento, consegniamo ed approviamo detta erezione ed aggregazione, dichiarandola valida e legittima, e che con questa sia stata pienamente e intieramente adempita la mente del suddetto Flaminio Cerasola testatore, come se così ed in questa precisa forma fosse dal medesimo ordinato e prescritto, sanando ogni vizio e difetto sì di ragione che di fatto, che da qualunque persona sotto qualunque pretesto e causa si potesse in qualunque tempo allegare e dedurre contro detta erezione e aggregazione, con trasferire al collegio aggregato, e per esso al detto collegio Nazareno, tutti e singoli pesi e prerogative volute e ordinate dal suddetto testatore, siccome se fosse seguita l'effettiva e formale erezione del collegio Cerasola. Ed affinchè questa abbia senza verun ritardo la pronta esecuzione, e che detta nazione Bergamasca non venga defraudata del beneficio di detta erezione, e l'Opera pia non resti in alcun tempo infruttuosa, vogliamo e decretiamo che detta Compagnia e suoi *pro tempore* guardiani, interpellati giudizialmente dell'erezione ed aggregazione di detto collegio, debbano, secondo la facoltà concessagli dal testatore, nominare ed eleggere li sei giovani Bergamaschi che dovranno entrare per alunni in detto collegio, e mancando quelli, di nominare, o li giovani nominati, di accettar la nomina, col portarsi effettivamente al possesso de' luoghi destinati in detto collegio, passati che saranno quattro mesi dal giorno dell' interpellazione, vogliamo che tal nomina per questa sola volta si devolva e spetti a detto signor conte Girolamo Cerasola supplicante, e che l'istesso debba servarsi in tutte l'altre future vacanze di qualche luogo di detti alunni, con la prefissione però del termine d'un sol mese dal giorno della vacanza, con che però detto supplicante ed altri primogeniti successori *pro tempore* debbano nominare giovani dell'istessa nazione, nei quali concorrano sempre li requisiti prescritti dal testatore.

Praescribuntur quaedam alia exequutioni mandanda favore ultimi haeredis supplicantis.

§ 11. E seguita l'assegna, come sopra, de' capitali, che si concorderanno, vi ordiniamo che tutto il sopravanzo di essi capitali del moltiplico (detratta però prima l'entrante rata del valore de' frutti di tutti i capitali dell'intiero moltiplico da noi applicati a detta Compagnia nel sopra riferito nostro Breve a tutto il corrente anno MDCCXXIX non esatti dalla detta Compagnia de' Bergamaschi, alla quale applicazione noi non intendiamo in alcun modo pregiudicare) l'applichiate, rilasciate e condoniate liberamente, conforme noi l'applichiamo, rilasciamo, e condoniamo allo stesso conte Girolamo Cerasola supplicante, libero ed esente da qualunque vincolo ed obbligo, col peso però di far qualche pia elemosina a suo arbitrio a favore della chiesa di S. Biagio chiamata de' Matarazzari, che nuovamente si fabbrica per ordine nostro, affinchè con detto sopravanzo di moltiplico possa esso supplicante soddisfare i suoi creditori, e ricuperare l'entrate della primogenitura, come sopra, sequestrate, ed insieme supplire ad altre sue premurose urgenze; ed a tal fine esimerete e libererete il sopravanzo di detti capitali da tutti li pesi e vincoli di esso moltiplico, erezione e dotazione di detto collegio Cerasola, e da qualunque altro, a quali si trovano presentemente soggetti detti capitali, ed in questa forma, senza far

precedere alcuna citazione o altro atto giudiziale, e senza attendere qualunque inibizione, *nihil transeat*, o altro impedimento di qualsivoglia giudice apposto o che si potesse apporre sopra detti capitali di moltiplico, ne pronuncierete decreti, concederete le opportune facoltà, darete gli ordini opportuni, e tanto per l'assegna e cessione dell'entrante rata di detti capitali, quanto per la cassazione e delezione de' vincoli dal sopravanzo di detto moltiplico e libera consegna a favore di detto supplicante, gliene concederete e farete spedire i necessarî mandati, e farete tutt'altro, che per il totale adempimento e perpetua fermezza e sussistenza di questa nostra grazia stimerete in qualunque modo esser necessario, per esser così mente e volontà nostra precisa ed espressa.

Clausulae amplissimae cum derogatoriis.

§ 12. Volendo e decretando che al presente nostro chirografo, benchè non ammesso nè registrato in piena Camera, non possa mai darsi, nè opporsi di surrezione, orrezione nè di alcun altro vizio o difetto della nostra volontà ed intenzione, nè che mai sotto tali o altri qualunque pretesti ed eccezioni, benchè valide e legittime, anche di *ius quaesito* al terzo, e pregiudizio di esso, possa essere impugnato, moderato, rivocato o ridotto *ad viam iuris*, proibendo anco ogni aperizione *oris*, e che così e non altrimenti in adempimento della nostra precisa volontà debba sempre giudicarsi, definirsi ed interpretarsi da qualunque giudice e tribunale, Congregazioni anche di reverendissimi cardinali, legati *a latere*, camerlengo di santa Chiesa, tesoriere, presidenti, uditori di Rota, chierici di camera, giudici della fabbrica di S. Pietro, e qualunque altro tribunale, togliendo loro ogni facoltà e giurisdizione di definire e d'interpretare diversamente, e dichiarando noi fin d'adesso preventivamente nullo, irrito ed invalido tutto ciò che da ciascheduno di essi, con qualsivoglia autorità, scientemente o ignorantemente, fosse in qualunque tempo giudicato, o che si tentasse di giudicare contro la forma o disposizione del presente nostro chirografo, quale vogliamo che vaglia e debba aver sempre il suo pieno effetto, esecuzione e vigore con la semplice nostra sottoscrizione, benchè non vi siano stati chiamati, sentiti nè citati detta Compagnia de' Ss. Bartolomeo ed Alessandro de' Bergamaschi, e suoi moderni guardiani, agenti e procuratori, gli ulteriori sostituti a detta primogenitura, ed altre qualsisiano persone, ancorchè privilegiate o privilegiatissime che ricercassero speciale ed individua menzione, quali in qualunque tempo vi avessero o pretendessero avervi qualunque interesse, non ostante tutte e singole cose premesse, e specialmente la disposizione del suddetto Flaminio Cerasola, l'obbligo imposto a detta Compagnia e suoi guardiani *pro tempore* di erigere detto collegio sotto la cura di un rettore e di un pedante, e nel modo e forma, e con le regole e statuti del collegio Mattei, e con l'amministrazione e governo perpetuo di detti guardiani esecutori testamentarî, ed altri obblighi, pesi, dichiarazioni ed altro risultante dal sopra riferito suo testamento, le risoluzioni, decreti e sentenze di detta Congregazione particolare, e, per quanto faccia bisogno, l'accennato nostro Breve di proroga e di applicazione, li privilegî competenti alla fabrica di S. Pietro, benchè risultanti da costituzioni apostoliche, la Bolla di Pio IV nostro predecessore *De registrandis*, la regola della nostra Cancellaria *De iure quaesito non tollendo*, decreti camerali

e concistoriali, la costituzione sopra la riforma de' tribunali di questa città da noi pubblicata l'anno MDCCXXVIII, e qualsisiano altre costituzioni ed ordinazioni apostoliche nostre e de'nostri predecessori, benchè munite di forme e clausole anche derogatorie, ed altre più efficaci, effrenate, insolite, inusitate ed irritanti, delle quali se ne ricercasse speciale individuazione, quali vogliamo che si abbiano qui per registrate di parola in parola, la disposizione de' concilî generali e provinciali, leggi civili e canoniche, statuti, riforme, stili, usi, consuetudini, e qualunque altra cosa che facesse o potesse fare in contrario; alle quali tutte e singole, avendone il tenore qui per espresso e di parola in parola inserto, e supplendo noi con la pienezza della nostra potestà pontificia ad ogni vizio e difetto quantunque sostanziale e formale che vi potesse intervenire, e per questa volta sola, e per la piena e totale esecuzione ed effetto si esprime nel presente nostro chirografo, ampiamente ed espressamente deroghiamo.

Dato dal nostro palazzo apostolico Vaticano, questo dì XVIII febbraio MDCCXXIX.

Dat. die 18 februarii 1729, pontif. anno V.

CCLX.

Statuitur alternativa in electione provincialis et definitorum provinciae Brixiensis ex duabus custodiis Brixiensi et Bergomensi faciendâ Ordinis Capuccinorum [1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Pastoralis officii nobis divinitus commissi cura animum nostrum sollicitat ad ea peculiari paternae charitatis studio statuenda, per quae religiosorum virorum, qui, spretis mundi illecebris, Altissimi obsequiis sese sub suavi arctioris vitae iugo devoverunt, quieti et felici regimini opportunis rationibus salubriter consulatur.

Expositio facti. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes Maria a Venetiis, frater expresse professus et definitor et custos provinciae Venetae, necnon commissarius visitator generalis provinciae Brixiensis, Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum, quod, cum dicta provincia Brixiensis constet duabus custodiis seu nationibus, nempe Brixiensi, quae viginti, et Bergomensi, quae tredecim conventus habet, fratres Bergomenses, utpote votorum sive suffragiorum numero inferiores, passim excluduntur ab honore provincialatus, ac etiam a praecipuis guardianatibus, in quibus fratres Brixienses quandoque per sexennium continuum perdurant, unde et ambitus confovetur et iustitia distributiva laeditur, inter quas[1] duas custodias seu nationes praefatas graves contentiones, odia et scandala frequenter, et praesertim occasione celebrationis capitulorum dictae provinciae, oriuntur, non sine notabili religiosae disciplinae et fraternae charitatis detrimento.

Preces visitatoris dictae provinciae, ut praefata alternativa institueretur. § 2. Ideo ipse Ioannes Maria, qui occasione visitationis eiusdem provinciae has turbas et inordinationes animadvertit, animi sui sensum protulit ad occurrendum eiusmodi aliisque incommodis exinde provenientibus plane expedire, quod alternativa in provincialatu praefatae provinciae stabiliatur, ita ut bis minister provincialis ex custodiâ

1 Aliâ huius Pontificis const. ed. MDCCXXVIII, die XVI decembris, pontif. V, erecta fuit custodia Alsatiae Minorum Capuccinorum in provinciam Alsaticam nuncupandam.

1 Edit. Main. legit *quae* pro *quas* (R. T.).

Brixiensi, quae plures habet conventus, ac semel ex custodiâ Bergomensi eligatur; et quia custodia Brixiensis decem ab hinc annis provincialatum huiusmodi obtinet, idem minister provincialis in capitulo provinciali proxime celebrando ex custodiâ Bergomensi assumatur; definitorium[1] vero provinciae praefatae duo ex singulis custodiis huiusmodi esse debeant; guardiani ultra triennium iuxta laudabilem multarum aliarum provinciarum ipsius Ordinis consuetudinem in eorum muneribus perdurare nequeant, ne nimirum regimini et superioritati assuescant, quodque guardianatibus unius custodiae indiscriminatim praeficiantur fratres alterius custodiae, ac familiis conventuum dictae provinciae fratres utriusque custodiae promiscue adscribantur. Quare dictus Ioannes Maria nobis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Statuitur praedicta alternativa ex duabus custodiis Brixiensi et Bergomensi.

§ 3. Nos igitur, ipsius Ioannis Mariae votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut in posterum in praefatâ provinciâ Brixiensi supra memorata alternativa in illius provincialatu exacte servetur, ita quod duobus trienniis minister provincialis ex fratribus custodiae Brixiensis, altero vero triennio ex fratribus custodiae Bergomensis eligatur; et in proximo capitulo provinciali dictus minister provincialis ex eâdem custodiâ Bergomensi assumatur, utque ex singulis custodiis praefatis duo definitores provinciales semper esse debeant, et guardiani ultra triennium in eiusmodi muneribus durare non possint, guardianatus autem unius custodiae absque ullo discrimine conferantur fratribus alterius custodiae, atque in conventibus provinciae praefatae fratres utriusque custodiae de familiâ promiscue ac insimul collocentur et convivant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, statuimus et ordinamus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, etc.[1]

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinis, provinciae, custodiarum et conventuum praefatorum, aliisque, etiam iuramento, etc.[2]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI februarii MDCCXXIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 21 februarii 1729, pontif. anno V.

CCLXI.

Mandatur publicari decretum declarationis martyrii venerabilis servi Dei fratris Fidelis a Sigmaringa Ordinis Capuccinorum[1].

Benedictus Papa XIII.

Decretum Constantiense seu Curiense beatificationis et canonizationis, sive declarationis martyrii venerabilis servi Dei fratris Fidelis a Sigmaringa sacerdotis professi Ordinis S. Francisci Capuccinorum, primi ex mis-

1 Videtur legendum *definitores* vel *definitorum* (R. T.).

1 Ut supra, pag. 471 *a* (R. T.).
2 Ut supra, pag. 471 *a* (R. T.).
1 Alia huius Pontificis const. ed. MDCCXXIX, die XII martii, pontif. V, habetur beatificatio eiusdem.

sionariis sacrae Congregationis de Propagandâ Fide ab haereticis in odium fidei interempti.

Refertur decretum praedictum.

§ 1. Habita fuit Congregatio generalis sacrorum rituum coram sanctissimo domino nostro Benedicto XIII die xv februarii currentis anni MDCCXXIX, in qua per reverendissimum dominum cardinalem Cienfuegos ponentem relatorem, ad instantiam patris fratris Maximiliani a Wanghena postulatoris, proposita fuit causa Constantiensis seu Curiensis beatificationis et canonizationis sive declarationis martyrii venerabilis servi Dei fratris Fidelis a Sigmaringa sacerdotis professi Ordinis sancti Francisci Capuccinorum, super dubio *An constet de martyrio et causâ martyrii, necnon de signis seu miraculis in casu de quo agitur.* In eam autem Sanctitas Sua, auditis tum dominorum consultorum tum reverendissimorum cardinalium suffragiis, nil tunc decernere, sed resolutionem differre voluit, ut prius de more tum suis tum aliorum precibus caelestis luminis et auxilii uberiorem copiam imploraret. Quibus abunde impletis, infrascriptâ die divo Matthiae apostolo sacrâ, postquam in ecclesiâ S. Sixti Ordinis Praedicatorum novissime electum Adratensem episcopum consecrasset, super proposito dubio sequens responsum sive decretum edidit, videlicet: *Constare de martyrio et causâ martyrii, necnon de miraculis:* primo *extinctionis incendii arcis Maienfeldae statim post invocatam servi Dei opem secutae;* quarto *subitae sanationis dexterae mammillae sororis Caeciliae Mansingerin ab inflammatione et acutis doloribus;* quinto *instantaneae sanationis oculi infantis Pauli Francisci Papussin;* et septimo *repentinae sanationis Gasparis Stiher a diuturno dorsi dolore cum laesione motus:* tamquam miraculis tertii generis.

Mandatum ut illud publicaretur.

§ 2. Praesensque beatificationis venerabilis servi Dei Fidelis a Sigmaringa per litteras apostolicas in formâ Brevis cum consuetis indultis in basilicâ Lateranensi quandocumque faciendae[1] decretum expediri et publicari mandavit die XXIV februarii MDCCXXIX.

Dat. die 24 februarii 1729, pontif. anno V.

CCLXII.

Prohibetur, ne conventus quorumvis Ordinum Mendicantium denuo erigerentur in Hispaniis intra quinque aut saltem quatuor leucas a conventibus iam erectis Ordinis Minorum [2].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Apostolici officii, quo, auctore Domino, fungimur, sollicitudo nos admonet, ut, paternam christifidelium, qui e fluctibus saeculi in religiosae vitae portum confugerunt, ac in humilitatis et paupertatis spiritu Altissimi obsequiis sese sub suavi arctioris regulae iugo manciparunt, curam gerentes, felici illorum statui et tranquillitati, quantum nobis ex alto conceditur, consulere satagamus, sicut, rerum, locorum, temporum et personarum qualitatibus maturae considerationis trutinâ perpensis, in Domino expedire arbitramur.

A Clemente VIII hoc idem, quod hac constitutione sancitur, statutum fuit pro provincia Carthaginensi.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster, provide considerans in provinciâ Carthaginensi Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum eam conventuum praedicti Ordinis multitudinem iam existere, ut, si

1 Edit. Main. legit *facienda* (R. T.).

2 Hac de re primo actum fuit a Clemente VIII in constit. edit. MDCI, die 11 iulii, pontif. IX, quae constitutio confirmata deinde fuit ab aliis Romanis Pontificibus.

alii ibidem de novo erigentur[1], illorum religiosi christifidelibus oneri admodum forent, et a puritate regulae, quam profitebantur, desciscere cogerentur, quo sibi eleemosynas ad vitae sustentationem pararent; his aliisque rationibus adductus, de voto Congregationis tunc existentium S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae, per quasdam suas in simili formâ Brevis die XI iulii MDCI expeditas litteras perpetuo statuit et ordinavit, ut deinceps intra quinque aut quatuor leucas a conventibus provinciae et Ordinis praedictorum iam aedificatis nullus fratrum eiusdem Ordinis Recollectorum et Discalceatorum etiam nuncupatorum conventus exmisisset[2]; et subinde, ad tollenda gravia dissidia quae inter fratres Ordinum Mendicantium in diversis partibus Hispaniarum super fundatione novorum conventuum non sine maximo regularis disciplinae detrimento ac populorum scandalo in dies oriebantur[3], recolendae memoriae Alexander VII pluresque allii Romani Pontifices praedecessores nostri memoratas Clementis praedecessoris litteras, praeviis decretis dictae Congregationis cardinalium etiam in contradictorio iudicio emanatis, nedum ad alias Ordinis praefati in regnis Hispaniarum provincias, sed etiam ad omnes fratres Ordinum Mendicantium huiusmodi per diversas eorum in pari formâ Brevis litteras extenderunt et ampliarunt: et aliàs prout in praefatis Clementis et Alexandri aliorumque praedecessorum litteris, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Causae praesentis constitutionis, frequentes nempe conventuum erectiones in veterum damnum.

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, processu temporis varia hac in re ab eâdem Congregatione cardinalium prodierint decreta, quibus praefatas Alexandri aliorumque praedecessorum litteras, enarratam Clementis praedecessoris dispositionem, quae ad fratres Recollectos et Discalceatos huiusmodi limitata fuerat, ad omnes Ordines Mendicantes, ut praefertur, extendentes et ampliantes, tum servandas fore, tum e contrario aliquot ex eisdem Ordinibus Mendicantibus minime obstare resolutum fuit; licetque plures saluberrimae constitutiones, certos modum et formam in fundatione et erectione novorum conventuum regularium omnino praescribentes, a Sede Apostolicâ, et praesertim ab ipso Clemente VIII ac piae memoriae Urbano VIII et Innocentio X Romanis Pontificibus praedecessoribus itidem nostris, severaliter[1] promulgatae fuerint, quia tamen nonnulli ex Ordinibus regularibus ab eâdem Sede novos ubique locorum conventus de solâ Ordinarii licentiâ fundandi specialem facultatem sibi concedi obtinuerunt, tot in dictis regnis Hispaniarum erecti fuerint, ac in dies erigantur novi conventus, ut fratres antiquorum conventuum prope necessariâ careant sustentatione, ac plerasque lites ad impendendam[2] novorum conventuum huiusmodi institutionem coram locorum Ordinariis ac dilecto filio nostro et dictae Sedis in eisdem regnis Hispaniarum nuncio, et formâ stabili, sustinere cogantur, haecque incommoda in primis sentiant fratres supradicti Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ, utpote qui, aliam[3] paupertatem profitentes, ob temporum calamitatem et multiplicitatem novorum conventuum huiusmodi passim excrescentem, necessariam

1 Aptius lege *erigerentur* (R. T.).
2 Forsan *erexisset* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *oriebatur* (R. T.).

1 Sic legit ed. Main. (R. T.).
2 Videtur legendum *impediendam* (R. T.).
3 Forsan legendum *altam* (R. T.).

alimoniam vix consequi, minusque praefatarum litium expensas subire valent:

Pontifex lites has super re pendentes ad se avocat.

§ 3. Hinc est quod nos, eiusdem Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ indemnitati et quieti, simulque antiquorum conventuum conservationi in dictis Hispaniarum regnis, quantum cum Domino possumus, salubriter providere cupientes, ac lites et causas inter eosdem fratres Minores et alios Ordinum Mendicantium praefatorum super erectione novorum conventuum huiusmodi coram Ordinariis locorum nunciove praefatis, aliisque iudicibus et tribunalibus quibuscumque, occasione diversitatis decretorum a dictâ Congregatione cardinalium emanatorum, seu facultatum novos conventus praedictos erigendi concessarum, ut praefertur, vel aliàs quomodolibet exactas et pendentes (quarum omnium et singularum statum et merita, nominaque et cognomina iudicum et collitigantium quorumvis[1] etiam speciali mentione dignorum, ac alia etiam de necessitate exprimenda, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et specificatis haberi volumus) a[2] locorum Ordinariis et nuncio, aliisque iudicibus et tribunalibus huiusmodi harum serie ad nos avocantes, illasque penitus omnino extinguentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ne ullus in posterum quorumvis Ordinum Mendicantium, etiam eiusmodi fratrum Minorum de Observantiâ, in regnis Hispaniarum conventus, sive domus aut locus regularis, vigore quorumcumque privilegiorum a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris seu etiam a nobis hactenus concessorum seu confirmatorum (salvâ tamen et firmâ remanente, quoad Ordinem fratrum Praedicatorum, litterarum nostrarum sub plumbo anno Incarnationis dominicae MDCCXXVII, VII kalendas iunii, pontificatus nostri anno III, expeditarum, quibus per praesentes nullatenus derogare intendimus, formâ et dispositione), aut in vim decretorum a memoratâ Congregatione cardinalium editorum, seu alio quovis praetextu vel causâ, intra quinque aut saltem quatuor leucas a conventibus dicti Ordinis fratrum Minorum de Observantiâ, seu Recollectorum, Discalceatorum, aliove quocumque nomine nuncupatorum iam erectis, sine speciali et expressâ huius Sanctae Sedis licentiâ de novo erigi, fundari, seu aliàs quomodolibet institui, vel inceptus seu incepta perfici et absolvi possit et valeat, tenore praesentium statuimus et prohibemus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras, etiam ex eo quod quicumque etiam specificâ et individuâ mentione et expressione digni in praemissis ius vel interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, specificatae et verificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine pari-

1 Edit. Main. legit *quarumvis* (R. T.).
2 Praep. *a* nos addimus (R. T.).

bus concesso vel emanato quempiam in iudicio et extra illud uti seu se iuvare posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et dictae Sedis nuncios, et alios quoslibet quacumque potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, ac recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII similiter praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dictis, dummodo ultra tres dictas aliquis vigore praesentium in iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quorumcumque Ordinum Mendicantium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, in genere vel in specie, etiam motu et potestatis plenitudine similibus, aut aliàs quomodolibet per nos et Romanos Pontifices praedecessores nostros in contrarium eorumdem praemissorum concessis, ac etiam pluries confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas, causas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter ac exactissime et accuratissime expressis, insertis, servatis et specificatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse ac plenissime et amplissime derogamus et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII martii MDCCXXIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 7 martii 1729, pontif. anno V.

CCLXIII.

Declaratur, illos, qui a S. R. E. communione ecclesiasticâ separati reperiuntur, non esse participes indulgentiae anni iubilaei, aliarumque spiritualium gratiarum[2].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Aliàs ab hoc eodem Pontifice emanaverunt

§ 1. Nuper nos, attendentes, christifideles in civitate et dioecesi Parisiensi

1 Ut supra pag. 72 *b* (R. T.).

2 Hoc iubilaeum pro civitate et dioecesi Pa-

Litterae in forma Brevis pro civitate et dioecesi Parisiensi, indulgentias anni iubilaei, aliasque spirituales gratias concedentes.

diversis impedimentis detentos ad hanc almam Urbem nostram pro caelestibus thesauris anni iubilaei a nobis indicti consequendis accedere non potuisse, et propterea illorum spirituali consolationi et animae saluti providere volentes, supplicationibus dilecti filii nostri Ludovici Antonii S. R. E. presbyteri cardinalis de Noailles nuncupati, metropolitanae ecclesiae Parisiensis ex concessione et dispensatione apostolicâ praesulis, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, per alias nostras desuper in simili formâ Brevis die XIII mensis novembris proxime praeteriti expeditas litteras, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus civitatis et dioecesis huiusmodi, vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, quatuor ecclesias vel cappellas, aut loca pia, per Ordinarium Parisiensem arbitrio suo semel tantum deputandas, per quindecim dies continuos vel interpolatos (quos pro personis infirmis, senibus[1], praegnantibus, virginibus, viduis et aliis quovis alio legitimo impedimento detentis, ac capitulis, congregationibus tam saecularium quam regularium, sodalitatibus, universitatibus, confraternitatibus, ecclesias vel cappellas aut loca pia huiusmodi processionaliter visitantibus, atque ob alias causas, prout ipsi Ordinario videretur, ad minorem numerum arbitrio pariter suo reduci posse voluimus) devote et reverenter vistantibus, et ibi quinquies orationem dominicam et toties solutationem angelicam pro peccatorum suorum remissione, ac christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione, atque Ecclesiae necessitatibus pie ad Deum orando recitantibus, ut plenariam eiusdem anni iubilaei omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem semel tantum consequerentur, perinde ac si quatuor ecclesias dictae almae Urbis pro consequendo iubilaeo eiusmodi deputatas statutis ad id diebus personaliter visitassent et alia ad hoc requisita adimplevissent; et ad hunc effectum illis, ut confessarios, quos praedictus Ordinarius iubilaei huiusmodi causâ in statutis ecclesiis deputasset, sibi eligere valerent, presbyteros saeculares, vel cuiusvis Ordinis regulares, qui, confessionibus eorum diligenter auditis, eos et eorum quemlibet a quibusvis peccatis, criminibus, excessibus ac delictis etiam quantumcumque gravibus et enormibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis, ac in litteris, quae die Coenae Domini legi consueverunt, contentis, necnon censuris et poenis ecclesiasticis, ad effectum ipsius iubilaei consequendum tantum, iniunctâ eis poenitentiâ salutari, absolvere possent; necnon ut illi, qui forsan Romam venerant, ac iubilaeum ipsum consecuti erant, denuo etiam illud iuxta dictarum litterarum nostrarum tenorem consequi possent, auctoritate apostolicâ concessimus et indulsimus; praeterea eidem Ordinario, ut cuiusvis Ordinis monialibus, ac orphanorum aliarumque mulierum in communi viventium congregationibus, ad iubilaeum intra monasteria domosve suas consequendum conditiones, modum et tempus praescribere, et denique in praemissis omnibus et singulis eius arbitrio facere, ordinare, providere, et quaecumque sibi bene visa remedia adhibere posset, prout animarum saluti expedire iudicaret, facultatem tribuimus: et aliàs, prout in litteris nostris praedictis, ad bimestre tantum a die illa-

risiensi indictum fuerat ab hoc Pontifice constit. edit. MDCCXXVIII, die 13 novembris, pontif. v.

1 Pessime ed. Main. legit *sensibus* pro *senibus* (R. T.).

rum publicationis valituris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Declarat ut in rubricâ.

§ 2. Cum autem nos, probe agnoscentes, pastoralem nostram curam et sollicitudinem in catholicae fidei, sine qua impossibile est placere Deo, unitate atque integritate retinendâ et custodiendâ praecipue sitam esse, ac propterea, licet animo fuerimus maxime alieni ut illi, qui a S. R. E. communione ecclesiasticâ separati reperiuntur, indulgentiae eiusmodi anni iubilaei, aliarumque spiritualium gratiarum in enarratis nostris litteris concessarum participes fierent, ac satis superque nostrum erga eos animum occasione alterius indulgentiae ad divinam opem initio apostolici nostri regiminis implorandam per nos indictae explicaverimus; nihilominus, omnem etiam in praemissis dubitandi occasionem removere, mentemque et voluntatem nostras certiores reddere volentes, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus, palamque et notum facimus, nostrae intentionis nullatenus esse aut fuisse praefatas litteras nostras, ac indulgentiam anni iubilaei, gratiasque spirituales praefatas, ac alia in eisdem litteris concessa et contenta quaecumque, iis suffragari posse aut debere, qui per Romanos Pontifices praedecessores nostros ab eiusdem S. R. E. charitate segregati fuerunt, ac cum quibus proinde nulla nobis et ipsi Romanae Ecclesiae communio ecclesiastica existit; quandoquidem nos decretis et constitutionibus eorumdem Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum adversus illos editis firmissime insistentes, sicuti hactenus constanter adhaesimus, ac semper benedicente Domino inhaesuri sumus, eos, nisi resipuerint, a communis societatis charitate prorsus alienos ab omnibus haberi ac censeri volumus et intendimus.

Clausulae.

§ 3. Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac praefatae S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et quosvis alios qualibet auctoritate fungentes seu functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, litteris nostris praedictis, ac quibusvis apostolicis, et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, etc.[1].

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII martii MDCCXXIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 8 martii 1729, pontif. anno V.

CCLXIV.

Indicitur beatificatio servi Dei fidelis a Sigmaringa Ordinis Capuccinorum[2].

1 Ut supra pag. 66 *a* (R. T.).

2 Aliâ huius Pontificis const. ed. MDCCXXVIII, die 14 maii, pontif. IV, indicta fuit beatificatio

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium a cultu servis Dei exhibendo.

Beatorum martyrum, quos nec tribulatio, nec augustia, nec fames, nec nuditas, nec periculum, nec persecutio, nec gladius a charitate Christi separare potuerunt, sed loricâ fidei indutos ac mucrone spiritus (quod est verbum Dei) accinctos, bono certamine peracto, cursuque feliciter consummato, victores post agonem coronâ iustitiae donavit in caelis iustus iudex, gloriosos triumphos ac trophaea in terris celebrari, devotâque fidelium veneratione honorari decet; ut, qui sanguinis sui pretio immortalitatem emerunt, illustriaque invictae constantiae, fortitudinis ac virtutis suae exempla reliquerunt, infirmitatem nostram, inter saeculi tentationes laborantem, assiduâ suâ apud Deum, cui in stolis candidis die ac nocte serviunt in templo eius, intercessione iuvare ac roborare dignentur. Quam in rem pro pastorali nostro munere, quo Ecclesiae catholicae regimini divinâ dispositione praesidemus, propensis studiis incumbentes, flagitantia id ipsum orthodoxorum regum et aliorum christifidelium vota libenter exaudimus, prout ad gloriam omnipotentis Dei, ad christianae religionis decus, fideique catholicae incrementum, ac sanctae matris Ecclesiae exaltationem cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Iudicium hac super re Congregationis Rituum.

§ 1. Cum itaque, mature diligenterque discussis et perpensis per Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum processibus de huius sanctae Sedis Apostolicae licentiâ confectis super martyrio et causâ martyrii Dei servi Fidelis a Sigmaringa, presbyteri expresse professi Ordinis Minorum sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum, qui olim a suis superioribus regularibus in praefectum sacrarum missionum, quae in partibus Rhaetorum auctoritate eo tempore existentium eiusdem S. R. E. cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum tunc primum institutae fuerant[1], destinatus, cum in hoc munere haereticorum conversioni eximiam indefessamque operam navaret, ab iis vario telorum genere in odium ipsius fidei catholicae anno MDCXXII crudeliter trucidatus, palmam martyrii accepisse asserebatur, ac super signis, prodigiis et miraculis, quae ad manifestandum mundo finalem illius perseverantiam a Deo edita et patrata fuisse dicebantur, praedicta Congregatio cardinalium coram nobis constituta, auditis etiam consultorum suffragiis, censuerit posse, quandocumque nobis videretur, eumdem Dei servum publice Beatum nuncupari cum solitis indultis:

Beati nomen praedicto servo Dei impertitur, eiusque cultus permittitur.

§ 2. Hinc est quod nos, piis atque enixis carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum catholici et Romanorum regis in imperatorem electi, et carissimae in Christo filiae nostrae Elisabethae Christinae earumdem Hispaniarum catholicae ac Romanorum reginae eius coniugis, necnon venerabilium itidem fratrum nostrorum negotiis propagandae fidei huiusmodi praepositorum aliorumque dictae S. R. E. cardinalium ac quamplurium Germaniae antistitum et procerum, totiusque praefati Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Capuccinorum, et nominatim Maximiliani a Wanghena eiusdem Ordinis professoris huiusque causae postulatoris supplicationibus nobis et huic

servi Dei Ioannis de Prado Ordinis Minorum Excalceatorum de Observantiâ; et const. edit. MDCCXXX, die 24 ianuarii, pontif. VI, indicitur beatificatio servi Dei Petri Forerii.

1 Male edit. Main. legit *fuerat* (R. T.).

Sanctae Sedi super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, de supradictae Congregationis cardinalium consilio et assensu, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, indulgemus, ut praefatus servus Dei Fidelis a Sigmaringa imposterum Beati nomine nuncupetur, eiusque corpus et reliquiae venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferendae) exponantur, imagines quoque radiis, splendoribus exornentur, ac de eo quotannis die felicis eius transitus, seu aliâ die non impeditâ illam immediate sequenti, recitetur officium et missa celebretur de communi unius martyris iuxta rubricas breviarii et missalis romani.

Missae et officii recitandi de eo facultas conceditur.

§ 3. Porro recitationem officii et missae celebrationem huiusmodi fieri concedimus dumtaxat in universo Ordine Minorum S. Francisci Capuccinorum utriusque sexus, quem idem Dei servus martyrio illustravit, in loco de Sigmaringa dioecesis Constantiensis provinciae Moguntinae, in quo natus est, in oppido civitate nuncupato Friburgi dictae dioecesis, ubi regularem professionem emisit, diuque versatus fuit, in civitate Curiensi, ubi ipsius corpus, ac pago Veldekirchii Curiensis dioecesis, ubi eius cranium respective asservantur, ab omnibus utriusque sexus christifidelibus tam saecularibus quam regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, et, quantum ad missas attinet, etiam ab omnibus sacerdotibus ad ecclesias in quibus festum peragitur confluentibus. Praeterea, primo dumtaxat anno a datis hisce litteris et quoad Indias a die quo eaedem litterae illuc pervenerint inchoando, in ecclesiis Ordinis, loci, civitatis et pagi praefatorum solemnia beatificationis ipsius servi Dei cum officio et missâ sub ritu duplici maiori, die ab Ordinariis respective constituto, postquam tamen in ecclesiâ Lateranensi de Urbe celebrata fuerint eadem solemnia, pro qua re diem XXIV currentis mensis martii assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu secretarii dictae Congregationis cardinalium subscriptis, et sigillo praefecti eiusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus et ubique tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII martii MDCCXXIX, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 12 martii 1729, pontif. anno v.

CCLXV.

Reintegrantur conventus et patres S. Marcelli Urbis, Ordinis Servorum B.M.V., ad pristinam et antiquam possessionem curae actualis ecclesiae parochialis S. Nicolai in Arcione [1].

Benedictus Papa XIII,

Aliâs ab eodemmet hoc Pontifice chirographum hac super re emanavit.

§ 1. Cum santissimus dominus noster Benedictus divinâ providentiâ Papa XIII supplicationibus reverendissimi patris magistri Petri Mariae de Pieris, generalis Ordinis Servorum B. Mariae Virginis, ac admodum reverendorum Iosephi Mariae Curti procuratoris generalis, prioris et patrum eiusdem Ordinis venerabilis conventus S. Marcelli de Urbe benigne inclinatus, chirographum, manu Sanctitatis

1 Concessa fuit dicta ecclesia parochialis dictis fratribus a Sixto IV const. ed. MCDLXXVIII, ablata vero ab Urbano VIII const. ed. MDCXLI.

Suae die VI currentis mensis subsignatum, nobis pro exequutione in eo contentorum direxerit tenoris sequentis, videlicet:

Chirographum praedictum pontifício auditori directum.

§ 2. Monsignor Francesco Maria Pitoni vescovo d'Imeria, nostro uditore. Ci ha rappresentato il maestro fra Pier Maria Pieri, generale dell'Ordine de'Servi della SS. Vergine, anche per parte di frà Giuseppe Maria Curti, procurator generale, e del priore e religiosi di detto Ordine del convento di S. Marcello di questa nostra città, che, possedendo detta loro religione da tempo antico la chiesa parochiale di S. Nicola in Arcione, fu questa con tutti i suoi beni e rendite dalla felice memoria di Sisto IV nostro predecessore con suo Breve, che incomincia *Sollicitudo pastoralis officii*, spedito l'anno MCDLXXVIII, unita ed incorporata a detto loro convento di S. Marcello, con facoltà di poter i religiosi di detto convento esercitare o far ivi esercitare la cura delle anime annessa a detta chiesa; ma che, dopo esser stata questa da essi esercitata sino all'anno MDCXLI, per colpa di quei religiosi che risiedevano in detta chiesa e casa parochiale, ne furono essi rimossi dalla visita apostolica per ordine della felice memoria di Urbano VIII nostro predecessore con decreto emanato li 23 febbraro 1641, e successivamente dalla felice memoria d'Innocenzo X, parimente nostro predecessore, privata anche la detta loro religione della facoltà di nominare il parroco, ed eretta in detta chiesa una vicaria perpetua da conferirsi ad un sacerdote secolare per libero concorso da farsi, precedente il dovuto esame ed approvazione del nostro reverendissimo cardinal vicario *pro tempore*, coll'assegnamento della congra in annui scudi sessanta, da conseguirsi sopra i canoni perpetui delle case ed altre rendite di detta chiesa, e coll'abitazione nella casa parochiale con suo orto, oltre gli altri emolumenti ordinarî ed estraordinarî che provengono per ragione dell'esercizio della cura delle anime, col peso però di dover celebrare a proprie spese tanto la festa della Purificazione della SS. Vergine, ed in essa dispensar le candele, quanto l'altra di S. Nicolò, e di dover inoltre tener provvista la chiesa e sagrestia di cera, olio, utensili, paramenti, ed altre cose necessarie per la celebrazione delle messe ed altri divini uffizî, e di restaurar l'istessa chiesa, altari, sagrestia, casa parochiale e strade adiacenti, con aver riservato a detto loro convento di S. Marcello la proprietà e cura abituale di detta chiesa, con tutti li capitali e rendite di essa, e le devoluzioni delle case a quella spettanti, detratta la suddetta congrua assegnata, col peso però di pagare i quindennî ed altri pesi camerali, e di adempire in detta chiesa di S. Marcello tutti gli anniversarî lasciati ed ordinati in detta chiesa di S. Nicola in Arcione, non compresi però i legati e donazioni con pesi di messe o altre opere pie già lasciate o che potessero lasciarsi in avvenire alla stessa chiesa e suoi altari, quali ordinò che dovessero restar a comodo e peso di detto vicario curato, conforme fu in primo luogo eletto il fu sacerdote Domenico Cerroni, come dal Breve di detto Pontefice spedito li 20 marzo 1648.

Preces dictorum patrum pro restitutione in pristinam possessionem.

§ 3. Avendo perciò essi sofferta tal privazione lo spazio di ottanta e più anni, bramando veder un giorno riposto detto loro convento nell'antica prerogativa, e liberato insieme dalla gravezza dell'annua somministrazione di detta congrua, avendo perciò implorato la nostra clemenza, supplicandoci che conti-

nuando verso di loro le nostre paterne beneficenze compartite sino al presente in tante guise a detta loro religione, volessimo reintegrar detto convento di S. Marcello nel pristino possesso della cura attuale di detta chiesa di S. Nicola in Arcione, col ridurla nuovamente allo stato di paroco regolare, e benignamente permettergli che quella possa di nuovo liberamente amministrarsi dalli religiosi di detto convento di S. Marcello, da eleggersi da esso generale dell'Ordine, con rimuovere a tale effetto il sacerdote Girolamo Amato Calbini, moderno vicario curato di detta chiesa, al quale si offerirono essi pronti di somministrare, per fino che viverà, quella decente congrua che da noi fosse stata stabilita;

Causae praesentis chirographi favore dictorum patrum emanati.

§ 4. E noi, risguardando non solo l'antico possesso dell'esercizio di detta cura goduto si lungo tempo dai religiosi di detto convento di S. Marcello, ma riflettendo altresì alla maggior gloria di Dio ed al profitto della salute delle anime di quella parochia, poichè li regolari per la loro moltiplicità possono con maggior facilità e decoro supplire alle veci del paroco nell'amministrazione de' sacramenti, specialmente agl' infermi, e nella celebrazione delle feste ed altre funzioni ecclesiastiche, e con la loro predicazione ed esercizio di altre opere divote e pie, alle quali sogliono attendere secondo l'obbligo del loro istituto, promuovere sempre più anche la divozione verso la SS. Vergine, atteso il consenso dato a noi stesso dal detto moderno vicario curato, ordinassimo la reintegrazione di detti religiosi alla cura attuale di detta chiesa parochiale di S. Nicola in Arcione, con riservare a detto moderno vicario Calbini, che lodevolmente ha esercitata la cura, durante la sua vita naturale, tutti gli emolumenti certi ed incerti che sogliono ritraersi dall'esercizio di detta cura, come se attualmente egli lo proseguisse, unitamente coll'abitazione della casa parochiale annessa a detta chiesa, o in luogo di essa, la somministrazione d'annui scudi quaranta per la pigione d'altra casa da condursi altrove da detto vicario, con riservargli inoltre il *ius* della sepoltura nella stessa chiesa parochiale, come se avesse continuato l'esercizio della cura sino alla di lui morte, ed unitamente la facoltà di poter in essa udire le confessioni de' fedeli, sopra di che ne fu da voi d'ordine nostro sottoscritto e spedito decreto li 22 decembre 1728; e che in appresso, essendosi tra essi religiosi e detto vicario Calbini fatto amichevolmente qualche trattato sopra la liquidazione di detti emolumenti certi ed incerti, come sopra riservati, dopo varie dubbietà, finalmente colla vostra mediazione e col comun consenso d'ambe le parti siasi stabilito e concordato in vostra presenza, che per l'intiero valore di tutti e singoli emolumenti, certi ed incerti, come sopra riservati, unitamente con la pigione della casa parochiale, debba detto vicario Calbini, durante la sua vita, ricevere l'annua somma di scudi trecentoquaranta in tanti frutti di luoghi di monti, che dovranno attergarsi a suo favore da detti padri di S. Marcello, e che con questo assegnamento debba egli restar contento e soddisfatto per tutto quello che potesse pretendere per causa di detti emolumenti certi ed incerti, ed abitazione riservata, con patto anche giurato che non possa domandar di vantaggio per causa di detti emolumenti, e per qualunque altra possibile pretensione, pensata e non pensata, tanto *de praeterito* quanto *de futuro*, in modo che, durante la sua vita, non

possa nè debba in verun modo contravenire a detto stabilimento, e che sopra di esso ne sia stato fatto da voi nuovo decreto il 10 del passato mese, accettato, approvato e sottoscritto anche si dal maestro generale de' Servi, che dal medemo vicario Calbini sotto li 16 dello stesso mese;

Preces aliae eorumdem patrum ad quaedam alia obtinenda.

§ 5. Per il che ci hanno di nuovo supplicato, che per compimento delle nostre grazie vogliamo benignamente permettergli, che possano liberamente assumere l'esercizio della cura attuale di detta chiesa parochiale, ed ordinare la di loro formale reintegrazione al possesso della medesima, con derogare per tale effetto agli accennati decreto della Congregazione della visita e Breve d'Innocenzo X, e dargli insieme facoltà di potere in appresso erigere in detta chiesa e casa un convento formale, con rimuovere tutti gli ostacoli delle costituzioni apostoliche e decreti della nostra Congregazione dei vescovi e regolari e della disciplina; e noi, affinchè gli ordini da noi come sopra dati abbiano la dovuta e pronta esecuzione, attese si le ragioni e motivi sopra espressi, che lo stabilimento della congrua per detto vicario Calbini concordata ed accettata nel modo suddetto, siamo volentieri condiscesi a consolarli, come in appresso.

Confirmatur constitutio Sixti IV qua praedicta parochialis ecclesia dicto conventui unita fuit.

§ 6. Avendo pertanto nel presente nostro chirografo per inserto e di parola in parola registrato l'intiero tenore del suddetto Breve di Sisto IV nostro predecessore, come sopra spedito, in cui detta chiesa parochiale di S. Nicola in Arcione fu unita ed incorporata a detto convento di S. Marcello, di tutte le facoltà e prerogative in esso concesse a' detti religiosi, del suddetto decreto della Congregazione della visita apostolica, dell'altro sopra enunciato Breve d'Innocenzo X parimente nostro predecessore, in cui, dopo la remozione di detti padri da detta chiesa parochiale, fu instituita una vicaria perpetua per un sacerdote secolare, delli motivi, riserve, assegnamenti, obblighi, condizioni, pesi ed altro in essi respettivamente prescritto, de'decreti da voi d'ordine nostro come sopra publicati, e specialmente dello stabilimento della congrua per detto vicario Calbini nell'annua somma di scudi trecentoquaranta, nella forma sopra espressa e dalle parti accettato, delle costituzioni apostoliche e decreti di detta nostra Congregazione de' vescovi e regolari e della disciplina, e di qualunque altra Congregazione proibente la fondazione dei nuovi conventi, de' requisiti che si ricercano per tale fondazione, ed ogni altra cosa quanto si voglia necessaria di esprimersi, confermando ed approvando noi l'unione e concessione fatta dal suddetto Sisto IV a favore di detto convento di S. Marcello, con tutte le facoltà, prerogative, onori e pesi, ed in tutto e per tutto nella forma espressa nel sopra riferito suo Breve, ed insieme rivocando ed annullando in tutto e per tutto, con la pienezza della nostra suprema autorità, il sopra riferito decreto della Congregazione della visita apostolica ed il susseguente Breve d'Innocenzo X, come se questi non fossero mai emanati e respettivamente spediti, di nostro moto proprio, certa scienza, e pienezza della nostra suprema potestà, vi ordiniamo che in nome nostro reintegriate, siccome noi reintegriamo, il detto convento e padri di S. Marcello dell'Ordine de' Servi della SS. Vergine nel pristino ed antico possesso della cura attuale di detta chiesa parocchiale di S. Nicola in Arcione, riducendola nuovamente allo stato di paroco rego-

lare di detto Ordine, e nuovamente diate e concediate, siccome noi diamo e concediamo, alli religiosi di detto convento ampla ed assoluta facoltà di poter liberamente, non ostante la disposizione del suddetto decreto della Congregazione della visita apostolica e del Breve d'Innocenzo X, amministrare ed esercitare in perpetuo la cura delle anime di detta chiesa parochiale, e di godere, possedere e respettivamente convertire in uso e mantenimento proprio e di detta chiesa tanto detta chiesa parochiale quanto tutti li canoni, frutti e rendite ecclesiastiche, profane e di qualsisia altra qualità e specie, in qualunque modo spettanti a detta chiesa, tanto per titoli antichi ed in tempo che detta cura si esercitava da essi religiosi, quanto in appresso pervenutigli per qualunque disposizione, legato, titolo o lascita susseguita in tempo ch'è stata esercitata da detti vicari curati, coll'obbligo però di dover adempire tutti i pesi, si perpetui che temporanei, antichi e moderni, ed insieme tutti gli altri utili ed emolumenti certi ed incerti, ordinarî ed estraordinarî, che sogliono provenire dall'esercizio della cura delle anime anticamente percetti e goduti da detto convento di S. Marcello, e respettivamente da detto vicario curato Calbini, quale a tal fine dal giorno dell'esecuzione del presente nostro chirografo noi rimoviamo da detta vicaria e dall'esercizio di detta cura d'anime, e, dal giorno della dimissione e respettivamente della reintegrazione di detti religiosi, gli riserviamo ed assegniamo, durante la sua vita, per sua intiera congrua, computati tanto gli annui scudi sessanta somministratigli sinora da detto convento di S. Marcello, quanto ogni altra rendita, utile ed emolumento, certo ed incerto, ordinario ed estraordinario, che potesse provenire e ritraersi dall'esercizio di detta cura d'anime, e compresa anche la pigione della casa in luogo dell'abitazione della casa parochiale, in tutto e per tutto annui scudi trecentoquaranta moneta, liberi ed esenti da qualunque obbligo e peso, in tanti frutti di luoghi di monti, che dovranno attergarsi da' detti religiosi di S. Marcello a favore di esso vicario Calbini prima d'entrare in possesso dell'esercizio di detta cura, così da voi tassati e stabiliti col consenso d'ambe le parti nel sopra riferito vostro decreto, come sopra accettato, approvato e sottoscritto, in modo che detto Calbini, attesa questa assegnazione, non possa nè debba pretendere, durante la sua vita, veruna altra cosa per causa di detti emolumenti, e per qualunque altra possibile ragione causa e titolo pensato e non pensato, tanto *de praeterito* quanto *de futuro*, in conformità di detto decreto.

De religiosis dicti Ordinis, qui in praedicta parochiali domo residere debent.

§ 7. Vogliamo però e decretiamo, che tanto il paroco, quanto il priore, vicario o rettore, confessori ed altri religiosi, si sacerdoti che laici, che dovranno risiedere in detta chiesa di S. Nicola in Arcione e sua casa parochiale, debbano nominarsi, eleggersi e deputarsi liberamente e privativamente dal predetto maestro priore generale di detto Ordine e degli altri generali successori *pro tempore* in perpetuo, coll'approvazione però rispetto al paroco e confessori del nostro reverendissimo cardinal vicario, riservando in tutto il rimanente la giurisdizione alli provinciali *pro tempore* della provincia romana, secondo la disposizione delle leggi, costituzioni e decreti dell'Ordine; concedendo inoltre noi al detto maestro generale ed altri successori suddetti ampla ed assoluta facoltà di poter in detta chiesa e casa parochiale ad ogni loro arbitrio,

senz'altro beneplacito, indulto o licenza di questa Santa Sede e di detta Congregazione de' vescovi e regolari e disciplina, erigere e fondare un convento formale con la destinazione del numero de' religiosi, secondo la capacità dell'abitazione, e con altre formalità prescritte dalle costituzioni apostoliche e decreti di detta Congregazione de' vescovi e regolari e dell'altra della disciplina, e di stabilir in esso le necessarie regole, secondo le constituzioni dell' Ordine suddetto, per il buon governo e retta amministrazione di detta chiesa e nuovo convento; ed in questa forma in esecuzione del presente nostro chirografo ne pronuncierete decreti, concederete le opportune facoltà, ed in caso di bisogno rilascierete e farete spedire i necessarî mandati, e farete tutt'altro che per il totale adempimento e perpetua sussistenza di questa nostra grazia stimerete in qualunque modo esser necessario, per esser così mente e volontà nostra espressa.

Clausulae. § 8. Volendo e decretando, che al presente nostro chirografo, benchè non ammesso nè registrato in Camera, non possa mai darsi nè opporsi di surrezione, orrezione, nè d'alcun altro vizio o difetto della nostra volontà ed intenzione, nè che mai sotto tali o altri qualunque pretesti, ragioni ed eccezioni, benchè giuridiche, anco di *ius* quesito al terzo, possa essere impugnato, moderato, rivocato o ridotto ad *viam iuris*, nè concedersi contro di esso qualunque aperizione *oris*, e che così e non altrimente debba sempre ed in ogni futuro tempo giudicarsi, definirsi ed interpretarsi da qualunque giudice ordinario, commissario o delegato, e da qualsisia tribunale, benchè collegiale, Congregazioni anche de' reverendissimi cardinali, legati *a latere*, camerlengo di Santa Chiesa, tesoriere, presidenti, uditori di Rota, chierici di camera, e qualunque altro, togliendo loro ogni facoltà e giurisdizione di definire ed interpretare diversamente, e dichiarando noi sin da adesso preventivamente nullo, irrito ed invalido tutto ciò che da ciascuno di essi con qualsivoglia autorità, scientemente o ignorantemente, fosse in qualunque tempo giudicato contro la forma e disposizione del presente nostro chirografo, quale vogliamo che vaglia e debba aver sempre il suo pieno effetto, esecuzione e vigore con la semplice nostra sottoscrizione, benchè non vi siano stati chiamati, sentiti nè citati il predetto Girolamo Amato Calbini, moderno vicario curato di detta chiesa di S. Nicola in Arcione, gli altri regolari di questa nostra città, il difetto del consenso de' medesimi, e di qualunque altra persona che necessariamente si ricercasse, ed altre qualsisiano persone, ancorchè privilegiate e privilegiatissime, che ricercassero speciale ed individua menzione, quali in qualunque tempo vi avessero o pretendessero avervi qualsisia interesse.

§ 9. Non ostanti tutte e singole cose premesse, e specialmente li soprariferiti decreto della Congregazione della visita apostolica e Breve d' Innocenzo X, l'erezione di detta chiesa di S. Nicola in Arcione in vicaria perpetua per un sacerdote secolare stabilita da detto Pontefice in detto Breve, dichiarazioni, condizioni, applicazioni ed altre clausole, quantunque efficaci ed effrenate, in esso espresse, le Bolle di collazione di detta chiesa parochiale spedite a favore del predetto sacerdote Calbini, le costituzioni e decreti di dette Congregazioni de' vescovi e regolari e della disciplina, proibenti specialmente l'erezione e fondazione di nuovi conventi, la Bolla di Derogatoriae.

Pio IV nostro predecessore *De registrandis*, la regola della nostra Cancelleria *De iure quaesito non tollendo*, e quali si siano altre costituzioni ed ordinazioni apostoliche, nostre e de' nostri predecessori, concernenti specialmente l'esercizio della cura delle anime e la concessione di esse ai regolari, la disposizione del Concilio Tridentino ed altri concilî generali e provinciali, leggi civili e canoniche, statuti, riforme, stili, usi, consuetudini, e qualunque altra cosa che facesse o potesse fare in contrario, alle quali tutte e singole, avendone il tenore qui per espresso e di parola in parola inserto, e supplendo noi colla pienezza della nostra potestà apostolica ad ogni vizio e difetto quantunque sostanziale e formale che vi potesse intervenire, per questa volta sola, e per la piena e totale esecuzione ed effetto di quanto si esprime nel presente nostro chirografo, ampiamente ed espressamente deroghiamo, anche con specialissima derogatoria delle derogatorie più insolite, efficaci ed effrenate.

Dato dal nostro palazzo apostolico Vaticano, questo dì 9 marzo 1729. — BENEDICTUS PAPA XIII.

Demandantur praedicta omnia, quae in relato chirographo continentur, debitae exequutioni per auditorem pontificium.

§ 10. Volentes itaque iniuncta nobis ab eodem sanctissimo domino nostro Papa debitae exequutioni demandare, utendo facultatibus nobis in eodem chirographo tributis, attentâ assignatione annuorum scutorum tercentum quadraginta pro congruâ ut infra reservatâ favore admodum reverendi domini Hieronymi Amati Calbini, moderni vicarii curati venerabilis ecclesiae parochialis S. Nicolai in Arcione, eius vitâ naturali durante, per dictum venerabilem conventum et patres S. Marcelli Ordinis Servorum in exequutionem eiusdem chirographi expletâ, mediante attergatione tot locorum montium, prout ex fide domini supraintendentis generalis secretariarum locorum montium nobis exhibitâ tenoris prout in eâ, praedictos venerabilem conventum et reverendos patres S. Marcelli Urbis Ordinis Servorum B. Mariae Virginis ad pristinam et antiquam possessionem curae actualis praedictae ecclesiae parochialis S. Nicolai in Arcione, eiusdem sanctissimi domini nostri Papae nomine, reintegramus et reintegrari mandamus, eamdemque ecclesiam parochialem ad statum parochi[1] regularis eiusdem Ordinis iterum reducimus, eisdemque reverendis patribus conventus S. Marcelli amplam et absolutam facultatem libere, et non obstantibus dispositione decreti editi per sacram Congregationem visitationis apostolicae die XXIII februarii MDCXLI, et Brevis respective sanctae memoriae Innocentii X expediti die XX martii MDCXLVIII, in perpetuum administrandi et exercendi curam animarum eiusdem ecclesiae parochialis, ac fruendi, gaudendi, et in proprios usus ac in manutentionem eiusdem ecclesiae convertendi tam domum parochialem quam omnes et singulos canones, aliosque fructus, redditus et proventus cuiusvis generis et speciei ad ecclesiam praedictam quavis de causâ, iure ac titulo quomodolibet spectantes et pertinentes, et alios quoscumque redditus, utilia et emolumenta certa et incerta, ordinaria et extraordinaria, ex huiusmodi curae animarum exercitio quomodolibet provenientes, cum onere tamen adimplendi omnia onera cuiusvis generis eiusdem ecclesiae, praeviâ remotione praedicti admodum reverendi domini Hieronymi Amati Calbini, ac firmâ illius favore remanente assignatione annuorum scutorum tercentumquadraginta liberorum et exemptorum a quacumque obligatione et

1 Videtur legendum *parochiae* (R. T.).

onere in tot fructibus locorum montium a die possessionis specialiter ut supra attergatorum pro integrâ congruâ ipsi reservatâ, comprehensâ pensione domus in locum habitationis parochialis, ac pro omni et toto eo quod ipse quovis praetextu et causâ praetendere quomodolibet posset, et cum confirmationibus, revocationibus, reservationibus, et aliis in eodem chirographo expressis, eidem reverendissimo patri magistro generali, eiusque respective successoribus facultatem et auctoritatem privative quoad omnes alios eligendi, et nominandi reverendos parochum, priorem, vicarium seu rectorem, confessarios, aliosque religiosos tam sacerdotes quam laicos de familiâ collocandos in eâdem ecclesiâ S. Nicolai eiusque domo parochiali, praeviâ tamen approbatione, quoad parochos et confessarios, eminentissimi et reverendissimi domini cardinalis vicarii, ac sine praeiudicio, quoad reliqua, iurisdictionis admodum reverendorum patrum provincialium pro tempore provinciae romanae, iuxta dispositionem constitutionum, legum et decretorum eiusdem Ordinis, necnon in eâdem ecclesiâ et domo parochiali, eorum arbitrio, et absque alio beneplacito apostolico, indulto seu licentiâ sacrae Congregationis episcoporum et regularium ac disciplinae, erigendi et fundandi formalem conventum eiusdem Ordinis, modis et formis in eodem chirographo expressis, simili auctoritate concedimus et impartimur, et pro praemissorum omnium effectu et exequutione quaecumque mandata de reintegrando, immittendo, manutenendo, expellendo, et alia desuper necessaria decernimus et relaxamus, iuxta in omnibus et per omnia formam, seriem ac tenorem memorati chirographi, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis supra relatis, decreto sacrae Congregationis visitationis apostolicae ac Brevi sanctae memoriae Innocentii X, decretis et resolutionibus sacrarum Congregationum episcoporum et regularium ac disciplinae, conciliis, legibus, statutis, ceterisque aliis, quibus idem sanctissimus dominus noster Papa in praeinserto chirographo derogavit. In quorum fidem, etc.

Datum Romae, ex palatio Vaticano, et ex aedibus nostris, hac die XII martii MDCCXXIX. — BENEDICTUS PAPA XIII.

Dat. die 12 martii 1729, pontif. anno V.

CCLXVI.

Dispensantur et absolvuntur a voto magistratus et electi civitatis Pampilonensis, quo sese adstrinxerant scenicas operas et comoedias nullo unquam tempore permissuros[1].

Benedictus Papa XIII.
Motu proprio, etc.

Voto praedicto sese adstrinxeront magistratus civitatis praefatae, ut a contagio liberarentur.

§ 1. Exponi nuper nobis fecerunt magistratus seu electi publici repraesentantes civitatis Pampilonensis, quod, cum ipsi de anno MDCCXXI, ut a contagio seu pestilentiae imminenti flagello liberarentur, cum approbatione et consensu vicarii generalis, etiam nomine civium et incolarum praedictae civitatis, illorum tamen consensu praecedenter non requisito, voto perpetuo sese adstrinxerint, nullo unquam tempore scenicas operas seu comoedias facere, nec illas fieri permittere, neque coetus comoediorum seu histrionum admittere; et subinde, paucos post annos voti prompte servati, teste experientiâ agnoverint illius observantiam

[1] De commutatione praedicti voti cum alio opere, vide alias huius Pontificis constit. edit. MDCCXXV, die 9 martii, pontif. I, et MDCCXXVI, die 28 aprilis, pontif. II.

potius ad destructionem quam ad publicam aedificationem esse versuram, non solum quia cives et incolae, dum prius comoediis honestis detinebantur, prout summâ cum honestate semper illae expletae fuerunt, ad alia minus honesta oblectamenta, choreas, tripudia, aliasque privatas recreationes sese divertebant, sed etiam quia pia domus orphanorum et spuriorum[1] praedictae civitatis[2], cuius est theatrum, in quo praedictae comoediae recitabantur, redditibus et proventibus, qui ex dictis comoediis non modice exigebantur, ex quibus praedicti orphani et spurii alebantur, privata prorsus remansit;

Et postea obtinuerunt commutari in aliud pium opus annuum praeviâ tamen eiusdem dispensatione.

§ 2. Hinc, ne pia domus praedicta perpetuo subsidio diutius orbata remaneret, ac ut cives et incolae praefatae civitatis gratiae receptae memoriam perpetuo conservarent mediante aliquâ piâ actione publicâ seu sacrâ functione singulis annis in gratiarum actionem explendâ, iidem oratores votum praedictum, praeviâ dispensatione in utroque foro, in obligationem publice exponendi solemni ritu et pompâ sanctissimum Eucharistiae sacramentum per tres continuos dies a reverendissimo episcopo civitatis praedictae praescribendos, quorum ultimo, post solemne sacrificium, hymnum *Te Deum laudamus* pro gratiarum actione musicis modulis cantare facere, et in festo Purificationis B. Mariae Virginis pariter singulis annis solemnem supplicationem indicere tenerentur, per nos commutari obtinuerunt per litteras apostolicas in formâ Brevis nostrae Poenitentiariae de illius consultatione et de mandato nostro expeditas sub datum VII idus martii, pontificatus nostri anno I, directas eidem reverendissimo episcopo Pampilonensi vel eius vicario generali.

Rursus quibusdam de causis, loco supradictae annuae commutationis, aliud pietatis opus pro unicâ vice tantum praescriptum eisdem fuit.

§ 3. Cumque super huiusmodi commutationis exequutione non leves ortae fuerint difficultates, et praesertim quia pro triduâ expositione Sanctissimi Venerabilis annuatim faciendâ cum missâ solemni et musicâ ac processione pariter ritu solemni peragendâ visum fuit quod omnino dos congrua perpetuo assignanda foret, ne contingeret aliquando ob huiusmodi defectum tales solemnes et votivas functiones praeteriri, et pro tali certâ dote constituendâ coarctari deberent omnes de gremio dictae civitatis ad certam contributionem, quae non ita de facili habenda praevisa fuit, citra censuram, quod ea, quae pietatis intuitu praescribi contingeret, extorsioni imputarentur; ideo, ad haec evitanda, ac pro maiori conscientiarum quiete, habito per ipsos noviter ad nos recursu, supplicando ut, loco supradictae annuae commutationis, aliquod aliud pietatis opus, non tamen perpetuum, sed pro unicâ vice tantum praescribere dignaremur: nos, attentis expositis, praedictam voti commutationem confirmantes, illud in eleemosynam scutorum quingentororum monetae solvendorum fabricae ecclesiae fratrum Carmelitarum Calceatorum de Tudela in Hispaniis in utroque foro commutavimus, dummodo vere constare nobis fecissent de effectivâ solutione enunciatae eleemosynae pro unicâ dumtaxat vice, prout ex consimili Brevi nostrae Poenitentiariae sub datum VI kalendas maii, pontificatus nostri anno II.

Quod quum exequutioni mandassent, ab observantia huiusmodi emissi voti soluti declarati sunt.

§ 4. In cuius nostri Brevis exequutionem cum iidem exponentes plene constare nobis fecissent de reali solutione superius memoratae eleemosynae per authenticam quietantiam seu attestationem prioris et fratrum eiusdem

1 Pessime edit. Main. legit *superiorum* pro *spuriorum* (R. T.).

2 Male etiam legit *civitates* (R. T.).

conventus in eàdem nostrà Poenitentiarià exhibitam; nos benigne declaravimus praedictam civitatem Pampilonensem, eiusque magistratum, cives et incolas de cetero ab observantià huiusmodi emissi voti in utroque foro solutos esse ac remanere, ut prius antequam illud emitteretur, ita quod a nemine quavis auctoritate fungente et quovis intuitu et praetextu eadem opera et scenicae recreationes imposterum impediri possent, prout ex alio consimlii Brevi eiusdem nostrae Poenitentiariae de simili mandato expedito XII kalendas aprilis pontificatus nostri anno III.

Lites hac super re inter Ordinarium et eosdem exortae, quibus factum est ut a Pontifice votum praedictum ad pristinam observantiam restitutum fuit.

§ 5. In cuius pariter exequutionem cum ipsi oratores, obtentà prius debità licentià ab officiali principali Ordinarii Pampilonensis, coeperunt comoedias parare et assuetam comicorum societatem instruere, paratisque omnibus ad recitandum, Ordinarius praedictus, nemine instante aut reclamante, diffinitivam promulgavit sententiam, in qua, sine praeiudicio praedictorum Brevium, declaravit saepedictum votum validum, legitimum ac obligatorium, et omnibus interdixit recitationem comoediarum sub poenis pecuniariis et censuris ecclesiasticis, et occasione huiusmodi sententiae plures recursus hinc inde habiti fuere ad reverendissimum nostrum in Hispaniis nuncium, aliaque tribunalia; ac exposito subinde nobis ex parte provisoris seu vicarii generalis eiusdem civitatis, a veritate alienum esse quidquid per oratores pro obtinendà relatà commutatione fuerat praecedenter nobis narratum, quae propterea exequutioni nullatenus demandari, sed immo penitus revocari debebat, veluti subreptionis aut obreptionis vitio laborans, nedum circa exposità minime verificata, verum etiam quoad realem qualitatem comoediarum et histrionum, ex quorum obscenis artibus animarum pericula oriri solent, attento quoque, quod enunciata scuta quingenta, in eleemosynam ut supra soluta, extracta fuissent, ut ipse asserebat, ab hospitalibus dictorum orphanorum et expositorum, non vero erogata de proprio, prout ab oratoribus assertum fuerat: nos, mutato in melius consilio, supra enunciatas litteras in formà Brevis editas pro commutatione praelaudati voti revocare non dubitavimus, prout illas revocavimus ac pro revocatis haberi voluimus ac si nunquam editae fuissent; votum huiusmodi propterea, per nos subreptitie commutatum, ad pristinam et plenam observantiam restituimus, ex novo eiusdem Poenitentiariae Brevi, sub datum X kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno IV.

Preces praedictorum magistratuum pro revocatione huius postremi Brevis.

§ 6. De quo habità per exponentes notitià, et de rationibus subreptionis et obreptionis per vicarium praedictum nobis deductis, iidem oratores, sentientes sese valde laesos tam propter expressionem quod comoediae sint inhonestae et obscenae, quando in oppositum tam opera quam recitationes omni honestate repraesentantur et a catholico rege permittuntur, quam ex causà solutionis enunciatae eleemosynae per ipsos de proprio adimpletae, non autem ex effectibus eiusdem hospitalis: nobis idcirco iterum supplicarunt, ut, praevià confirmatione priorum Brevium, ad nos avocando et extinguendo quamcumque litem desuper quomodolibet et ad cuiusvis instantiam exortam, ac sublato de medio quocumque alio posteriori Brevi in contrarium ut supra obtento, benigne declarare dignaremur, magistratum oratorum[1] et populum praedictae civitatis haberi et reputari pro liberis et absolutis a quocumque voto et ligamine vigore enunciatorum Brevium in

1 Forsan *oratorem* (R. T.).

utroque foro dispensato. Nos itaque, habitâ prius in praemissis relatione tam praefati reverendissimi nostri nuncii, quam plurium religiosorum eiusdem regni Hispaniarum, attentâ solutione memoratae eleemosynae de proprio adimpletae, et in eâdem nostrâ Poenitentiariâ legitime iustificatâ, iustitiae quoque causâ publicae, ne praeiudicium ullo modo afferatur hospitali praedicto orphanorum et proiectorum, et quod iuxta relationes praedictas comoediae et opera scenica ibidem eâ qua decet honestate exponi et rapraesentari assolent, pro ipsorum et populi praedicti conscientiarum quiete, attento praesertim civium et incolarum dissensu, qui, in expositione memorati voti, vocati neque requisiti ullatenus fuerunt, prout nobis sufficienter constare curarunt, eorum precibus annuere prout infra decrevimus.

Confirmantur et approbantur Brevia supra indicata favore dictorum oratorum expedita pro commutatione et dispensatione praedicti voti.

§ 7. Motu igitur proprio, certâ scientiâ ac de apostolicae potestatis plenitudine, verum et integrum tenorem omnium supra relatorum Brevium tam dispensationis et commutationis enunciati voti, quam illorum revocationis, ac statum et merita causae super illorum executione ac observatione respective praedicti voti quomodolibet introductae et adhuc forsan pendentis in eâdem curiâ episcopali Pampilonensi et coram eodem nuncio apostolico Hispaniarum et alio quocumque iudice et tribunali, praesentibus pro expressis habentes, lites praedictas ad nos avocantes, illas penitus extinguimus et abolemus, ac procuratori fiscali dictae curiae episcopalis et aliis quibuscumque ad causam quomodolibet admissis et interesse quomodolibet habere praetendentibus, perpetuum silentium imponimus, ac, praeviâ revocatione, annullatione et abolitione novissimi Brevis revocatorii ad instantiam praedicti provisoris seu vicarii generalis Pampilonensis tamquam subreptitie seu obreptitie obtenti, quod nullius roboris et efficaciae declaramus ac si nunquam emanasset, supra relata priora Brevia favore dictorum oratorum expedita pro commutatione et dispensatione voti signanter annis MDCCXXV[1] et MDCCXXVII, cum omnibus in eis contentis, specialiter, expresse et amplissime confirmamus, approbamus, renovamus et reconvalidamus, ac totali et omnimodae exequutioni demandari decernimus et mandamus.

Denuo iidem absoluti a praedicto voto declarantur.

§ 8. Necnon, quatenus opus sit, attentâ solutione praedictorum scutorum quingentorum per oratores expletâ, prout per nos in secundo Brevi iniunctum extitit, de qua plene et per authenticam quietantiam seu attestationem prioris et patrum conventus praedicti constare fecerunt, iterum declaramus praedictam civitatem Pampilonensem, eiusque magistratum, cives et incolas ab observantiâ huiusmodi emissi voti in utroque foro solutos esse ac remanere, prout prius antequam illud emitteretur, ita quod a nemine, quavis auctoritate fungatur, et quovis sub praetextu, causâ vel quaesito colore, eadem opera ac scenicae recreationes imposterum perpetuo impediri possint.

Clausulae.

§ 9. Decernentes, praesenti nostro motui proprio, licet non admisso neque in Camerâ nostrâ registrato, non posse ullo unquam tempore opponi de subreptione, obreptione, vel altero quovis vitio aut defectu voluntatis vel intentionis nostrae, etiam ex eo quod praedictus provisor seu vicarius generalis, vel eius procurator fiscalis, et alii forsan interesse habentes ad hoc vocati non fuerint, vel ex quavis aliâ causâ quantumvis legitimâ, urgenti et iuridicâ, etiam

1 Edit. Main. legit *1525* (R. T.).

necessario exprimendâ, notari, impugnari, invalidari, ad terminos iuris reduci, et in ius ac controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari posse, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios, commissarios, vel delegatos et causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam a latere legatos, nunciosque apostolicos iudicari et definiri debere, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ac ex nunc irritum et inane, nulliusque roboris et efficaciae, quidquid secus super iis et circa ea, quavis auctoritate, etiam a nobis aut successoribus nostris pro tempore existentibus, contigerit attentari.

Derogatoriae § 10. Non obstantibus praemissis ac novissimo Brevi revocatorio supra relato, constitutione Pii IV praedecessoris nostri de registrandis, regulâ Cancellariae nostrae de iure quaesito non tollendo, constitutionibus conciliaribus, generalibus et specialibus, ac quibusvis aliis legibus, statutis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, constitutionibus, ordinationibus, privilegiis et indultis apostolicis, per nos et Romanos Pontifices praedecessores nostros, sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu simili concessis, confirmatis, approbatis seu innovatis; quibus omnibus et singulis, ac omnibus aliis hic non expressis, quae forsan praesenti gratiae obesse possent, etiamsi de illis specialis, specifica et expressa mentio habenda et certa forma servanda foret, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, motu et scientiâ similibus specialiter et expresse derogamus, ac plene et sufficienter derogatum esse decernimus et declaramus.

Datum Romae, ex nostro palatio apostolico Vaticano, hac die XVII martii MDCCXXIX.

Dat. die 17 martii 1729, pontif. anno V.

CCVII.

Promulgatur canonizatio B. Ioannis Nepomuceni ecclesiae Pragensis canonici [1].

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Christus Dominus, qui, priusquam in caelum ascenderet, suae Ecclesiae supra firmam petram aedificatae spopondit, se usque ad finem saeculi curaturum, ne ullo unquam tempore adversus eam portae inferi praevalerent, sive cruentae persecutionum procellae, sive impia dogmata haereticorum eam concutere identidem conarentur, quotidie sub oculis nostris suae huius promissionis maxima argumenta, ad christianam fortitudinem in suorum fidelium cordibus augendam, edere non cessat. Exordium. Quum enim singuli fidei catholicae articuli, ipsius Redemptoris nostri et Apostolorum ore vulgati, magnos praecones et sanguine suo coram tyrannis aliisque Dei hostibus purpuratos testes habuerint, tandem repertus est etiam qui sacramentum Poenitentiae secretamque peccatorum confessionem auricularem, ordinario eius ministro sacerdoti factam contra posteriorum aetatum haereticos in antecessum propugnaturus, martyr invictus oppeteret: quam

[1] Aliâ huius Pontificis const. ed. MDCCXXVI, die XXXI decembris, pontif. III, promulgata fuit canonizatio B. Stanislai Kostkae.

quidem confessionem, unâ cum lege et obligatione divinitus latâ quae ad illius secretum attinent religiose celandi, antiquissimi Ecclesiae patres miro semper unanimique consensu commendaverunt et tota Ecclesia ab initio observavit ac modo sanctissime observat.

Ioannes Nepomucenus pro sigillo sacramentalis confessionis contra haereticos tuendo a Deo datus.

§ 1. Itaque sub finem saeculi a Christo nato XIV, quum in vineam a Christo Domino plantatam eiusque pretioso sanguine aspersam ventus urens pravorum dogmatum irruisset, Waldensium et Albigensium infaustâ sobole (Catharis nimirum, Patarenis et Manichaeis) in catholicam veritatem bacchante, quae, praeter alia permulta, Confessionis et Poenitentiae sacramentum subvertere conabatur, quumque ex pestilentissimis libris Wicleffi prognata Hussitarum secta florentissimo regno Bohemiae immineret, perinsignis ecclesia Pragensis, praecipua Romanae filia ac totius regni mater, filium suum Ioannem Nepomucenum pro sigillo sacramentalis Confessionis undequaque servando, adversus novos inferorum conatus murum opposuit; unde factum ut Ioannis constantia, glorioso martyrio coronata, compluribus signis in totâ Bohemiâ et Germaniâ a Deo illustrari meruit: quae tandem hanc S. R. E., cui, auctore Christo Domino, praesidemus, permoverunt, ut virum Deo carum sanctorum Christi martyrum canoni per nos adscribendum sanciret. Priusquam vero anteactam caeremoniam enarrare adgrediamur, maxime decet ut de beato martyre aliqua proferamus, ut illius sanctitatis memoria in fidelium animos dulcius illabatur.

Ioannes Nepomuceni ortus, educatio et munia.

§ 2. Nepomuci, Bohemiae oppido, Pragâ in Bavariam ituris obvio, perque S. Adalbertum Pragensem antistitem et martyrem signis olim nobilitato, Ioannem ineunte iam saeculo XIV parentes eius, pietate magis quam avorum titulis clari, precibus et votis ad Dei Matrem fusis impetraverunt. Egregia et vere christiana pueri indoles probe exculta statim illuxit; formulâ enim presbyteris divinum sacrificium facturis inserviendi perceptâ, sponte suâ ad coenobium monachorum Cisterciensium, Nepomuco adiacens, primo mane decurrere singulisque Dei ministris ad aras operaturis ministrare consuevit. Adultior factus, mitioribus litteris, ac postea gravioribus disciplinis, quae Dei obsequiis destinandum iuvenem praecipue decerent, sedulo instructus, ecclesiasticae militiae nomen dare constituit; praemissoque in tantae rei cogitatione mense ab omnibus negociis vacuo, presbyteratum suscepit; eique in aede Pragensi B. Virginis, quam *Laetam Curiam* appellant, verbi Dei promulgandi onus iniunctum est: quod, a summis et disertis viris ibidem antea occupatum, tantâ ipse prudentiâ et fervore implevit, ut Evangelii semina audientium cordibus inserens, populi expectationem aequaverit, ac superiorum, qui in eodem officio praeiverant, desiderium extinxerit. Hinc, universis doctrinam virtutemque Ioannis collaudantibus, inter metropolitanae ecclesiae Pragensis canonicos, Ioanne archiepiscopo agente, unâ plane omnium voce cooptatus est, ei statim in eâdem ecclesiâ coram Caroli IV imperatoris filio Wenceslao Romanorum et Bohemiae rege IV sacras conciones habenti, nova provincia imposita, qua Ioannes pro suâ modestiâ se frustra abdicare tentavit. Compluribus annis poenitentiam contra scelera, aulae licentiam, corruptosque mores strenuus ecclesiastes praedicavit, Wenceslao sanâ eius eloquentiâ victo, necdum in vitiorum sordes lapso, multa viri Dei suasu faciente: qui tanto etiam eius ornandi studio incensus est, ut praeci-

puis regni dignitatibus, praepositurâ scilicet ecclesiae Wisserhadensis, post archiepiscopalem primariâ, et Sedis Litomisliensis fastigio episcopali, ultro oblatis, Ioannem honestare percuperet.

Lucro animarum intentus honores respuit: fit confessarius Ioannae reginae.

§ 3. Sed ille, opulento lucro animarum unice intentus, huiusmodi se honorum amplitudini generoso consilio subduxit; ne tamen illorum contemptu in superbiae notam incurreret, summum tandem eleemosynarii munus, a rege eiusque optimâ coniuge Iohanna Alberti Bavariae ducis filiâ collatum, accepit: in quo exercendo praeclaris animi dotibus toti aulae praeluxit, et Ioanna regina, christianis virtutibus instructissima, suae conscientiae arbitrum esse voluit: quod exemplum Pragensis arcis sanctimoniales secutae, ad summum perfectionis apicem eo duce convolarunt. Haec prima in viro Dei sanctitatis praeludia absolutam consummationem aliunde acceperunt, ubi, pro custodiendo sacramenti Poenitentiae sigillo, nullâ humanâ vi reserando, animam suam ponere non dubitavit. Etenim labente anno Domini MCCCLXXXIII, quum Wenceslaus paternae virtutis immemor, agente humani generis hoste, in flagitiorum abyssum praeceps ruisset, pientissima regina, viri sceleribus maxime offensa, crudelitatem eius perhorrescens, uni Deo se totam dicare constituit, ab eo in tantâ calamitate subsidium et solatium deprecatura. Sacrum propterea confessarii tribunal adire frequentius, cum lacrymis conscientiam aperire, affligtare se, egenorum curam suscipere, Deum assidue cogitare, et diu noctuque obsecrare, ut meliorem coniugi mentem daret, quem pridem a pessimo vitae instituto revocare optans, seorsum privatis obsecrationibus saepenumero adgressa fuerat.

... confessionis atrocissime patitur et mortem subit.

§ 4. Sed rex, crimina criminibus addens, piis optimae reginae officiis in furorem actus, eo prolapsus est, ut, quae illa in sacramentali confessione eleemosynario atque uni Deo aperiret, ab eo sibi patefieri debere, nefario ausu contenderet, magnisque hoc pollicitationibus a Ioanne extorquere semel atque iterum laboravit. Mox novum regis atrocissimum facinus in coco, verubus transfixo, atque igne affari iusso, aliis prae horrore et stupore tacentibus, a Ioanne leniter obiurgatum, eius immanitatem in Dei famulum irritavit. Quare eleemosynarium contumeliis affectum, carceri et vinculis mancipat, inde non educendum minatus, nisi reginae confessionem pandat. At eius constantiam in vinculis et postmodum in convivio Wenceslaus expugnare frustra molitus, catastae impositum, tormentis et facibus ad latera admotis, ut secretum proderet, torqueri imperat: quo in agone Christi pugil, nihil prorsus nisi suavissima Iesu et Mariae nomina ingeminans, vitam et mortem Domino commendavit. Carcere hinc dimissus, curatisque vulneribus, vir Dei secum immaniter acta prudens celavit, resumptoque pristino concionum exercitio in aede principe, quum ad populum verba illa Christi Domini protulisset, *modicum videbitis me, et iam non multa loquar vobiscum*, sibi pro Christi et Ecclesiae lege occumbendum praenunciavit. Tum uberrimis lacrymis regni infortunia et eventuras brevi calamitates memorans, inque magno luctu omnes relinquens, concionem absolvit. Supremum igitur agonem sibi instare praenoscens, antiquam Deiparae imaginem veneraturus, Boleslaviam profectus, eius praesidium vehementissimis precibus flagitavit. Inde Pragam vespere pervigilii dominicae Ascensionis reducem e fenestrâ rex conspicatus, ad se arcessit, mortem in-

terminatus, nisi arcanas coniugis confessiones statim exponat. Sed fortissimus Dei miles intrepide reluctatus, impium facinus quod ab se requirebatur, non voce, sed capitis vultusque gravitate aversatus est. Mox iussu regio a satellitibus comprehensus, aliò clam deportatur, noctuque manibus et pedibus vinctus, ad pontem Moldavae, Pragam praeterfluentis, deductus, in subiectum flumen praecipitatur.

Ioannis martyrium et sanctitas miraculis praefacta.

§ 5. Ioannis caedem, quam Wenceslaus latere voluerat caelestia statim miracula prodiderunt. Totus enim Moldavae fluvius continuo flammis reluxit, et martyris corpus, secundo flumine quasi facibus undique cinctum descendens, effusam ad spectaculum civitatem attraxit, reginâ ipsâ sceleris nesciâ, coniugi necis auctori prodigium indicante: qui criminis conscientiâ tortus, humanum consortium triduo ferre non potuit. Postero die repertum martyris corpus, caedisque causâ patefactâ, ad proximam aedem S. Crucis perlatum est, subinde ad metropolitanam ecclesiam, ubi aegros quamplurimos sacrarum exuviarum contactu sanatos vetera monumenta copiose testantur. Signis postea non paucis ad martyris, qui Dei gloriam eloquio iuxta ac silentio amplificare studuerat, loculum sepulcralem patefactis, eius veneratio et fama sanctitatis, in toto regno Bohemiae per medias haeresum et bellorum flammas mirifice aucta, Germaniam universam et septentrionales oras pervagata est. Hisce de rebus uberes commentarii, Ioannis martyrium, miracula et cultum immemorabilem minimeque interruptum recensentes, ab anno MDCCXV ab annum MDCCXX in sede archiepiscopali Pragensi publicâ solemnique caeremoniâ confecti sunt: quo tempore invicti martyris corpusculo iuridice recognito et carne ac membris in cineres pridem conversis, licet tota ossium compago superesset, lingua, sigilli confessionis sacramentalis inexpugnabilis custos, in ore et cranio terrâ pleno prorsus incorrupta, flexilis et vivida reperta est. Haec vero, in thecâ honorifice inclusâ, anno MDCCXXI in solemni supplicatione maximo christiani populi gaudio circumlata est.

Ioannis martyrium a Romanâ Ecclesia canonice comprobatum et eius lingua incorrupta.

§ 6. His porro commentariis ad piae recordationis antecessorem nostrum Clementem Papam XI allatis, perque venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales sacrorum rituum Congregationi praepositos canonico examine comprobatis, officium et sacrosanctum missae sacrificium de eo sub ritu communi unius martyris in Bohemiâ, Germaniâ aliisque regionibus celebrandi, sacrique corporis, ex tumulo seorsum posito et repagulis ferreis munito, infra mensam altaris transferendi facultas concessa est: quo translato, novisque commentariis hac de re apostolicâ auctoritate conscriptis, die XXVII ianuarii anno Domini MDCCXXV sacrae linguae prodigiosa incorruptio denuo explorata, omnes quotquot aderant permultos gravissimos viros reique anatomicae peritos repentino spectaculo in summam admirationem convertit, ubi in conspectu universorum spatio ferme unius horae lingua suboscura a radice, quasi rubrum colorem induens et palam intumescens, huiusmodi colorem sensim in purpureum mutavit.

Ioannis miracula a Sede apostolicâ recognita et undequaque relata.

§ 7. Itaque per venerabiles fratres nostros S.R.E. cardinales viri Dei martyrio et prodigiis coram nobis accurate recognitis atque perpensis, et duobus praesertim ex recentioribus miraculis, unâ cum iis quae ad linguam pertinent, voce unanimi comprobatis; uno scilicet Annae Teresae Crebsin, a sex mensium paralysi et atrophiâ in laevo

brachio percussae, quae, sub finem novemdialis ieiunii a se instituti in honorem B. Ioannis, momento citius convaluit; altero vero in septenni puellâ Rosaliâ Hodanckianâ, noctu in flumen Wactavam lapsâ, quae, eiusdem viri Dei patrocinio a matre implorato, post horae spacium ex aquis, ubi mersa iacuerat, incolumis educta est: nos Ioannem Nepomucenum, ob servatam legem arcani confessionis sacramentalis violentâ nece peremptum, consueto Ecclesiae Romanae ritu in sanctorum Christi martyrum canonem referre decrevimus: pro quo referendo carissimus in Christo filius noster Carolus VI imperator electus Hispaniarum catholicus et Romanorum, Hungariae ac Bohemiae rex illustris, et carissima in Christo filia nostra Elisabetha Christina, eiusdem Caroli uxor, et Amalia vidua clarae memoriae Iosephi olim imperatoris electi, itidemque carissimus in Christo filius noster Fridericus Augustus Poloniae rex illustris, compluresque S.R.E. cardinales archiepiscopi, episcopi et Germaniae principes ab initio causae supplices preces huic Apostolicae Sedi porrexerant, suasque iam porrigit venerabilis frater Ferdinandus archiepiscopus, et prae ceteris dilecti filii, capitulum et canonici metropolitanae ecclesiae Pragensis, eximiâ et plane singulari erga collegam suum devotione inflammati.

Sanctorum martyrum canoni adscribitur.

§ 8. In tribus ergo consistoriis et plenario conventu eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum, nobiscum Romae praesentium, universis ad beatum Christi martyrem Ioannem Nepomucenum pertinentibus pro more discussis, unanimi sententiâ per Apostolicae Sedis notarios coram nobis exceptâ, post tantae rei perficiendae solemnem diem indictam, perque orationes, ieiunia et eleemosynas omnipotentis Dei opem in re tantâ absolvendâ ferventissime imploratam, omnibus, quae ad antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum constitutiones et S.R.E. disciplinam agenda erant, summâ religione peractis, hac ipsâ die in honorem B. Iosephi confessoris et Deiparae sponsi Deo sacrâ, unâ cum iam dictis venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis, et maximâ utriusque cleri et populi frequentiâ, in sacrosanctam basilicam Lateranensem Deo supplicantes convenimus, ubi semel, iterum et tertio pro Christi famulo Ioanne Nepomuceno sanctorum martyrum canoni adscribendo per dilectum filium nostrum Michaëlem Fridericum S. R. E. tituli S. Sabinae presbyterum cardinalem ab Althann nuncupatum repetitis precibus exorati, post cantatas sacras orationes et Spiritus Sancti gratiam humillime invocatam, ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, fidei catholicae exaltationem, et christiani nominis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei Patris, Filii et Spiritus Sancti, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostrâ, de eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum, nobiscum in plenario conventu basilicae Lateranensis praesentium, consilio et unanimi consensu, beatum Ioannem Nepomucenum, ecclesiae metropolitanae Pragensis in regno Bohemiae presbyterum et canonicum, de cuius sanctitate, martyrio, causâ martyrii et miraculis plene constabat et constat, sanctorum martyrum canoni adscribendum decrevimus et definivimus, prout praesentium tenore decernimus, definimus et adscribimus, eumdemque per omnes christifideles tamquam vere sanctum et Christi mar-

tyrem honorari mandavimus et mandamus, statuentes ut ab universâ Ecclesiâ in eius honorem aedes sacrae et altaria, in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, aedificari, et quotannis XVII kalendas iunias solemnia eius ut sancti martyris celebrari possint.

Indulgentiae visitantibus Ioannis exuvias concessae.

§ 9. Insuper eâdem auctoritate omnibus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui eodem solemni die in memoriam beati Christi martyris Ioannis Nepomuceni quotannis ad eius exuvias, quae Pragae in aede principe in honorem B. Viti martyris Deo sacrâ asservantur, venerandas accesserint, annum et quadragenam; iis vero qui in octavâ eiusdem diei festi, quadraginta dies de iniunctis seu quomodolibet eis debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavimus et relaxamus.

Exponitur quidquid gestum in eius canonizatione.

§ 10. Postremo gratiis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc novoque luminari illustrare voluisset, cantatâ in honorem sancti martyris Ioannis Nepomuceni solemni oratione, in arâ maximâ basilicae Lateranensis sacrosanctum missae sacrificium celebravimus cum eiusdem martyris commemoratione, omnibusque christifidelibus tunc praesentibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessimus.

§ 11. Decet igitur ut pro tam peculiari magnoque beneficio nobis concesso omnes benedicamus et glorificemus Deum Patrem, bonorum omnium auctorem, cui est honor et gloria in saecula, assiduis precibus ab eo flagitantes, ut per intercessionem electi sui martyris Ioannis Nepomuceni a peccatis nostris indignationem suam avertens ostendat nobis faciem misericordiae suae, immittatque timorem sui super gentes quae non cognoverunt eum, ut tandem cognoscant quia non est alius Deus nisi Deus noster.

Hae litterae ubique fidem obtineant.

§ 12. Ceterum quia difficile foret, praesentes nostras litteras ad singula loca, ad quae opus esset, adferri, volumus ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem ubique fides habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si essent exhibitae vel ostensae.

Nemo hanc paginam infringere audeat.

§ 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae definitionis, decreti, adscriptionis, relationis, mandati, statuti, relaxationis et voluntatis infringere, vel ei ausu contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVIII, XIV kalend. aprilis, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 18 martii 1729, pontif. anno V

 EGO BENEDICTUS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS[1].

†

†

†

† Ego Petrus episcopus Sabinensis cardinalis Ottobonus, S. R. E. vicecancellarius.

† Ego Laurentius episcopus Tusculanus cardinalis Corsinus.

†

† Ego Ioseph Renatus tituli S. Laurentii in Lucinâ presbyter cardinalis Imperialis.

†

† Ego Annibal tituli S. Clementis presbyter cardinalis S. Clementis S. R. E. camerarius.

† Ego Ludovicus tituli S. Praxedis presbyter cardinalis Picus de Mirandula.

† Ego Ioannes Antonius tituli S. Petri ad Vincula presbyter cardinalis de Viâ.

†

† Ego Antonius Felix tituli S. Balbinae presbyter cardinalis Zondadarius.

1 Additur forma sigilli ut supra pag. 6 a (R.T.).

† Ego Petrus Marcellinus tituli S. Mariae Transtyberim presbyter cardinalis Corradinus.

†

†

†

† Ego Curtius tituli S. Eustachii presbyter cardinalis Origus.

† Ego Melchior tituli S. Mariae Angelorum presbyter cardinalis de Polignac.

†

†

†

†

† Ego Nicolaus tituli Ss. Nerei et Achillei presbyter cardinalis Spinula.

†

†

† Ego Iulius tituli S. Chrysogoni presbyter cardinalis Alberonus.

†

†

† Ego Cornelius tituli S. Caeciliae presbyter cardinalis Bentivolus de Aragonia.

†

†

† Ego Ludovicus tituli S. Priscae presbyter cardinalis Belluga et Moncada.

†

† Ego Michaël Fridericus tituli S. Sabinae presbyter cardinalis de Althann.

†

† Ego Alvarus tituli S. Bartholomaei in Insulâ presbyter cardinalis Cienfuegos.

† Ego Bernardus Maria tituli S. Bernardi ad Thermas presbyter cardinalis de Comitibus, maior poenitentiarius.

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Matthaei in Merulana presbyter cardinalis de Alteriis.

† Ego Vincentius tituli S. Onuphrii presbyter cardinalis Petra.

† Ego Prosper tituli S. Silvestri in Capite presbyter cardinalis Marefuscus.

† Ego fr. Augustinus tituli S. Mariae super Minervam presbyter cardinalis Pipia.

† Ego Nicolaus tituli S. Mariae in Domnicâ presbyter cardinalis Coscia.

†

†

† Ego Nicolaus Mariae tituli S. Ioannis et Pauli presbyter cardinalis Lercarius.

†

†

†

† Ego fr. Georgius tituli S. Augustini presbyter cardinalis Selleri Ordinis Praedicatorum.

†

†

†

†

† Ego fr. Vincentius Ludovicus tituli S. Pancratii presbyter cardinalis Gotti Ordinis Praedicatorum.

† Ego dominus Leander tituli S. Calixti presbyter cardinalis de Porzia Ordinis S. Benedicti.

† Ego Petrus Aloysius tituli S. Laurentii in Pane et Perna presbyter cardinalis Carafa.

† Ego Ioseph tituli S. Mariae de Transpontina presbyter cardinalis Accorambonus.

†

† Ego Benedictus S. Mariae in Viâlatâ diaconus cardinalis Pamphilius.

† Ego Laurentius S. Agathae ad Montes diaconus cardinalis de Alteriis.

† Ego Carolus S. Angeli in Foro Piscium diaconus cardinalis Columna.

† Ego Fabius Ss. Viti et Modesti diaconus cardinalis de Abbatibus Oliverius.

†

† Ego Alexander S. Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis Albanus.

† Ego Alexander S. Mariae de Scalâ diaconus cardinalis Falconerius.

† Ego Nicolaus S. Mariae ad Martyres diaconus cardinalis Iudice.

† Ego Antonius S. Nicolai in Carcere diaconus cardinalis Bancherius.

† Ego Carolus S. Mariae in Porticu diaconus cardinalis Collicola.

I. B. archiepiscopus Nisibenus subdatarius.

Visa de Curiâ: I. archiep. Ancyranus.

L. Martinettus.

Registrata in Secretariâ Brevium.

Felix Franciscinus R. C. A. secretarius.

CCLXVIII.

Confirmatur summarium indulgentiarum concessarum crucibus, rosariis, nummismatibus et coronis benedictis ab abbate monasterii Montisserrati Congregationis Vallisoletanae Ordinis S. Benedicti [1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Piis orthodoxorum principum de Ecclesiâ Dei multis nominibus optime meritorum studiis paternâ charitate libenter obsecundamus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam bonorumque operum incrementum et christifidelium devotionem ad pietatis opera incitandam et confovendam salubriter in Domino expedire arbitramur.

Summarium praedictum a Congregatione indulgentiarum recognitum et approbatum fuit. § 1. Pro parte siquidem carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici, et carissimae in Christo filiae nostrae Elisabethae, eorumdem Hispaniarum reginae catholicae, coniugum, nobis nuper expositum fuit, quod aliàs summarium indulgentiarum crucibus, nummismatibus, rosariis et coronis a pro tempore existente abbate monasterii Montisserrati Congregationis Vallisoletanae Ordinis sancti Benedicti in Cathalauniâ benedictis concessarum de mandato Congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium indulgentiis et sacris reliquiis praepositorum per sex consultores ad id specialiter deputatos confectum et ab eâdem Congregatione cardinalium recognitum et approbatum fuit tenoris qui sequitur, videlicet:

Sommario delle indulgenze date alle croci, rosarii e medaglie benedette dall'abate del monastero della Madonna di Monserrato in Spagna.

Refertur ipsummet summarium. La Santità di nostro signore Papa Benedetto XIII, dopo aver udito il voto della sacra Congregazione delle indulgenze e reliquie, concede alle croci, rosari e medaglie benedette dall' abate del monastero della Madonna di Monserrato le seguenti indulgenze:

I. Chi sarà solito dire una volta la settimana la corona del Signore o della Madonna, o il rosario, la terza parte, o l'uffizio divino o il piccolo della Madonna o dei morti, ovvero i sette salmi penitenziali o graduali, ovvero averà per usanza d'insegnare la dottrina cristiana, o visitare i carcerati o gl'infermi di qualche spedale, o di sovvenire i poveri, o d'intervenire alla messa, o dirla essendo sacerdote, se, veramente pentito e confessatosi da confessore approvato dall'Ordinario, si comunicherà in qualsivoglia degli infrascritti giorni, cioè Natale del Signore, Epifania, Resurrezione, Ascensione, Pentecoste, feste della SS. Trinità e *Corpus Domini*, feste della Purificazione, Concezione, Annunziazione, Assunzione e Natività della beatissima Vergine, nel dì primo di novembre festa di tutti i Santi, e nel giorno festivo di S. Benedetto, e divotamente pregherà Dio per l'estirpazione delle eresie e degli scismi, per l'augumento della fede cattolica, per la pace e concordia de' principi cristiani, e per gli altri bisogni di santa Chiesa, in esso giorno acquista la remissione di tutti i suoi peccati e l'indulgenza plenaria.

II. Chi farà le stesse cose nelle altre feste del Signore, della beatissima Vergine, nelle feste de' santi apostoli, di S. Giuseppe, e de' santi Mauro e Placido, Scolastica e Geltrude dell'Ordine di S. Benedetto, in ciascuno di detti giorni conseguirà sette anni ed altrettante quarantene d'indulgenza.

III. Chi sarà solito dire una o più volte il giorno *Benedetta sia la purissima ed immacolata Concezione*, guadagni per ogni volta il giorno quaranta giorni d'indulgenza.

IV. Ciascuno che dirà il rosario, corona della Madonna in onore della sua purissi-

[1] Aliâ huius Pontificis const. edit. MDCCXXVI, die 19 augusti, pontif. III, actum fuit de modo electionis abbatis dicti monasterii.

ma ed immacolata Concezione, pregandola che interceda appresso il suo divino Figliuolo acciò viva e muoia senza peccato mortale, consegua sette anni d' indulgenza.

v. Chi farà ogni giorno orazione per la estirpazione delle eresie, consegua ogni settimana vent'anni d' indulgenza.

vi. Ciascuno che la sera prima di andare a dormire farà l'esame della sua coscienza, e cinque volte il *Pater noster* e l'*Ave Maria* con proposito di confessarsi, consegua un anno d' indulgenza, ed essendo confessato e comunicato in quel giorno, ne consegua dieci anni.

vii. Ciascuno che, mosso dalla devozione che porta a S. Giuseppe, S. Benedetto, S. Mauro, S. Scolastica e S. Geltrude, dirà il salmo *Miserere mei, Deus, etc.*, o cinque volte il *Pater noster* e l'*Ave Maria*, dicendo che Dio signor nostro, per la loro intercessione, conservi la sua Chiesa, ed a lui dia buona morte, consegua cento giorni d' indulgenza.

viii. Chi sarà solito una volta almeno la settimana dire la corona o il rosario o l'ufficio della Madonna o de' morti, o i vesperi ed un notturno almeno colle laudi, o i sette salmi penitenziali colle litanie e sue preci, o per divozione del SS. Nome di Gesù o delle cinque piaghe dirà cinque volte il *Pater noster*, o per divozione del nome della Madonna cinque volte l'*Ave Maria*, o l'antifona *Sub tuum praesidium, etc.*, con qualsivoglia orazione approvata della Madonna, guadagni in quel giorno che ciò dirà cento giorni d' indulgenza.

ix. Chi farà qualunque sorte d'orazione preparatoria avanti di celebrare la messa o comunicarsi, o di recitare l'offizio del Signore o della B. Vergine, conseguisca ogni volta cinquanta giorni d'indulgenza.

x. Chi visiterà i carcerati o gl' infermi degli spedali, aiutandoli con qualche opera pia, ovvero in chiesa insegnando la dottrina cristiana, o in casa a' propri figli, parenti o servitori; oltre le indulgenze per ciò concedute da altri Sommi Pontefici, guadagni ogni volta duecento giorni d'indulgenza.

xi. Chi nel giorno di venerdì penserà divotamente alla passione e morte di Gesù Cristo signor nostro, e dirà tre volte il *Pater* e l'*Ave Maria*, in quel giorno guadagni cento giorni d' indulgenza.

xii. Chi accompagnerà divotamente il santissimo Sacramento, quando è portato per viatico agl' infermi, oltre le indulgenze che per opera così pia hanno date altri Sommi Pontefici, acquisti sette anni d' indulgenza.

xiii. Chi per divozione della passione di Gesù Cristo signor nostro digiunerà li venerdì dell'anno, o per divozione della Madonna li sabati, guadagnerà per ognuno dei suddetti giorni indulgenza di sette anni e sette quarantene; e quelli che confessati e comunicati avranno esercitato per tutto l'anno la predetta devozione, l' indulgenza plenaria, quale goderanno quelli che morendo dentro l' anno avranno avuta intenzione di compirla.

xiv. Chi dirà tre volte il *Pater noster* e l'*Ave Maria* per li fedeli che sono in transito, conseguirà quaranta giorni d' indulgenza.

xv. Chi col suo esempio o consiglio ridurrà a penitenza qualche peccatore, consegua il perdono della terza parte delle pene dovute a' suoi peccati.

xvi. Chi si confesserà e comunicherà nei giorni di Giovedì santo e Pasqua, e pregherà sua divina maestà per l'esaltazione della santa madre Chiesa e conservazione del Sommo Pontefice, consegua l' indulgenza che Sua Santità concede in detti giorni nella benedizione che dà pubblicamente al popolo.

xvii. Chi udirà o sentirà la santa messa, e se è sacerdote pregherà per la prosperità de' principi cristiani e per la tranquillità de' Stati loro, guadagni l' indulgenza di sette anni e sette quarantene.

xviii. Chi pregherà per la conservazione et augumento della religione di S. Benedetto, sarà partecipe di tutte quelle opere buone che si faranno in essa religione.

xix. Qualsivoglia che per infermità o altro impedimento legittimo non potrà sentire o dir messa, o recitare l'ufficio divino o di nostra Signora, o fare altri esercizi di virtù prescritti per conseguire le suddette indulgenze, le conseguirà dicendo in luogo di

esse tre *Pater noster* e tre *Ave Maria* ed una *Salve regina*, ed al fine di essa dirà *Benedetta sia la SS. Trinità, e Lodato sia il SS. Sacramento e la purissima Concezione della SS. Vergine Maria concepita senza peccato originale*, con condizione però che sia confessato e communicato, o almeno sia contrito nel cuore, con proponimento di confessarsi.

XX. Qualunque che in articolo di morte, avendo ricevuti li sacramenti, o, non avendoli ricevuti per alcun impedimento, sarà contrito, dicendo *Gesù e Maria* col cuore, non potendo colla bocca, guadagni indulgenza plenaria di tutti i suoi peccati.

XXI. Tutte le indulgenze dette di sopra può ciascuno guadagnarle per sè o pure applicarle per le anime del purgatorio.

Comanda Sua Santità, che nella distribuzione ed uso di queste medaglie, corone, ecc., si osservi il decreto della felice memoria di Alessandro VII stampato sotto li 6 febbraio 1659, cioè che le medaglie, corone, ecc., benedette colle sopraddette indulgenze, non passino la persona di quelli a'quali saranno concedute, o a'quali da questi saranno distribuite per la prima volta, e che non possano prestarsi ad altri o darsi precariamente, altrimenti perdano l'indulgenza che hanno, e che perdendosene una non se ne possa sostituire in suo luogo un'altra, non ostante qualunque concessione o privilegio in contrario.

Inoltre dichiara, che se qualcheduna delle suddette croci, corone, rosarii o medaglie si perdesse, non se ne possa sostituire un'altra che non sia stata benedetta dall'abate di Monserrato.

Proibisce di più, che per queste croci, corone, rosari e medaglie non si possa prendere qualunque minima cosa, sotto pena della perdita di tutte le indulgenze, ed altre pene canoniche da darsi da' vescovi o dagl'inquisitori della fede a' questori od altri che rendono venali le cose sacre.

Dichiara ancora la Santità di nostro signore, che tutte le altre indulgenze e grazie che si asseriscono concedute a dette medaglie, croci e corone, le quali non sono contenute espressamente nel presente sommario, siano nulle e dalla Santità Sua espressamente revocate. Dato li 2 gennaro 1727.

I. card. Pico praefectus. — Raffaello Coscino Girolami segretario.

Confirmatio relati summarii.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti Philippus rex et Elisabetha regina summarium huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, laudabilia eorumdem Philippi regis et Elisabethae reginae erga res sacras studia plurimum in Domino commendantes, piisque eorum precibus favorabiliter annuere paternâ benignitate cupientes, de memoratorum cardinalium consilio, praeinsertum summarium indulgentiarum auctoritate apostolicâ tenore praesentium approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus. Praeterea nunc et pro tempore existenti praesidenti seu superiori praedicti monasterii, absente vel impedito illius abbate, cruces, rosaria, nummismata et coronas huiusmodi benedicendi facultatem, auctoritate et tenore praedictis, concedimus et impertimur: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praedictae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque etc.[1]

Fides habenda transumptis.

§ 4. Volumus autem, ut praesentium litterarum transumptis, etc.[2]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI martii MDCCXXIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 21 martii 1729, pontif. anno V.

1 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).
2 Ut supra pag. 72 *b* (R. T.).

CCLXIX.

Confirmatur constitutio Innocentii XIII, super prohibitione mercaturae rerum novarum Iudaeis tum in Statu tum extra Statum Ecclesiasticum degentibus [1].

Benedictus Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Constitutio praedicta Innocentii XIII refertur.

§ 1. Aliàs emanarunt a recolendae memoriae Innocentio XIII praedecessore nostro litterae in simili formâ Brevis, tenoris qui sequitur, videlicet:

Ad futuram rei memoriam. Ex iniuncto nobis caelitus apostolicae servitutis munere, etc. [2].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII ianuarii MDCCXXIV, pontificatus nostri anno III.

Causae praesentis nostrae confirmationis Benedicti XIII.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii mercatores civitatis et comitatus Avenionensis exponi nobis nuper fecerunt, ipsi praemissa, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent: nos, specialem ipsis mercatoribus gratiam facere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas [3] fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas Innocentii praedecessoris litteras, cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. etiam de latere legatos, civitatisque et comitatus praefatorum vicelegatos, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis quae idem Innocentius praedecessor in praeinsertis litteris voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXI martii MDCCXXIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 21 martii 1729, pontif. anno V.

CCLXX.

Conceduntur nonnulla privilegia quibusdam familiaribus Sanctitatis Suae [1].

1 Laudata constit. edita fuit MDCCXXIV, die 14 (verius 18 R. T.) ianuarii, pontif. III.

2 Reliqua habes tom. XXI, pag. 963 *b* et seq. (R.T.).

3 Edit. Main. legit *absolutos* (R. T.).

1 Ab eodem Pontifice const. ed. MDCCXXIV, die XV decembris, pontif. I, concessa fuerunt privilegia omnibus familiaribus, et a Clemente XII

Benedictus Papa XIII,

Venerabilibus fratribus Francisco Burghesio archiepiscopo Traianopolitano, cubiculi nostri praefecto, Francisco Mariae Pitonio episcopo Himetiensi, auditori nostro, Angelo Mariae Errico Beneventanae, capellano secreto, Ioanni Baptistae Calsamilia Ianuensis, magistro domus nostrae, Ioanni Capobianco, clerico capellae nostrae secretae, et Carolo Antonio Fiorillo, itidem Beneventanae respective civitatum vel dioecesum, cubiculi nostri adiutori, familiaribus continuis commensalibus nostris, salutem et apostolicam benedictionem.

Proemium.

§ 1. Circumspecta Romani Pontificis gratiarum dispensatoris providentia devotos et fideles suos, illos praesertim etc.[1]

Clausulae finales.

§ 2. Ceterum[2] volumus pariter atque decernimus, ut illis ex vobis, quibus similes testandi de bonis ac pensiones transferendi facultates a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, quorum respective etiam familiares continui commensales erant, concessae fuerunt, praesentes litterae, quoad facultates testandi de bonis et transferendi pensiones huiusmodi, minime suffragentur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII martii MDCCXXIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 22 martii 1729, pontif. anno V.

CCLXXI.

Confirmatur decretum capituli generalis Ordinis Praedicatorum super suppressione Congregationis Angelorum in provinciâ Galloprovinciae aliàs erectae[3].

conceduntur const. ed. MDCCXXXI, die XXV iulii, pontif. II.

1 Reliqua ut tom. XX, pag. 24, et supra pag. 120 huius tomi (R. T.).

2 Ista § addatur etiam sup. pag. 120 (R. T.).

3 De confirmatione erectionis Congregationis praedictae vide Alexandri VII constit. edit. MDCLXV, die 30 iunii, pontif. III.

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes Sicard, frater expresse professus provinciae Galloprovinciae Ordinis Praedicatorum, nomine dilecti etiam filii Ioannis Iosephi Robert prioris provincialis dictae provinciae, quod aliàs, nempe die VIII martii MDCLX, a quodam Ioanne Baptista Marini tunc temporis magistro generali praefati Ordinis Congregatio Angelorum nuncupata ex nonnullis conventibus provinciae eiusmodi erecta, ac subinde die XIX iulii MDCLXIV suâ ac etiam apostolicâ auctoritate confirmata fuit, cum iuribus ac privilegiis alteri Congregationi Britannicae eiusdem Ordinis concessis, eâ tamen expressâ lege et conditione in patentibus litteris ipsius Ioannis Baptistae magistri generalis desuper editis adiectâ, quod scilicet in dictâ Congregatione Angelorum eiusque conventibus regularis observantia secundum tenorem constitutionum praescriptarum exacte et accurate servaretur; itaut a praefatis privilegiis ipso facto excideret et excidisse censeretur statim atque a regulari observantiâ huiusmodi descivisse constaret.

Congregatio praedicta Angelorum iam inde ab anno MDCLX erecta et auctoritate apostolica confirmata fuit.

§ 2. Enatoque postmodum dubio, an per quaedam decreta die XXVIII septembris eiusdem anni MDCLXIV emanata a Congregatione tum existentium S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ, quibus inter alia electiones in capitulo provinciali provinciae praefatae confirmabantur, supradicta Congregatio Angelorum dissoluta fuisset, reque ad felicis recordationis Alexandrum Papam VII praedecessorem nostrum ab eodem Ioanne Baptista magistro generali delatâ, idem Alexander praedecessor de dictorum cardinalium consilio memoratam Congregationem Angelorum, in qua tunc

Deinceps emanato dubio, an supradicta congregatio dissoluta fuisset, ab Alexandro VII iterum confirmata est.

vigebat regularis observantia ac disciplina, in suo statu et privilegiis auctoritate apostolicâ confirmavit et manuteneri mandavit, voluitque vicarium praefatae Congregationis vocem habere in capitulis provincialibus eiusdem provinciae deinceps celebrandis, prout habebat vicarius alterius Congregationis Britannicae; et aliàs, prout in ipsius Alexandri praedecessoris litteris in simili formâ Brevis die XXX iunii MDCLXV desuper expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Denique in capitulo generali in Bononiensi iustis de causis suppressa fuit et decretum hac super re emanatum.

§ 3. Verum, cum in nupero capitulo generali praedicti Ordinis in civitate nostrâ Bononiensi habito, in vim seu executionem quarumdam nostrarum in pari formâ Brevis litterarum, quas die VIII aprilis MDCCXXV super eiusmodi congregationibus provinciarum dicti Ordinis in universum acceptis ad idem capitulum generale in civitate praefatâ congregatum dedimus, post maturam rei discussionem statutum atque ordinatum fuisset, tamquam conducibile ad regularis disciplinae instaurationem, quascumque congregationes ab hac Sanctâ Sede non erectas nec confirmatas, sed solâ facultate ordinariâ religionis institutas, neque a suis provinciis respective seiunctas, quotiescumque non custodirent veterem observantiam eorum quae in primaevo erectionis fervore praescripta fuere, suis provinciis omnino reuniendas esse, factâ potestate per dictum capitulum generale dilecto filio Thomae Ripoll moderno magistro generali Ordinis praefati, habitâ de singulis Congregationibus huiusmodi pleniore ratione, eas supprimendi et reuniendi originalibus provinciis, quas a suo laudabili fine decidisse reperisset; atque compertum fuisset, quinque conventus, quibus supradicta Congregatio Angelorum constabat, ob fratrum penuriam, temporum iniuriam, rerumque vicissitudinem, ac inopiam, aliasque calamitates, a primaevâ regulari observantiâ defecisse, nec illis suppetere unde suorum religiosorum necessitatibus subvenire possent, ac insuper ad duplicem contributionem, unam quidem priori pr vinciali dictae provinciae, alteram vero eiusdem Congregationis vicario pro rebus ad illam spectantibus faciendam, teneri et obligatos existere: dilecti filii Ludovicus Manche vicarius ultimo electus, et Hyacinthus Dantrechauz exvicarius, aliique alumni dictae Congregationis, enarratae ordinationi capituli generalis inhaerentes, ab eodem Thoma magistro generali petierunt atque obtinuerunt praedictam Congregationem Angelorum dissolvi et supprimi, illiusque conventus memoratae provinciae restitui ac reuniri; et aliàs, prout continetur in decreto ipsius Thomae magistri generalis eâ super re die V iunii MDCCXXVIII edito, tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum praedictum super Congregationis praefatae suppressione et conventuum reunione.

Nos frater Thomas Ripoll, sacrae theologiae professor, totius Ordinis fratrum Praedicatorum magister generalis et servus. Quo primum ad supremum Ordinis regimen, meritis licet imparibus, evecti fuimus, ab omnibus totius capituli generalis Bononiae celebrati patribus specialiter nobis commissum est, ut allaboraremus ad reunionem conventuum cum provinciis, e quarum sinu prodierunt, ubi certo constare poterit congregationes e talium conventuum selectu formatas ex primaevo erectionis suae fervore decessisse, quocumque tandem eventu vel casu labefactata disciplina proveniat. Cum itaque non sine moerore didicerimus Congregationem nostram Angelorum in provinciâ nostrâ Galloprovinciae erectam ut ibi adamussim ad rigorem exactioris observantiae viveretur, tamen ob varias iniurias temporum diversasque calamitates ita a praescriptis severioribus statutis excessisse, et unus idem-

que sit vivendi modus a ceteris provinciae eiusdem conventibus non satis absimilis, quo subsistere possit praefixa separatio et duorum superiorum vel capitum institutio, maxime cum ex praefatae Congregationis institutae litteris patentibus expresse notetur die XIX iulii MDCLXIV ipsi concessa vel concedenda privilegia eâ dumtaxat lege et conditione valere vel valitura, et non aliter, ut in eius conventibus regularis observantia secundum tenorem constitutionum nostrarum exacte et accurate servetur, adeo ut a praedictis privilegiis, concessionibus et gratiis excidat ipso facto et excessisse censeatur statim atque a regulari observantiâ excessisse constiterit: his aliisque adducti momentis, votisque, petitioni ac precibus tum recens electi in vicarium tum exvicarii ac plurium eiusdem Congregationis alumnorum inclinati, harum serie, nostrique auctoritate officii, ac de mandato[1] nobis a praefato capitulo generali facultate, praedictam Congregationem Angelorum dissolvimus et annullamus, et tenore praesentium suppressam ac solutam declaramus, omnesque conventus illius Congregationis unimus et restituimus provinciae nostrae Galloprovinciae unitosque denunciamus. Hinc annuentes precibus admodum reverendi patris magistri Ludovici Mauche in vicarium nuper electi, et a nobis ad maturam rei discussionem confirmati, ipsum ab onere vicarii generalis eximimus, et exemptum, acceptatâ eius renunciatione, declaramus, dantes admodum reverendo patri magistro provinciali moderno eiusque successoribus omnem in et super dictos conventus personasque ad ipsos quomodolibet spectantes auctoritatem et potestatem, quam erga ceteros eiusdem provinciae conventus et personas exercere solet et debet ex sui officii provincialis et confirmationis a nobis emanatae die XXI maii transacti; praecipientes in virtute Spiritus Sancti et sanctae obedientiae, necnon sub formali praecepto, omnibus fratribus ad dictam Congregationem antea spectantibus, ut praedicto reverendo patri magistro provinciali provinciae nostrae Galloprovinciae subsint et pareant, ipsumque velut legitimum caput et unicum superiorem habeant, venerentur et agnoscant; quem etiam plurimum in Domino et paternis visceribus hortamur ne quidam detur vel contendatur ad molliorem disciplinam aditus, et singulis in coenobiis dictae provinciae vitam regularem uniformiter erigat, lapsam restituat, et ubicumque viget intactam conservet. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Non obstantibus in contrarium quibuscumque. Datum Romae, in conventu nostro S. Mariae super Minervam, die V iunii anni MDCCXXVII. — Frater THOMAS RIPOLL, magister Ordinis. — Frater IOANNES SICARD, magister et secretarius. *Loco † sigilli. — Registr. fol.* 90.

[1] Videtur legendum *mandatô* (R. T.).

Confirmatio relati decreti.

§ 4. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, licet suppressio dictae Congregationis, illiusque conventuum restitutio provinciae praefatae, sic factae, optatum habeant successum, ipsorumque conventuum fratres sub uno eodemque provinciae praefatae capite quietius et felicius regulari observantiae insistant, maiorique animorum concordiâ Altissimi obsequiis famulentur; nihilominus, quia dicta Congregatio etiam auctoritate apostolicâ erecta et praesertim per supradictas Alexandri praedecessoris litteras confirmata fuerat, ipse Ioannes Iosephus prior provincialis vereatur, ne id validitati suppressionis et unionis huiusmodi obstet, illasque aliquando in dubium revocari contingat: quare praefatus Ioannes exponens supradicti Ioannis Iosephi prioris provincialis nomine nobis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsorum Ioannis exponentis ac Ioannis Iosephi prioris provincialis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque

ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, suppressionem Congregationis Angelorum provinciae Galloprovinciae, illiusque conventuum reunionem eidem provinciae, per dictum Thomam magistrum generalem Ordinis fratrum Praedicatorum, sicut praemittitur, factas[1], expeditumque desuper eiusdem Thomae magistri generalis decretum praeinsertum, cum omnibus et singulis in eo contentis ac inde ceteroquin legitime secutis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui in praemissis quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae. § 5. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praefatae cardinales, etiam de latere legatos et Sedis Apostolicae nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

1 Male edit. Main. legit *factae* (R. T.).

Derogatoriae. § 6. Non obstantibus praedicti Alexandri praedecessoris litteris, aliisque praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis, provinciae et conventuum praedictorum, ac quibusvis aliis, etiam iuramento, etc.[1].

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVI martii MDCCXXIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 29 martii 1729, pontif. anno VI.

CCLXXII.

Statuuntur et ordinantur nonnulla pro stabiliendâ reformatione iuxta constitutiones Urbani VIII et Innocentii X in provinciâ Pedemontanâ Ordinis fratrum B. Mariae de Monte Carmelo[2].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Apostolatus officium infirmitati nostrae, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, divinitus commissum, salubriter exequi satagentes, exorta inter religiosos viros, quos vota sua Altissimo in sanctitate et iustitiâ paceque fraternâ reddere decet, dissidia opportunis rationibus dirimere, ac felici prosperoque illorumque regimini, quantum cum Domino possumus, consulere studemus, sicut, omnibus mature consideratis, ad omnipotentis Dei gloriam et religionis incrementum expedire arbitramur.

Quomodo praedicta reformatio primum in praefatam provinciam introducta fuit et variae vicissitudines enarrantur. § 1. Aliàs siquidem (postquam anno MDCXLVII, seu alio veriori tempore, in provinciâ Pedemontanâ Ordinis fratrum B. M. de Monte Carmelo reformatio introducta fuerat sub observantiâ constitutionum a felicis recordationis Urba-

1 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

2 Hac de re vide constit. Innocentii XI edit. MDCLXXXVII, die 27 martii, pontif. II, et Clementis XI constit. edit. MDCCXV, die 26 octobris, pontif. XV.

no VIII ac Innocentio X Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris pro conventibus in eodem Ordine reformatis et reformandis editarum, quae tamen in provinciâ praedictâ non aliter tunc acceptae[1] erant quam cum praeservatione quorumdam decretorum, quae leges municipales appellabant, ac consuetudinum et statutorum particularium; ac subinde anno MDCL, vel circiter, altera magis exacta sive secunda reformatio, sub enarratis constitutionibus pure, simpliciter, et ad litteram observandis, cum renunciatione legum municipalium, consuetudinum et statutorum particularium huiusmodi, in eamdem provinciam invecta fuerat; recolendae vero memoriae Innocentius Papa XI, etiam praedecessor noster, hanc secundam reformationem per totam provinciam praefatam promovere et paulatim extendere desiderans, sub certis modo et formâ tunc expressis in primis statuerat, ut singulis trienniis, sine cuiuscumque consensu, tribus dictae provinciae conventibus eiusmodi reformationi tum deputatis, unus aliorum eiusdem provinciae conventuum adiungeretur, quo tandem tota et integra provincia praedicta[2] sensim exacte reformaretur, pluraque alia decreverat et ordinaverat pro salubri istius secundae reformationis progressu et directione per quasdam suas in simili formâ Brevis die XXVII martii MDCLXXXVII expeditas litteras, quae postmodum a piae memoriae Clemente Papa XI praedecessore quoque nostro cum omnibus et singulis in eis contentis per ipsius in pari formâ Brevis litteras die XXVI octobris MDCCXV desuper editas confirmata et approbata et innovata fuerunt) per nos accepto quod secundodicta reformatio primum in conventibus Astensi, Dolianensi et Clarascensi eiusdem provinciae ad praescriptum praefatarum Innocentii XI praedecessoris litterarum introducta, ac successive ad conventus Taurinensem et Vinovi extensa et propagata, inimico homine superseminante zizania, iisque in dies succrescentibus, non solum optatum felicemque successum non habuerat, sed, exortis inter utriusque mox recensitae reformationis alumnos[1] simultatibus, dissidiis et contentionibus, regularis disciplina non modicum in praefatâ provinciâ detrimentum acceperat, quin imo sub specie ac praetextu pacis et unionis initae inter aliquos ex dictis alumnis, qui omnium utriusque reformationis alumnorum nomen seu partes assumpserant, diversis congregationibus, capitulationibus et conventionibus per eos propriâ etiam et privatâ auctoritate factis, atque a quampluribus dictae provinciae fratribus executioni quoque cum mutatione habitus regularis demandatis, ac quodam asserto capitulo provinciali Taurinensi nulliter celebrato, ipsa provincia ab aliquot annis, ex causâ eiusmodi unionis ab unâ parte impugnatae et ab aliâ propugnatae, in deteriorem statum quoad spiritualia et temporalia prolapsa dignoscebatur: quibus a nobis sedulo, ut par erat, perpensis, venerabili fratri Gaspari Pizzolanti episcopo Cerviensi tunc eiusdem Ordinis priori generali dedimus in mandatis ut universam provinciam praefatam visitaret, attributâ illi alium sibi ad hoc munus explendum subdelegandi facultate: cum ex actis visitationis a dilecto filio Ioanne Dominico Berardo presbytero Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii per memoratum Gasparem episcopum tunc priorem generalem vigore dictae facultatis ei per nos concessae deputato cum duobus

1 Forsan *acceptatae* (R. T.).

2 Ed. Main. legit *provinciae praedictae* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *alumnis* (R. T.).

fratribus expresse professis eiusdem provinciae rite et accurate ac laudabiliter peractae totum dictae provinciae statum perspectum exploratumque habuerimus, ac illi prompto et salutari remedio subveniendum esse agnoverimus, longeque gratissimum nobis fuerit audire, omnes pene provinciae reformationis alumnos sincero, ut decet, animo sese submittere iis quae a nobis et hac Sanctâ Sede etiam pro amplectendâ secundâ reformatione praescriberentur :

Postea, toto dictae provinciae statu perspecto, ad praesentes ordinationes emittendas deventum est.

§ 2. Hinc est quod nos, pro pastorali nostrâ curâ et sollicitudine eiusdem provinciae illiusque fratrum tranquillitati et salubri directioni prospicere, ac exactam enarratarum constitutionum observantiam, quae hucusque ob rerum temporumque vicissitudines[1] statim restitui nequivit, nunc, benedicente Domino, expedite ac unico contextu in universâ provinciâ praefatâ constabilire cupientes, ut pinguius et uberius pia eiusdem Innocentii XI praedecessoris mens et intentio adimpleatur, propositaque sibi secundodicta reformatio plenarium suum sortiatur effectum, de nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, qui iussu nostro eiusmodi negocium sedulo examinarunt, consilio, congruum et opportunum duximus in hunc finem ea, quae infra sequuntur, auctoritate apostolicâ statuere, decernere et ordinare.

I. Itaque annullamus, cassamus et irritamus omnes propositiones, pactiones, capitulationes ac conventiones utriusque partis praedictae super unione primae et secundae reformationis huiusmodi factas in Congregatione habitâ in conventu Vinovi, necnon in capitulo provinciali celebrato in conventu Pini mense maio MDCCXXIV, prout etiam tam in congressu, ut vocant, quam in congregatione Taurinensi mensis ianuarii MDCCXXVII; similiter nullum irritumque declaramus assertum capitulum provinciale Taurinense peractum mense maio eiusdem anni MDCCXXVII, cum omnibus inde secutis. — II. Pro faciliori tamen unionis et reformationis totius provinciae praefatae effectu obtinendo, omnia ab assertis priore provinciali aliisque officialibus et prioribus in dicto capitulo provinciali Taurinensi electis seu deputatis acta et gesta usque ad tempus publicationis praesentium nostrarum litterarum dumtaxat, et non ultra, quoad utrumque forum de benignitate apostolicâ sanamus et convalidamus. — III. Facultatem tribuimus infra dicendo executori praesentium litterarum huiusmodi in utroque pariter foro omnes et singulos dictae provinciae fratres tam primae quam secundae reformationis a censuris et poenis ecclesiasticis, si quas quomodolibet incurrerunt, absolvendi[1], ac cum eis dispensandi super irregularitate quam contrahere potuerunt, vel ex dispositione iuris et constitutionum apostolicarum, vel ex superiorum sententiâ et declaratione, occasione tractatûs seu executionis enarratae unionis, celebrationis congregationum et capitulorum, vel usurpatae iurisdictionis, sive ex transitu de secundâ ad primam reformationem sine Sedis Apostolicae licentiâ, cum ipsorum reintegratione ad vocem activam et passivam et restitutione in pristinum statum, perinde ac si praemissa facta non fuissent; quam tamen facultatem limitamus ad eos dumtaxat fratres provinciae praedictae, qui harum nostrarum litterarum dispositioni[2] in omnibus et per omnia debitâ promptaque obedientiâ parebunt et acquiescent, et non aliàs, dictusque executor cam-

1 Edit. Main. legit *vicissitudinis* (R. T.).

1 Vocem *absolvendi* nos addimus (R. T.).

2 Edit. Main. legit *dispositione* (R. T.).

dem facultatem uni vel pluribus committere et delegare valeat. — IV. Ad haec, praeviâ suppressione et abolitione primae reformationis in dictâ provinciâ Pedemontanâ anno MDCXLVII, seu alio veriori tempore, cum praeservatione legum municipalium, consuetudinum et statutorum particularium, inductae et acceptatae, sicut praemittitur, statuimus et declaramus, totam ac universam provinciam praefatam sub constitutionibus editis ab Urbano VIII et Innocentio X praedecessoribus praedictis reformatam esse, ac regi debere, itaut deinceps perpetuis futuris temporibus in omnibus et singulis eiusdem provinciae conventibus dictae constitutiones inviolabiliter, ac pure, simpliciter et ad litteram serventur, non obstante nec attento quocumque alio usu vel abusu in aliis provinciis reformatis ipsius Ordinis nunc vel pro tempore vigente, necnon abrogatis ac prorsus sublatis quibuscumque decretis, legibus municipalibus, consuetudinibus et statutis particularibus in eâdem provinciâ Pedemontanâ quomodolibet conditis, introductis, seu condendis et introducendis ex quacumque etiam superiorum et capitulorum generalium auctoritate, etiam sub obtentu quod non sint neque dicantur contraria observantiae et disciplinae regulari atque constitutionibus praefatis; quae omnia tamquam abusum et corruptelam declaramus. — V. Districte praecipimus et mandamus, quod habitus et vestes tam internae quam externae pari formâ, colore et materiâ ab omnibus fratribus provinciae sic reformatae omni sublatâ inter eos differentiâ deferantur. Cumque in ipsorum conventibus minus clare et expresse sit dispositum quoad materiam dictarum vestium ex illis verbis: *vestimenta fratrum lanea sint ex grossiori et viliori panno:* adeout antehac plures subortae fuerint controversiae, num deberent esse ex vero panno; et diversae super hoc prodierunt resolutiones, sive provisiones: hinc, quo in posterum in provinciâ praefatâ omnis dissensionum et interpretationum super materiâ habitus regularis huiusmodi causa et occasione[1] removeatur, volumus ut vestimenta interiora; tibialia scilicet, sint lanea vel linea; thoraces autem et femoralia aestivo tempore ex cannabe vel lino duro, aliis vero anni temporibus ex pellibus seu vili panno albi semper vel grisei ut aiunt coloris; materia porro capparum et tunicarum esse debeat ex panno, qui vulgariter dicitur *saglia*, sive *saia*, viliori et grossiori, non tamen ab eâ, qua communiter universa religio non reformata utitur, notabiliter diversa; et proinde praedicto executori iniungimus ut qualitatem huiusmodi panni *saglia* sive *saia* nuncupati dilucidius, pro iis quibus pollet zelo et prudentiâ, explicet ac definiat: quod autem attinet ad formam vestium externarum, nos mensuras in constitutionibus pro iisdem reformatis praescriptas districtius declarantes decernimus quod tunica competentis sit amplitudinis et usque ad talos descendat, atque a pectore et infra omnino sit consuta, et manicas bene largas habeat non nucleatas; scapulare tunicâ ipsâ paulo brevius existat, et in latitudine utrumque humerum non excedat; cappa vero sit satis ampla et modice sinuosa, talisque longitudinis, ut brevior etiam aliquantulum sit tunicâ superiore: quoad caputium tandem, ex eâ parte quae caput tegit, rotundum esse debeat et latum, ipsiusque latitudo scapular hinc inde pertingat; in reliquo autem ante pectus brachiorum iuncturam non transeat, et pars posterior iustâ suâ proportione acuminatâ cinctorium coope-

1 Potius lege *occasio* (R. T.).

riat. Quae omnia intra mensem ab omnibus dictae provinciae fratribus tam primae quam secundae reformationis professis et deinceps professuris omnino executioni mandari debeant, cum verâ et reali assumptione et delatione habitus tam interni quam externi, prout supra iniunctum reperitur, neque deinde formam et materiam habitus huiusmodi dimittere vel immutare praesumant quovis praetextu, sub poenâ excommunicationis per contravenientes ipso facto incurrendâ, cuius absolutionem nobis et Romanis Pontificibus successoribus nostris reservamus. — VI. Quo vero fratres primodictae reformationis huius reformationis iugum lubentius subeant, concedimus exprioribus, provincialibus aliisque fratribus, qui reperiuntur in possessione seu quasi possessione graduum, praeeminentiarum, praecedentiarum et definitoriatus perpetui, ut ipsi, vitâ eorum naturali durante, in eâdem possessione seu quasi possessione remanere et continuare possint, sublatis ceteroquin omnibus aliis praeeminentiis privilegiis quibuscumque, ita quod nullus deinceps in dictâ reformatione ullum gradum suscipere et assequi possit, nisi servatis modo et formâ, et adimpletis conditionibus ac ceteris omnibus, quae in praefatis constitutionibus praescripta reperiuntur. — VII. Mandamus quoque executori praedicto, ut, post earumdem praesentium litterarum promulgationem, fratres provinciae praefatae in primâ reformatione professos, vel ad illam de licentiâ huius Sanctae Sedis translatos, enixe moneat, quod, iuxta praesentium litterarum seriem, enarratas constitutiones iureiurando acceptent, ac promittant se illas ad litteram amplecti et divinâ favente gratiâ fideliter observaturos; idemque iuramentum praestabunt omnnes, qui in posterum professionem regularem in illâ provinciâ emittant; secus vero eiusmodi monitioni obsequentes, qui in hac reformatione permanebunt, benigne ac peculiari charitate tractentur a superioribus, sicuti etiam in dictis constitutionibus quoad infirmos cavetur. Et si qui ex fratribus primae reformationis forsan (quod absit) acquiescere seu parere noluerint, facultatem tribuimus eidem executori licentiam eis concedendi transeundi ad aliam provinciam dicti Ordinis, sive etiam ad alium Ordinem ex Mendicantibus, dummodo prius benevolos receptores invenerint. — VIII. Alii fratres in secundâ reformatione professi, vel ad eam legitime translati, quatenus illam deseruerint, ad primam reformationem quacumque ex causâ vel colore sine dictae Sedis licentiâ transierint, a memorato executore, etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis, compellantur ad observandum aliàs ab eis praestitutum et renovandum iuramentum de dictis constitutionibus reformatorum pure, simpliciter et ad litteram ut supra servandis. — IX. Et quia eiusmodi provincia Pedemontana veluti unitum corpus sub uno capite, priore scilicet provinciali, iuxta praefatas constitutiones in futurum regi et gubernari debet, nos, vicarii provincialis aliorumque ministrorum officia supprimentes, mandamus eligi in capitulis provincialibus priorem provincialem cum assistente et quatuor definitoribus ac aliis officialibus iuxta statuta seu constitutiones dicti Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo; atque, attentâ nullitate supradicti capituli provincialis Taurinensis, committimus praefato executori, ut eos fratres, qui in epistolâ Secretariae nostrae Status ei directâ designantur, in priorem provincialem, assistentem, quatuor definitores et magistrum novitiorum pro residuo tempore

currentis triennii mense maio anni proximi MDCCXXX terminandi constituat ac deputet, quin ipse executor epistolam huiusmodi producere aut exhibere teneatur, sed simplici eius assertioni standum sit ac omnino fides habeatur, dictique officiales per eum sic deputati auctoritate nostrâ apostolicâ constituti censeantur; necnon idem executor pro reliquo tempore dicti triennii iuxta datam sibi a Domino prudentiam priores eligat et familias disponat et ordinet in singulis conventibus provinciae praefatae usque ad novum capitulum provinciale anno proxime, ut praefertur, celebrandum. — x. Demum executor praedictus unicum constituat novitiatum pro totâ provinciâ praefatâ in conventu Astensi, ubi de praesenti habetur, necnon designet et statuat professorium in conventu, quem magis ad id opportunum in Domino iudicaverit, et in quo ea concurrant, quae per dictas constitutiones requiruntur.

Deputatur executor praedictorum cum amplissimis facultatibus.

§ 3. Ceterum de memorati Ioannis Dominici Berardi presbyteri Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii fide, prudentiâ, dexteritate, doctrinâ, charitate, integritate, vigilantiâ, ac religionis zelo plurimum in Domino confisi, eumdem Ioannem Dominicum in executorem praesentium litterarum et commissarium apostolicum in universâ provinciâ Pedemontanâ huiusmodi usque ad futurum capitulum provinciale necnon in praesidentem ipsius capituli provincialis cum amplâ facultate et potestate nedum perficiendi et omnimodae executioni demandandi omnia et singula in ipsis litteris nostris contenta, sed etiam, ut post earum executionem regularis disciplina iuxta supradictas constitutiones re ipsâ inducatur, observetur ac firmius stabiliatur, adversus delinquentes inquirendi, querelas et recursus audiendi, quascumque provisiones opportunas capiendi, abusus tollendi, fratres in conventibus constituendi, priores mutandi, aliaque in praemissis et circa ea quoquomodo necessaria et opportuna faciendi, gerendi, dicendi, mandandi, ordinandi, ac itidem exequendi, atque ad hunc effectum cancellarium aliosque ministros sibi benevisos assumendi, prout quoque contra inobedientes iuris et facti remediis ad poenas tam corporales quam spirituales summarie, de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, quacumque appellatione et recursu sublatis, procedendi, auctoritate praefatâ, tenore praesentium, constituimus, sancimus ac deputamus. Mandantes propterea omnibus et singulis dictae provinciae superioribus, fratribus et personis, aliisque ad quos spectat, ut, ipsum Ioannem Dominicum in executorem, commissarium apostolicum in eâdem provinciâ, ac praesidentem, sicut praemittitur, a nobis deputatum, reverenter suscipientes et recognoscentes, illi in omnibus et singulis praemissis prompte pareant et obsequantur, eiusque salubria monita et mandata humiliter suscipiant et efficaciter adimplere procurent; alioquin sententias sive poenas, quas rite tulerit in rebelles, ratas habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

§ 4. Non obstantibus, quoad ea quae praesentibus adversantur, praedictis Innocentii XI et Clementis XI litteris, ac, qualenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon praefatorum Ordinis, provinciae et conventuum, aliisque Derogatoriae.

etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, stylis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, capitulorum generalium et provincialium decretis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordini, provinciae et conventibus, ac illorum superioribus, fratribus et personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis in contrarium praemissorum concessis, editis, confirmatis et approbatis, ac pluries et quantiscumque vicibus innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisitâ forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis, servatis et specificatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVI martii MDCCXXIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 26 martii 1729, pontif. anno V.

CCLXXIII.

Reintegratur motuproprio *ecclesia S. Leonis civitatis Feretranae ad cathedralitatem episcopi, capituli et canonicorum iuxta primaevum statum* [1].

Benedictus Papa XIII.

Motu proprio, etc.

Cathedralem ecclesiam civitatis praedictae erectam fuisse ab antiquissimo tempore in ecclesiâ S. Leonis eiusdem civitatis refertur.

§ 1. Nuper nobis innotuit quod ecclesia cathedralis civitatis Feretranae ab antiquissimo tempore erecta fuit in ecclesiâ S. Leonis eiusdem civitatis, ibique per plura saecula continuit cum non interruptâ episcoporum residentiâ; ex eo tamen quod temporum progressu illius dominium transivit in duces Urbini, qui illam non tam arte quam naturâ munitissimam multo militum praesidio urgentibus bellorum calamitatibus custodire satagebant, qua de causâ episcopo et canonicis eiusdem cathedralis tutus ac liber, ut decebat, non patebat accessus, ibique a sacris celebrandis divinisque officiis decantandis in maximum divini cultus detrimentum retrahebantur. Idcirco, ad tollendas canonicis excusationes residentiae non praestitae, felicis recordationis Gregorius XIII, praedecessor noster, inhaerendo deliberationibus S. Pii V pariter praedecessoris, per suas litteras incipientes *Rationi congruit* expeditas sub datum Romae apud S. Petrum VIII kalendas iunii MDLXXII, praedictam cathedralem Feretranam, cum episcopo et integro capitulo composito de unico praeposito et sex canonicis, transtulit ad ecclesiam collegiatam S. Bartholomaei Pinnae Billorum eiusdem dioecesis, declarando quod liceret episcopo et canonicis in praedictâ ecclesiâ S. Bartholomaei residere et inibi divina officia cum illius canonicis decantare, hoc insuper addito

1 Hac de re vide Gregorii XIII constit. edit. MDLXXII, die 25 maii, pontif. I; et huius Pontificis const. MDCCXXVIII, die 15 novembris, collegiata terra Fabriani erecta fuit in cathedralem, ac terra praedicta in civitatem.

quod praedictae duae ecclesiae S. Leonis et S. Bartholomaei non amplius duae ecclesiae, una scilicet cathedralis et altera collegiata, nuncuparentur, sed unica tantum ecclesia cathedralis existeret, quodque in ecclesiâ S. Leonis cathedralitatis insignia remanerent, et dies festus eiusdem sancti titularis ibidem celebrari quotannis non desineret; et quia praeposito praedicta cura incumbebat animarum, deputato prius vicario ad nutum ammovibili, et segregatis deinde nonnullis stabilibus ex eâdem praepositurâ, per constitutionem similis recordationis Innocentii XI pariter praedecessoris expeditam sub datum v idus novembris MDCLXXXII, archipresbyteratus cum actuali curâ animarum tanquam vera et propria parochia erecta fuit.

Cur cessatis causis translationis praedictae ecclesiae S. Leonis ad pristinum statum reducta non sit.

§ 2. Et quamvis per obitum ultimi ducis Urbini devoluto integro Statu ad Sedem Apostolicam, cessatis proinde anno MDCXLV bellorum turbinibus, amoto ingenti militum praesidio, eoque ad modicum numerum redacto, non solum civitas praedicta, sed et tota Feretrana provincia ut[1] praefata ecclesia ad pristinum reduceretur statum et cultum enixe exoptaverit, ob defectum tamen episcopalis palatii, ex quo antiquum aut prolapsum aut inhabitabile redactum fuerat, eorum vota ad Sedem Apostolicam exponere non valuerunt; sed obtentâ postmodum ad huiusmodi effectum a Camerâ nostrâ investiturâ palatii olim de iuribus ducum Urbini per chirographum similis recordationis Clementis X pariter praedecessoris, in quo summopere commendatur episcopalis residentia apud ecclesiam Leonis, causâ nihilominus remissâ et deinde propositâ in nostrâ Concilii Congregatione, resolutio dictae civitati prorsus contraria emanavit, et, ratione dispendii in huiusmodi propositione passi, causa praedicta ulteriorem progressum non habuit.

Causae praesentis constitutionis.

§ 3. Nos autem serio considerantes, nullâ penitus culpâ tunc temporis civium multoque minus modernorum huiusmodi translationem expletam fuisse, sed ex mero rerum ac temporum accidentali eventu, bellisque tunc irruentibus, quorum ratione tale praesidium ibi residebat, quodque illius de causâ praedicti praedecessores translationem huiusmodi demandarunt; causis proinde cessatis, aequum etiam esse cessare quoque debere earum effectus, cum civitas praedicta non amplius sub extraneorum, sed nostrae Apostolicae Sedis pacifico et quieto dominio gubernetur; et, Deo favente, absque ullo bellorum metu, praesidium ad modicum militum et bene regulatum numerum redactum existat; attendentes quod introitus et redditus, quibus canonici sic translati potiuntur, pro cultu eiusdem ecclesiae S. Leonis fuerant assignati, quodque canonicis praedictis antiquae eorum ecclesiae restitutis, ecclesia nihilominus Pinnae Billorum suo debito defraudata non remaneret obsequio, cum adhuc penes eam superessent binae dignitates, octo, et ultra, canonici, ac quatuor, et ultra, ministri mansionarii nuncupati; ac tandem animo revolventes cultui divino congruum nec animarum saluti proficuum fore quod amplius ministris et quidem propriis destituta remaneat ecclesia praedicta mirabilis structurae in duodecimo nostrae salutis saeculo constructa, capax adhuc de praesenti, ut non solum ab antiquo, sed a maiori ministrorum numero ei inserviatur, et in eâ divina officia decantentur: nos, qui iura ecclesiarum omni curâ tueri, custodire et reintegrare studemus, auditâ prius re-

1 Edit. Main. legit *in* pro *ut* (R. T.).

latione et voto reverendissimi archiepiscopi Urbinatensis, praemissis providere prout infra decrevimus.

Pontifex ad se avocat causam.

§ 4. Litteras itaque praedictas felicis recordationis Gregorii XIII praedecessoris, decreta S. Pii V ac Innocentii XI, rescripta et resolutiones praedictae Congregationis Concilii, statum et merita causae coram eâ introductae et olim ibidem pendentis, modernum statum tam eiusdem ecclesiae S. Leonis, quam alterius S. Bartholomaei Pinnae Billorum in praemissis pro expressis ac respective de verbo ad verbum insertis habentes, causam huiusmodi, cum omnibus suis emergentibus, dependentibus annexis et quibuscumque connexis, in statu et terminis in quibus reperitur, ad nos avocantes, illam penitus cassamus et abolemus et extinguimus, ac pariter perpetuum silentium imponimus.

Reintegratio ad cathedralitatem praedictam ecclesiae S. Leonis, cum quibusdam ordinationibus.

§ 5. Ac motu proprio, non ad alicuius super hoc nobis porrectae petitionis instantiam, sed ex nostrâ certâ scientiâ, merâ deliberatione, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ecclesiam praedictam S. Leonis civitatis Feretranae ad actualem episcopatum et cathedralitatem, episcopi et capituli et canonicorum residentiam, iuxta primaevum et antiquum statum, in omnibus et per omnia reintegramus et reponimus, mandantes praeposito et canonicis eiusdem ecclesiae S. Leonis antiquas possidentibus praebendas, quibus eorum praedecessores ante dictam translationem fruebantur, ut ad eamdem ecclesiam accedere, penes eam residere, ibique more aliarum cathedralium divina recitare officia et sacra peragere quam citius debeant ac teneantur, ac si eorum translatio ad eamdem ecclesiam S. Bartholomaei peracta nunquam foret, praedictamque ecclesiam Pinnae Billorum, cum suis dignitatibus et canonicis etiam post translationem superadditis, ad eumdem statum collegialitatis, in quo ante translationem praedictam constituta reperiebatur, reponimus et reducimus; et, ad magis occurrendum decenti manutentioni praedictorum capituli et canonicorum S. Leonis, mandamus et praecipimus communitati eiusdem nostrae civitatis et confratribus societatis SS. Sacramenti in eâdem ecclesiâ erectae, ut singulis annis in perpetuum praeposito et canonicis sic restitutis persolvere ac exbursare debeant scuta sexaginta monetae romanae, pro medietate nempe a communitate et pro alterâ medietate a societate praedictâ sic aequaliter dividenda in augmentum earum praebendarum, quae ipsis auctoritate nostrâ assignamus; et, in uberiorem supplementum cuiusvis summae quam fortasse amitterent per huiusmodi segregationem a dignitatibus et canonicis ecclesiae Pinnae Billorum, ipsisque quomodolibet usque modo obventae, tam ex dispositione supradictae constitutionis Gregorii XIII et S. Pii V, seu aliàs quomodolibet, statuimus itidem et mandamus ut, firmo remanente moderno archipresbytero seu parocho dictae ecclesiae S. Leonis eius vitâ naturali durante, post illius obitum cura animarum praedicta a moderno statu parochi ad praepositurain revertatur, illique ut prius incorporetur, restitutis etiam bonis pro praebendâ parochi segregatis et applicatis; et, ad hoc ut magis in dies divinus cultus augeatur, communitatem praedictam, ac cives et districtuales in Domino hortamur, ut per erectionem novarum praebendarum satagant quamprimum sacrorum ministrorum numerum augere, idemque explere studeant etiam ministri locorum piorum, si commode fieri valeat, eorum institutis, oneribus et laudabilibus consuetudinibus sem-

per salvis: declarantes, praesentes nostras litteras, in foris praedictarum ecclesiarum S. Leonis civitatis Feretranae et S. Bartholomaei Pinnae Billorum affixas et publicatas, quemlibet afficere et adstringere, ac si omnibus personaliter forent intimatae.

Executoris electio et deputatio.

§ 6. Et, ne huiusmodi nostrae dispositionis plenarius effectus ullatenus retardetur, in executorem eligimus et deputamus dilectum filium abbatem Ioannem Petrum de Rubeis clericum Vadensem I. U. D., ac locum tenentem civitatis nostrae Pisauri, eiusque pro tempore in eo de [1] munere locumtenentes successores, clericali tamen charactere insignitos, quatenus opportunis iuris remediis etiam suspensionis, excommunicationis ac privationis praebendarum et successive declarationis earum devolutionis ad nos et Datariam nostram, praefixo brevi [2] et competenti termino praefatis praeposito et canonicis ad nostris hisce mandatis parendum, eos ad omnia et singula praemissa exequenda cogat et compellat, et alia desuper necessaria expellat [3], quacumque appellatione et recursu penitus remotis, resolutiones itidem quascumque per dictam communitatem Feretranam faciendas quoad expensas in praemissis necessarias cuiusvis alterius licentiâ et assensu minime requisitis pro eius arbitrio confirmet et approbet.

Clausulae peculiares.

§ 7. Decernentes praesentibus nostris litteris, licet non admissis neque in Camerâ nostrâ registratis, non posse ullo unquam tempore opponi de subreptione, obreptione vel alio quovis vitio aut defectu voluntatis vel intentionis nostrae, etiam ex eo quod modernus episcopus Feretranus eiusque procurator fiscalis, ac dignitates et canonici tam ecclesiae S. Leonis quam alterius S. Bartholomaei, et alii quicumque in praemissis forsan interesse habentes vel habere quomodolibet praetendentes, ad hoc vocati, citati vel auditi non fuerint, vel ex quavis aliâ causâ quantumvis validâ, legitimâ, urgenti et iuridicâ, etiam necessario exprimendâ, notari, impugnari, invalidari, ad terminos iuris reduci, ac in ius et controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari posse, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios, commissarios, delegatos, tribunalia collegialia, etiam S. R. E. cardinalium, et a latere legatos, nuncios apostolicos, causarum palatii apostolici auditores, et alios quavis auctoritate fungentes, semper iudicari et definiri debere, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate; ac ex nunc irritum et inane, nulliusque roboris et efficaciae declarantes quidquid secus super iis et circa ea quavis auctoritate etiam a nobis vel successoribus nostris pro tempore existentibus contigerit attentari.

Derogatoriae.

§ 8. Non obstantibus supradictis decretis S. Pii V, constitutionibus Clementis VIII et Innocentii XI, lite olim pendente in Congregatione Concilii, ac etiam constitutione felicis pariter recordationis Pii IV praedecessoris nostri de registrandis, regulâ Cancellariae nostrae Apostolicae de iure quaesito non tollendo, conciliaribus etiam universalibus, provincialibus et synodalibus, ac quibusvis aliis constitutionibus apostolicis, per nos et Romanos Pontifices praedecessores, sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis irritantibus et aliis de-

1 Leg. *in eodem* pro *in eo de* (R. T.).
2 Male ed. Main. legit *Brevi* pro *brevi* (R.T.).
3 Forsan *expediat* (R. T.).

cretis in genere et in specie etiam iteratis vicibus et motu simili concessis et approbatis aut innovatis, legibus, statutis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, reformationibus, consuetudinibus, ceterisque aliis in contrarium quomodolibet disponentibus; quibus omnibus et singulis, ac omnibus aliis hic non expressis, et de quibus specialis, specifica, et individua, et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut quaevis alia forma ad haec servanda foret, illorum tenorem praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, motu et scientiâ similibus specialiter et expresse derogamus, ac plene et sufficienter derogatum esse decernimus et declaramus.

Datum Romae, ex palatio nostro apostolico Vaticano, hac die XXVI martii MDCCXXIX.

Dat. die 26 martii 1729, pontif. anno V.

CCLXXIV.

Declaratur facultas nuncio neapolitano concessa procedendi contra cuiuscumque Ordinis religiosos favore monachorum Congregationis Montis Virginis, idque motuproprio [1].

Benedictus Papa XIII.

Motu proprio, etc.

Monachos praedictos in monasteriis degentes, licet extra claustra deliquerint, exemptos esse a iurisdictione

§ 1. Exponi nuper nobis fecerunt dominus Gallus Gallucci abbas generalis, et abbas dominus Ramirus Girardus, procurator generalis Ordinis sancti Benedicti Congregationis Montis Virginis, quod, licet monachi omnes eiusdem Ordinis degentes in monasteriis sub obedientiâ abbatis cum aliis requisitis per Concilium Tridentinum statutis, etiamsi deliquerint extra claustra, iuxta privilegia ipsis concessa per felicis recordationis Urbanum Papam IV praedecessorem nostrum[1] in litteris apostolicis expeditis sub datum idibus ianuarii MCCLXIV, et dispositionem eiusdem Concilii, cap. XII, sess XXV, *De regularibus*, sint prorsus immunes et exempti a iurisdictione nostri in regno Neapolitano reverendissimi nuncii, et subiecti privative tantummodo eorum superioribus regularibus, prout ita quoque declaravit Camerae nostrae generalis auditor per sententiam definitivam in contradictorio iudicio promulgatam contra curiam Nunciaturae die XXVII novembris MDCLXXI; novas nihilominus modernus nuncius excitavit praetensiones procedendi contra eosdem regulares sic exemptos vigore facultatum sibi concessarum per felicis recordationis Clementem Papam VIII nostrum pariter praedecessorem in litteris apostolicis in formâ Brevis expeditis diebus XIX iunii MDXCII[2], et XXII augusti MDCI, sub inani etiam supposito, quod huiusmodi facultas ipsi delegata quoque appareat per idem Concilium Tridentinum in supra relato cap. XIV ac ex observantiâ approbatâ per felicis recordationis Clementem XI nostrum similiter praedecessorem, non attentâ remissione huiusmodi controversiae praecedenter factâ ad nostram eiusdem Concilii Tridentini Congregationem et alteram particularem specialiter delegatam: subortis proinde variis casibus, et remissâ illarum cognitione eidem nuncio, causa propterea in eâdem Congregatione Concilii,

Praedicti nuncii demonstratur.

1 Exempti fuerunt dicti monachi a facultate nuncii ab Urbano IV const. ed. MCCLXIV, die XIII ianuarii, pontif. II, subiecti vero postmodum a Clemente VIII const. ed. MDXCII, die XIX iunii, pontif. I, et const. ed. MDCI, die XXII augusti, pontif. X.

1 Edit. Main. legit *nostrorum* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *1699* (R. T.).

nec in alterâ particulari priori loco ut supra delegatâ, discussa neque proposita extitit. Agnoscentes modo ipsi oratores non leve sibi inferri praeiudicium per continuationem iurisdictionis praedicti reverendissimi nuncii in detrimentum eorum exemptionis praedictae, preces nobis humiliter porrexerunt, ut, pro maiori eorum tranquillitate, controversiam huiusmodi ad nos avocare, et privilegia praedicta iuxta sensum dicti Concilii Tridentini et litterarum apostolicarum interpretari ac declarare, et sic ab ulterioribus vexationibus desuper usquemodo passis eximere, liberare, et aliàs opportune, prout iuris fuerit, apostolicâ auctoritate providere dignaremur.

Lis inter monachos praefatos et praedictum nuncium exorta aboletur.

§ 2. Nosque, ut dissensiones et iurgia inter ecclesiasticos omni celeritate dirimantur, et ad hoc ut privilegia per Romanos Pontifices concessa contrario sensu non explicentur, auditis prius per reverendissimum episcopum Himeriensem nostrum modernum auditorem de speciali nostro mandato partibus praedictis, earumque procuratoribus et defensoribus, tam in voce, quam in scriptis, visisque et consideratis omnibus de iure videndis et considerandis, iuxta illius sensum nobis relatum, et cum illius voto, privilegia praedicta et exemptionem respective declarare, litesque huiusmodi terminare, prout infra, decernimus. Litteras itaque apostolicas Urbani Papae IV favore dictae Congregationis Montis Virginis, et respective Clementis VIII favore praedicti reverendissimi nuncii privilegia, et facultates[1] in eis aliisque posterioribus litteris etiam Clementis XI concessas et expressas, dispositionem quoque praedicti Concilii Tridentini in enunciato cap. xiv, et alia quaecumque decreta in praemissis et circa ea quomodolibet edita, et acta desuper gesta, totumque ac integrum statum et merita causae in eâdem Congregatione Concilii, alterâ particulari Congregatione, et alio quocumque iudice et tribunali pendentis[1], rationes itidem utrique parti competentes singulariter praesentibus pro expressis de verbo ad verbum habentes, causam et litem praedictam in statu et terminis, in quibus ad praesens reperitur, cum omnibus et singulis illius emergentibus, dependentibus, annexis et connexis, et cum clausulâ, quam et quas, etc., ad nos avocantes, illam penitus extinguimus et abolemus, ac partibus praedictis perpetuum silentium imponimus; et auctoritate nostrâ apostolicâ declaramus et decernimus privilegia concessa dicto reverendissimo nuncio in regno Neapolitano per eumdem Clementem VIII non aliter intelligi posse et debere, quam de facultate procedendi contra cuiuscumque Ordinis regulares exemptos, qui tamen sint devii et errantes, et extra claustra in delicto deprehenduntur; nullam propterea ipsi competiisse, neque competere facultatem procedendi privative neque cumulative contra monachos et regulares degentes in conventibus et monasteriis sub obedientiâ abbatum, aliorumque superiorum, et cum aliis requisitis per Concilium Tridentinum praescriptis; respectu enim istorum totam iurisdictionem privative spectare ad superiores regulares, etiamsi monachi seu regulares extra claustra ita notorie deliquerint, ut populo scandalum publice oriatur, iuxta dispositionem Concilii Tridentini in supra relato capitulo; et in casu negligentiae superiorum regularium esse locum praefixioni termini sicut ab episcopo, ita etiam a reverendissimo nuncio, ut, eo transacto, iurisdictio ad ipsum devolvatur iuxta censuram Concilii prae-

1 Edit. Main. legit *facultate* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *pendente* (R. T.).

dicti; verba autem illa in primo dicto privilegio Clementis VIII *ut iidem regulares sciant, se, praeter eorum superiorum correctionem, nostram etiam animadversionem incursuros*, intelligi semper debere de regularibus deviis et errantibus ac extra claustra vitam degentibus. Non obstante quacumque assertâ contrariâ observantiâ.

Litterae apostolicae Urbani IV quibus praedicti monachi exempti fuere a iurisdictione praefati nuncii necnon sententia ab Apostolicâ Camerâ eorumdem favore lata confirmantur.

§ 3. Litteras apostolicas proinde eiusdem Urbani IV et exemptiones ibidem concessas eidem Congregationi Montis Virginis, ac sententiam per eumdem Camerae Apostolicae generalem auditorem in criminalibus latam praedictâ die XXVII novembris MDCLXXI (in qua pronunciatum extitit, reverendissimo nuncio nullum ius competiisse et competere cognoscendi causas civiles, criminales et mixtas praedictorum monachorum Congregationis Montis Virginis intra claustra cum requisitis Concilii degentibus[1] etiam extra ea delinquentium et in delicto deprehensorum, esseque privative subiectos eorum superioribus iuxta exemptionem ipsorum favore concessam in praecitatis litteris Urbani IV et Concilio Tridentino praedicto) in omnibus et per omnia confirmamus, approbamus, convalidamus et renovamus, suumque debitum sortiri effectum, ac omnimodae executioni perpetuis temporibus demandari apostolicâ auctoritate statuimus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, praesentibus nostris litteris, licet non admissis neque in Camerâ nostrâ registratis, nullo unquam tempore opponi de subreptione vel alio quovis vitio aut defectu voluntatis vel intentionis nostrae ex eo quod modernus nuncius in regno Neapolitano, eiusque promotor fiscalis, et alii quicumque in praemissis forsan interesse habentes vel habere quomodolibet praetendentes, ad hoc vocati, citati vel auditi non fuerint, vel ex quavis aliâ causâ quantumvis validâ, legitimâ, urgenti et iuridicâ, etiam necessario exprimendâ, notari, impugnari, invalidari, ad terminos iuris reduci, ac in ius et controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque iuris et facti vel gratiae remedium impetrari posse, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios, commissarios, delegatos, tribunalia collegialia, etiam S. R. E. cardinalium Congregationem particularem ut supra deputatam, a latere legatos, nuncios apostolicos, causarum palatii apostolici auditores, et alios quavis auctoritate fungentes, semper iudicari debere, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate; ac ex nunc irritum et inane, nulliusque roboris et efficaciae declarantes quidquid secus super his et circa ea, quavis auctoritate etiam a nobis vel successoribus nostris pro tempore existentibus contigerit attentari.

§ 5. Non obstantibus praemissis, necnon dictis constitutionibus Clementis VIII ut supra editis, ac quacumque assertâ contrariâ observantiâ, alterâ constitutione felicis recordationis Pii IV pariter praedecessoris nostri de registrandis, etc.[1] Derogatoriae.

Datum Romae, ex nostro palatio apostolico Vaticano, hac die XXVI martii MDCCXXIX.

BENEDICTUS PP. XIII.

Dat. die 26 martii 1729, pontif. anno V.

CCLXXV.

Revocatur concessio sacelli S. Michaëlis archangeli in ecclesiâ collegiatâ S. Eustachii facta favore collegii procu-

1 Legendum *degentium* (R. T.).

1 Reliqua ut supra pag. 823 *b* et *seq.* (R. T.).

ratorum Urbis; *ac praedicta ecclesia in pristinam possessionem dicti sacelli reintegretur* [1].

Benedictus Papa XIII,
Motu proprio, etc.

A capitulo et canonicis dictae ecclesiae iam inde ab anno MDII praefatum sacellum S. Michaëlis collegio procuratorum Urbis concessum fuisse narratur.

§ 1. Essendo pervenuto a nostra notizia per le diligenze da noi usate in occasione d'aver visitata la chiesa collegiata di S. Eustachio di questa nostra città, che nell'anno MDII il capitolo e canonici di detta chiesa con la presenza ed intervento del procuratore del fu cardinal Piccolomini di quel tempo titolare di detta chiesa concedessero e donassero imprudentemente e con gran disturbo della chiesa al collegio dei procuratori l'uso della cappella di S. Michele arcangelo esistente nella loro antica chiesa, acciò in essa potessero detti procuratori esercitare le loro opere di pietà e celebrarvi la festa di detto santo per loro particolar divozione, col peso della tenuissima ricognizione di soli due ducati annui di Camera, e che con tale concessione detti canonici perderono la libertà di potere in detta cappella far quelle sacre funzioni che spettano o al sacro ministerio di essi canonici o alla celebrazione de' divini offizi, poichè nei tempi passati detto collegio de' procuratori col fondamento di detta concessione pretese di poter chiudere detta antica cappella con ferrata, e di quella ritenere appresso di loro la chiave, per il che l'anno MDXIV convenne stabilir nuove convenzioni; e con tutto ciò essendo insorte susseguentemente nuove controversie, e quelle dedotte giudizialmente anche nella nostra Rota, ottennero detti procuratori con decreto de' XXVIII giugno MDCXXX il mandato *de manutenendo* nel possesso di detta cappella e di ritener la chiave di essa, mediante il loro cappellano privativamente a detti canonici, e quello spedito, ne pigliarono anche l'attual possesso; ma ciò non ostante detti canonici hanno sempre continuato a celebrarvi le messe, ed esercitarvi altre sagre funzioni ad ogni loro arbitrio, e che essendosi negli anni scorsi data l'occasione di rifabbricare ed ampliare detta chiesa con i capitali lasciati a tal fine da un pio benefattore, conforme fu eseguito nella forma nobile che ora si vede, detto collegio de' procuratori si oppose al proseguimento di detta fabbrica, e n'intentò nuovo litigio, dal quale trovandosi molto alieni detti canonici, sotto il dì IV marzo MDCCXVI con la mediazione e presenza del reverendissimo cardinal Corradini vennero ad una transazione, nella quale, preservate ad ambe le parti le loro ragioni, detto collegio de' procuratori pagò in contanti a detto capitolo per rifabbricar detta cappella la somma di scudi centocinquanta ed altra somma si obbligò di pagare, con aver rilasciato quello, che non era suo, cioè a comodo della nuova cappella tutti i cementi ed alcune colonne, che si trovavano nell'antica cappella, col peso però a detti canonici di dover fare un ordine di banchi, dove potessero risiedere detti procuratori in occasione di celebrar la festa di S. Michele arcangelo, e nelle funzioni de' funerali de' procuratori defunti, ma che con tutto ciò non sono stati mai pagati detti scudi centocinquanta residuali, e se ne ritarda il pagamento sempre con nuove liti e controversie, e specialmente che sebbene essi canonici hanno rinnovata detta

1 Aliâ huiusmodi Pontificis constit. edit. MDCCXXVI, die 17 februarii, pontif. II, suppressa fuit parochialis ecclesia B. Gregorii ad Pontem Quatuor Capitum de Urbe, eiusque fructus et iura unita ecclesiae S. Angeli in Foro Piscium.

cappella nella nuova nobil forma che al presente si vede con spesa di circa scudi duemila, pretendono non di meno essi procuratori, che detti canonici non possano ritener in essa sepoltura già ivi fabbricata per i bambini ed altri defunti della parochia di detta loro chiesa, ed in oltre, che si debba chiudere ovver murare una porta ivi esistente per cui si va al campanile, la quale da noi attentamente riconosciuta, non solo non rende alcuna deformità alla cappella, per trovarsi con buona struttura addossata al muro, ma secondo il sito dell'antica cappella si vede situata nel suolo della chiesa; anzi che non potendosi andare al campanile per altra parte, converrebbe con molta indecenza uscir dalla chiesa, e con grandissimo incomodo e considerabile spesa privarsi d'un sito o comodo di casa per far altrove detta porta, pretendendo di più impedire, che detti canonici, non possano in detta cappella ritenere il tabernacolo, farvi l'esposizione del Venerabile, collocarvi il santo sepolcro nella settimana santa, farvi le sante communioni nel tempo della santa Pasqua, ed in altre solennità ed altre sagre funzioni, che vi sono state sempre esercitate da tempo antichissimo; e che quantunque detti canonici, per esimersi da tali vessazioni con ogni possibile celerità, e sottrarsi da grave dispendio delle liti sofferte per il passato, avessero ricorso alla nostra Congregazione della Visita per veder con una sollecita risolutione terminato ogni litigio, e ne fosse a tal fine deputato anche il ponente, glie ne fu da detti procuratori impedita la proposizione, con aver fatto dichiarare, che la cognizione di queste controversie, attesa l'antica pendenza, dovesse spettare a detta nostra Rota.

Causae prae- § 2. Ed avendo noi fatta matura riflessione all'ingiustizia di tali pretenzioni, come fondate tutte dall'antica concessione fatta incautamente da detti canonici senza veruno assenso di superiore ecclesiastico per la sola tenue prestazione di due ducati annui, avendo somma premura di difendere, conservare e reintegrare i dritti delle chiese e togliere tutti i motivi che possano in qualunque modo apportar dispendio a dette chiese e distrarre gli ecclesiastici dalla dovuta attenzione del servizio di Dio e dall'esercizio delle sacre funzioni, e riflettendo altresì all'esorbitanza delle pretensioni di detti procuratori in presumere un assoluto dominio in detta cappella nuovamente rifabbricata ed adornata a spese di essa chiesa con molta distinzione delle altre cappelle di essa, ed impedire a detti canonici la ritenzione in essa del tabernacolo, amministrazione de' sagramenti, esercizio d'altre sagre funzioni, sepoltura, e comodo di passare al campanile, tanto necessario a detta chiesa, dopo aver riconosciuto e fatto anche riconoscere da persone legali il tenore delli istrumenti di concessione, transazione, ed altri atti seguiti tra dette parti, e ben ponderate le ragioni competenti a ciascuna di esse, ci siamo determinati con la nostra suprema autorità, per togliere un continuo fomite di liti tanto passate quanto future[1] la pace alla chiesa, levar la causa produttiva di tante inquietudini e spese di liti in pregiudizio della chiesa, escludendo da essa detti procuratori: e perciò abbiamo[2] di avocare a noi tutte le liti sopra le cose premesse pendenti tra dette parti, e quelle terminare ed estinguere, con imporre alle dette parti perpetuo silenzio, e reintegrar detta

sentis constitutionis.

1 Deest *perturbanti* aut simile (R. T.).
2 Deest *stabilito* vel simile (R. T.).

chiesa nel libero ed antico possesso di detta cappella, con la rivocazione e rescissione della suddetta concessione ed altri contratti susseguiti, mediante però la restituzione della somma pagata da detti procuratori nell' ultimo istrumento di transazione, come in appresso.

De praedictis omnibus exortas lites ad se Pontifex avocat.

§ 3. Avendo per tanto nella presente Cedola di nostro motoproprio per espresso, inserito, e di parola in parola registrato l' intiero tenore dell' istrumento di donazione e concessione perpetua dell' accennata cappella di S. Michele arcangelo esistente in detta chiesa di S. Eustachio fatta dalli predetti canonici di detta chiesa a favore del collegio de' procuratori di questa nostra città col peso ed obbligo de' medesimi di pagare ogni anno ai detti canonici, quando però questi intervengono alla messa solenne da cantarsi ogni anno nel giorno della festa, due ducati d'oro di Camera, con li patti che a detti procuratori sia lecito di fabbricare in essa una sepoltura per loro servizio, e che li canonici siano obbligati dare al di loro cappellano il comodo della sagrestia di detta loro chiesa per ivi ritenere una cassa per conservazione dei paramenti, vestiti ed altri ornamenti di detta cappella ad arbitrio di detti procuratori, e con altri capitoli e dichiarazioni e convenzioni espresse nell' istrumento sopra di ciò rogato li v decembre MDII, delle capitolazioni tra dette parti seguite, accordate e stipulate in altro istrumento per gli atti del Vannucci, notaro pubblico di questa città, lì II agosto MDXIV, dell' istromento di transazione stipulato tra dette parti li IV marzo MDCCXVI, per gli atti del Neri ed Angelici notari capitolini, della pianta in essa inserta, e di tutti li patti condizioni ed obblighi in esso stipulati, de' giuramenti in essi respettivamente prestati, del decreto di manutenzione emanato in detta nostra Rota li XXVIII giugno MDCXXX, degli atti susseguentemente fatti in detta nostra Rota, del preciso stato presente di detta chiesa e cappella, delle ragioni che sopra di essa assistono a ciascheduna di dette parti, ed ogni altra cosa quanto si voglia necessaria d'esprimersi, non ad istanza o richiesta di detti canonici, nè di verun' altra persona, ma di nostro moto proprio, certa scienza, e con la pienezza della nostra suprema potestà, avocando primieramente a noi da detta nostra Rota e da qualunque altro tribunale tutte le liti e cause per qualunque capo e titolo, tanto antico quanto moderno, introdotte e pendenti tra detto capitolo e canonici di S. Eustachio ed il collegio di detti procuratori sopra il dominio ed uso di detta cappella in vigore dei suddetti istrumenti di donazione, concessione ed altre capitolazioni e transazioni stipulate tra dette parti, e respettivamente in vigore del suddetto mandato *de manutenendo* ottenuto da detta Rota, e per qualunque altro titolo, causa e ragione, con tutte le loro emergenze, dipendenze, annessi e connessi, nello stato e termini ne' quali presentemente si trovano, quelle tutte espressamente ed universalmente estinguiamo ed aboliamo, ed imponiamo a dette parti perpetuo silenzio.

Revocatur concessio praedicta facta favore collegii procuratorum Urbis.

§ 4. E con la pienezza della nostra suprema autorità cassiamo, rivochiamo, annulliamo, ed in tutto e per tutto rescindiamo il suddetto istrumento di donazione e concessione di detta cappella, come sopra fatta da detto capitolo, e canonici a favore di detto collegio dei procuratori detto giorno v decembre MDII, e tutte le altre capito-

lazioni e transazioni seguite e stipulate tra dette parti in qualunque tempo concernenti detta cappella, come se detti contratti non fossero mai stati stipulati; e dichiariamo e decretiamo, che a detti procuratori non competa nè possa competere in avvenire alcuna ragione ed azione sopra detta cappella, quale liberiamo ed esentiamo da qualunque peso e servitù, e che come tale spetta ed appartiene liberamente, privativamente ed assolutamente a detta chiesa di S. Eustachio e suo capitolo e canonici, libera ed esente da qualunque peso e servitù, con l'assoluta esclusione e rimozione di detti procuratori e loro cappellano suddetto in perpetuo, e che perciò sia lecito a detti canonici di esercitare in essa tutte le sagre funzioni ecclesiastiche ad ogni loro libero arbitrio independentemente da detto collegio de' procuratori, e da qualunque altra persona.

Capitulum et canonici praedicti reintegrantur in pristinam possessionem dicti sacelli.

§ 5. Riponendo noi detto capitolo e canonici nel primiero ed antico dominio, e libero possesso di detta cappella, nello stesso modo e forma in cui si trovavano e che gli competeva prima della stipulazione dell'antico istrumento di concessione, non ostante li sopra riferiti strumenti di donazione, concessione, capitolazioni, transazioni, da noi come supra rescissi, annullati e rivocati, quali vogliamo che s'abbiano qui inserti e ripetiti, ancorchè dette concessioni fossero state confermate con beneplacito di questa Santa Sede, o de' cardinali titolari, o che questi per il lasso del tempo si potessero presumere confermati, e non ostante li suddetti decreti di manutenzione e lite come sopra pendente, assolvendo noi pienamente tanto detto capitolo e canonici, quanto detto collegio de' procuratori, e ciascun di loro universalmente e singolarmente da tutti gli obblighi e promesse stipulate ne' suddetti istrumenti, e respettivamente dai giuramenti in essi prestati, e particolarmente detti procuratori dal pagamento degli annui due ducati d'oro di Camera promessi nel suddetto istrumento di concessione, e respettivamente delli residuali scudi centocinquanta parimente convenuti e promessi nell' ultimo sopra riferito istrumento di transazione, dichiarando con la nostra suprema autorità, che dette parti per l'avvenire ed in perpetuo non siano in verun modo tenute all'osservanza, mantenimento ed esecuzione di quanto in essi hanno anche con giuramento promesso; ed affinchè detti procuratori non abbiano a ricevere alcun pregiudizio da questa nostra determinazione, vogliamo ed ordiniamo che detto capitolo e canonici dentro due mesi dalla data del nostro motoproprio siano tenuti ed obbligati a restituir liberamente a detto collegio de' procuratori li scudi centocinquanta da essi pagati nella stipulazione di detto istrumento di transazione seguita l'anno MDCCXVI in occasione della nuova costruzione di detta cappella, per esser così mente e volontà nostra precisa ed espressa.

Clausulae.

§ 6. Volendo e decretando, che alla presente Cedola di nostro motoproprio, benchè non ammessa nè registrata in Camera, non possa mai darsi nè opporsi di surrezione, orrezione nè d'alcun altro vizio o difetto della nostra volontà ed intenzione, nè che mai sotto tali o altri qualunque pretesti quanto si voglia validi, legittimi, giuridici, anche di lesione, *re iudicata, ius quesito,* o altra più potente ragione racchiusa nel corpo della legge e qui non espressi, e che necessariamente dovessero esprimersi, e benchè le cose sopra espresse in tutto o in parte non si verificassero,

possa essere impugnata, moderata o rivocata, o concedersi contro di essa qualsisia rimedio di ragione, di fatto o di grazia, o qualunque aperizione *oris*, e che così e non altrimenti debba sempre ed in perpetuo giudicarsi, definirsi ed interpretarsi da qualunque giudice e tribunale ordinario, commissario, delegato o altro benchè collegiale, Congregazioni anche de' reverendissimi cardinali, legati *a latere*, visitatori apostolici, camerlengo di santa Chiesa, tesoriere, presidenti, uditori di Rota, chierici di Camera, e qualunque altro che per comprenderlo vi si ricercasse specifica espressione, togliendo loro ogni facoltà e giurisdizione di definire ed interpretare diversamente, e dichiarando noi fin d' adesso preventivamente nullo, irrito ed invalido tutto ciò che da ciascuno di essi con qualsivoglia autorità, scientemente o ignorantemente, fosse in qualunque tempo giudicato, definito ed interpretato contro la forma e disposizione della presente Cedola di nostro motoproprio, quale vogliamo che vaglia e debba aver sempre il suo pieno effetto, esecuzione e vigore con la semplice nostra sottoscrizione, benchè non vi siano stati chiamati, sentiti nè citati li procuratori di detto collegio, e quali si siano altre persone quanto si voglia privilegiate e privilegiatissime, che in qualunque modo e per qualsivoglia titolo vi avessero o pretendessero avervi interesse.

Derogatoriae. § 7. Non ostanti tutte e singole cose premesse, e specialmente l' istrumento di concessione e donazione di detta cappella fatta da detto capitolo e canonici a favore di detti procuratori e loro collegio suddetto, capitolazioni e transazioni susseguentemente stipulate, anche munite d'obbligo camerale, giuramenti in essi prestati, obblighi, patti, condizioni, dichiarazioni, ed altro in essi respettivamente stipulato, decreti ottenuti, atti fatti, e lite pendente in detta nostra Rota ed altro qualunque tribunale, la Bolla di Pio IV nostro predecessore *De registrandis*, la regola della nostra Cancellaria *De iure quaesito non tollendo*, e qualsisiano altre constituzioni ed ordinazioni apostoliche nostre e dei nostri predecessori, benchè munite di derogatorie delle derogatorie, decreti irritanti, ed altre clausole più efficaci, effrenate ed inusitate, la disposizione de' concilî generali e provinciali, leggi civili e canoniche, statuti, riforme, stili, usi, consuetudini e qualunque altra cosa che facesse o potesse fare in contrario; alle quali tutte e singole, avendone il tenore qui per espresso e di parola in parola inserto, e supplendo noi colla pienezza della nostra potestà pontificia ad ogni vizio e difetto quantunque sostanziale e formale che vi potesse intervenire, per questa volta sola e per la piena e totale esecuzione ed effetto di quanto s'esprime nella presente Cedola di nostro motoproprio, ampiamente ed espressamente deroghiamo.

Dato dal nostro palazzo apostolico Vaticano questo di XXVI marzo MDCCXXIX.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Dat. die 26 martii 1729, pontif. anno V.

CCLXXVI.

Conceditur indulgentia monachis et monialibus Ordinis Carthusianorum ad instar visitantium septem ecclesias Urbis[1].

1 Aliâ huius Pontificis const. ed. MDCCXXVIII, die VI aprilis, pontif. IV, concessa fuit indulgentia plenaria perpetua monialibus totius Orbis in die earum velationis, benedictionis et consecrationis.

Benedictus Papa XIII,

Dilectis filiis monachis, ac dilectis in Christo filiabus monialibus, novitiis, conversis et donatis Ordinis Carthusianorum, ubicumque existentibus[1], salutem et apostolicam benedictionem.

Concessio praedictae indulgentiae.

§ 1. Ad augendam vestram devotionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris piâ charitate intenti, vobis omnibus et singulis vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui et quae semel in hebdomadâ decies orationem dominicam et toties salutationem angelicam in oratorio vestri domicilii devote recitaveritis, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac S. M. E. exaltatione pias ad Deum preces effuderitis, qua vice praedictarum id egeritis, ut eas omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones, ac si septem almae Urbis nostrae intra et extra illius muros ecclesias ad id designatas personaliter et devote visitaretis, tenore praesentium misericorditer in Domino concedimus et indulgemus.

Clausulae.

§ 2. Non obstante regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ceterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus ad decennium tantum valituris. Volumus autem quod si pro impetratione, praesentatione, admissione seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint, quodque praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae, vel ostensae.

1 Edit. Main. legit *existentium* (R. T.).

Datum Beneventi, sub annulo Piscatoris, die XXVII aprilis MDCCXXIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 27 aprilis 1729, pontif. anno V.

CCLXXVII.

Confirmantur quaedam constitutiones fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ [1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ad pastoralis dignitatis fastigium, meritis licet imparibus, divinâ dispositione evecti, illa quae pro felici prosperoque religiosorum Ordinum uberes bonorum operum fructus in Ecclesiâ Dei assidue proferre satagentium gubernio et progressu provide constituta et ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque inviolabilia persistant, apostolici muniminis nostri patrocinio, cum id a nobis petitur, libenter constabilimus.

Nonnullas constitutiones in capitulo generali novissime Romae celebrato emanasse refertur.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Iosephus Maria ab Ebora, procurator generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, quod pro salubri totius Ordinis huiusmodi illiusque fratrum regimine et directione diversae constitutiones in capitulo generali ipsius Ordinis novissime videlicet anno MDCCXXIII in hac almâ Urbe celebrato, cui felicis recordationis Innocentius Papa XIII praedecessor noster praesedit, editae, ac subinde iussu nostro a venerabili fratre nostro Laurentio episcopo Tusculano Corsino, Ordinis praefati apud

1 Aliâ huius Pontificis const. ed. MDCCXXVII, die XX iunii, pontif. IV, confirmatur quoddam decretum ministri generalis eorumdem fratrum, et const. ed. MDCCXXX, die XXIX ianuarii, pontif. VI, confirmantur quaedam decreta capituli generalis.

nostram Sedem Apostolicam protectore, et bonae memoriae Laurentio, dum vixit, S. R. E. cardinalibus Cozza nuncupatis, revisae, ac per eos in meliorem clarioremque formam redactae fuerunt.

Confirmatio constitutionum praedictarum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus Iosephus Maria procurator generalis illas, pro firmiori earum subsistentiâ exactiorique observatione, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsius Iosephi Mariae procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, constitutiones praedictas, in iis tantum quae sacris canonibus, Concilii Tridentini decretis, constitutionibusque et ordinationibus apostolicis, praesertim reformationem dicti Ordinis illiusque fratres Reformatos seu Recollectos vel Discalceatos nuncupatos quomodolibet concernentibus, et quandocumque editis non adversantur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras, ac constitutiones ut praefertur editas, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, etc. [1].

1 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

Datum Beneventi, sub annulo Piscatoris, die II maii MDCCXXIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 2 maii 1729, pontif. anno V.

CCLXXVIII.

Confirmatur constitutio Urbani VIII super prohibitione deferendi habitum Ordinis Minorum de Observantiâ [1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Constitutio praedicta Urbani VIII.

§ 1. Aliàs emanarunt a felicis recordationis Urbano Papa VIII praedecessore nostro litterae in simili formâ Brevis, tenoris qui sequitur, videlicet:

Urbanus PP. VIII, ad futuram rei memoriam. Cum, sicut dilectus filius procurator generalis Ordinis fratrum Minorum regularis observantiae sancti Francisci nobis nuper exponi fecit, etc. [2].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die V octobris MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno XVI.

Causa praesentis confirmationis.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius modernus procurator generalis eiusdem Ordinis nobis nuper exponi fecit, nonnulli, praesertim Eremitae, contra praefatarum Urbani praedecessoris litterarum tenorem ac dispositionem ipsorum fratrum habitum cum caputio non sine eorumdem Ordinis ac fratrum dedecore et perturbatione deferre praesumant, indeque plurima scandala antehac orta fuerint, ac in dies oriantur: nobis propterea dictus procurator generalis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio relatae constitutionis Urbani VIII.

§ 3. Nos igitur, eiusdem procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum

1 Laudata Urbani VIII const., hic inserta, edita est MDCXXXVIII, die V octobris, pontif. XVI.

2 Reliqua vide tom. XIV, pag. 671 *b* (R. T.).

Domino possumus, benigne annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui dilectum filium ministrum generalem Ordinis praedicti desuper audiverunt ac narrata attenderunt, consilio, praeinsertas Urbani praedecessoris litteras, omniaque et singula in eis contenta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus. Praeterea memoratis Eremitis, sub poenis in eisdem Urbani praedecessoris litteris expressis, praecipimus, ut, pro maiori faciliorique eorum a fratribus dicti Ordinis discrimine, de cetero ultra barbam gestent etiam tunicam breviorem, solitumque scapulare longius pallio seu mantello ad differentiam tertiariorum commensalium.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, etc.[1]

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae in praeinsertis Urbani praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptis.

§ 6. Volumus quoque ut earumdem praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, etc.[2]

Datum Beneventi, sub annulo Piscatoris, die XVI maii MDCCXXIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 16 maii 1729, pontif. anno V.

1 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

2 Ut supra pag. 72 *b* (R. T.).

CCLXXIX.

Conceditur indulgentia plenaria perpetua visitantibus aliquam ecclesiam canonicorum regularium vel monialium Ordinis Praemonstratensis ubicumque locorum quibusdam anni temporibus[1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Iniunctae nobis divinitus apostolicae servitutis ratio postulat ut caelestium munerum thesauros, dispensationi nostrae a Domino creditos, fideliter erogemus, cum id ad augendam fidelium religionem et animarum salutem speramus in Domino profuturum.

Conceditur praefata indulgentia.

§ 1. Itaque de omnipotentis Dei misericordiâ, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis tam canonicorum regularium quam monasteriorum Ordinis Praemonstratensis, tam hactenus erectis, quam in posterum quandocumque erigendis, et ubicumque locorum existentibus, in XVI ianuarii, III ac XXIX martii, VII aprilis, XV iunii, IX iulii, XIII augusti et XVII novembris mensium diebus, si non sint impediti; si vero sint impediti, die immediate sequenti respective non impedito, ac feriâ secundâ infra octavam Ascensionis domini nostri

1 Alia indulgentia plenaria perpetua iisdem concessa fuit a Paulo V const. edit. MDCVI, die 19 octobris, quae postmodum confirmata reperitur ab Innocentio XII constit. edit. MDCXCVII, die 20 aprilis, pontif. VI.

Iesu Christi, a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die ex praedictis id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Fides habenda transumptis.

§ 2. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI iulii MDCCXXIX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 11 iulii 1729, pontif. anno VI.

CCLXXX.

Conceditur universo Ordini S. Francisci, necnon civitati et dioecesi Asculanae, facultas recitandi officium sub ritu duplici et celebrandi missam B. Seraphini de Asculo[1].

Benedictus Papa XIII,

Preces hac de re porrectae sanctissimo.

§ 1. Cum, attentâ approbatione publici cultus vigore indultorum apostolicorum B. Seraphino de Asculo Ordinis Minorum Capuccinorum praestiti, seu casus excepti a decretis sanctae memoriae Urbani PP. VIII, factâ in Congregatione sacrorum Rituum sub die XI martii MDCCXIX, annuente postmodum die XIX aprilis dicti anni sanctae memoriae Clemente PP. XI, ex parte et ad instantiam marchionis Ioannis Baptistae Caucci dictae causae postulatoris, sanctissimo domino nostro Benedicto PP. XIII supplicatum fuerit, quatenus concedere dignaretur ut in posterum singulis annis in honorem praedicti Beati die XII octobris, anniversariâ illius obdormitionis in Domino, tam *in toto seraphico Ordine Minorum S. Francisci,* quam etiam *in civitate et dioecesi Asculanâ,* ubi sacrum eiusdem Beati corpus requiescit et colitur, ac *in terrâ Montis Granarii* Firmanae dioecesis, ubi natus fuit, recitari posset officium et celebrari missa de communi confessoris non pontificis sub ritu duplici ab omnibus tam saecularibus quam regularibus utriusque sexus, qui ad horas canonicas tenentur:

Concessio praedicta.

§ 2. Sanctitas Sua, cum prius recognosci ac perpendi fecerit a reverendissimo Carolo Alberto Cavalchino archiepiscopo Philippensi fidei promotore supplicem libellum eidem Sanctitati Suae porrectum, ac scripturas omnes super huiusmodi instantiâ iampridem exaratas et impressas, cum animadversionibus eminentissimi et reverendissimi domini cardinalis Lambertini, tunc fidei promotoris, ac responsionibus ad eas per postulatores datis, et nihil in illis a dicto archiepiscopo Philippensi inventum fuerit quod huiusmodi instantiae obstare posset, officium et missam in honorem B. Seraphini praedicti pro die XII octobris, iuxta petita, servatis tamen rubricis breviarii et missalis romani, benigne indulsit atque concessit die XVIII mensis iulii MDCCXXIX.

Dat. die 18 iulii 1729, pontif. anno VI.

---

1 Similis concessio ab eodem Pontifice const. edit. MDCCXXVIII, die 12 aprilis, pontif. IV, facta fuit canonicis regularibus Praemonstratensibus pro recitatione officii trium sanctorum sui Ordinis.

CCLXXXI.

Confirmatur Congregationis Indicis decretum quo damnantur nonnulli libri latino et gallico idiomate impressi [1].

Benedictus Papa XIII.

Decretum sacrae Congregationis eminentissimorum et reverendissimorum dominorum S.R.E. cardinalium a sanctissimo domino nostro Benedicto PP. XIII sanctâque Sede Apostolicâ ad Indicem librorum eorumdemque prohibitionem, expurgationem et permissionem in universâ republicâ christianâ specialiter deputatorum ubique publicandum.

Decreti tenor. § 1. Sacrae Indicis Congregationis decreto damnati, prohibiti, ac respective suspensi fuerunt infrascripti libri ubicumque et quocumque idiomate et inscriptione qualibet impressi imprimendive, quorum tituli:

Tituli praedictorum librorum qui damnati fuere. *Animadversiones* Iusti Henningii Bohemerii *in institutiones iuris ecclesiastici* Claudii Fleury, *latinâ versione* Ioannis Danielis Graber, MDCCXXIV.

Casimiri Ordini commentarius, et de scriptoribus Ecclesiae antiquis, illorumque scriptis, etc. Lipsiae, MDCCXXII, tom. I, II et III.

Censura sacrae facultatis theologiae Duacensis in quasdam propositiones de Gratiâ depromptas ex dictatis philosophicis dominorum Legrand *et* Marechal, *etc.; accedit appendix ad causam professorum primariorum collegii regii; item mantissa continens censuram in epistolam scriptam ab excellentissimo domino* Pierart, *sacrae theologiae licentiato, etc.* Typis edita MDCCXXII-MDCCXXIV, donec corrigatur.

Discours contre la persécution, traduit de l'anglois. Liège, MDCCXXV.

Epistolica dissertatio Scoti Thomistica super facti quaestione, utrum doctor Angelicus revera docuerit pluribus in locis B. Virginem fuisse immunem a peccato originali? Cui denuo accessit duplex dissertatio dogmatica scilicet et historica circa B. Virginis conceptionem, Stephani Chiesa *labore concinatum.* Taurisii, MDCCXVI, donec corrigatur.

Historie des chevaliers hospitaliers de Saint Jean de Jérusalem, appelés depuis chevaliers des Rhodes, et aujourd'hui chevaliers de Malte, par monsieur l'abbé De Vertot, MDCCXXVI, tom. I, II, III, IV et V.

Ioannis Gasparis Suicen, *Thesaurus Ecclesiasticus ex patribus graecis ordine alphabetico concinnatus.* Amstelodami, MDCLXXXII.

Ioannis Georgei Walchy, *Commentarium Concilii Lateranensis a Benedicto XIII celebrati anno* 1725. Lipsiae, MDCCXXVII.

Ioannis Marini Oconensis, *Theologia speculativa et moralis.* Venetiis, MDCCXX, tom. III.

Nouveau voyage d'Italie, avec un mémoire contenant des avis utiles à ceux qui voudront faire le même voyage, par monsieur Misson. Haye, MDCCXVII.

Remarques sur divers endroits d'Italie par monsieur Addisson, *pour servir au* Voyage de monsieur Misson. Paris, MDCCXXII.

The spiritual director for those who have note translated out of franch, pinted in the year 1703: hoc est *Spiritualis director, pro his qui nullum habent, ex gallico translatus.*

Traité des lois civiles et ecclésiastiques contre les hérétiques, par le Papes, les empereurs, les rois et les conciles généraux et provincioux approuvez par l'Eglise de Rome. Liège, MDCCXXV.

Triumphus misericordiae, idest sacrum Ordinis SS. Trinitatis institutum redemptionis captivorum, cum adiuncto kalendario ecclesiastico-historico universi Ordinis, auctore Ioanne a S. Felice. Viennae Austriae, MDCCIV.

§ 2. Nemo itaque cuiuscumque gradus et conditionis praedictos libros in posterum vel imprimat, vel legat, vel retineat; si quos [1] interim habuerit, inquisitoribus seu locorum Ordinariis a praesentis decreti notitiâ tradat, sub poenis in Indice librorum prohibitorum contentis. Prohibitio praedictorum librorum.

§ 3. Quibus per me infrascriptum se- Confirmatio relati decreti.

1 De aliâ prohibitione duorum librorum gallico idiomate impressorum vide aliam huius Pontificis const. edit. MDCCXXVIII, die 25 iunii, pontif. V.

1 Potius lege si quis eos (R. T.).

cretorium sanctissimo domino nostro Benedicto Papa XIII relatis, Sanctitas Sua decretum sacrae Congregationis approbavit, et exequutioni mandari iussit.

In quorum fidem manu et sigillo eminentissimi et reverendissimi domini cardinalis De Vià praefecti praesens decretum signatum et munitum fuit Romae in palatio apostolico Vaticano, die XVIII iulii MDCCXXIX.

Dat. die 18 iulii 1729, pontif. anno VI.

CCLXXXII.

Indicitur beatificatio servi Dei Vincentii a Paulo Congregationis Missionis et Puellarum Charitatis fundatoris [1].

Benedictus Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Iustus ac misericors Dominus peculiarium quorumdam servorum atque electorum suorum, quos a constitutione mundi in opus suum praedestinatos multiformis gratiae suae charismatibus instruxit, sanctitatem interdum signis atque portentis testatam facit in terris, ut illis, quos perennis gloriae coronâ donat in caelis, debitae quoque venerationis cultus a fidelibus impendatur.

Laudes praedicti servi Dei.

§ 1. Inter quos, cum longe lateque refulserit servus Dei Vincentius a Paulo, sacerdos Gallus, Congregationis presbyterorum saecularium Missionis, et societatis Puellarum Charitatis nuncupatarum fundator, qui mirabili in Deum ac proximum charitate (dilatante cor eius Spiritu Sancto) succensus, veraeque pietatis operibus, et praesertim animarum lucro iugiter intentus, pauperes ruricolas, quos ut plurimum in ignorantiae tenebris misere iacere dolebat, erudiendi fideique catholicae misteria et praecepta ac viam salutis edocendi voto se et presbyteros dictae Congregationis obstrinxit, necnon clero rite instituendo imprimis addixit, aliarumque omnium virtutum praesidio et robore accinctus ex alto, toto peregrinationis ac conversationis suae tempore fidelem se ministrum strenuumque ac indefessum vineae Domini cultorem et operarium exhibuit, atque Ecclesiam universam nedum suavissimo spiritualium aromatum odore implevit, sed etiam uberrimorum fructuum fecunditate locupletavit, plenusque dierum ac meritorum, dilectus Deo et hominibus, mortalis huius vitae cursum feliciter consummavit; apostolici muneris, quod nos gerere voluit Altissimus, ratio exigit, ut tam splendidam lucernam diutius sub modio latere non sinamus, sed super candelabrum ministerio nostro collocetur, ut luceat omnibus qui in domo sunt, ad omnipotentis Dei gloriam, catholicae Ecclesiae decus, christianique populi consolationem ac spiritualem aedificationem.

A Congregatione Rituum ad illius beatificationem deveniri posse, de more decretum est.

§ 2. Cum itaque mature diligenterque discussis atque perpensis per Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum processibus de Apostolicae Sedis licentiâ confectis super vitae sanctitate et virtutibus heroicis, quibus idem servus Dei Vincentius a Paulo multipliciter claruisse, necnon miraculis quae ad eius intercessionem, et ad manifestandam hominibus illius sanctitatem a Deo patrata fuisse asserebantur, ipsa Congregatio cardinalium coram nobis constituta, auditis etiam consultorum suffragiis, uno spiritu, unâque voce censuerit, posse, quandocumque nobis videretur, praedictum servum Dei Beatum declarari cum solitis indultis:

Indulgentur

§ 3. Hinc est quod nos, piis atque

1 Aliâ huius Pontificis const. edit. MDCCXXXIX, die 12 martii, pontif. V, indicta fuit beatificatio servi Dei Fidelis a Sygmaringa.

quaedam ad eiusdem cultum.

enixis carissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum regis christianissimi, ac carissimae in Christo filiae nostrae Mariae eorumdem Francorum reginae christianissimae eius coniugis, pluriumque aliorum sublimium catholicorum principum, necnon venerabilium fratrum archiepiscoporum et episcoporum, ac dilectorum filiorum cleri regni Galliarum, totiusque insuper dictae Congregationis presbyterorum saecularium Missionis supplicationibus nobis et huic Sanctae Sedi super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, de memoratorum cardinalium consilio et assensu, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, indulgemus, ut idem servus Dei Vincentius a Paulo in posterum Beati nomine nuncupetur, eiusque corpus et reliquiae venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferenda) exponantur; imagines quoque radiis seu splendoribus exornentur, ac de eo quotannis die anniversariâ felicis eius obitus recitetur officium et missa celebretur de confessore non pontifice iuxta rubricas breviarii et missalis romani. Porro recitationem officii ac missae celebrationem huiusmodi fieri concedimus in locis dumtaxat infrascriptis, videlicet in pago de Podio, vulgo Poy, Aquensis, provinciae Auxitanae, ubi dictus Dei servus natus est, in castro de Clichy Parisiensis, et in oppido de Chatillon iuxta principatum Dombarum Lugdunensis respective dioecesum, in quibus curam animarum obivit, ac in civitate Parisiensi, unde ad caelos evolavit, et ubi venerabile eius corpus requiescit, ob omnibus utriusque sexus christifidelibus tam saecularibus quam regularibus, qui ad Horas canonicas tenentur, ac in universâ Congregatione Missionis praefatâ, tam quoad clericos et presbyteros eiusdem Congregationis, quam quoad convictores et alumnos, qui in illius domibus commorantur; demum in singulis ecclesiis, sive capellis vel oratoriis praedictae Societatis Puellarum, quam ipse servus Dei sub nomine Charitatis instituit, pro sacerdotibus ecclesiarum sive capellarum vel oratoriorum istiusmodi servitio addictis; et, quantum ad missas attinet, etiam ab omnibus presbyteris ad ecclesias, in quibus festum peragetur, confluentibus. Praeterea primo dumtaxat anno a datis hisce litteris, et quoad Indias a die quo eaedem litterae illuc pervenerint inchoando, in ecclesiis pagi, castri, oppidi, civitatis, Congregationis ac Societatis huiusmodi solemnia beatificationis ipsius servi Dei cum officio et missâ sub ritu duplici maiori, die ab Ordinariis respective constitutâ, postquam tamen in basilicâ Principis Apostolorum de Urbe celebrata fuerint eadem solemnia (pro qua re diem XXI currentis mensis augusti assignamus), pariter celebrandi facimus potestatem.

Clausulae.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 5. Volumus autem, ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu secretarii supradictae Congregationis cardinalium subscriptis, et sigillo praefecti seu propraefecti eiusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus et ubique, tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII augusti MDCCXXIX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 13 augusti 1729, pontif. anno VI

CCLXXXIII.

Confirmantur decreta capituli generalis Congregationis Montis Oliveti Ordinis S. Benedicti circa abbates titulares[1].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam

Exordium.

Ex iniuncto nobis divinitus pastoralis officii debito, illa quae a Congregationibus religiosorum virorum Altissimi obsequiis sub suavi vitae monasticae jugo mancipatorum pro felici prosperoque earum in spiritualibus et temporalibus regimine et gubernio provide facta esse noscuntur, ut firma semper atque inviolabilia persistant, libenter cum id a nobis petitur apostolici muniminis nostri praesidio roboramus.

Causa edendi huiusmodi decreta, nempe abusus quidam abbatum titularium.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius procurator generalis Congregationis Montis Oliveti Ordinis sancti Benedicti, quod, cum tunc existens abbas generalis unà cum definitorio eiusdem Congregationis animadvertisset ex modo et ratione vivendi nonnullorum abbatum titularium dictae Congregationis, tam de numero quam supra numerum diversos in eamdem Congregationem sensim obrepere abusus, qui non minus in regularis observantiae et disciplinae relaxationem ac detrimentum, quam in monasteriorum ipsius Congregationis gravamen et dispendium tendebant, contra dispositionem quarumdam litterarum felicis recordationis Clementis PP. X praedecessoris nostri aliàs nempe die XXVII februarii MDCLXXI editarum, quibus diserte cautum fuerat quod eiusmodi abbates titulares nullam praerogativam vel exemptionem, quae monasteriis praefatis onerosa foret, praetendere valerent, atque in ecclesiâ saltem diebus festivis missae conventuali et vesperis, ac diebus singulis mane orationi mentali interesse tenerentur, simulque istis abusibus et incommodis exinde dictae Congregationi provenientibus occurrendi, efficaxque remedium adhibendi necessitatem agnovisset, in capitulo generali eiusdem Congregationis novissime celebrato, post rem diligenter ac mature ibidem discussam, atque inhaerendo tum praefati Clementis praedecessoris litteris, tum constitutionibus dictae Congregationis per Sedem Apostolicam confirmatis, quaedam circa eosdem abbates titulares decreta seu ordinationes salubriter edita et facta fuerunt :

Decreta praedicta capituli generalis ad praedictos abusus tollendos.

§ 2. Ut scilicet in posterum eiusmodi abbates titulares praesentes et futuri abbati locali in omnibus subiaceant, nec eis liceat nominatim a monasterio seu domo egredi absque licentiâ et benedictione ipsius abbatis localis (quo tamen absente non teneantur se personaliter existere[1] coram vicario aliisque monasterii officialibus, sed id facere ac supplere possint per socium seu conversum sibi destinatum, qui, singulis vicibus, tam egressus quam reditus ad monasterium seu domum, se coram illis omnino repraesentare debebit); choro sicuti alii monachi assistant, ac praesertim intersint orationi mentali quolibet mane, missae conventuali ac vesperis canendis saltem diebus festivis ad praescriptum supradictarum Clementis praedecessoris litterarum, necnon etiam missis absque cantu celebrandis, prout superior localis iniunxerit et ordinaverit, excepto dumtaxat casu infirmitatis, aut alicuius particularis necessitatis per eumdem superiorem localem recognoscendae; intervenire debeant in refectorio primae mensae cum aliis monachis; vestiarium eis

1 De abbatibus titularibus dictae Congregationis vide Clementis XI constit. edit. MDCCXIII, die 12 aprilis, pontif. XIII.

1 Videtur legendum *sistere* (R. T.).

subministrandum, illud vicarii monasterii huiusmodi pro tempore non excedat; neque ipsis licitum sit quamcumque personam, quae illis inserviat, etsi monasterio nullatenus oneri foret, ad sui libitum eligere, sed contenti sint servitio personae, quae eis a superiore locali praefato assignabitur, a familia monasterii, eiusdem superioris localis arbitrio, et sine publici servitii detrimento assumendae; occasione visitationum, simul cum aliis religiosis intervenire debeant publicae receptioni visitatorum ad fores ecclesiae fieri solitae, necnon in capitulo intimationi eiusmodi visitationum, quibus etiam subiecti existant[1], huicque ordinationi visitatores secluso[2] insistant, suâ ad hoc, si opus fuerit, utendo auctoritate; oneratâ pro enarratorum decretorum executione, et implemento ipsorum abbatum titularium ac superiorum localium conscientiâ.

Confirmatio relatorum decretorum.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus procurator generalis, praemissa, utpote, quae in divini cultus augmentum ac eiusdem Congregationis utilitatem et levamen cedere dignoscuntur, quo solidius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, ipsum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, et attentâ relatione dilecti filii nostri Nicolai S. R. E. presbyteri cardinalis Spinulae nuncupati, dictae Congregationis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, nobis super praemissis factâ, omnia et singula decreta supradicta, seu ordinationes, in memorato capitulo generali edita, sicut praemittitur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, necnon illa exacte et inconcusse observari et adimpleri, sub poenis, quoad ipsos abbates titulares, privationis suorum privilegiorum vocisque activae et passivae ipso facto incurrendis, quo vero ad abbates seu superiores locales, qui in eis debitae executioni demandandis et servari faciendis negligentes ac culpabiles fuerint, definitorii generalis vel superiorum generalium dictae Congregationis arbitrio pro modo culpae infligendis, auctoritate et tenore praedictis praecipimus et mandamus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque et non aliter, etc. [1]

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Congregationis, Ordinis et monasteriorum praedictorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, etc.[2]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI septembris MDCCXXIX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 6 septembris 1729, pontif. anno VI.

1 Forsan *visitatorum* (R. T.).
2 Videtur legendum *sedulo* pro *secluso* (R. T.).

1 Ut supra pag. 471 *b* (R. T.).
2 Ut supra pag. 471 *b* (R. T.).

CCLXXXIV.

Revocantur et annullantur ordinationes contentas in quibusdam foliis impressis sub titulo Mandement de monseigneur l'évesque d'Auxerre, qui defend l'office imprimé sur une feuille volante, etc., *cum prohibitione eorumdem foliorum*.[1]

Benedictus Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Ordinationes in praefatis foliis contentae, irritae declarantur.

§ 1. Cum ad apostolatus nostri notitiam pervenisset, in vulgus circumferri quaedam folia gallico idiomate typis impressa, sub titulo *Mandement de monseigneur l'evesque d'Auxerre, qui défende reciter l'office imprimé sur une feuille volante, qui commence par ces mots*: Die xxv maii in festo S. Gregorii VII Papae et confessoris, *Danué à Regennes ce 24 iuillet 1729*: nos quamplures ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus aliosque in sacrâ theologiâ magistros ad illorum examen delegimus, qui, post maturam eorumdem foliorum discussionem, quid sibi eâ super re videretur, nobis retulerunt. Auditis itaque memoratorum cardinalium et in sacrâ theologiâ magistrorum sententiis, de apostolicae potestatis plenitudine, ordinationes in praefatis foliis contentas nullas, inanes, invalidas, irritas, attentatas, nulliusque omnino roboris et momenti esse et perpetuo fore, tenore praesentium declaramus;

Eorum retentio interdicitur.

§ 2. Et nihilominus, ad maiorem cautelam, et quatenus opus sit, harum serie revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac pro revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis et abolitis, viribusque et effectu penitus et omnino vacuis semper haberi volumus et mandamus. Folia vero praedicta tam impressa, quam etiam manuscripta legi, seu retineri, tenore pariter praesentium prohibemus, illorumque impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem, et usum omnibus et singulis christifidelibus etiam specificâ et individuâ mentione et expressione dignis, sub poenâ excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque aliâ declaratione incurrendâ, a qua nemo a quoquam, praeterquam a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere, omnino quoque interdicimus. Volentes, et auctoritate apostolicâ mandantes, ut quicumque folia huiusmodi penes se habuerint, illa, statim atque praesentes litterae eis innotuerint, locorum Ordinariis vel haereticae pravitatis inquisitoribus tradere atque consignare teneantur; hi vero ea sibi sic tradita illico flammis aboleri curent. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Mandatur publicatio harum litterarum.

§ 3. Ut autem eaedem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius perveniant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus etiam, et auctoritate praefatâ decernimus, ut illae ad valvas basilicae Principis Apostolorum ac Cancellariae Apostolicae Curiaeque generalis in Monte Citatorio et in acie Campiflorae de Urbe per aliquos ex cursoribus nostris, ut moris est, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur, et sic publicate omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatae et intimatae fuissent, utque ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etc.[1]

1 Similis revocatio quarumdam ordinationum episcopi Metensis habetur in aliâ huius Pontificis constit. edit. MDCCXXIX, die 8 octobris, pontif. VI.

1 Ut supra pag. 72 *b* (R. T.).

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die XVII septembris MDCCXXIX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 17 septembris 1729, pontif. anno VI.

CCLXXXV.

Erigitur primaria Congregatio vulgo nuncupata la Buona Morte *in ecclesiâ domus professae Societatis Iesu, cum indulgentiis per modum suffragii applicandis* [1].

Benedictus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium cum causâ inductiva indulgentiarum infrascriptarum.

Redemptoris nostri Iesu Christi pro salute humani generis in arâ Crucis immolati vices, licet immeriti, gerentes in terris, dum attendimus ad uberes fructus, quos ubique terrarum in militanti Ecclesiâ venerabilis Societas Iesu verbo, doctrinâ et exemplis in dies copiosius affert, ad [2] illam peculiarem curam prospicimus, qua christifideles pretioso tanti holocausti Sanguine redemptos ex huiusmodi memoriâ ad pia et salutaria opera ferventer excitat, apostolici muneris nostri esse reputamus spiritualium largitionum abundantiam desuper effundere, ut ipsorum fidelium sanctis huiusmodi operibus vacantium religio et devotio continuum suscipiat incrementum, hisque votiva salus proveniat animarum.

Primordia Congregationis Bonae Mortis.

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Michaëlis Angeli Tamburrini moderni praepositi generalis Societatis Iesu petitio continebat, quod a septuaginta annis, et ultra, in ecclesiâ domus professae eiusdem Societatis Iesu de Urbe feriâ sextâ (aliàs non impeditâ) cuiuslibet hebdomadae, inibi vespere sanctissimum Eucharistiae sacramentum publicae venerationi exponitur, duo ex presbyteris regularibus dictae Societatis ad infrascripta specialiter deputati piae fidelium contemplationi acerbissima mortis domini nostri Iesu Christi in cruce pendentis eiusque genitricis B. Mariae Virginis ad crucem adstantis dolorum et lacrymarum monumenta variis colloquiis precumque recitationibus devote respective repraesentant, ac verbum, Dei salubres ad bene moriendum meditationes excitando, in virtute etiam respective edocent, unde nonnulli christifideles piorum et salutarium operum huiusmodi instituto moti se invicem in dictâ ecclesiâ congregari coeperant, et circa praemissa vacantes ab inde citra christifidelium Congregatio sub titulo et denominatione domini nostri Iesu Christi in cruce moribundi, ac beatissimae Virginis Mariae eius genitricis dolorosae, *della buona morte* nuncupari coepit et nuncupatur ad praesens, eidemque Congregationi quaedam propterea indulgentia etiam per modum suffragii applicanda cum nonnullis relaxationibus a felicis recordationis Alexandro PP. VII praedecessore nostro sub certis modo et formâ tunc expressis successive concessa fuit, prout in litteris apostolicis eiusdem Alexandri praedecessoris in formâ Brevis sub annulo Piscatoris desuper sub datum Romae apud S. Mariam Maiorem die XXI mensis augusti anni Domini MDCLV pontificatus praefati Alexandri praedecessoris anno I expeditis plenius continetur.

Institutum Bonae Mortis in ecclesiis Societatis ubique terrarum exercetur.

§ 2. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, in diversis mundi partibus et praesertim insignibus Europae civitatibus, dictae Societatis domus profes-

1 Aliâ huius Pontificis constit. edit. MDCCXXVII die 1 aprilis, pontif. I, erecta fuit archiconfraternitas Conceptionis B. M. V. in ecclesiâ de Aracaeli de Urbe.

2 Forsan *ac* pro *ad* legendum (R. T.).

sae, collegia et residentiae respective fundata existant, et in eorum respective ecclesiis ut plurimum diebus dominicis similiter non impeditis, dum in eis sanctissimum Eucharistiae sacramentum publicae venerationi exponitur, uno ex presbyteris regularibus dictae Societatis praemissa, ut praefertur, repraesentante, edocente, institutum huiusmodi ad Dei gloriam ac publicam salutem et spiritualem consolationem, cum multiplici fructu exinde proveniente, iugiter exerceatur; ac operae pretium sit, ut in primodictâ ecclesiâ eorumdem fidelium primaria Congregatio, sub titulo ac denominatione praefatis, ad laudabile eorum in piis operibus et officiis huiusmodi studium nostris beneficiis et indulgentiarum praemiis conservandum et augendum, stabiliatur et instituatur: quare pro parte dicti Michaëlis Angeli nobis fuit humiliter supplicatum quatenus ei in praemissis annuere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Primariae Congregationis praedictae institutio.

§ 3. Nos igitur, salutiferum opus huiusmodi plurimum in Domino commendantes, ac praemissis, quantum nobis ex alto conceditur, consulere, ipsumque Michaëlem Angelum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, necnon Alexandri praedecessoris litterarum praefatarum tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, in primodictâ ecclesiâ unam utriusque sexus christifidelium primariam Congregationem sub invocatione domini nostri Iesu Christi in cruce moribundi ac beatissimae Virginis Mariae eius genitricis dolorosae, vulgo *della Buona Morte* nuncupatam, quae per praefatum Michaëlem Angelum et pro tempore existentem praepositum generalem dictae Societatis, seu, illo defuncto, donec alius ad officium praepositi generalis huiusmodi canonice assumatur, per vicarium etiam generalem eiusdem Societatis dirigi debeat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo, sine tamen ipsius Societatis praeiudicio, erigimus et instituimus.

Concessio indulgentiae plenariae pro sodalibus in ingressu.

§ 4. Ut autem primaria Congregatio huiusmodi pro gratiarum et munerum caelestium largitione devotionis ac pietatis iugiter proficiat incrementis, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui deinceps in sodales eiusdem primariae Congregationis recipientur, die primâ illorum receptionis huiusmodi, si sanctissimum Eucharistiae sacramentum in primodictâ ecclesia, aut ubicumque potuerint, ac in mortis articulo eo die sumpserint; ac ipsis et pro tempore existentibus dictae primariae Congregationis sodalibus ubilibet degentibus, similiter vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communione, si id commode fieri poterit, refectis, vel saltem contritis, in eorum mortis articulo pium nomen Iesu corde, si ore nequiverint, devote invocantibus, aut aliquod poenitentiae signum facientibus; insuper eisdem sodalibus qui etiam vere poenitentes et confessi semel quolibet mense in unâ ex sextis feriis hebdomadae, seu in unâ ex diebus dominicis cuiuslibet mensis per eos ad sui libitum respective eligendâ, prout expositio SS. Sacramenti vespere in qualibet ex dictis sextis feriis seu diebus

dominicis fiet, necnon in Nativitatis, Resurrectionis et Ascensionis Domini nostri Iesu Christi, ac Epiphaniae et Pentecostes, SS. Trinitatis, ac Corporis Christi, necnon in Purificationis, Annunciationis Assumptionis, Conceptionis et Nativitatis B. Mariae Virginis, ac Nativitatis S. Ioannis Baptistae, et singulorum sanctorum apostolorum, videlicet Petri, Pauli, Andreae, Iacobi, Ioannis, Thomae, Philippi, Iacobi, Bartholomaei, Simonis, Iudae et Matthiae, necnon S. Iosephi, et Commemorationis Omnium Sanctorum festis diebus praefatum sanctissimum Eucharistiae sacramentum in primodictâ ecclesiâ sumpserint, ac inibi pias ad Deum preces, prout unicuique suggeret devotio, pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, haereticorum et infidelium conversione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione, ac nostrâ et pro tempore existentis Romani Pontificis prosperitate devote effuderint, quo die singulorum festorum dierum huiusmodi id pro tempore fecerint, plenariam omnium peccatorum suorum veniam et remissionem apostolicâ auctoritate misericorditer in Domino earumdem tenore praesentium etiam perpetuo concedimus et elargimur.

Indulgentia septem annorum pariter conceditur iis, qui expositioni Venerabilis interfuerint aut disciplinam fecerint qualibet feriâ sextâ seu pie dominicis.

§ 5. Iis vero, qui expositioni sanctissimi Sacramenti vespere, in qualibet ex dictis sextis feriis, seu in qualibet ex dictis diebus dominicis, ut praefertur faciendae, devote interfuerint, et ut praefertur oraverint, aut corpus suum flagellaverint, seu ut vulgo dicitur disciplinam fecerint, septem annos et totidem quadragenas; illis autem, qui de eorumdem sodalium numero existentium, vel aliorum christifidelium defunctorum corpora ad sepulturam ecclesiasticam associaverint, aut, infirmi vel impediti, audito signo campanae, genuflexi, si per infirmitatem licebit, orationem dominicam et salutationem angelicam pro salute animae defuncti vel corporis infirmi recitaverint, quique congregationibus tam publicis quam privatis ac divinis officiis spiritualibusque colloquiis, exhortationibus et aliis piis officiis, etiam in sodalis seu aliorum christifidelium defunctorum suffragium per praefatam primariam Congregationem ordinandis, et ab ipo Michaële Angelo seu pro tempore existente praeposito seu vicario generali approbandis, ac diebus feriatis missae sacrificio interfuerint, aut vespertino tempore, antequam cubent, conscientiam suam diligenter examinaverint, seu pauperes infirmos tam sodales quam alios in hospitalibus vel privatis domibus necnon carceratos visitaverint, quoties horum quodvis fecerint, unum annum de eis iniunctis vel aliàs quomodolibet debitis poenitentiis apostolicâ auctoritate et tenore similibus etiam misericorditer in Domino relaxamus.

Sodales ubivis locorum possunt consequi praefatas indulgentias.

§ 6. Insuper, ne praefati sodales, si aliquando eos ab ipsâ Urbe abesse vel alibi commorari contingat, huiusmodi indulgentiarum et aliarum gratiarum spiritualium effectu et fructu frustrati remaneant, eisdem sodalibus extra Urbem locorum pro tempore commorantibus, ut in locis, ubi eos pro tempore residere seu morari contigerit, opera praedicta, quae ipsi sodales in Urbe praesentes pro singularum indulgentiarum, remissionum et relaxationum huiusmodi consequutione observare deberent, apud ecclesias eorumdem locorum, aut alibi, prout[1] poterunt, observando et exequendo, omnes easdem indulgentias remissiones et relaxationes habeant, et illae eis pariter suffragentur.

Indulgentiae stationum Urbis visitantibus ec-

§ 7. Necnon tam in Urbe praesentes, quam alibi ubivis locorum commo-

1 Edit. Main. legit *prius* pro *prout* (R. T).

clesiam Societatis ubi adsit, vel aliam quamcumque.

rantes sodales primariae Congregationis huiusmodi, qui singulis quadragesimalibus et aliis anni temporibus a diebus stationum ecclesiarum dictae Urbis, et extra illius muros, quae a christifidelibus pro consequendis indulgentiis et remissionibus visitari solent, dictae Societatis, si ibi fuerit, alioquin aliam ecclesiam seu capellam, in locis, ubi eos pro tempore residere seu morari contigerit, ut praefertur, devote visitaverint, et ibi septies orationem dominicam et septies salutationem angelicam recitaverint, tot et easdem indulgentias consequantur, quas consequerentur, si iisdem temporibus et diebus singulas ecclesias dictae Urbis et extra illius muros huiusmodi pro iisdem stationibus et indulgentiis consequendis deputatas personaliter visitarent, ac omnia et singula, quae pro huiusmodi gratiarum exequutione quomodolibet requiruntur, plene adimplerent;

Facultas pro praeposito seu vicario generali alias congregationes aggregandi.

§ 8. Praeterea eidem Michaëli Angelo, ac pro tempore existenti dictae Societatis praeposito seu vicario generali, ut in quibusvis aliis dictae Societatis domorum professarum et residentiarum extra Urbem praedictam per universum orbem nunc et pro tempore existentibus ecclesiis, pro eorumdem piorum operum incremento, quascumque alias aliorum utriusque sexus christifidelium congregationes sub titulo et denominatione praefatis, quae ab ipsâ primariâ Congregatione, tamquam membra a capite dependeant, auctoritate nostrâ, sine tamen Societatis aut domorum professarum, collegiorum et residentiarum ecclesiarum huiusmodi praeiudicio, erigere et instituere, illasque eidem primariae Congregationi aggregare, ac eis sic erectis, institutis et aggregatis, earumque sodalibus, praedictas ac omnes et quascumque alias indulgentias, peccatorum remissiones, relaxationes, gratias et facultates tam spirituales quam temporales a nobis dictâque Sede primariae Congregationi huiusmodi de cetero concedendas, itaut sodales aliarum congregationum huiusmodi, observantes et exequentes ea quae ipsius primariae Congregationis sodales pro indulgentiis et remissionibus et relaxationibus huiusmodi consequendis observare et exequi debent, easdem indulgentias, peccatorum remissiones et relaxationes pariter consequantur (facultate aggregandi et gratias huiusmodi aliis concedendi dumtaxat exceptâ) communicare; necnon tam primariam quam omnes et singulas ei aggregandas congregationes huiusmodi per se vel alium seu alios eiusdem Societatis presbyteros regulares idoneos ad id ab eo deputandos visitare; et pro earum felici statu, regimine et directione quaecumque statuta, constitutiones et decreta, licita tamen et honesta, sacrisque canonibus ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis et Concilii Tridentini decretis non contraria, necnon ab ipso Michaëlangelo et pro tempore existente dictae Societatis praeposito seu vicario generali, si per alium vel alios deputandos huiusmodi fiant, examinanda et approbanda, edere, ac, postquam edita fuerint, quoties pro eorum et temporum qualitate aut aliàs expediens ei videbitur, immutare, corrigere, moderari et reformare, aut alia ex integro condere libere et licite valeat, eisdem auctoritate apostolicâ et tenore, similiter perpetuo concedimus et indulgemus.

Praesentes litteras non comprehendi sub quibusvis etiam cruciatae sanctae concessionum revocationibus.

§ 9. Decernentes, statuta, constitutiones et decreta huiusmodi, postquam edita, immutata, correcta, moderata, reformata et condita fuerint, ab omnibus sodalibus praedictis inviolabiliter

observari debere, ac praesentes litteras sub quibuscumque similium vel dissimilium indulgentiarum et aliarum gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, et aliis contrariis dispositionibus, etiam in favore basilicae Principis Apostolorum de Urbe, seu Cruciatae sanctae, aut aliàs per nos et alios Romanos Pontifices successores nostros, aut dictam Sedem, etiam motu proprio et consistorialiter, et ex certâ scientiâ et de apostolicae potestatis plenitudine, seu ad quorumvis etiam imperatorum, regum, reginarum, ducum et aliorum principum instantiam pro tempore quomodolibet factis, minime comprehendi, sed semper ab illis excipi, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas ac de novo concessas esse et censeri, necnon omnibus, quoslibet concernunt, suffragari debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogatur.

§ 10. Non obstantibus praemissis, ac nostris et Cancellariae apostolicae regulis de indulgentiis etiam ad instar non concedendis, et clausulis in illis ponendis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut quaevis alia expressio habenda, seu quaelibet alia exquisita et insolita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso[1] et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus etiam pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, latissime et plenissime ac specialiter et expresse harum serie derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Praedictae indulgentiae per modum suffragii applicari possunt.

§ 11. Volumus autem quod praefati sodales dictae primariae Congregationis omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones et relaxationes huiusmodi, ab ipsis ut praefertur consequendas, etiam per modum suffragii pro animabus christifidelium defunctorum, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, applicare possint.

Transumptis adhibeatur fides.

§ 12. Praeterea etiam volumus quod earumdem praesentium transumptis etiam impressis, procuratoris generalis ipsius Societatis vel notarii publici manu[1] et personae alicuius in ecclesiasticâ dignitate constitutae vel pro tempore existentis praepositi aut vicarii generalis eiusdem Societatis sigillo munitis, eadem prorsus fides ubique locorum in iudicio et extra adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, erectionis, institutionis, concessionis, elargitionis, relaxationis, indulti, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXIX, nono kalendas octobris, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 21 septembris 1729, pontif. anno VI.

1 Videtur deesse *subscriptis* (R. T.).

CCLXXXVI.

Infliguntur poenae in depositarios, ministros, etc., qui alienam pecuniam sibi creditam et depositatam fraudant, necnon poenae ultimi supplicii, tam in Urbe quam in toto Statu, subiiciuntur[1].

Benedictus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Alieni aeris et pignorum depositarii et ministri in publicum et privatum fide sibi datâ abutebantur.

§ 1. Iamdudum non sine ingenti dolore aures nostras perturbat frequens rumor de nonnullis in hac almâ Urbe nostrâ alieni aeris et pignorum depositariis, arcariis, custodibus, subcustodibus, exactoribus, rationariis et computorum scriptoribus, aliisque huius generis officialibus et ministris, qui, fide sibi datâ suique muneris commodo nefarie abutentes, ut voluptatibus aliisque execrandis male agendi occasionibus causisque improbe obtemperarent, vitiisque alacrius et liberius indulgerent, rem ac pecuniam sibi creditam, ut depositam inque arcâ servatam pro arbitrio usurpantes, pignora apud se custodita iterum oppignoraverint: quod non solum in Camerae nostrae apostolicae, sed in Montis Pietatis et publicarum ad nummularios pertinentium mensarum, ceterorumque locorum et piorum operum damnum longe gravissimum redundavit, propterea quod infames fraudulenti huiusmodi officiales, qui rem suam decoxerant, omnino impares essent integrandis ac restituendis pecuniis, quas ipsi, proprio vel alieno commodo inservientes, antea pessumdedissent; scientibus, et de compacto cum iis participantibus, doloque operam suam conferentibus rationariis computorum scriptoribus, subscriptoribus, aliisque earumdem mensarum et locorum piorum ministris et officialibus.

Ut actionem criminalem declinent falsa praetextus obtendere consueverunt.

§ 2. Nobis etiam innotuit iam dictos officiales, maximae suae temeritati confisos, ut actionem criminalem vaferrime declinarent, vel saltem sua crimina callide palliarent, seque iustis poenis, in quas incurrissent, pravâ arte subducerent, permultos speciosos et omnino falsos praetextus excogitasse, quibus iudicium impedirent poenasque effugerent, quas ob suas culpas se mereri optimo ipsi agnoscebant.

Iustum in eos iudicium promulgatur.

§ 3. Nos propterea, quibus ex pastorali officio, humilitati nostrae divinitus iniuncto, maxime incumbit invigilare et sollicite providere ne huiusmodi crimina impune committantur, opportunum et necessarium duximus his de rebus sententiam exquirere a nobis speciatim indictae particularis Congregationis nonnullorum huius nostrae Curiae Romanae praesulum, multâ rerum cognitione, integritate et doctrinâ praestantium, quorum saepenumero coram dilecto filio nostro Hannibale tituli S. Clementis presbytero cardinali et S. R. E. camerario congregatorum suffragiis ad nos accurate perlatis undequaque inhaerentes, in huiusmodi fraudulentos ministros acriter insurgendo, ipsumque iuris vigorem etiam acriorem efficiendo, iustum in eos iudicium promulgare decrevimus.

Iuxta constitutionem S. Pii V, tamquam fures et latrones, ultimo supplicio puniendos decernit.

§ 4. Nos ergo, vestigiis decessoris nostri Pii Papae V insistentes, qui prae ceteris in suâ constitutione incipiente *Postquam*, kalendis novembribus anni MDLXX in lucem editâ, decoctores, luxuriose viventes, propriisque absumptis substantiis aliena appetentes, qui variis coloribus grande aes alienum spe resti-

[1] De simili re vide const. Pii V edit. anno MDLXX, die 1 novembris, pontif. V; et aliâ huius Pontificis const. ed. MDCCXXIII, (1726?), pontif. III, nonnulla decreta fuerunt contra gabellarum fraudatores.

tutionis faciendas extorquentes proximo suo illudunt, ceu veros fures et latrones ultimo supplicio puniendos mandavit, hac nostrâ perpetuo observandâ constitutione in quoscumque huius generis deliquentes paribus quoque poenis tamquam in veros fures et latrones animadvertendum esse decernimus, idque effectu ipso omnino fieri volumus et mandamus.

Depositarii vel arcarii aeris publici rem sibi creditam quomodocumque fraudantes, inque proprium vel alienum usum vertentes, ut fures et latrones puniendos statuit.

§ 5. Itaque statuimus et iubemus, ne ullus ex depositariis vel arcariis aeris publici Camerae nostrae apostolicae, et praesertim Depositariae generalis, vectigalium generalium et particularium utriusque annonae frumentariae nimirum et grasciae, vulgo dictae Depositariae urbanae, Montisque Pietatis ac mensae S. Spiritus et Datariae Apostolicae, summam quantulamcumque eiusmodi aeris et pecuniarum in suum vel alienum commodum quovis modo convertere unquam possit, inque usum ab eo diversum transferre, ad quem generatim in iisdem locis tamquam sub tutâ et fideli custodiâ servantur; itaut, si aliquis ex iam dictis depositariis et arcariis hanc legem nostram quomodocumque praevaricatus eamdem pecuniam in usum et comodum proprium vel alienum convertere ausus fuerit, tamquam reprobus et infidelis minister, interque infames et reipublicae proditores connumerandus, damnari et puniri possit ac debeat, ut gravissimi furti et latrocinii reus secundum leges communes et Romanae Urbis Statusque Ecclesiastici edicta contra latrones iam promulgatas, ratione habitâ pecuniarum, quas in suum vel alienum usum et commodum clam et furtive converterit, idque ad easdem regulas in iisdem edictis etiam in furto magno praescriptas fieri debeat, quotiescumque tamen Camera nostra Apostolica, vel quispiam ex locis Piis ac mensis supradictis, et quilibet dominus ac creditor pecuniae vel rei depositae damnum subiisse compertum fuerit. Ubi vero nullum damnum illatum inde fuerit, nihilominus iam dicti depositarii et arcarii inter infames habendi ob culpam infidelitatis, duplicatâ poenâ pecuniariâ summae, quam in suum vel alienum commodum converterint, puniri debeant. Sed praeterea poenis etiam corporalibus gravibus et gravissimis, arbitrio iudicum, cumulate plectantur, ratione habitâ qualitatis et circumstantiarum singulorum casuum et factorum, quas deprehendere contigerit.

Computorum et rationum scriptores Montis Pietatis et mensae Sancti Spiritus quomodo se gerere debeant in mandatis recipiendis, et contrafacientes qua poena puniendi.

§ 6. Similiter volumus, decernimus et iubemus, ne computorum et rationum scriptores Montis Pietatis et mensae S. Spiritus recipere aut recipiendum et solvendum curare vel facere possint quodcumque mandatum vel scriptum illorum qui nullas pecunias re ipsâ ibidem depositas vel servatas habuerint. Si autem habuerint, eadem mandata et scripta recipi et solvi possint pro eâ tantum summâ quae deposita ibidem extiterit. Quod si iam dicti computorum scriptores et rationarii contrafecerint, tunc in eos procedi possit et debeat poenis a nobis in arcarios et depositarios statutis.

Poena in auxiliatores, cooperatores, conscios et participes infidelitatis depositariorum.

§ 7. Praeterea sancimus et declaramus, haec, quae a nobis latâ lege disponuntur, in eos pariter locum habere, qui auxiliatores, cooperatores et quocumque alio modo conscii, complices ac participes infidelitatis eorumdem arcariorum et depositariorum extiterint; qui quidem conscii et complices ac participes, secundum suam complicitatem et participationem in singulis factis et casibus, iisdem poenis omnino puniri debeant, quibus puniendi essent vel punirentur praecipui et principales rei,

eâdem formâ quae statuta reperitur in publicis edictis superius memoratis contra reos cooperatores, auxiliatores, complices et participes olim vulgatis.

Poena in computorum scriptores et rationarios in libris suis non describentes nomina depositorum.

§ 8. Quia vero gravissimum esset crimen infidelitatis ab iis computorum scriptoribus et rationariis commissae, qui, ut facilius pecuniam sub bonâ et publicâ fide sibi creditam et depositam in proprios vel alienos usus converterent vel curarent ut ab aliis converti posset, sive aliâ quacumque de causâ, in consuetis codicibus et libris, ut scripturarum regula ab ipsis pro illorum officio bene exercendo postulat, nomen vel nomina depositorum nequaquam describerent, hac nostrâ paginâ perpetuum robur habiturâ declaramus, decernimus et statuimus, singulos et quoscumque rationarios et computorum scriptores, qui hoc modo in suo officio exercendo peccasse vel factum simile fraudis et infidelitatis commisisse vel committendum curasse comperti fuerint, vel qui, cuiuspiam nominis veritatem [1] describendo, seu minorem summam eâ, quae vere deposita esset [2], tam nostrae Camerae Apostolicae quam alterius cuiuscumque domini et creditoris pecuniae depositae, in codicibus et libris descripsissent, damno inde sequuto vel non sequuto, iudicari et reipsâ puniri debeant ad regulam et gradum poenae pecuniariae et corporalis superius impositae in factis et casibus contra depositarios et arcarios secundum qualitatem et circumstantias eorum inflictis. Ad haec sancimus et statuendo declaramus factum commissionis vel omissionis tamquam dolosum et fraudulentum semper habendum, maloque animo et fine cogitatum, quotiescumque culpae obnoxius contrarium non probaverit et constare curaverit.

Poena in exactores camerales infideles Montis Pietatis et S Spiritus.

§ 9. Ne autem exactores camerales, ii praecipue qui in vectigalibus generalibus et particularibus utriusque annonae frumentariae et grasciae, inque Monte Pietatis et mensâ S. Spiritus pecunias a debitoribus exigere, exactasque principalium dominorum arbitrio servandas deponere debent, fide sibi datâ suique officii commodo abuti, sive aes et pecunias exactas, perque eos non depositas, in suum vel alienum commodum convertere unquam possint, praesentium tenore districte mandamus, ut totas integre et prompte, quemadmodum ex officio tenentur, statim ac per illos exactae fuerint, deponere debeant; decernentes, ut, qui eas non deposuerint, vel in alienos usus pro arbitrio converterint, sequuto inde vel non sequuto damno Camerae nostrae Apostolicae, vectigalium utriusque anonnae, frumentariae nimirum et grasciae, Montis pietatis et mensae S. Spiritus, in singulis casibus severo iudicio iudicentur et puniantur ad legem et normam a nobis decretam et stabilitam contra depositarios, arcarios, rationarios et computorum scriptores ut supra.

Fraudes in custodia pignorum factae quomodo puniendae.

§ 10. Volentes etiam pro nostris viribus impedire, ne fraudes, quae compluries factae fuerunt in custodiâ pignorum Montis pietatis, rursum imposterum fiant et committantur, praesentium tenore iubemus, custodes et subcustodes pignorum eiusdem Montis, aeque ac iudicialium Depositariae Urbanae aestimatorum, subaestimatorum, aliorumque ministrorum, ad servitium pii operis Montis pietatis in memorato officio Depositariae Urbanae electorum, qui fide sibi datâ, commodoque, quod eis proprium munus subministrat, inique abutentes, clam et dolose pignus aliquod

1 Aliqua desunt, vel aliter legendum (R. T.).
2 Ed. Main. legit *essent* (R. T.).

etiam parvi pretii subtraxerint, vel ex unâ custodiâ in aliam transtulerint, priusquam vel postquam oppigneratum fuerit, illudque sibi usurpaverint, vel aliis tradiderint, inque aliâ custodiâ oppigneraverint, vel eius speciem et qualitatem immutaverint, remve oppigneratam confixerint, sive unam pro aliâ describentes dolum et fucum fecerint, fraudemve quamcumque, falsitatem, aliamve similem actionem circa dicta pignora commiserint, ipso facto poenam ultimi supplicii incurrere debeant, nullâ eis excusatione suffragante, etiam parvi pretii et valoris rei in qua delictum commiserint. Iudices vero in poenas ferendo, qualitatem et circumstantias facti rescipient.

Poena in fraudulentos depositarios, syndicos, rationarios et exactores ecclesiasticos.

§ 11. Decet quam maxime, ut prae oculis nostris similiter debitum sollicitudinis habeamus, quod nobis, ut in ceteris, incumbit erga opera et loca pia, quorum nobis ut patri et tutori custodia commissa est. Quare praesentibus nostris volumus et ordinamus ut omnes depositarii, syndici, rationarii et exactores ecclesiarum, capitulorum, collegiorum, domuum, conventuum, monasteriorum regularium utriusque sexus, et cuiuscumque loci et operis pii, vel congregationis, aut capituli, qui, in proprio officio et ministerio exercendo aliquam ex praedictis actionibus et fraudibus committentes, quae damnantur et puniuntur in depositariis, arcariis, rationariis et exactoribus Camerae nostrae Apostolicae, in vectigalibus generalibus et particularibus utriusque annonae frumentariae et grasciae, ac Montis pietatis, mensae S. Spiritus et Depositariae Urbanae commemoratis, quovis modo deliquerint, omnes et singuli iisdem poenis cum suis complicibus omnino subiaceant, quae in eosdem depositarios, arcarios, exactores camerales, aliosque superius nominatos inflictae fuerunt, itaut de utrisque[1] par iudicium feratur iisdem modis et formis[2] quae superius praescriptae fuerunt.

Reis subterfugia eripiuntur.

§ 12. Quia vero zelus iustitiae, quo intus incendimur, nos monet ut has provisiones nostras plenissimo effectui mandandas quamplurimum curemus, nos supradictis reis omnia subterfugia et praetextus eripere decrevimus, quos saepe numero iudicium criminale sagaciter declinaturi vel rigorem poenarum vitaturi studiose conquirunt, malâ et falsâ quarumdam regularum legalium interpretatione freti, quas suis factis pessime aptant. Propterea decernimus et ordinamus ne ullus ex iam dictis depositariis, arcariis, exactoribus, rationariis, syndicis et custodibus, aliisve ex nominatis officialibus et ministris, qui quocumque modo contrafecerit, et quamcumque ex memoratis expresse illicitis, vetitis ac criminosis actionibus commiserit, unquam possit esse vel haberi[3] immunis et liber ab actione criminali, et eo minus excusari in aliquâ parte delicti, neque absolvi aut liberari a quacumque poenâ, sub praetextu cuiusvis securitatis ab eo datae pro indemnitate Camerae nostrae Apostolicae, Montis pietatis, mensae S. Spiritus, vel alterius loci piique operis praedictorum. Nullo pacto etiam ei possit aut debeat suffragari speciosum velamen administrationis, calculorum faciendorum, et rationum non redditarum, similesque emendicatae exceptiones et praetextus, quae omnia frivola, levia, levissima, et nullius vis et momenti esse declaramus tamquam dolo malo delinquentium suggesta et excogitata. Quotiescumque ergo aliquis eiusmodi pecuniam in proprium

1 Edit. Main. legit *utriusque* (R. T.).
2 Ed. Main. habet *formiter* pro *formis* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *habere* (R. T.).

vel alienum usum et commodum convertere ausus fuerit, vel ei solvendum curaverit, qui in Monte pietatis vel in mensâ S. Spiritus nullam antea pecuniam vere deposuerit, quive rei et pecuniae depositae et exactae esse debitor deprehensus fuerit, atque impos compertus rei ablatae statim et sine ullâ morâ restituendae, de eo tamquam de homine infami ac vero latrone iudicabitur, et omnino ad dispositiones edictorum punietur, ut dictum est supra; nullâ ei praedictarum et similium dispositionum ullo pacto suffragante.

Poena in ministros pecuniâ exactâ usos, ac rationarios et computorum scriptores id scientes nec patefacientes.

§ 13. Si aliquis ex supradictis ministris, officialibus, depositariis, arcariis, exactoribus, syndicis, aliisque superius nominatis, debitor extiterit, inque aliquod ex delictis iam expressis inciderit, alienâ pecuniâ depositâ, exactâ, vel in arcâ servatâ pro arbitrio suo usus, rationario et computorum scriptore id sciente, nec praesidi et superiori patefaciente, cui ea omnia patefieri volumus; tunc rationarius, etiamsi facti conscius non fuerit, poenis etiam corporalibus et gravissimis ad qualitatem et circumstantiam facti puniatur, nisi clare et evidenter ostenderit se rem eidem praesidi et superiori antea patefecisse.

Haec constitutio ad totum Statum S. R. E. extenditur.

§ 14. Quia nostra intentio fuit et est praesenti constitutione providendi Camerae nostrae Apostolicae, atque hominum S. R. E. imperio subditorum indemnitati, non tam pro factis in hac nostrâ almâ Urbe imposterum fortasse eventuris, quam pro quibuscumque aliis, quae in toto Statu Ecclesiastico tam mediate quam immediate nobis et huic sanctae Sedi Apostolicae subiecto, comprehensis etiam quatuor S. R. E. legationibus Bononiae, Ferrariae, Romandiolae et Urbini, evenire possint: ideo volumus et decernimus ut haec eadem constitutio nostra in omnibus et singulis suis partibus et dispositionibus [1], inque omnibus et singulis casibus et factis in eâ comprehensis et expressis, locum, robur, vim et vigorem habere et plenae exequutioni mandari debeat etiam extra hanc almam Urbem nostram in omnibus civitatibus et locis Status Ecclesiastici, itaut delinquentes in iisdem quatuor delegationibus severo iudicio iudicentur secundum leges et dicta, quibus in iisdem legibus iudicantur et puniuntur latrones, et ad normam et tenorem praesentis nostrae constitutionis, ut decrevimus et ordinavimus supra.

Haec dispositiones locum habeant contra officiales communitatum.

§ 15. Quandoquidem pariter nostra intentio omnino est ut provisiones hucusque memoratae inque hac almâ Urbe nostrâ, Camerâ Apostolicâ, Monte pietatis, mensis publicis, locis et operibus piis unam eamdemque vim et robur semper obtineant, culpasque, fraudes et damna impedire debeant quae in praeiudicium communitatum totius Status Ecclesiastici committi possunt; hinc nos in casibus et factis congruis mandamus et ordinamus ut omnes et singulae dispositiones superius expressae locum habeant contra exactores, camerarios, depositarios, aliosque ministros et officiales cuiuslibet communitatis nostri Status Ecclesiastici aliamque [2] ex praedictis actionibus et delictis committentes, contra quos propterea iudicari et procedi debeat non auditis neque attentis frivolis exceptionibus et praetextibus superius enumeratis; scilicet eâ formâ et modo quae contra officiales et ministros camerales aliosque superius nominatos praescribuntur.

Poenis iisdem subiiciuntur qui fraudes [illegible] commiserunt.

§ 16. Quamvis ordinamenta et sanctiones praesentibus litteris nostris hactenus recensita contra delinquentes in casibus in posterum eventuris pro-

1 Edit. Main. legit *depositionibus* (R. T.).

2 Videtur legendum *aliquam* (R. T.).

mulgaverimus, non ideo tamen intendimus a debitis poenis iustisque animadversionibus eximere eos rationarios computorum scriptores, arcarios, exactores, custodes, depositarios, syndicos, camerarios, aliosque officiales et ministros iam enunciatos Camerae nostrae Apostolicae, vectigalium generalium et particularium utriusque annonae, frumentariae nimirum et grasciae, Montis pietatis, mensarum publicarum, Datariae Apostolicae, et Depositariae Urbanae, et communitatum Status nostri Ecclesiastici, qui olim quomodocumque aliquam ex supradictis actionibus et fraudibus commisissent, de quibus facta est mentio in omnibus et singulis casibus expressis; volumus enim ut iidem, ob delicta olim commissa, iisdem omnino poenis[1] puniantur, quae secundum leges communes, vel municipales, et edicta locorum et provinciarum contra tales fraudatores et delinquentes inflictae essent.

Harum exequutio iniungitur S. R. E. cardinali Camerario e Thesaurario.

§ 17. Itaque pro omnium et singulorum praemissorum celeri et omnimodâ executione mandamus dilecto filio nostro S. R. E. cardinali camerario, necnon thesaurario generali Camerae nostrae Apostolicae, nunc et pro tempore existentibus, ut contra omnes et singulos praedictos ministros et officiales, qui aliquod ex memoratis delictis in damnum et praeiudicium eiusdem Camerae nostrae Apostolicae directe vel indirecte redundans, illorumque officia respiciens, quoquo modo, ut dictum est supra, commiserint, aut committi et perpetrari curaverint, vel in illorum perpetratione rem et complicitatem aliquam habuerint, cuiuscumque conditionis et qualitatis extiterint, videlicet tam saeculares quam ecclesiasticos, et quomodolibet privilegiatos[2] aut exemptos, ad debitas in eos poenas tam per se quam per suos locumtenentes iudices atque alios arbitrio illorum, prout necessitas casuum exegerit, in partibus etiam delegandos et subdelegandos, procedant, procedique mandent, et iuxta praesentem nostram constitutionem iustitiâ mediante deveniant et deveniri faciant.

Haec constitutio inviolabiliter observetur in Urbe et in toto Statu S. R. E.

§ 18. Iniungimus itidem, pro ulteriori praemissorum implemento, tam huius almae Urbis nostrae gubernatori et Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, ceterisque Urbis iudicibus ad quos de iure spectat, quam[1] omnibus etiam et singulis nostris et Sedis Apostolicae in quibuscumque provinciis, legatis et vicelegatis, necnon quorumcumque civitatum, terrarum, oppidorum et locorum nobis et eidem Sedi tam mediate quam immediate subiectorum gubernatoribus, praetoribus, capitaneis, commissariis, et aliis quibuscumque iudicibus, quavis etiam subdelegatâ potestate fungentibus, ut praesentes nostras inviolabiliter in suis iudiciis observent, necnon contra delinquentes praedictos suae iurisdictioni subiectos ad formam earumdem praesentium omnino procedant, omniaque in eisdem litteris contenta plenariae exequutioni demandent.

Praesentes ab omnibus perpetuo observandae.

§ 19. Postremo decernimus, has litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis nostrae defectu notari, minusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus comprehendi vel illis derogare[2] ullo modo tacite vel expresse unquam posse, nisi de illis earumque totis tenoribus ac datis, de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio et expressio facta fuerit, aliterque factas derogationes nullius roboris et momenti

1 Vocem *poenis* nos addimus (R. T.).
2 Male ed. M. legit *ut* pro *aut* (R. T.).

1 Male ed. Main. legit *quod* pro *quam* (R. T.).
2 Potius lege *derogari* (R. T.).

fore, et tamquam tales a nemine attendi, nec ulli suffragari posse, atque ita per quoscumque iudices, tam ordinarios quam delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. cardinales et de latere legatos, iudicari et definiri debere, sublatâ eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate; decernentes irritum et inane quidquid secus in praemissis, et quolibet praemissorum, atque hac nostrâ constitutione contentorum et statutorum, vel circa ea, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 20. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, legibus, ac Urbis et Romanae Curiae tribunalium, aliarumque curiarum nostri Ecclesiastici Status ac Legationum praedictarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, stylis, consuetudinibus, quas, si quae forent, per praesentes comprobamus[1], nullasque et invalidas esse declaramus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum forsan quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, ad effectum praesentium, illisque aliâs in suo robore permansuris, harum serie specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Hae litterae quando obligare incipiant.

§ 21. Volumus autem, ut, elapsis tribus respective dictae nostrae Urbis, et quindecim diebus respectu totius praedicti nostri Status Ecclesiastici, postquam praesentes valvis ecclesiae Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum eiusdem Urbis et in acie Campiflorae per aliquem ex nostris cursoribus affixae et publicatae fuerint, omnes et singulos, tam in Urbe quam in toto Statu Ecclesiastico et Legationibus existentes[1] perinde obligent et arctent, ac si unicuique eorum personaliter et nominatim intimatae fuissent; utque earum transumptis etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae eisdemmet praesentibus, si exhibitae vel ostensae essent, adhiberetur.

Fides transumptorum.

Nemo hanc paginam infringere audeat.

§ 22. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis, sanctionis, legis, statuti, decreti, declarationis, dispositionis et iussionis infringere, vel ei temerario ausu contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXIXVI, kalendas octobris, pontificatus nostri an. VI.

Dat. die 26 septembris 1729, pontif. anno VI.

CCLXXXVII.

Confirmatur decretum nuperi capituli generalis Ordinis Minorum, quod vocales Indiarum Occidentalium dicti Ordinis, qui Discalceati nuncupantur, frui debeant praemio et praeeminentiis

1 Videtur legendum *reprobamus* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *existentis* (R. T.).

statutis per constitutiones, etsi nonnullae eis desint qualitates [1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Facti expositio et causa, cur a praedicto capitulo decretum praefatum emanaverit.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Emmanuel de Vicuna, definitor et prominister provincialis provinciae S. Didaci in regno Mexicano Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Discalceatorum nuncupatorum, tam suo quam aliorum vocalium, qui ex Indiis Occidentalibus ad capitulum generale dicti Ordinis in civitate Mediolanensi novissime celebratum convenerunt, nomine, quod, cum fratribus Ordinis eorumdem Minorum S. Francisci de Observantiâ etiam nuncupatorum, ex Indiis huiusmodi ad capitula generalia, quae in Europâ peraguntur, accedentibus, per constitutiones ipsius Ordinis privilegia et exemptiones, quibus de iure et consuetudine patres provinciae in eodem Ordine gaudent, tametsi aliquae qualitates ad hoc a dictis constitutionibus requisitae eis ceteroquin deessent, ob longi itineris labores ac discrimina, quae subire debent, concessa reperiantur; ipseque Emmanuel unâ cum ceteris vocalibus praedictis, considerans se quoque et fratres Discalceatos eisdem incommodis ac difficultatibus, quibus illi de Observantiâ subiacent, in accessu ad capitula generalia huiusmodi obnoxios esse, ne diverso ab eis iure, ubi par ratio militat, censerentur, deteriorisque ac illi [2] forent conditionis, preces novissimo capitulo generali praefato porrexisset ad hoc ut praemium fratribus de Observantiâ ex Indiis ad capitula generalia venientibus per dictas constitutiones statutum tunc ac deinceps ad ipsos fratres Discalceatos extenderetur, iisque rationi consonis repertis, emanavit a dicto capitulo generali decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum praedicti capituli generalis.

Convocato definitorio generali die XI iunii, pendentibus adhuc actis capitularibus, et propositis in eo laboribus et periculis, quibus patres vocales Indiarum in tam longo et arduo itinere subiecti fuerunt, idem definitorium statuit et decrevit, ut omnes praefati patres vocales, etsi nonnullae deficiant qualitates pro consequendo praemio statuto a constitutionibus Ordinis venientibus ad capitulum generale praesertim cismontanum, tali praemio ac praeeminentiis frui debere. Datum Mediolani, die XII augusti MDCCXXIX.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Emmanuel praemissa, quo firmius subsistant ac serventur exactius, apostolicae confirmationis patrocinio communiri, et aliàs opportune desuper a nobis provideri summopere desideret: nos, eumdem Emanuelem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius ac ceterorum vocalium supradictorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, cum omnibus et singulis in eo contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae fir-

[1] De confirmatione aliorum decretorum capituli generalis eorumdem fratrum vide aliam huius Pontificis constit. edit. MDCCXXX, die 19 ianuarii, pontif. VI; et Innocentii XIII constit. edit. MDCCXXIII, die 3 iunii, pontif. III, confirmatum fuit decretum alterius capituli generalis eorumdem in perenne grati animi erga Sanctitatis Suae argumentum emanatum.

[2] Edit. Main. legit *illis* (R. T.).

militatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, necnon privilegia et gratias, quibus praedicti fratres de Observantiâ ad capitula generalia exinde venientes iuxta dicti Ordinis constitutiones fruuntur seu frui possunt, ad eosdem fratres Discalceatos, qui deinceps futuris temporibus ex Indiis et capitula generalia huiusmodi accederet[1], auctoritate et tenore praefatis extendimus et ampliamus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, etc. [2]

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis, illiusque provinciarum et conventuum, etiam iuramento, etc. [3]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX septembris MDCCXXIX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 30 septembris 1729, pontif. anno VI.

CCLXXXVIII.

Confirmatur decretum episcoporum et regularium super concessione facultatis praefecto et definitorio generalibus Ordinis fratrum Bethlehemitarum nuncupatorum admittendi aliquos presbyteros saeculares ad habitum et professionem [4].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Causae expositae a praedictis praefecto et assistentibus generalibus dicti Ordinis Congregationi episcoporum et regularium pro obtinendâ praefatâ facultate.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum modernorum praefecti et assistentium generalium Ordinis fratrum Bethlehemitarum nuncupatorum Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod, licet in constitutionibus dicti Ordinis a Sede Apostolicâ confirmatis, cap. II, § 8, expresse dispositum fuisset, ut non possit admitti in eiusmodi religionem ullus qui sit in ordine sacro constitutus, nec capellani, nec ullo alio titulo, neque ullus frater ex tunc admissis et in posterum admittendis ordinari, quia statui sacerdotali non conveniunt manualia ministeria, in quibus exercere se debent fratres praedicti, nihilominus in capitulo generali eiusdem Ordinis celebrato anno MDCCXXI in civitate Limanâ resolutum fuerat per communia suffragia, quod expediret habere in praefato Ordine religiosos, qui deinceps ad sacerdotium promoverentur sub quibusdam tamen conditionibus, quarum quinta erat, quod in quolibet conventu non adessent nisi duo sacerdotes, et in domibus quae matrices existunt tres, ad effectum supplendi in casum obitus in aliis conventibus, haeque[1] et aliae resolutiones, captae[2] in eiusmodi capitulo generali, a nobis confirmatae et approbatae fuerant per binas alias nostras in simili formâ Brevis die IV maii MDCCXXV et die VIII septembris MDCCXXVIII desuper expeditas litteras; et in eâdem expositione subiuncto, quod, ob exiguum numerum religiosorum, qui sint habiles ascendendi ad sacerdotium, ac propter ingentem numerum infirmorum existentium in hospitalibus et conventibus praefati Ordinis, contingere posset, quod praedicti infirmi absque sacramentis decederent; ac proinde ipsorum exponentium nomine eidem Congregationi cardinalium supplicato, ut pro opportuno remedio indulgere, ac impertiri

1 Potius lege *accedent* (R. T.).
2 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).
3 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).
4 De aliis facultatibus ab eodem Pontifice iisdem factis, vide constit. edit. MDCCXXVIII, die 13 septembris, pontif. V.

1 Edit. Main. legit *haecque* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *capto* (R. T.).

vellet perpetuam facultatem praefecto et definitorio generalibus pro tempore existente dicti Ordinis admittendi imposterum ad habitum et professionem quoscumque presbyteros saeculares, et ad sacros ordines in saeculo promotos, qui ad hoc idonei censerentur, dummodo tamen non excederent numerum praefixum in praecitatâ quintâ conditione, cum potestate etiam subdelegandi in casibus necessariis istam facultatem omnibus superioribus localibus dicti Ordinis degentibus in regnis Peruano et Mexicano, et cum expressâ derogatione supradicti cap. II num. VII constitutionum, ubi expresse cavetur, ne presbyteri saeculares et in ordinibus sacris constituti in religionem praefatam admittantur: emanavit ab eâdem Congregatione cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum a praedictâ Congregatione hac super re emanatum.

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S.R.E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentis narratis, referente eminentissimo cardinali Belluga, censuit rescribendum, prout praesentis decreti vigore benigne rescribit, *Pro gratiâ, ut petitur*. Romae, die XXX septembris MDCCXXIX. I. FRANCISCUS card. LERCARI. — A. archiepiscopus PENENSIS secret. *Loco † sigilli*.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut praedicti praefectus et assistentes generales nobis subinde exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et exactius servetur, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, illarumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

§ 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras firmas, etc. [1]. Clausulae.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praemissis, aliisque dicti Ordinis, etiam iuramento, etc. [2]. Contrariorum derogatio.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX septembris MDCCXXX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 30 septembris 1729, pontif. anno VI.

CCLXXXIX.

Extenduntur litterae apostolicae Sanctitatis Suae, aliàs editae, circa tertiariorum de Poenitentiâ, Ordinis sancti Francisci, subiectionem generali et superioribus regularibus Minorum de Observantiâ, ad tertiarios etiam saeculares dicti Tertii Ordinis [3].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Bonaventura Gervasi procurator generalis fratrum Tertii Ordinis S. Francisci, quod, cum ministro generali pro tempore existenti eiusdem Or- Exponuntur causae, ob quas praedicta extensio fieri debeat.

1 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).
2 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).
3 Dictae litterae editae fuerunt MDCCXXV, die 10 decembris, pontif. II.

dinis in vim regulae cap. II, necnon binarum apostolicarum, unius scilicet felicis recordationis Clementis VII, quae incipit *Dum uberes fructus*, *etc.*, idibus martii MDXXVI et alterius recolendae memoriae Pauli III, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, cuius initium est *Ad fructus uberes, etc.*, v nonas iulii MDXLVII, sub plumbo emanatarum, facultas competat per se aliosve superiores subalternos recipiendi in eumdem Ordinem tertiarios, etiam saeculares, sive in propriis domibus degentes, sive collegialiter viventes, quorum aliqui etiamnum reperiuntur, qui ab ipsius ministri generalis directione dependent; idem Bonaventura, ad tollendas quascumque molestias et vexationes, quas non minus tertiarii saeculares huiusmodi, quam minister generalis aliique superiores subalterni praefati sibi inferri posse verentur ab iis locorum Ordinariis qui dictos tertiarios saeculares suae obedientiae subiicere vellent, litteras nostras itidem sub plumbo, anno Incarnationis dominicae MDCCXXV, IV idus decembris, pontificatus nostri anno II, editas, per quas inter alia tertiarii de Poenitentiâ nuncupati directioni, curae et regimini ministri generalis ac superiorum Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ subiiciuntur seu subiecti declarantur, ad tertiarios eiusdem Tertii Ordinis per nos extendi plurimum desiderat, quemadmodum ad tertiarios fratrum etiam Minorum eiusdem sancti Francisci Conventualium et Capuccinorum nuncupatorum, aliorumque Ordinum regularium iam extendimus, praesertim quia dictus Tertius Ordo admissus fuit a memoratis Clemente et Paulo praedecessoribus in enarratis eorum constitutionibus ad participationem privilegiorum quatuor Ordinibus Mendicantibus et nominatim Ordini fratrum Minorum sancti Francisci ab hac sanctâ Sede concessorum, nosque eiusmodi participationem in litteris nostris praefatis confirmavimus, et ad maiorem cautelam denuo concessimus: nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Extensio praefata litterarum eiusdem Sanctitatis Suae ad praedictos tertiarios dicti Tertii Ordinis.

§ 2. Nos igitur, ipsius Bonaventurae votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, cumque specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac litterarum nostrarum praefatarum tenores, et alia quaecumque etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et specificatis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, litteras nostras praedictas, quibus inter alia tertiarii de Poenitentiâ nuncupati directioni, curae et regimini ministri generalis ac superiorum Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum subiiciuntur, seu subiecti declarantur, sicut praemittitur, ad tertiarios etiam saeculares Tertii Ordinis, directioni, curae et regimini pariter subiaceant[1], auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo extendimus et ampliamus.

Clausulae.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apo-

[1] Comma istud videtur legendum *ut directioni ..... subiaceant eorumdem ministri generalis ac superiorum dicti Ordinis.*

stolicis, nec non, quatenus opus sit, dictorum Ordinum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX septembris MDCCXXIX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 30 septembris 1729, pontif. anno VI.

CCXC.

Revocantur et annullantur ordinationes contentae in quibusdam foliis gallico idiomate sub titulo Mandement de monseigneur l'evesque (*de Metz*) qui défend de reciter l'office imprimé sur une feuille volante, etc., *cum prohitione eorumdem foliorum*[2].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Ordinationes in praefatis foliis contentas irritae declarantur.

§ 1. Cum ad apostolatus nostri notitiam pervenisset in vulgus circumferri quaedam folia gallico idiomate typis impressa sub titulo *Mandement de monseigneur l'evesque* (de Metz) *qui défend de reciter l'office imprimé sur une feuille volante, qui commence par ces mots:* die XXV maii in festo S. Gregorii Papae VII et confessor. *donné á Frascati le seiziême du mois d'aoust* 1729: nos quamplures ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, aliosque in sacrâ theologiâ magistros ad illorum examen delegimus, qui, post maturam eorumdem foliorum discussionem, quid sibi eâ super re videretur, nobis retulerunt. Auditis itaque memoratorum cardinalium et in sacrâ theologiâ magistrorum sententiis, de apostolicae potestatis plenitudine, ordinationes in praefatis foliis contentas nullas, inanes, invalidas, irritas, attentatas, nulliusque omnino roboris et momenti esse et perpetuo fore, tenore praesentium declaramus;

Eorum retentio interdicitur.

§ 2. Et nihilominus ad maiorem cautelam, et quatenus opus sit, harum serie revocamus, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII octobris MDCCXXIX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 8 octobris 1729, pontif. anno VI.

CCXCI.

Revocantur et annullantur ordinationes contentae in quibusdam foliis gallico idiomate impressis sub titulo Mandement de monseigneur l'evesque de Montpellier, portant condamnation d'une feuille imprimée contenant un prétendu Office pour la fête de Grégoire VII, etc., *cum prohibitione eorumdem foliorum*[2].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Ordinationes in praefatis foliis contentae, irritae declarantur.

§ 1. Dum nobis innotuisset in vulgus circumferri quaedam folia gallico idiomate typis impressa sub titulo, *Mandement de monseigneur l'evesque de Montpellier, portant condamnation d'une feuille imprimée contenant un prétendu office pour la fête de Grégoire VII, donné à Montepellier le 30 juillet* 1729, quamplures ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus aliosque in sacrâ theologiâ magistros ad illorum examen delegimus, qui, post maturam eorumdem foliorum discussionem, quid sibi eâ super re videretur,

1 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

2 Similis revocatio et annullatio quarumdam ordinationum episcopi Antissiodunensis facta fuit aliâ huius Pontificis const. edit. MDCCXXIX, die 17 septembris, pontif. VI.

1 Reliqua ut supra pag. 841 *a* et *b* (R. T.).

2 De revocatione similium ordinationum super eâdem re ab episcopo Metensi factarum, vide praecedentem.

nobis retulerunt. Auditis itaque memoratorum cardinalium et in sacrâ theologiâ magistrorum sententiis, de apostolicae potestatis plenitudine, ordinationes in praefatis foliis contentas nullas, inanes, invalidas, irritas, attentatas, nulliusque omnino roboris et momenti esse et perpetuo fore, tenore praesentium declaramus.

Eorum retentio interdicitur.

§ 2. Et nihilominus ad maiorem cautelam, et quatenus opus sit, harum serie revocamus, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI decembris MDCCXXIX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 6 decembris 1729, pontif. anno VI.

CCXCII.

Prohibetur fratribus Ordinis S. Ioannis Dei procurare vel admittere favores extra eumdem Ordinem pro consecutione dignitatum et officiorum, etc.[2].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio facti et causae ad hanc constitutionem edendam.

§ 1. Exponi nobis super fecit dilectus filius prior generalis fratrum Ordinis S. Ioannis Dei, quod, licet tam per eiusdem Ordinis, apostolicasque constitutiones, quam per alias nostras in simili formâ Brevis pro bono ipsius Ordinis regimine die XVII septembris MDCCXXV expeditas litteras, fratribus praedictis quoscumque extra eumdem Ordinem favores pro dignitatibus et officiis in eo assequendis procurare vel admittere sub gravissimis etiam excommunicationis latae sententiae poenis prohibitum fuerit, nihilominus ipse prior generalis veretur ne occasione proximi capituli generalis eiusdem Ordinis aliqui ex dictis fratribus aeternae suae salutis immemores, ac caecâ ambitione honorumque cupiditate obrepti, ad eiusmodi vetitos favores recurrere praesumant, unde libertas praedicti capituli generalis ac religiosa ipsius Ordinis tranquillitas providumque gubernium non mediocre acciperet detrimentum. Quare dictus prior generalis nobis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Prohibitio praedicta.

§ 2. Nos igitur, ipsius prioris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnibus et singulis dicti Ordinis fratribus nunc et pro tempore existentibus, ne, occasione proximi seu alterius deinceps celebrandi capituli generalis eiusdem Ordinis, electionumque in eo faciendarum, favores, preces vel commendationes extra Ordinem praefatum pro consecutione alicuius dignitatis seu officii quoque modo procurare, deferre vel recipere et admittere audeant seu praesumant, sub poenâ privationis vocis activae et passivae necnon voti sive suffragii quod in eodem capitulo generali haberent, eo ipso absque aliâ declaratione per contravenientes incurrendâ praeter et ultra alias poenas adversus similia perpetrantes in memoratis Ordinis et apostolicis constitutionibus

1 Reliqua ut supra pag. 841 *a* et *b* (R. T.).
2 Aliâ huius Pontificis const. ed. MDCCXXV, die VII septembris, pontif. II, nonnulla statuta fuerunt pro bono eiusdem Ordinis regimine, et Clementis XII const. ed. MDCCXXXII, die I octobris, pontif. III, revocantur nonnulla privilegia personalia iisdem fratribus aliàs concessa.

nostrisque litteris contentas et expressas, quas salvas et firmas esse volumus, auctoritate apostolicâ harum serie prohibemus et interdicimus. Dantes definitorio eiusdem capituli generalis plenam ac liberam facultatem excludendi ab eiusmodi voto sive suffragio in ipso capitulo generali ferendo quotquot hanc nostram prohibitionem quomodolibet transgressos fuisse compererit;

Clausulae.

§ 3. Ac decernentes, easdem praesentes litteras, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab[1] illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis etc.[2]

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus, constitutionibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, etc.[3]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII decembris MDCCXXIX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 12 decembris 1729, pontif. anno VI.

CCXCIII.

Declarantur nulla edicta aliaque gesta per magistratus seu officiales et ministros saeculares adversus decretum extensionis S. Gregorii Papae VII ad universos christifideles, qui ad Horas canonicas tenentur a SS. D. N. Benedicto XIII nuper editum, cum illorum omnium revocatione, cassatione et abolitione[4].

1 Praeposit. *ab* nos addimus (R. T.).
2 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).
3 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).
4 Aliâ huius Pontificis const. ed. MDCCXXIX, die VI decembris, pontif. VI, revocatae fuerunt et annullatae quaedam ordinationes super eâdem re episcopi Montispessulani.

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Nonnulla edicta a ministris saecularibus adversus praedictum decretum emanata narrantur.

§ 1. Cum ad aures nostras pervenerit, nonnullos magistratus seu officiales et ministros saeculares quibusdam edictis, decretis, senatusconsultis, praeceptis, mandatis, aut id genus, aliisve quocumque nomine nuncupatis ordinationibus seu provisionibus adversus decretum extensionis ad universos christifideles, qui ad Horas canonicas tenentur, officii S. Gregorii Papae VII quod prius ex indultis felicis recordationis Pauli V, Clementis X, Alexandri VIII et Clementis XI Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum in pluribus iam christiani orbis ecclesiis passim recitabatur, atque publice et solemniter celebrabatur, a nobis ad augendum cultum *S. Pontificis et confessoris*, qui in extirpandis erroribus, ecclesiasticâ disciplinâ restituendâ et instaurandâ, corruptisque moribus reformandis strenue ac indefesse elaboravit novissime editum, insurrexisse:

Declaratio nullitatis praedictorum.

§ 2. Hinc est quod nos, ex debito pastoralis officii, quod humilitati nostrae, meritis licet et viribus longe impari, commisit divina dignatio, nostram et ecclesiasticam auctoritatem a perniciosis huiusmodi laicorum conatibus illaesam et illibatam tueri et conservare volentes, necnon omnium et singulorum, quae in praemissis seu eorum occasione quovis modo acta et gesta fuerunt, seriem, aliave quaecumque etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et exacte specificatis habentes, de quamplurium venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium consilio, edicta, decreta, senatusconsulta, praecepta, mandata et quasvis alias quocumque nomine nuncupatas ordinationes sive provisiones per

magistratus, etiam supremos, seu officiales et ministros saeculares, aut aliàs a quacumque laicali potestate, eiusque nomine, adversus decretum extensionis officii eiusdem S. Gregorii Papae VII, per nos sicut praemittitur editum, quomodocumque et ubicumque promulgata et promulgatas, ac quaevis alia in praemissis seu eorum occasione quomodolibet acta, gesta et ordinata, cum omnibus et singulis inde secutis et forsan quandocumque secuturis, penitus et omnino nulla, inania, invalida, irrita et de facto praesumpta, nulliusque prorsus roboris et momenti esse et perpetuo fore, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, declaramus.

Abolitio et revocatio eorumdem.

§ 3. Et nihilominus ad maiorem cautelam, et, quatenus opus sit, illa omnia et singula harum serie itidem perpetuo revocamus, cassamus, irritamus, annullamus et abolemus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac pro revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis et abolitis, viribusque et effectu penitus et omnino vacuis semper haberi volumus, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E praefatae cardinales, etiam de latere legatos, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Mandatur publicatio harum litterarum.

§ 4. Ut autem eaedem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, ac pariter decernimus ut illae ad valvas basilicae Principis Apostolorum ac Cancellariae Apostolicae, curiaeque generalis in Monte Citatorio, et in acie Campiflorae de Urbe per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur, et sic publicatae, omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatae et intimatae fuissent;

Fides habenda transumptis.

§ 5. Utque ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX decembris MDCCXXIX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 19 decembris 1729, pontif. anno VI.

CCXCIV.

Indicitur beatificatio servi Dei Petri Forerii de Mataincuria *sacerdotis Lotharingi, reformatoris Congregationis* Salvatoris nostri *nuncupatae, Ordinis canonicorum regularium sancti Augustini*[2].

Benedictus Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Laudemus viros gloriosos, qui in conversatione gentis, non secundum carnem ambulantes, sed spiritu facta carnis mortificantes, non solum semetipsos ac voluntatem suam cum omnibus terrenis desideriis abnegarunt, atque sub suavi regularis disciplinae iugo obtulerunt Deo in holocaustum, verum, diffusâ in cordibus suis charitate, non minus de alienâ quam de propriâ salute solliciti,

1 Reliqua ut pag. 726 *a* (R. T.).

2 Aliâ huius Pontificis constit. edit. MDCCXXIX, die 12 martii, pontif. V, indicta fuit beatificatio servi Dei Fidelis a Sigmaringa.

viam mandatorum Domini ac christianae perfectionis semitam, in qua direxerant gressus suos, christifideles verbo et exemplo saluberrimisque praeceptis et institutis constanter sectari ac tuto decurrere edocuerunt, feliciterque confecto mortalis huius aevi stadio aeternam repromissionem ac iustitiae coronam in caelestis Hierusalem stabilitate accipere meruerunt.

Laudes praedicti servi Dei.

§ 1. Quos inter cum longe lateque refulserit Dei servus Petrus Forerius de Mataincuria sacerdos Lotharingus, praepositus generalis et reformator Congregationis Salvatoris nostri nuncupatae Ordinis canonicorum regularium sancti Augustini, necnon institutor monialium Congregationis sub titulo Dominae nostrae ac regulâ eiusdem S. Augustini, dignâ tanti parentis sobole, quae, quasi arcus refulgens inter nebulas et quasi flos rosarum in diebus vernis, Ecclesiam nominis sui celebritate ac spiritualium aromatum odore implevit, apostolici ministerii, quod viribus licet et meritis longe impares divinâ dignatione gerimus, ratio postulat, ut illius cultui et venerationi in terris ad Dei laudem, ipsius Ecclesiae decus, spiritualemque populi christiani aedificationem, potestate nobis a Domino traditâ, consulamus.

A Congregatione Rituum ad illius beatificationem deveniri posse de more decretum est.

§ 2. Quum itaque, mature diligenterque discussis atque perpensis, per Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum, processibus de Apostolicae Sedis licentiâ rite et recte confectis super vitae sanctitate et virtutibus heroicis, quibus idem servus Dei Petrus Forerius multipliciter claruisse, necnon miraculis, quae ad eius intercessionem et ad manifestandam hominibus illius sanctitatem a Deo patrata fuisse asserebantur; et subinde auditis per nos de more eorumdem cardinalium, ac etiam huius Congregationis consultorum suffragiis, assiduisque ac humilibus precibus, implorato prius superni luminis auxilio, aliàs decreverimus praedictum servum Dei Beatum cum solitis indultis declarare:

Indulgentur quaedam ad eiusdem cultum.

§ 3. Hinc est quod nos, piis atque enixis carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum catholici et Romanorum regis in imperatorem electi, ac dilecti filii nobis iuvenis Francisci Lotharingiae et Barri ducis, et dilectae pariter in Christo filiae nobilis mulieris Carolae Elisabethae a Franciâ Lotharingiae itidem et Barri ducissae, viduae, necnon venerabilium fratrum episcoporum Tullensis et Virduensis, dilectorumque filiorum totius cleri et populi ducatuum Lotharingiae et Barri huiusmodi, ac universi Ordinis canonicorum regularium sancti Augustini, praecipue vero dictae Congregationis Salvatoris nostri, ac insuper monialium memoratae Congregationis sub titulo Dominae nostrae, supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis paternâ benignitate annuentes, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, indulgemus ut idem servus Dei Petrus Forerius in posterum Beati nomine nuncupetur, eiusque corpus et reliquiae venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferenda) exponantur; imagines quoque radiis seu splendoribus exornentur, ac de eo recitetur officium et missa celebretur de Confessore non Pontifice singulis annis iuxta rubricas breviarii et missalis romani, die VII iulii, cum dies IX decembris, qua ipse servus Dei spiritum Creatori reddidit, et aliae plures illam subsequentes, ut notum est, impeditae reperiantur. Porro recitationem officii ac missae celebrationem huiusmodi fieri concedimus in locis dumtaxat infrascriptis, videlicet in oppido Miraecuriae

Tullonensis dioecesis, in quo dictus servus Dei natus est, in monasterio seu abbatiâ de Calmusiaco, *Callice Chaumouseii*, ubi habitum praefati Ordinis canonicorum regularium suscepit professionemque regularem emisit, in oppidis Mataincuriae eiusdem Tullensis dioecesis, in quo curam animarum obivit eiusque venerabile corpus requiescit seu depositum reperitur, et Gratii in comitatu Burgundiae, unde ad caelos evolavit, et ubi cor illius asservatur, ac Lunvillae, ubi prima susceptae reformationis fundamenta iecit, ab omnibus utriusque sexus christifidelibus tam saecularibus quam regularibus, qui ad Horas canonicas tenentur, necnon in universâ Congregatione Salvatoris nostri, ac ecclesiis sive capellis vel oratoriis Congregationis monialium sub titulo Dominae nostrae, quas idem Dei servus reformavit, ac respective instituit, sicut praemittitur; et, quantum ad missas attinet, etiam ab omnibus presbyteris ad ecclesias, in quibus festum peragetur, confluentibus. Praeterea, primo dumtaxat anno a datis hisce litteris, et, quoad Indias, a die quo eaedem litterae illuc pervenerint, inchoando, in ecclesiis oppidorum monasterii seu abbatiae ac utriusque Congregationis huiusmodi solemnia beatificationis ipsius servi Dei, cum officio et missâ sub ritu duplici maiori, die ab Ordinariis gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentibus respective constitutâ, postquam tamen in basilicâ Principis Apostolorum de Urbe celebrata fuerint eadem solemnia, pro qua re diem XXIX currentis mensis ianuarii assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem.

Clausulae. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis. § 5. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu secretarii supradictae Congregationis cardinalium subscriptis, et sigillo praefecti seu propraefecti eiusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus et ubique tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die X ianuarii MDCCXXX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 10[1] ianuarii 1730, pontif. anno VI.

CCXCV.

Confirmatur decretum Congregationis episcoporum et regularium super augmento vocalium provinciae S. Didaci Mexicanae Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Discalceatorum[2].

Benedictus Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Expositio facti et causae cur Congregatio praedicta praefatum decretum ediderit. § 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum Iosephi de Messa et Emmanuelis de Vicunna, fratrum expresse professorum ac procuratorum provinciae S. Didaci Mexicanae Ordinis[3] Minorum sancti Francisci de Observantiâ Discalceatorum nuncupatorum, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum exposito, quod aliàs, consideratâ exiguitate numeri guardianorum dictae

1 Edit. Main. ad marg. habet *24* (R. T.).

2 Aliâ huius Pontificis constit. edit. MDCCXXIX, die 30 septembris, pontif. VI, confirmatum fuit quoddam decretum in favorem vocalium Indiarum Occidentalium.

3 Edit. Main. legit *Ordinum* (R. T.).

provinciae, ne propter paucitatem illius vocalium, ac divisionem et alternativam in eâ vigentem officiorum inter duas nationes Hispaniarum et Indicam, quibus eadem provincia constat, libertas in electionibus coarctata foret, vigore facultatis condendi propria et particularia statuta fratribus praefatae provinciae a Sede Apostolicâ attributae, per quamdam constitutionem eiusdem provinciae cap. IX, § 11, num. 11 ordinatum fuerat, quod in capitulis provincialibus, praeter et ultra vocales definitorii et guardianos, votum sive suffragium haberent qui fuerat custos in ultimo capitulo generali dicti Ordinis ac praesidentes conventuum[1] S. Didaci Mexicani, S. Barbarae de la Puebla, S. Mariae de Ocholoposco, secretarius ipsius provinciae, si guardianatu perfunctus fuisset, concionatores conventuales praefatorum Mexicani et de la Pueble aliorumque dictae provinciae conventuum, S. Francisci de Oaxacâ, eiusdem S. Francisci de Pachuca, et S. Antonii oppidi civitatis nuncupatae de Queretaro, ac demum lector, qui lecturam quindecim annorum in capitulo provinciali pro tempore celebrando explevisset, pro illâ vice tantum, et aliàs prout in dictâ constitutione uberius dicebatur contineri: et in eâdem expositione subiuncto, quod fratres provinciae praefatae tam enarratam constitutionem, quam facultatem, quam habebant, quaeque in viridi observantia erat, concedendi ac tribuendi votum seu suffragium huiusmodi quibusdam ipsius provinciae officiis, ubi id necessitas aut utilitas dictae provinciae exigeret, illudque revocandi quoties aucto guardianorum praedictorum numero cessaret ratio talis concessionis voti seu suffragii, per Sedem Apostolicam confirmari cuperent; quandoquidem causa finalis augmenti vocalium non alia foret quam libertas electionis, quae deesset si electio ad paucos vocales restringeretur, cum iuxta alias dictae provinciae constitutiones definitores provinciales eligendi sint ex gremio ipsius capituli provincialis, eo quod electio fieri debeat alternative inter duas memoratas nationes, inter quas officia ac vota, servatâ debitâ proportione, divisa reperiuntur, ita ut, quo amplior esset numerus capitularium, ex quorum gremio seu corpore electiones faciendae veniebant, eo maior foret libertas electionum, eoque facilius apti et idonei officiales deligi et assumi valerent: emanavit ab eâdem Congregatione cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

1 Ed. M. legit *conventum* pro *conventuum* (R. T.).

Decretum praefatae Congregationis.

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, ad quam sanctissimus dominus noster instantiam remisit, auditâ relatione patris procuratoris generalis, et attento suffragio eminentissimi Corsini eiusdem Ordinis oratoris apud Sanctam Sedem protectoris, referente eminentissimo Belluga ponente, censuit rescribendum, prout praesentis decreti vigore rescribit et decernit, ut imposterum in capitulis provincialibus provinciae oratricis, iuxta constitutiones provinciae, ultra definitorium et guardianos, habeant ius interveniendi ac suffragium ferendi custos, qui fuit in immediato capitulo generali, praesidentes conventuum S. Didaci Mexici, S. Barbarae de la Puebla, S. Mariae de Ocholaposco, secretarius provinciae qui aliquam guardianiam exercuit, necnon concionator conventualis Mexici, de la Puebla, S. Francisci de Oaxaca, S. Francisci de Pachuca, S. Antonii Gueretatis, necnon lector qui in eo capitulo complevit quindecim annos lecturae, sed pro eâ vice tantum; ita tamen ut provincia hunc[1] numerum vocalium sub praetextu cuiuslibet

1 Edit. Main. legit *hanc* pro *hunc* (R. T.).

facultatis augere non possit, et quoties novi conventus in eâ provinciâ fundentur, iuxta numerum quo fundentur, supra relatis novis vocalibus demantur suffragia, incipiendo a praesidentibus conventuum, et deinde a praedicatoribus, servato inter ipsos ordine inferioritatis. Romae, xxx septembris MDCCXXIX. F. cardinalis LERCARI. *Loco † sigilli.* — A. archiepiscopus PERENSIS secretarius.

Confirmatio relati decreti.

§ 2. Cum autem, sicut praedicti Iosephus et Emmanuel nobis subinde exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desiderent: nos, ipsos Iosephum et Emmanuelem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae Congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, etc. [1]

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ordinis, provinciae et conventuum praefatorum, etiam iuramento, etc. [2]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII ianuarii MDCCXXX, pontificatus nostri anno VI.

Dat die 13 ianuarii 1730, pontif. anno VI.

1 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).
2 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

CCXCVI.

Confirmantur decreta duo capituli generalis Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ super moderatione Brevis Clementis XI circa praemium conferendum lectoribus linguae hebraicae et controversiarum familiae cismontanae [1].

Benedictus Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Iosephus Maria ab Ebora expresse professus ac commissarius curiae Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, quod in capitulo generali eiusdem Ordinis novissime celebrato duo decreta super moderatione praemii conferendi lectoribus linguae hebraicae et controversiarum familiae cismontanae dicti Ordinis edita, ac subinde per nos approbata fuerunt, tenoris qui sequitur, videlicet: Expositio facti.

Decreta praedicta.

In nupero capitulo generali Mediolani celebrato die IV iunii MDCCXXIX, inter alia quae ibi pro cismontanâ familiâ statuta sunt et deinde Romae a sanctissimo domino nostro Benedicto Papa XIII confirmata, inveniuntur duo decreta sub numero XXXI et XXXII tenoris sequentis: — Propositâ ex facultate sanctissimi domini nostri moderatione Brevis Clementis XI super praemio conferendo lectoribus linguae hebraicae, definitorium generale censuit, si Sanctitati Suae placuerit, quod si huiusmodi lectores

1 De confirmatione alterius decreti eiusdem capituli pro praerogativis vocalium Indiarum Occidentalium vide aliam huius Pontificis const. edit. MDCCXXIX, die 30 septembris, pontif. VI.

iam acquisierint graduationem inter exdefinitores, connumerentur completo octavo anno inter excustodes: si autem aliâ graduatione non gaudeant, solum inter exdefinitores locum habeant: — Quantum ad lectores controversiarum, definitorium generale censuit, si Sanctissimo placuerit, quod, si non fuerint lectores iubilati, legant per duodennium, eoque completo, gaudeant privilegio lectorum iubilatorum; si vero fuerint iubilati, legant per sexennium, et postea connumerentur inter patres provinciae, seu inter lectores iubilatos de numero, quoad praecedentiam dumtaxat, sine iure subrogandi.

Confirmatio relatorum decretorum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ipse Iosephus Maria, quo praemissa firmius subsistant et exactius serventur, opportune a nobis provideri plurimum desideret: nos, eumdem Iosephum Mariam specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decreta praeinserta iam per nos approbata, ut praefertur, auctoritate nostrâ apostolica, tenore praesentium, denuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, dictâ auctoritate supplemus.

[illegible]

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, etc. [1]

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, dicti Ordinis, aliisque quibusvis, etiam iuramento, etc. [1]

Fides habenda transumptis.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, etc. [2]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX ianuarii MDCCXXX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 19 ianuarii 1730, pontif. anno VI.

CCXCVII.

Confirmantur quaedam litterae sive constitutiones apostolicae pro statu et bono regimine provinciae Mexicanae S. Didaci strictioris regularis observantiae Discalceatorum sancti Francisci in Indiis Occidentalibus [3].

Benedictus Papa XIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Debitum pastoralis officii, quo Ecclesiae catholicae adstringimur, nos admonet, ut, paternam christifidelium divinis obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatorum curam gerentes, ea quae pro felici prosperoque eorum statu et regimine a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris provide constituta esse noscuntur, ut firma et illibata persistant, apostolici muniminis nostri praesidio libenter, cum id a nobis petitur, roboremus.

Expositio facti.

§ 1. Cum itaque, sicut dilecti filii Iosephus de Massa et Emmanuel de Vicunna, fratres expresse professi ac procuratores provinciae S. Didaci Mexicanae in Indiis, sive Novâ Hispaniâ, Ordinis

1 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).

1 Ut supra pag. 471 *a* (R. T.).
2 Ut supra pag. 72 *b* (R. T.).
3 Praedictae litterae, inferius citantur: et aliâ huius Pontificis const. edit. MDCCXXX, die 13 ianuarii, pontif. VI, confirmatum fuit quoddam decretum capituli generalis pro augmento vocalium fratrum eiusdem provinciae.

Minorum sancti Francisci de Observantiâ Excalceatorum nuncupatorum, nobis nuper exponi fecerunt, plures litterae sive constitutiones apostolicae diversis temporibus pro salubri praefatorum Ordinis et provinciae directione emanaverint, nempe binae felicis recordationis Pauli V, die XIX aprilis MDCXVIII, quarum initium est *Aliàs a felicis recordationis, etc.*, et *Dudum a felicis recordationis, etc.*, super erectione dictae provinciae, ac respective privilegiis et statutis fratrum dicti Ordinis, altera Urbani VIII, die XXII septembris MDCXLII, incipiens *Aliàs pro felici, etc.*, quibus eiusmodi privilegia confirmantur et statuta declarantur, necnon aliae Clementis X, die XIX iunii MDCLXXIV, quae incipiunt *Nuper in Congregatione, etc.*, ac reliquae[1] Clementis XI Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum die XXIV novembris MDCCII, quarum pariter initium est *Aliàs a felicis recordationis, etc.*, circa quasdam super praecedentiâ aliasque controversias editae; fratres eiusdem provinciae magnam difficultatem agnoscentes recurrendi ad Sanctam Sedem, ubi aliqua in dictâ provinciâ quaestio aut controversia incidit aliave occurrit necessitas, propter nimiam regni Mexicani a Curiâ Romanâ distantiam, simulque exactiorem eiusmodi litterarum sive constitutionum apostolicarum observantiam enixe exoptantes, ad hoc etiam ut in posterum tollatur quaelibet occasio litium ac perturbationis in dictâ provinciâ, quae regularem disciplinam evertere, mutuamque charitatem inter illius fratres diminuere, ac fervorem spiritus restinguere saepe solent, litteras seu constitutiones praefatas apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desiderent: nobis propterea praedicti Iosephus et Emmanuel humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio praedictarum litterarum seu constitutionum apostolicarum.

§ 2. Nos igitur, ipsos Iosephum et Emmanuelem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, illorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui dilectum filium procuratorem generalem dicti Ordinis, necnon venerabilis fratris nostri Laurentii episcopi Tusculani ipsius S. R. E. presbyteri cardinalis Corsini nuncupati, eiusdem Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, suffragium desuper audierunt, et ad relationem dilecti filii nostri Ludovici pariter S. R. E. presbyteri cardinales Belluga et Moncada nuncupati, eisdem[1] cardinalibus factam, rem universam mature discusserunt, consilio, memoratas litteras seu constitutiones Pauli V, Urbani VIII, Clementis X, Clementis XI praedecessorum nostrorum, sicut praemittitur, emanatas, omniaque et singula in eis contenta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur, vim et efficaciam adiungimus.

1 Edit. Main. legit *reliqui* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *eiusdem* (R. T.).

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, etc.[1]

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praefatorum Ordinis et provinciae illiusque conventuum, etiam iuramento, etc.[2]

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxv ianuarii MDCCXXX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 25 ianuarii 1730, pontif. anno VI.

CCXCVIII.

Abrogatur decretum nuperi capituli generalis Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo, ac mandatur observatio ordinationum aliorum capitulorum generalium et statutorum provinciae Castellae circa doctrinam Angelici pro dictâ provinciâ[3].

Benedictus Papa XIII, ad futuram rei memoriam.

Expositio facti. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Franciscus Montiel de Fuentenobilla et Iulianus Berocal, fratres expresse professi ac expriores provinciales provinciae Castellae Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo in sacrâ theologia magistri, necnon Officii Inquisitionis adversus haereticam pravitatem in regnis Hispaniarum apostolicâ auctoritate instituti qualificatores, quod in Congregatione definitorii capituli generalis eiusdem Ordinis novissime, scilicet an. MDCCXXVIII, in civitate nostrâ Ferrariensi celebrati, emanavit, ad instantiam tunc existentis prioris provincialis dictae provinciae, quoddam decretum, quo declaratur licitum fore fratribus ipsius provinciae Castellae sententiam sequi cuiuslibet approbati doctoris, praesertim vero quondam Ioannis de Baccone, dum viveret, fratris expresse pariter professi Ordinis praefati, et aliàs, prout in dicto decreto, cuius tenorem praesentibus pro expresso et ad verbum inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, decretum huiusmodi non solum adversetur generalibus et communibus universi Ordinis praedicti constitutionibus in favorem doctrinae angelici doctoris S. Thomae Aquinatis dudum antea editis, tum in illius capitulo generali anno MDXCIII in civitate Cremonensi habito, in quo, cap. X, n. X, diserte iniungitur regentibus studiorum ipsius Ordinis, ut doctrinam ac methodum eiusdem divi Thomae tam in philosophiâ quam in theologiâ profiteri debeant, tum in aliis comitiis generalibus dicti Ordinis in almâ Urbe nostrâ anno MDCCIV peractis, ubi novâ sanctione, cui apostolicae etiam confirmationis pondus accessit, iterum cautum fuit, quod alumni memorati Ordinis eamdem divi Thomae doctrinam amplecterentur, verum etiam averteret atque convelleret proprias ac peculiares constitutiones et ordinationes praefatae provinciae Castellae, quibus anno MDXCV tunc in humanis agens Ioannes Stephanus de Chissola, prior generalis dicti Ordinis, in actu visitationis provinciarum Hispaniarum eiusdem Ordinis, non tam sua ordinariâ quam apostólicâ auctoritate et a felicis recordationis Clemente Papa VIII praedecessore nostro concessâ, regentibus studiorum ipsius provinciae Castellae doctrinam et methodum eiusmodi sectari expresse mandavit, ac insuper plane destrueret particulare dictae provinciae Castellae statutum in capitulo provin- Causae abrogandi praefati decreti.

1 Ut supra pag. 471 a (n. T.).
2 Ut supra pag. 471 a (n. T.)
3 De laudibus doctrinae Ss. Augustini et doctoris angelici divi Thomae Aquinatis, vide aliam huius Pontificis const. edit. MDCCXXIV, die 6 novembris, pontif. I.

ciali anno MDCLXXXVIII in civitate Abulensi coacto non minus mature quam solemniter desuper conditum, cum nimirum fratres provinciae Castellae praefatae insimul congregati, secumque animo reputantes dissidia et contentiones, quae ex diversitate doctrinae ac varietate opinionum passim oriebantur, quo religionis suae honori studiorumque ipsius provinciae Castellae utilitati consultum foret, post rem diu diligenterque discussam, et auditis circa unius doctrinae prae aliâ delectum eiusdem provinciae in sacrâ theologiâ magistris, ad eum gradum in universitatibus studiorum generalium Salmanticensi, Complutensi et Vallisoletani promotis, cathedrasque ibidem regentibus, unanimi omnium assensu, nemineque contradicente aut reclamante, sed uno ore ac corde decreverunt, ut omnes lectores et magistri, sive intra collegia dictae provinciae, sive extra in universitatibus studiorum generalium huiusmodi, sub poenâ privationis lecturae ac cathedrae irremissibiliter ipso facto incurrendâ, non aliam quam ipsius Angelici praeceptoris et communis magistri divi Thomae doctrinam docerent et defenderent; hisque accedat quod ampla illa liberaque sentiendi et opinandi facultas, quae per enarratum definitorii nuperi capituli generalis decretum alumnis[1] dictae provinciae Castellae tribuitur, plurima eidem provinciae damna afferret, multiplicesque inter illius fratres turbas ac dissensiones excitaret, et vel maxime studiosis, rectoque studiorum ipsorum Ordinis noxia et perniciosa foret, quandoquidem exinde alumni praefati ad desideria sua coacervare sibi magistros, ac omni vento doctrinae circumferri libere possent, sicque in varias abeuntes[2] sententias invicem discreparent, atque non sine mutuae charitatis detrimento iugiter decertarent, facileque evenire posset quod ipsi studentes contrariam in sacrâ theologiâ, quam in philosophiâ addiscendâ apprehenderant, opinionem edocerentur, quinimo in unâ eâdemque scientiâ iuxta diversam magistrorum pro tempore edocentium doctrinam in varias quoque opiniones traherentur: exponentes praedicti, haec et alia non minora mala ex eiusmodi decreto proventura considerantes, ut eiusdem provinciae Castellae quieti, tranquillitati ac decori ipsius fratrum et praecipue studentium concordiae et progressui prospectum sit, sublato eiusmodi decreto, unam certamque eiusdem Angelici doctoris, clarissimi Ecclesiae Dei luminis, constanti summorum Pontificum praedecessorum nostrorum testimonio laudumque praeconio tantopere commendatam doctrinam in universâ provinciâ praefatâ constanter retineri, doceri ac propugnari plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 3. Nos igitur, eorumdem exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, supradictum decretum definitorii generalis liberam facultatem fratribus praefatae provinciae Castellae cuiuslibet approbati doctoris sententiam

Abrogatio praefati decreti

1 Edit. Main. legit *alumni* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *obeuntes* (R. T.).

sequendi, sicut praemittitur, attribuens, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, revocamus, annullamus et abolemus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac pro revocato, nullo et abolito, viribusque et effectu penitus et omnino vacuo haberi volumus, omnibusque et singulis ipsius provinciae Castellae fratribus, lectoribus et magistris nunc et pro tempore existentibus constitutiones generales Ordinis praefati dictaeque provinciae Castellae ordinationes et statuta, quibus praelaudatam doctrinam divi Thomae profiteri, amplecti, docere et defendere iubentur, ut praefertur, deinceps perpetuis futuris temporibus inviolabiliter et inconcusse observari, eâdem auctoritate, harum serie, praecipimus et mandamus.

Clausulae. § 4. Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac praefatae S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et quosvis alios qualibet auctoritate fungentes seu functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV februarii MDCCXXX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 14 februarii 1730, pontif. anno VI.

CCXCIX.

Reducitur alternativa electionis vicarii generalis Congregationis Hispaniae et Indiarum fratrum Discalceatorum Ordinis Eremitarum S. Augustini ad tres tantum Hispaniae provincias [1].

Benedictus Papa XIII,
ad futuram rei memoriam.

Ea, quae pro felici personarum regularium statu in capitulis generalibus interdum sancita et auctoritate apostolicâ comprobata fuerunt, cum incommodum afferre ac earumdem personarum tranquillitati obesse noscuntur, nostri muneris est provide moderari et immutare, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Prooemium.

§ 1. Dudum siquidem pro parte tunc existentis procuratoris generalis Congregationis Hispaniae et Indiarum fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis Eremitarum sancti Augustini felicis recordationis Alexandri Papae VII praedecessori nostro exposito, quod in eiusdem Congregationis capitulo generali in oppido civitate nuncupato de Calatajud in Aragoniâ novissime tunc celebrato determinatum fuerat pro maiori quiete electionis vicarii generalis dictae Congregationis, et ut unusquisque ad inserviendum religioni magis animaretur, ipsi Alexandro praedecessori supplicandum fore ut concederet, electionem vicarii generalis Congregationis huiusmodi, servatâ inter B. M. V. in Columnâ Aragoniae, et S. Augustini Castellaenovae et veteris, necnon S. Thomae de Villanovâ Baeticae superioris et inferioris, ac S. Nicolai Tolentinatis respective nuncupatas insularum Philippinarum in Indiis provincias Congregationis praedictae alternativâ, sicut in Congregatione Italiae fratrum Discalceatorum eiusdem Ordinis observabatur, incipiendo a memoratâ provinciâ Aragoniae, fieri debere, itaut, eveniente casu, Olim dicta alternativa praescripta fuit per decretum capituli generalis, quod etiam ab Alexandro VII approbatum fuit inter tres Hispaniae provincias, aliamque insularum Philippinarum.

[1] Hac de re vide Alexandri VII const. edit. MDCLX, die 23 februarii, pontif. VIII.

quo vocales Indiarum capitulo pro tempore celebrando tempori adesse non valerent, tunc unus fratrum provinciae subsequentis iuxta ordinem supra expressum in vicarium generalem primodictae Congregationis eligi deberet: idem Alexander praedecessor, supplicationibus sibi per dictum procuratorem generalem nomine fratrum provinciarum praedictarum super hoc humiliter porrectis inclinatus, praenarratam alternativam electionem vicarii generalis Congregationis huiusmodi tamquam religiosorum tranquillitati et bono regimini praedictarum provinciarum proficuam et consentaneam, modo et formâ superius expressis, quatenus (ut asserebatur) in capitulo generali sic novissime celebrato legitime fuisset obtenta, auctoritate apostolicâ approbavit et confirmavit, ac iuxta praedicti capituli decretum fieri et observari mandavit; et aliàs, prout in ipsius Alexandri praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die XXIII februarii MDCCLX expeditis, quarum tenorem praesentibus pro expresso et ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Causae praesentis constitutionis, gravia nempe incommoda ob nimiam locorum distantiam ex Indiis in Hispaniam.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii tam modernus vicarius generalis quam universi fratres definitorii trium provinciarum Hispaniae dictae Congregationis nobis nuper exponi fecerunt, memorata alternativa electio vicarii generalis executioni demandari nusquam potuerit, propterea quod supradictae provinciae S. Nicolai Tolentinatis in insulis Philippinis quatuor numero fratres seu vocales, quemadmodum per constitutiones eiusdem Congregationis auctoritate praedictâ confirmatas requiritur, ex Indiis in Hispaniam, ubi capitulum generale ipsius Congregationis celebrari consuevit, traiicere nequeunt, tum ob nimiam locorum distantiam, tum quia eis non permittitur libera ex iisdem Indiis arbitrio suo discedendi facultas, quamobrem dilectus filius Iosephus a Solitudine assertus procurator istius provinciae, anno MDCCXXVI petierat constitutionibus praedictis in hac parte per nos derogari, ut scilicet, attentâ difficultate quam dictae provinciae fratres seu vocales experiebantur ad interveniendum eidem capitulo generali numero quaternos per dictas constitutiones praescripto, statueremus, quod, si unus, aut duo, vel tres ex fratribus seu vocalibus ipsius provinciae capitulo generali interessent, is seu alter eorum necessario eligi deberet in eiusmodi vicarium generalem; sed, auditâ per nos eâ super re dilecti filii nostri et Sedis Apostolicae in regnis Hispaniarum nuncii relatione, huic petitioni minime annuendum duximus: et revera alternativa electio vicarii generalis, quatenus ad effectum perduci vellet, multiplices turbas aliaque gravia incommoda, quae, cum stabilita et determinata fuit, minus perpensa fuerunt, toti Congregationi ac omnibus quatuor provinciis praefatis allatura foret; nam, ultra gravia dispendia quae dicta provincia S. Nicolai Tolentinatis in insulis Philippinis in quatuor ipsius fratribus seu vocalibus ad capitulum generale huiusmodi mittendis facere deberet, ac longae navigationis discrimina quae istis subeunda forent, sacrarumque missionum, quibus in illis partibus pro conversione infidelium ad catholicae religionis veritatem assidue vacare tenentur, detrimentum, si vicarium generalem, qui foret de dictâ provinciâ, ab humanis decedere vel aegrotare contingeret, diu nimis ob locorum intervalla expectandum foret, antequam vicarius generalis in defuncti vel aegroti locum subrogari posset, ac interim praefata Congregatio sine capite ac superiore remaneret: ipsi

exponentes, quo his aliisve diversis malis et perturbationibus ex dictâ alternativâ electione proventuris occurratur, simulque salubri ac tranquillo eiusdem Congregationis regimini prospectum sit, ipsam electionem vicarii generalis in pristinum, ac eum, in quo ante decretum supradicti capituli generalis erat, statum, scilicet inter tres provincias Hispaniae tantum reduci plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Reductio praedictae alternativae ad tres tantum Hispaniae provincias.

§ 3. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas[1] fore censentes, huiusmodi[2] supplicationibus inclinati, supradictam alternativam electionem vicarii generalis inter quatuor provincias Aragoniae, Castellae, Baeticae et insularum Philippinarum Congregationis praedictae, sicut praemittitur, constitutam, expeditasque desuper Alexandri praedecessoris litteras praefatas, ad solas dictas tres Aragoniae, Castellae et Baeticae provincias, eâdem auctoritate, tenore praesentium, reducimus, illamque deinceps inter easdem tres provincias dumtaxat, prout ante decretum et litteras eiusmodi, servari ac fieri statuimus et ordinamus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac dictae Sedis nuncios, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praedictorum[1] Ordinis, Congregationis, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, aut quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis: quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV februarii MDCCXXX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 14 februarii 1730, pontif. anno VI.

1 Edit. Main. legit *absolutos* (R. T.).

2 Vocem *huiusmodi* addimus (R. T.).

1 Edit. Main. legit *praedictarum* (R. T.).

INDEX

NOMINUM ET RERUM PRÆCIPUARUM.

NUMERUS PAGINAM INDICAT; *a* PRIMAM COLUMNAM; *b* SECUNDAM DESIGNAT.

A

exponentes, quo his aliisve diversis malis et perturbationibus ex dictâ alternativâ electione proventuris occurratur, simulque salubri ac tranquillo eiusdem Congregationis regimini prospectum sit, ipsam electionem vicarii generalis in pristinum, ac eum, in quo ante decretum supradicti capituli generalis erat, statum, scilicet inter tres provincias Hispaniae tantum reduci plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Reductio praedictae alternativae ad tres tantum Hispaniae provincias.

§ 3. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas[1] fore censentes, huiusmodi[2] supplicationibus inclinati, supradictam alternativam electionem vicarii generalis inter quatuor provincias Aragoniae, Castellae, Baeticae et insularum Philippinarum Congregationis praedictae, sicut praemittitur, constitutam, expeditasque desuper Alexandri praedecessoris litteras praefatas, ad solas dictas tres Aragoniae, Castellae et Baeticae provincias, eâdem auctoritate, tenore praesentium, reducimus, illamque deinceps inter easdem tres provincias dumtaxat, prout ante decretum et litteras eiusmodi, servari ac fieri statuimus et ordinamus.

1 Edit. Main. legit *absolutos* (R. T.).
2 Vocem *huiusmodi* addimus (R. T.).

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac dictae Sedis nuncios, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praedictorum[1] Ordinis, Congregationis, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, aut quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis: quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV februarii MDCCXXX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 14 februarii 1730, pontif. anno VI.

1 Edit. Main. legit *praedictarum* (R. T.).

INDEX

NOMINUM ET RERUM PRÆCIPUARUM.

NUMERUS PAGINAM INDICAT; *a* PRIMAM COLUMNAM; *b* SECUNDAM DESIGNAT.

A

B

C

D

neralis Ordinis Minorum de Observantiâ circa alternativam officiorum provinciae Siciliae eiusdem Ordinis, 215 *a* et *seq*; item ordinationem quamdam capituli generalis Carthusiensis, ne monachi missarum eleemosynas in privatos usus convertant, 255 *a* et *seq.*; item decretum generalis Ordinis B. M. de Monte Carmelo ne commissarius Tertii Ordinis eiusdem in provinciâ Fluminis Ianuarii, inconsulto ipso generali, removeri possit, 380 *b* et *seq.*; item decreta quaedam capituli generalis monachorum Ordinis S. Hieronymi, Congregationis Portugalliae, de praeside nempe capituli, ac de educatione novitiorum, 383 *b* et *seq.*; item decretum capituli generalis Ordinis Eremitarum Sancti Augustini constituens certum numerum triginta magistrorum in provinciâ Baeticâ eiusdem Ordinis, 491 *b*; item decretum definitorii generalis Ordinis S. Ioannis Dei assignans conventum S. Catharinae Neapolitanae pro residentiâ provincialis, 493 *a* et *seq.*; item litteras quasdam patentes magistri generalis Ordinis Minorum super institutione alternativae tripartitae in provinciâ Marianâ Minorum Reformatorum in Hungariâ, 517 *a* et *seq.*; item decretum magistri generalis totius Ordinis Minorum super exercitio cantus Gregoriani in provinciis Minorum Tertii Ordinis de Poenitentiâ in regno Galliarum, 572 *b* et *seq.*; item decretum prioris generalis Ordinis Eremitarum Sancti Augustini super observatione resolutionis definitorii generalis circa annullationem praesentaturarum de gratiâ in provinciâ Aragoniae eiusdem Ordinis, 574 *a* et *seq.*; item decretum capituli generalis Eremitarum S. Augustini super constitutione numeri triginta sex magistrorum in provinciâ Aragoniae, 578 *a* et *b*; item decretum generalis conventus Congregationis Missionis circa modum dimittendi a dictâ Congregatione unum ex assistentibus, si in culpam incidat, 586 *b* et *seq.*; item reformationes quasdam constitutionum Ordinis Servorum B. M. V. pro Germaniae et Bohemiae provinciis, 590 *b* et *seq.*; item decreta quaedam definitorii generalis fratrum Discalceatorum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Congregationis Hispaniae pro bono regimine provinciarum dictae Congregationis, 596 *a* et *seq.*; item decretum capituli provincialis Eremitarum S. Augustini statuens alternativam quamdam, 620 *b* et *seq.*; item acta quaedam capitularia Eremitarum S. Augustini provinciae Castellae approbata per decretum Congregationis episcoporum et regularium, 623 *b* et *seq.*; item decretum capituli generalis Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, quo responsum fuit laicos, seu conversos, donatos nuncupatos, eiusdem Ordinis, teneri unâ cum religiosis choristis ad omnia humilitatis officia, 662 *b* et *seq.*; decretum capituli generalis Ordinis Praedicatorum super suppressione Congregationis Angelorum in provinciâ Galloprovinciae aliàs erectae, relatum confirmat, 811 *b* et *seq.*; item decreta capituli generalis Congregationis Montis Oliveti Ordinis S. Benedicti circa abbates titulares, 839 *a* et *seq.*; item decretum capituli generalis Ordinis Minorum, quod vocales Indiarum Occidentialium dicti Ordinis, qui Discalceati nuncupantur, frui debeant praemio et praeeminentiis statutis per constitutiones, etsi nonnullae eis desint qualitates, refert confirmatum, 854 *a* et *seq.*; decreta duo capituli generalis Minorum de Observantiâ super moderatione Brevis Clementis XI circa praemium conferendum lectoribus linguae hebraicae et controversiarum familiae cismontanae, refert et confirmat, 865 *b* et *seq.*; constitu-

E

F

G

H

I

L.

M

N

O

P

R

S

T

U

INDEX INITIALIS.

A

B

C

INDEX RUBRICARUM

CONSTITUTIONUM

BENEDICTI PAPAE XIII

AB ANNO PRIMO AD SEXTUM ET ULTIMUM.

FINIS TOMI VIGESIMISECUNDI.

V. ex delegatione D. D. Archiepiscopi Taurin.
P. Clodovaeus a Costiliolis Ord. Min.

ERRATA-CORRIGE

HUIUS NOSTRAE EDITIONIS.

IN TEXTU:

Pag.	21	b	linea 11	Paraclytum	Lege	Paraclitum
»	218	b	*rubr.*	unus ex Ordinum (*a*)	—	unus ex Ordinibus
»	262	a	» 2	XVII (*b*)	—	VII
»	263	a	» 5	17	—	7
»	271	b	» 21	CXV	—	XCV
»	305	a	*marg.*	Clementis XI	—	Clementis IX
»	358	a	» 2 *ult.*	sacrorum	—	sacri
»	368	b	» 8	nuncupâtorum, regni Sardiniae	—	nuncupatorum regni Sardiniae, tria
»	404	b	» 25	*apostolorum*	—	*beatorum apostolorum*
»	505	a	» 11 *ult.*	filii	—	filiis

IN NOTIS:

»	87	a	*nota* 2	*motus*	—	*motu*
»	91	a	» 1	*nostris*	—	*nostros*
»	91	b	» 1	racta	—	recta
»	127	b	» 1	Forsan *cum* pro *in* legendum	—	Edit. Main. legit *in* pro *cum*
»	212	a	» 1	*cathedralem*	—	*concathedralem*
»	219	b	» 2	Alexander	—	Alexandri
»	254	a	» 1	legitur	—	legatur
»	271	b	» 1	die 1 iunii	—	die ... iunii
»	337	a	» 1	berba	—	verba
»	395	a	» 1	*parla*	—	*paria*
»	416	b	» 2	IV idus	—	VII idus
»	479	a	» 1	.....	—	Ed. Main. legit *trereum*
»	761	a	» 1	*illic*	—	*illis*

(*a*) Ex edit. Main.
(*b*) Ex edit. Main.

Typothetarum specimina
repetitis curis contulit et revisit I. B. Desso Taurinensis.